





THESAURUS
GRÆCARUM
ANTIQUITATUM.

VOLUMEN XII.

THESAURUS
GRÆCARUM
ANTIQUITATUM,

Contextus & designatus

ab

JACOBO GRONOVIO.

VOLUMEN DUODECIMUM

Residua sepulchri & ex omnibus nobiliora illustrata adnectens.

Series librorum voluminis præfationem sequitur.



I. Camerata in. *P. Monaco fc.*

VENETIIS,
Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO.



Exhibemus denique, Lector Benevole, duodecimum, ultimumque Antiquitatum Græcarum Thesauri tomum: qui licet serior, quam quidem animum induxeramus, prodeat; tamen damnum moræ illius satis superque resarcitur egregiis, quæ nunquam antehac, quum nomina Emtorum inscriberentur, promissa sunt, additamentis. Ea in hunc tomum relata sunt consilio & hortatione Hominum quorundam Eruditorum, qui exoptabant dari etiam aliis, quod ipsi pretiosum in Bibliothecis suis possidebant, ut & hinc quodammodo studia promoverentur. Illi ipsi acriter mihi persuadebant, ut vellem ad finem Nobilissimi Operis addere duos illos perelegantes Viri Celeberrimi Joannis Petri Bellorii libros, continentes Figuris Æneis Sepulcra & Lucernas Sepulcrales Antiquorum, illustratas explicationibus Viri illius eruditissimis: magisque id mihi persuasum cupiebant, quia in fine Tomi Undecimi hujus Thesauri tractatus quidam absque figuris de consuetudine in funere antiquorum adhibita adjecti erant; quare hanc emendationem debemus generosis illis consiliariis & adjutoribus. Licet vero titulus Cl. Bellorii de Sepulcris videatur tantum inclusisse veterem Romam; nihilominus inperlustrando deprehendetur, æque Veteres Græcos ac Romanos comprehendere, idque ingentem huic operi perfectionem, ornamentum & utilitatem adferre: præterquam quod Ambo Thesauri, Græcus æque ac Romanus, unum corpus efficiunt, atque a plerisque studiorum cultoribus simul vel emti sunt vel emuntur, ut hac ratione, quod alteri desit, in altero reperiant. Omnem autem adhibuimus operam & diligentiam, ut omnia tam perfecte, tam bene, tamque eleganter, quantum fieri potuit, exhiberemus, nulla occasione, nullis sumtibus, aut labore neglecto, ut Eruditorum vota ad liquidum expleremus, famam nostram adaugeremus, atque unumquemque Musis faventem accenderemus, ut, quod prælum nostrum (favente divino numine) posthac emitteret, maxime vendibile esset. Duos laudatos jam libros excipit pereruditum opus Viri Clarissimi Johannis Potteri, inscriptum Archæologia Græca; id quod per se Corpus Antiquitatum Græcarum satis elegans efficit. Prodiit autem olim Londini, sermone Anglico II. Tomis in Octavo, atque ob præstantiam, qua pollet, penitus venditum: postea vero rogatione nostra, multorumque hominum eruditorum (qui necessarium hoc opus ob utilitatem communibus studiis existimabant) Auctor inductus fuit denuo idem recensere, augere, & emendare, eaque perurgente se operi admovit summaque prudentia & diligentia absolvit; ita ut altero tanto sit auctius, quam editio illa Anglica, quod nun-

quam accidisset, si Volumen hoc citius in lucem emisissemus. Omnes autem, qui huic operi adduntur tractatus, non ita edidimus, ut temere hanc illamque editionem, prout quæque nobis occurrebat, secuti simus; sed consilio & opera Virorum Doctorum ubicunque agentium, impensis summis adhibitis, varias quasque editiones requisivimus, alteramque cum altera contulimus, priusque emendavimus, quam prælum subirent. In his inveniuntur plerique ex relictis & nunquam impressis Auctorum chirographis emendati: nec pauci etiam dantur tractatus Doctissimi JOH. MEURSII aliorumque nunquam antehac editi. Nitidi & perfecti INDICES, quos in fine adspicis, maxima fuerunt causa, cur non prius totum hoc Corpus diem adspexerit; cujus moræ causam reddimus etiam in præfatione quæ illis præmissa est. Atque ita, Benevole Lector, præclari illius operis ab nobis XII. Voluminibus quinquennio absoluti, & quorundam aliorum usus sane permagni, prout harum rerum studiosis satis est cognitum, finem habes. Percupido itaque animo laborem hunc accipe, & desiderium nobis injicietur, plura alia præclara maxime opera Tibi exhibendi. Sudant etiam cura celeberrimorum ingeniorum nonnulla sub prælo nostro, quæ magnopere exspectantur ab omnibus, quibus studia cordi sunt: in his DESIDERII ERASMI MAGNI ILLIUS ROTERODAMENSIS OPERA OMNIA X. TOMIS IN FOLIO, quibus additamenta satis multa emendationesque adjiciemus; quæ fideliter exhibebuntur, ut pateat, quemadmodum Magnus ille Vir ipse vel ediderit, vel manu sua scripsit. Si autem aliquis ad id alia quædam aut possidebit aliosve possidere sciet, rogamus obnixe, ea ut liceat nobis ad reliquam tam præclari operis emendationem esse communia: cui favori conabimur satisfacere, gratiasque nunquam non agemus. Interim Vale & Fave.

SERIES
SCRIPTORUM

Quæ in volumine duodecimo Thesauri Antiquitatum Græcarum inveniuntur.

VEterum Sepulcra, *seu Mausolea Romanorum & Etruscorum, inventa in urbe Roma, aliisque locis celebribus; in quibus multa ad eruditionem monumenta continentur, collecta & delineata a* Petro Sanctio Bartolio, *cum explicationibus* Joannis Petri Bellorii. *Ex Italico in Latinum sermonem transtulit* Alexander DuKerus. *cum figuris.*

Veterum Lucernæ Sepulcrales, *collectæ ex cavernis & specubus subterraneis urbis Romæ, figuris æneis expressæ: in quibus multa ad eruditionem monumenta continentur, delineatæ secundum formas suas a* Petro Sanctio Bartolio. *Divisæ in tres partes, cum observationibus* Joannis Petri Bellorii. *Ex Italico in Latinum sermonem transtulit* Alexander DuKerus. *Auctior.*

Joannis Potteri *Archæologia Græca, sive Antiquitatum Græciæ Corpus absolutissimum, ex Anglico in Latinum versum: nunc iterum ab Auctore ipso recognitum, emendatum, ac fere dimidia parte auctum; cui peculiarem ac proprium Indicem adjecimus, tum quod id nobis commodius visum est, tum ut morem gereremus litteratis quibusdam Viris, qui hoc nobis suaserant.* cum figuris æneis.

VETERUM
SEPULCRA,
SEU
MAUSOLEA
ROMANORUM
ET
ETRUSCORUM.

VETERUM SEPULCRA,

SEU

MAUSOLEA ROMANORUM ET ETRUSCORUM,

INVENTA IN URBE ROMA, ALIISQUE LOCIS CELEBRIBUS;
In quibus multa ad eruditionem monumenta continentur,

Collecta & delineata

A

PETRO SANCTIO BARTOLIO.

CUM EXPLICATIONIBUS

JOANNIS PETRI BELLORII.

Ex Italico in Latinum sermonem transtulit

ALEXANDER DUKERUS.



VENETIIS,
Typis Jo: BAPTISTÆ PASQUALI.

M. DCC. XXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

PROLEGOMENA.



IN lucem a me prodiit Anno 1680. SEPULCRUM NASONIUM; & Anno 1691. VETERUM LUCERNÆ SEPULCRALES. Utrumque opus luminibus illuſtravit clariſſimis D. Joannes Petrus Bellorius, cujus egregia anima jam gaudet divino cœleſtis felicitatis lumine. Nunc inſimul prodit congeries ſepulcrorum, quæ incipit ab ſepulcris Villæ Corſinæ, in Via Aurelia extra portam, quæ dicitur Sancti Pancratii. Et ſane vereor, ne dicar ſepultus, ut ita dicam, in ſepulcris, quaſi faſtidiam vivere & verſari inter vivos. Imo dicendum eſſet, me frequentare ſepulcra, quo viventibus ea reddam vitæ, pulchroſque eorum & reconditos exponam theſauros. Quod ſi Viri literati apud nos ſeſe reddunt commendabiles eo, quod ſepultos incognitoſque nobis Scriptores, libroſque manuſcriptos in lucem protrahunt ad eruditionem noſtram; quomodo poterit illud non laudari, ſi oculis exponantur ſepulta excellentium artificum opera ad publicam ſimul utilitatem & voluptatem? Neutiquam itaque diſſimulo ſingulares ad eam rem ſtimulos, qui dominabantur, & dominantur hodieque meo in pectore; ideoque hic eorum exponam originem.

Sentiebam jam inde ab ineunte adoleſcentia, ingenio meo me ferri ad admirationem illius elegantiæ, quæ animos hominum abripere ſolet, & in proportione conſiſtit. Quare cum Roma Urbs ab ipſis incunabulis ſuis ex omnibus undique terris advenas ad ſeſe pertraxerit, me quoque illuc contuli illo ipſo tempore, quo pulcherrima ex antiquitate monumenta detegebantur in via Aurelia; dum iſtic jacerentur fundamenta prætorii, quod eſt in villa Pamphilia, & complanare clivos, rimarique terram oporteret. Notitia inter me celebremque virum, Joannem Petrum Bellorium, qui tunc prope me habitabat, plurimum mihi incitamenti addidit ad conſummandum illud mihi inſitum ſtudium. Modo enim una cum ipſo, modo ſolus me exercens in frequentando & admirando ſepulta illa Romanæ magnificentiæ opera, pariter quoque ſtudebam venuſtatem apprehendere, quæ eſt in ſymmetria ædificiorum, & elegantia delineationum; atque ita illum amorem meum accendebam vehementer. Verum amor non poteſt eſſe ſine dolore, quotieſcunque videmus auferri nobis illud, quod amamus. Hoc incommodum cum veluti telis me trajiceret acutiſſimis, multumque animo moleſtiæ crearet, coactum me ſentiebam manum ipſe meam admovere, & quam accuratiſſime delineare haſce doctæ & eruditæ Antiquitatis reliquias. Deprehendi tum cum voluptate, quomodo hice magni homines ad æternitatem adſpiraverint, cum etiam poſt mortem habitare una, atque exſtrui ſibi quaſi urbem quandam hominum ſepultorum vellent. Quippe per totam hancce regionem, cum terra foderetur

ad extruenda ædificia, tam in villa Ginetta, quam in aliis, visæ fuere conntinuatæ fabricæ, & suis distinctæ semitis, terraque opertæ ad suorum similitudinem cadaverum sepultorum; ne scilicet habitacula hac in re differrent ab ipsorum conditione incolentium. Scio hoc visum iri multis absurdum, qui hancce terram qua operta inveniuntur sepulcra, adscribent incremento fortuito, ex delata illuc materia maxime ad jacienda quoque fundamenta orto; sicut hoc in multis quoque locis deprehenditur. Sed in his ipsis, quas nunc publico, paginis, sepulcra illis interioribus suis & reconditis angustisque viis, quæ sunt ad instar canalium seu labyrinthorum, manifesto indicio declarant, artificium esse, non casum, hoc illorum monumentorum integumentum; sicut videri potest ex illo Alexandri Severi, ejusque matris Juliæ, in loco, qui dicitur Mons frumentarius.

Utcunque sit, hoc certum est, hæcce sepulta sepulcra mihi semper visa fuisse formulas & exemplaria nobilissima in usum illorum, qui profitentur architecturam, picturam, & sculpturam, quibus artibus ego delectabar. Quæ sententia postquam mihi confirmata fuit, ex quo legi Raphaelem, cognomento Divinum, sepulcrorum frequentasse scholas; & ipsa adeo experientia mihi hanc veritatem sole clarius indicavit, peregrinatum ivi per monumenta urbis ditionisque Romanæ, & ab aliis collectum hinc inde deperditorum monumentorum, aut illorum, quæ in fragmentis adhuc superessent, delineationes; cum commendassem fossoribus, similes fabricas subterraneas si reperirent, me facerent certiorem. Sed quis fidelitatem sibi ab hisce sperare potest hominibus, qui non parcunt reliquiis, quæ gemmis ipsis sunt pretiosiores; hoc solo excusabiles, quod inter nobile & ignobile quid intersit, ignorant? O quantum pulchrarum fabricarum ipsorum manibus eversum est, ut ne illas fuisse quidem sciamus! Fato meo imputavi, cum proximis hisce temporibus ad fundamenta novorum ædificiorum villæ Corsinæ in antedicta regione terra foderetur, & complanaretur solum vicinum, admonitum me ab illis de fabricis quibusdam antiquis, quæ picturis ornatæ essent. Verum diruerant jam partem earum; & antequam disjicerent, quod reliquum erat, tempus mihi superfuit ad delineanda ex iis diversarum familiarum monumenta, quæ numero suo dimidium civitatis conficere possint; quemadmodum & ea videntur collocata in hujus operis principio. Hunc illis locum dedi, non solum ut eo afficerem honore viam Aureliam, quæ apud me Aurea est, quia prima quasi schola fuit, ubi studia mea ad usum contuli; sed ob ipsam etiam eorundem antiquitatem: Siquidem ex sententia eruditorum ad bis mille annos assurgunt, quantum apparet ex Inscriptionibus, quæ in illis repertæ sunt. In Ichnographia eorum notavi spatiis distinctis, ubicunque fabricam illic prolapsam, illic integram vidi. Vias, quæ in qualibet cella seu camera dividebant columbaria, in quibus erant urnæ, cineribus opibusque crematis impletæ, notavi spatiis albis & quasi semicircularibus; sepulcra autem majora spatiis majoribus &

oblongis. Ingressus itidem Januarum suis notavi signis; eodem modo scalas, & in una eademque fabrica cellas diversas. Ubi in quatuor & triginta cellis, tot enim erant, quædam fuerunt notabilia, ex parte ea delineavi, commoditatis ergo adnotato numero. In omnibus autem cellis erant Columbaria.

Ne quis heic credito *Columbarium* nomen nove a me dictum; & forsan ad similitudinem illorum, quæ a columbarum inhabitatione vulgus ita appellat. Est enim illud antiquissimum, & in tribus illis, quæ inter hasce fabricas inventæ sunt, Inscriptionibus in cella, notata numero septimo & vicesimo, quæ unam conficere integram Inscriptionem dici possunt, diserte legitur talis familia tot dedisse Columbaria cum tot Ollis. Ecce tibi primam, secundam, & tertiam partem illo, quo positæ erant, ordine.

I.

Q. CÆCILIUS.
Q. L. PRIMUS.
EMIT. IN. MONIMEN-
TO. PALANGARIORUM
IN. AGRO. FONTEIANO.
QUOD. EST. VIA. AU-
RELIA. IN. CLIVO.
RUTARIO. PARTE.
SINISTERIORE. COL
UMBARIA. N. X. OL-
LARUM. N. XXXX.
SIBI. ET

II.

CÆCILIÆ. Q. Q. L
ATTICE. CONIUGI.
SUÆ. ET. Q. CÆCI-
LIO. SUCCESSO. L.
SUO. ET. Q. CÆCILI-
O. FRUCTO. L.
SUO. ET. LIBER-
TIS. LIBERTABUS.
SUIS. POSTERISQUE.
EORUM. HÆC. CO-
LUMBARIA. ET
OLLÆ.

III.

ALIO. NOMINE. NEMINEM.
SEQUENTUR. ET. ITA. UT.
AREA. QUÆ. EI. CEDIT. MO-
NUMENTO. COMM. UTI. LI-
CEAT. ET. SACRIFICIUM. FA-
CERE.

Ex hac Inscriptione cognoscimus, locum illum editum, in quo monumentum fuit, appellatum fuisse *Clivum Rutarium*; ditionem, seu possessionem, sive agrum ipsum *Agrum Fontejanum*; & *Monumentum Palangariorum* fuisse, quod emit familia Cæcilia; & in summa Columbaria fuisse numeris notata suis, sicut heic numero x. & fuisse in monumento xxxx. Ollas, seu Urnas ferales.

Monumentis illis, quæ inventa sunt in Villa Corsina, adeo vetusta, præmitto illud, quod creditur esse Curiatiorum in Albano, Atque iis subjungo cætera secundum vetustatem temporis; qui ordo maxime conveniens & concinnus, ubi de antiquis Sepulcris & Mausoleis agitur, visus mihi fuit.

Verumtamen ne viventes litem mihi de prærogativa moveant inter mortuos, quibus loqui posse non datur, illud heic testatum publice volo, non hoc me curare, ut pronunciem, num quod se-

pulchra illa habent, certo ſit verum nomen; aut ſi maxime ſit genuinum, num forte ſit multo ſerius illo tempore, quo deceſſerunt hi, in quorum honorem exſtructum eſt monumentum. Illud enim unicum mihi propoſitum eſt, ut hominum oculis digna exponam illorum monumenta ſæculorum, quibus pulchræ artes nondum erant exſtinctæ. Solum igitur ſpectavi nomen, quo inſigniuntur ſepulcra; non tamen, ut afferam illud, tanquam certum & genuinum. Atque ita ſecundum vetuſtatem monumentorum, quæ nominibus ſunt inſignita, primo ſubjunxi familias ſeu perſonas Romanas, quæ floruerunt liberæ Reipublicæ tempobus, Furiam, Publiciam, Serviliam, aliaſque, quæ in ſerie ſua apparent, quam ſubjunxi. Hiſce illa ſubjeci Sepulcra, quorum non quidem nomina inveni, ex ipſo tamen ſtructuræ genere Reipublicæ temporum eſſe credidi. Dehinc tranſeo ad Sepulcra ſub Imperatoribus, incipiens ab Auguſto, ſub quo Cajum Ceſtium & Virgilium colloco. Tum ad alios pergens Imperatores, Munatii Planci, quod Cajetæ eſt, ſepulcrum expono; & item conjugum paris illius, non tam ipſo clari nomine, quam ſui pulchritudine Sepulcri.

Ad hunc modum finita Latinorum Sepulcrorum ſerie, Græcum exhibeo, quod inventum eſt in *Rupe Sicca*, ditionis Marchionum Maximorum, quodque deſcripſit & delineavit idem eminentiſſimus D. Cardinalis, Camillus Maximus, cujus memoria immortalis ſane & illuſtriſſima eſt, profundaſque admodum in animo meo radices egit propter generoſam illam beneficentiam, quam non ſolum erga me exercuit, ſed etiam erga nobiles artes, quas omni ſtudio promovebat. D. Joannes Baſtritius, rogatus a D. Bellorio, (qui pro illo intimæ amicitiæ vinculo ſæpe cum eo benevole communicabat cogitata ſua maxime; ſi quando verba Græca in numiſmatibus aliove monumento vetere occurrerent) animum induxit, ut e Græcis Latinos faceret verſus illos, qui in eo ſepulcro conſpiciuntur infra imaginem pueri, equo inſidentis. Illi autem per ignorantiam & oſcitantiam illius, qui eos inſculpſit marmori, pleni mendarum, ex ipſius ſententia ita legendi ſunt pagina 90.

Βαιὸν ἐπιστήσας ἴχνος ἐνθάδε τύμβον ἄθρησον
    Παιδὸς ἄφνω μαζῶν μητρὸς ἀποσπαμένου.
Ὤιχετο δ' ἐν ἱεκύεσσι λιπὼν πατρὶ πένθος ἄληκτον
    Διστὴν πληρώσας πεντάδα τῶν συνόδων.
Τοῖος δ' ἦν γεγαὼς, οἷός ποτε φῦσεν Ἴακχος,
    Ἢ θρασὺς Ἀλκίδης, ἢ καλὸς Ενδυμιών.

Quæ ita fideliter ille in Latinum tranſtulit.

Tantiſper ſiſtens hic Urnam cerne puelli
Erepti ſubito matris ab uberibus.
Perpetuum patri luctum hoc in funere linquens
Bis quinque expletis menſibus interiit.
Indole talis erat, fuit olim qualis Iacchus,
Acer & Alcides, pulcher & Endymion.

Di-

Dixit, in Græcis loco *bis quinque mensium* legi *quinarium synodorum duplicatum*. Sed quandoquidem tum ad publicas res inutilis sit mensis astronomicus 27. dierum & amplius, & solus in usu mensis Synodicus, id est, ille, quem Luna cursu suo conficit interea dum cum Sole iterum conjungatur; tum autem diserte legatur in Epitaphio, illum defunctum fuisse puerulum, & subito raptum ab uberibus matris, non alium sibi visum magis genuinum aut commodum sensum, qui ad hæc accommodari posset, quam illum decem mensium. Adjunxit, mirum non esse, adeo teneræ ætatis puerum post mortem expressum videri equo insidentem. Patri enim ipsius hoc adscribendum, qui filium suum jam in cœlo immortalem, novumque Castorem credi voluerit. Atque hunc apud Pindarum in Pythiis, in laudem Hieronis, candido equo insidentem exprimi; etiam ab Homero in Hymno Dioscurorum appellari *Hippodamum*, id est, *equorum domitorem*, atque ita quoque ab Apollonio, libro primo Argonauticorum. Et siquidem in iisdem Epitaphii versibus idem puerulus cum Baccho, forti Alcide, pulchro Endymione comparetur, alienum videri non debere, si pater eum sculpi voluerit insidentem equo, tanquam Castorem.

Græcum hoc Etrusca monumenta excipiunt, quæ pene omnia inventa sunt in patria mea, Perusia. Cæterum ubicunque lingua Græca, Latinæ quodammodo parens, superstes excolitur adhuc non sine honore literatorum, Etrusca ita est exstincta penitus, ut ne unus quidem sit, qui libere asseverare ausit legere posse characteres ejus.

Claudo totum de Sepulcris opus Urnis feralibus seu sepulcralibus, quæ occultabant cineres, aut cremata mortuorum ossa; licet quædam earum, quæ pertinent ad Villam Corsinam, jam visæ fuerint in paginis antecedentibus, ne scilicet ab suis illæ sejungerentur monumentis. Verumtamen in hisce non conspicientur, sicut in illis, foramina, per quæ lac & vinum defundebant gentiles, credentes inaniter, illud prodesse atque gratum esse animabus defunctorum suorum.

Appendicis loco præter Opus cælatum, seu anaglyphum, quod itidem ad Sepulcra pertinet, insignes duæ conspicientur Picturæ unicolores, in cœmiteriis inventæ. In priore egregie repræsentatur triumphus Bacchi & Cereris; in posteriore Aquila, bibens ex catino, quem porrigit ipsi Ganymedes. Hac figura forsan exprimere voluit Romanus ille gentilis grandem illustris alicujus hominis animam, quæ in modum Aquilæ cœlum adscenderet, ut cœleste Nectar biberet ab Ganymede, Pincerna Jovis. Atque nos possemus heic referre sublime Romanæ Aquilæ ingenium, quæ scientiam sitiens, fastidiensque humilia, sola videri possit e cœlo accepisse hunc admirabilem nobilissimarum artium liquorem, qui deprehenditur in reliquiis, heic descriptis; idoneus sane ad explendam ex parte præstantium hominum sitim.

En tibi totam telam, & dispositionem paginarum. Unum deesse videtur; figurarum scilicet & mysteriorum, quæ earum sunt

involuta tractibus, expositio, excellenti calamo Bellorii exarata. Nimirum is magnis hominibus datur honos, ut quando a nobis decesserunt, tanquam necessarii desiderentur. Idcirco non defuturos in orbe spero homines eruditos, quibus ipsa suffecerit delineatio figurarum, earumque brevis descriptio ad investigandum illud, quod desiderant. Siquidem observavi, orbem esse fœcundum hominibus ingeniosis & eruditis, maxime hac ætate felici, qua excitata denuo videmus elegantia & actuta in doctrina, inventione, & perfectione artium ingenia. Mihi suppeditasse materiam præstantibus literatis, & incrementis aliorum, atque hoc, quod publico debebam, tributum persolvisse sufficit.



ORDO
FIGURARUM
HUJUS OPERIS.

I. ICHNOGRAPHIA *Sepulcri, seu monumenti, quod creditur esse Curiatiorum, in Albano.*

II. *Prospectus ejus qualis hodie est.*

Antiquissima diversarum familiarum Sepulcra, quæ pariter hoc tempore fuerunt inventa ad eam Aureliæ Viæ partem, ubi Villa Corsina est.

III. *Ichnographia quatuor & triginta cellarum sepulcralium, quæ ibi repertæ sunt.*

IV. *Prospectus, seu facies exterior secundæ, octavæ, nonæ, & decimæ cellæ, seu cameræ, quæ notatæ sunt in Ichnographia præcedenti. Ubi de industria exhibitæ sunt exacte viæ; ad repræsentandas easdem, quæ illic variis in locis erant, sicut ipsa indicat Ichnographia.*

V. *Facies interior cameræ, quæ in Ichnographia ad numerum secundum est, cum pictura, quæ est in superiore ædicula, seu cavo parietis; & repræsentat falsam de Animabus doctrinam, quæ communis fuit Platonicis Gentilibus. Veniunt illæ ad Terram matrem, gustato Lethes, seu oblivionis poculo. Adjunctæ sunt quatuor ætates hominis, prope Terram collocatæ; & subtus sunt Columbaria.*

VI. *Pictura in fornice cameræ antedictæ, adornata opere Arabico, & imagunculis elegantibus.*

VII. *Facies interior cellæ, quæ in Ichnographia numero secundo est.*

VIII. *Ædicula, seu cavum parietis in facie cameræ interiore, quæ in Ichnographia est numero quarto.*

IX. *Facies interior cellæ, quæ in Ichnographia est numero septimo.*

X. *Pictura in fornice ejusdem cameræ septimæ.*

XI. *Facies interior, quæ est in Ichnographiæ cella octava, ubi apparent in pavimento vasa fictilia, magnitudine duarum circiter Spithamarum, plena cineribus diversorum defunctorum. Hæc vasa referuntur folio sequenti. Hic in arcu, seu ædicula inferiore conspiciuntur insignia Palladis, scutum videlicet, galea cristata, & noctua.*

XII. *Vasa fictilia modo memorata, quæ dicuntur Ollæ, cum Inscriptionibus suis. Primum habet foramina sine operimentis: secundum tria habet, cum tribus operculis marmoreis: tertium foramina inter se differentia, cum bipenni sive securi superposita. Insuper exhibetur alius arcus, seu ædicula picta ejusdem cameræ octavæ.*

XIII. *Interior facies cameræ, quæ in Ichnographia habet numerum nonum.*

XIV. *Pavimentum operis Musivi, colore candido, & nigro, in Ichnographiæ cella decima, quæ solo terrestri æqualis est. Repræsentatur in illo Bacchus, jumento insidens. Scalæ indicium dant alterius cameræ superioris. Urna, seu Olla cum operculo suo, una est ex illis sex, quæ sitæ erant in illis ejusdem pavimenti locis, quos notavimus sex quadratis figuris.*

XV. *Facies interior cameræ, quæ in Ichnographia numerum habet nonum decimum. Præter Columbaria illic infra figuram principem, columella est cum scrinio, superne semiaperto. Ex eo manubrium exit, ab quo sertum dependet divisum, cujus al-*

teram partem roſtro avicula adprehendit, altera per aerem circumvolitante.

XVI. *Pictura in connexo laquearis cameræ illius, quæ in Ichnographia numero viceſimo occurrit. In medio illius Genius eſt alatus, qui altera manu papavera tenet, altera facem inverſam, ad exſtinguendum. In una orarum, quæ convexitatem fornicis præcingunt, repræſentatur equus Trojanus; in altera Cerberus, Erebo extractus ab Hercule, inter duas fœminas, quarum una ſedet, & forſan eſt Proſerpina; altera ſtat, quaſi conterrita.*

XVII. *Pavimentum Muſivum, colore candido & nigro, illius cameræ, quæ in Ichnographia locum primum & vigeſimum obtinet.*

XVIII. *Pavimentum pulcherrimi operis Muſivi, coloribus diverſis, area candida, in cella, quæ numerum quartum & vigeſimum habet in Ichnographia. Repræſentantur in eo varii ſaltatores, ſeu hiſtriones, quatuor habentes virgas, utraque manu duas, quibuſcum ludebant.*

XIX. *Ornamentum in ea, quæ ſubter ſcalis, ſeu gradibus eſt, parte illius cameræ, quæ cæteris amplior, & Ichnographiæ numero ſeptimo & viceſimo eſt.*

XX. *Ornamentum operis tectorii, ſeu cruſtati, & picturæ in cella eadem; ubi præter Columbaria, quæ in omnibus eſſe cellis intelligi debent, duæ apparent effigies.*

XXI. *Icuncula marmorea adoleſcentis annorum ſexdecim, una cum baſi & inſcriptione ejus. Inventa fuit in eadem cella ſeptima & vigeſima. Erat ibidem altera pueri decennis, cujus inſcriptio in eadem baſi adjecta eſt, cum cæteroquin artis aut magnitudinis non ineſſet illi notabilis diverſitas.*

XXII. *Poculorum opercula teſtacea duorum generum, inventa in ſepulcris quatuor & triginta cellarum, quæ notatæ ſunt in Ichnographia ſua. Alterum in ora habet duodecim ſigna Zodiaci.*

XXIII. *Teſtacea & vitrea Vaſa lacrymatoria, formis diverſis, inventa in ſepulcris iiſdem.*

XXIV. *Infundibulum ad uſum ſacrificiorum, quæ mortuis fiebant, faciem Sileni habens. Item digitus æneus in modum clavi. Hæc inventa ſunt in antedictis ſepulcris Villæ Corſinæ. Præterea Vas teſtaceum, tanquam in uſum laternæ, inventum alibi. Omnia explicantur infra tabulam.*

Sepulcra vetuſta familiarum, & hominum, quorum nomina exſtant, quæ ad liberæ Reipublicæ tempora pertinent.

XXV. *Ichnographia, & proſpectus ſepulcri gentis Furiæ, in Tuſculano.*

XXVI. *Duæ Inſcriptiones, deſumptæ ex Kircheri* Latio.

XXVII. *Proſpectus monumenti Caii Publicii, Ædilis Romani, quod ipſi decrevit Reſpublica, ex privilegio, quod ibi indicatur.*

XXVIII. *Ichnographia ſepulcri, quod creditum eſſe Scipionum, in Via Appia, cum ſua expoſitione.*

XXIX. *Proſpectus ejuſdem.*

XXX. *Ichnographia ſepulcri gentis Serviliæ, in Via Appia.*

XXXI. *Proſpectus ejuſdem.*

XXXII. *Ichnographia ſepulcri Plautiorum, quod Tibure eſt.*

XXXIII. *Proſpectus ejuſdem & Inſcriptio, ſumpta ex Kircheri* Latio.

XXXIV. *Inſcriptio altera, deſumpta ex eodem.*

XXXV. *Ichnographia ſepulcri Cæciliæ Metellæ, in Urbe Roma, Caput bovis.*

XXXVI. *Deformatio ejuſdem, quæ explicatur.*

XXXVII.

ORDO FIGURARUM.

XXXVII. *Dispositio ejusdem, seu descriptio interior.*

XXXVIII. *Arca sepulcralis Metellæ.*

XXXIX. *Facies sepulcri gentis Pompeiæ, in Urbe Roma, in Via Appia, desumpta ex delineationibus Pyrrhi Ligorii.*

XL. *Præcipua facies aliorum sepulcrorum, quæ ad varios homines, quorum memorantur nomina, pertinent, ex iisdem.*

XLI. *Alia facies ex iisdem.*

XLII. *Sepulcrum Q. Verannii, in Via Appia.*

XLIII. *Sepulcrum M. Antonii Antii Lupi, cum Inscriptione, in Via Ostiensi.*

XLIV. *Sepulcrum Q. Vibii, falso dictum sepulcrum Neronis.*

Sepulcra sine nominibus, quæ ad Reipublicæ tempora pertinent.

XLV. *Ichnographia sepulcri veteris, inter S. Sabæ & muros Romæ, cum descriptione sua.*

XLVI. *Prospectus ejusdem, qui describitur.*

XLVII. *Sepulcrum vetus, quod Tibure est, in hortis Gentilium, ubi apparet Alexander cum Bucephalo.*

XLVIII. *Aliud eodem in loco, quod aviculam habet intra circulum.*

XLIX. *Aliud Tiburtinum, sumptum ex delineatione Petri de Cortona. In hoc Leo est, qui creditur esse idem ille, qui positus est ad primos domus Barberinæ gradus.*

L. *Ichnographia, & dispositio sepulcri alterius, ad radices Aventini, quod puteum habet, idemque describitur.*

LI. *Ichnographia sepulcri veteris, in Via Portuensi, descripta ex delineatione, quæ multos abhinc 'annos adornata est. Inventum est in loco, qui dicitur Pantanellarum.*

LII. *Prospectus ejusdem. Cæterum obscura ejus notitia superest. Comparet effigies, & lapis inscriptionis, sed sine scriptura.*

LIII. *Ichnographia sepulcri in Via Asinaria, extra portam S. Joannis, cum descriptione sua.*

LIV. *Deformatio ejusdem & dispositio interior, cum descriptione sua, & mentione columnæ, quæ in eo inventa.*

LV. *Opus cælatum, seu anaglyphum Arcæ sepulcralis, quæ inventa fuit in præcedenti fabrica, hodie autem in ædibus Barberinis est: Exprimuntur illo opere morbus & mors defuncti, ut & illa, quæ morti succedunt; quemadmodum cymba Charontis, &c.*

LVI. *Frontes utrinque, seu plutei Arcæ ejusdem. In altera exprimitur agnitio seu confessio animarum exsistentiæ in regionibus subterraneis: in altera pœnæ, quas crediderunt esse Gentiles apud inferos, Ixion in rota tortus, Tantalus aquam sitiens, & Saxum portans Sisyphus.*

LVII. *Fragmentum tabulæ pictæ, flumen repræsentans. Insistebat autem* Zoophoro *exteriori sepulcri præcedentis.*

LVIII. *Ichnographia, & prospectus sepulcri veteris extra portam Majorem, in Via Prænestina, quod appellatur* Taurus, *cum descriptione sua.*

LIX. *Opus Musivum, quod est in pavimento cujusdam sepulcri in Via Asinaria. Repræsentat Sacerdotem Cereris, currentem cum face & papaveribus; idemque describitur.*

Sepulcra, quæ ad tempora Imperatorum pertinent.

LX. *Ichnographia Pyramidis Caii Cestii, in Urbe Roma, cum desciptione sua.*

LXI. *Facies Pyramidis ejusdem versus Orientem, cum inscriptione.*

ORDO FIGURARUM.

tiones. Una est fœminæ, saxis quasi sepulcralibus incumbentis, & respectantis ad aliam, quæ sedet baculum seu sceptrum manu tenens, & forsan repræsentat Proserpinam; ab altera autem parte forsan sedet Pluto. Altera repræsentatio est Proserpinæ, serpentem in sinu habentis.

LXXXVI. *Figura insculpta vasis præcedentis fundo, quæ vestitum habet barbarum, fortasse cujusdam est Philosophi. Hæc, ad os admota manu, videtur commendare silentium.*

LXXXVII. *Ichnographia sepulcri Munatii Planci, quod Cajetæ est, desumpta ex Bibliotheca Barberina, & Sangallo.*

LXXXVIII. *Prospectus ejusdem cum Inscriptione.*

LXXXIX. *Sepulcrum paris conjugum, Juliæ Saturninæ, & Caii Sulpicii Clyti, quorum exhibentur imagines. Item fidelitas conjugalis indicatur per Canem, qui juxta Inscriptionem est.*

Sepulcra Linguarum peregrinarum, & maxime Etrusca.

XC. *Sepulcrum infantis, equo insidentis cum versibus Græcis.*

XCI. *Urna sepulcralis, seu feralis Etrusca, inventa in Perusiæ suburbiis, in loco, qui dicitur S. Sostæ. Exhibet illa jacentem fœminam, & manu vas tenentem, ex cujus collo duo dependent serta, ab utraque parte unum. In opere cælato, quod inferius est, repræsentatur pugna contra monstrum Cynocephalum, quo fune extrahitur ab homine armato. Ad illud feriendum adstat Victoria.*

XCII. *Alia Urna Etrusca, inventa ibidem. Jacet istic fœmina, manu pateram tenens. Subtus sunt characteres Etrusci, & infra hosce sculpta apparet pugna gladiatoria, cui Victoriæ adsunt alatæ cum facibus.*

XCIII. *Alia Urna, ibidem inventa. Super eam fœmina recubat, undique velata, & pateram manu tenens, quæ videtur esse Sacerdos. Infra eam apparent literæ Etruscæ. Inferior sculptura repræsentat sacrificium, ad quod peragendum in aræ ignem victima injicitur. Alii cum instrumentis sacrificiorum & Musicis adstant.*

XCIV. *Urna feralis, quæ fœminam undique velatam, excepto capite, exhibet, quæ exporrecta jacet, quasi somnum capiens. Præter literas Etruscas subtus exsculpta est quatuor inter se hominum pugna.*

XCV. *Urna feralis inventa ibidem, cum characteribus Etruscis; ubi Marsyas ad arborem alligatur ab Apolline.*

XCVI. *Alia Urna feralis, inventa ibidem, quæ habet characteres Etruscos, & infra caput Medusæ.*

XCVII. *Lamina præstantissima, rotunda ex ære, in qua repræsentatur Theseus victor contra Amazonas; palmam manu tenens, & genu in aram imposito. Adjecta est ejusdem descriptio.*

XCVIII. *Urna sepulcralis Publii Mar. cum capite, quod a duobus Geniis alatis tenetur.*

Vasa cineraria, seu Urnæ ferales.

XCIX. *Urna feralis, in qua repræsentantur aves, quæ comedunt uvas ex vitium racemis Urnam ambientium. Inventa est extra portam Sancti Laurentii.*

C. *Alia cum larvis & floribus, inventa extra portam Salariam.*

CI. *Alia Asiniæ Fortunatæ, cui duæ Sphinges insident. Inventa est ad portam Capenam.*

CII. *Alia, quæ Vulcanum exhibet laborantem in officina, delineata ab Ligorio. In Bibliothecha Vaticana.*

ORDO FIGURARUM.

CIII. *Alia Genuciæ, quæ recubat, ſertum manu elevatum tenens.* Ex eodem Ligorio.

CIV. *Alia Phædini, Veſtitoris Auguſtalis, ut oſtendunt literæ, quæ in collo vaſis apparent.* Ex eodem Ligorio.

CV. *Alia, quæ agnum exhibet recubantem ſub arbore. Et in bacce pullorum nidus eſt, quorum utrinque parentes adſident.* Ex eodem Ligorio.

CVI. *Alia Amandæ uxoris Elenchi, quacum vixit octo annos ex indicio literarum, quæ ad collum Vaſis comparent.* Ex eodem Ligorio *.

CVII. *Vas, ſeu Urna cineraria Domitiæ Augurinæ, uxoris Eruciani Theſei, & filiæ libertorum Auguſtalium. Expreſſum eſt ex delineatione autographa.*

* Si inſpicias inſcriptionem, ultro apparet, eſſe hanc Urnam puellæ, quæ vixit annos VIII. *Ananda* autem non ad nomen ejus, ſed ad oſſa referendum.

APPENDIX.


CVIII. *Opus cælatum, ſeu anaglyphum vetus, quo tres exprimuntur fœminæ turritæ, ſive urbes, inventum in Viæ Appiæ Sepulcris.*

CIX. *Vetus pictura unicolor, quæ exhibet Triumphum Cereris & Bacchi, qui currui inſident, quem Centauri trahunt quatuor, quorum tres ſunt mares, una fœmina. Hæc Cymbalo perſonat; illi Thyrſos manibus geſtant. Ad ima currus eſt Hydria, prolapſæ ſimilis; ab altera parte corbis ex juncis contextus, in quo ſerpens eſt, qui ſæpius occurrit inter illa, quæ ad Bacchum pertinent.*

CX. *Alia ejuſdem generis Pictura, quæ Aquilam exhibet nectar bibentem, quod ei porrigit Ganymedes, Pincerna Jovis.*

FINIS.


MONUMENTA VETERUM ROMANORUM ET ETRUSCORUM.



N *hocce, quod Illuſtriſſimi* Ciampinii *eſt, Anaglypho, Pictura videtur excitare M. Varronem ad referendas in ſua volumina ſeptingentas illuſtrium hominum imagines, quas Plinius affirmat ab hoc Viro doctiſſimo traditas Immortalitati, earumque lineamenta ejus inſerta libris. Quaſi paciſcerentur de illis commendandis Æternitati, offert ea ipſi penicillum, additis ad excitandum verbis: FAXIS VARRO. Ille manu volumen tenet, in quod referat illas, & porrigit ipſi viciſſim dextram. Meditatio hæc ſive ſententia adeo convenit argumento, quod a me tractatur in hiſce Picturis & Monumentis ſepulcrorum, quæ collegi ego, ut hæc introductio & majoris auctoritatis, quam ulla alia, & accommodatior mihi videatur ad demonſtrandam, quæ literis accedit ex Picturæ conjunctione, utilitatem & adjumentum in propaganda ad poſteros majorum memoria.*



FIG. I.



E

FIGURA I.

Ichnographia Sepulcri, quod creditur esse Curiatiorum, in Albano.

FIGURA II.


Sepulcrum antiquissimum in Albano, quod vulgo dicitur Curiatiorum.


FIGURA III.

ICHnographia Sepulcrorum, quæ reperta ſunt in Villa Illuſtriſſimi Domini Laurentii Corſini, extra Portam S. Pancratii, in Via Aurelia.


FIGURA. IV.

FAcies Sepulcrorum veterum, quæ terra ſunt contecta, alioquin ſine ruinis, & inventa in Villa Corſina, extra Portam Aureliam. Quorum heic faciem exhibemus, inſignia ſunt præ aliis propter integritatem, quæ elegantiam illorum ab omni parte reddit admirabiliorem: quamvis in laquearibus ſuis nonnulla edacitatem temporis arguant, dum iſtic videntur lacera. Confecta illa eſſe obſervamus ex parvis & acutis lateribus, qui extrinſecus candidi ſunt, atque rubri. Habent ornamenta, & membra inſignis architecturæ ſumma arte elaborata. Partes anteriores ornatæ ſunt opere tectorio, ſeu cruſtato, picturis, & Muſivis elegantiſſimis. Quæ nobis indicium dant, artes hoc ævo maxime ſublimem obtinuiſſe perfectionis gradum. A. B. C. D. ornamenta ſunt architecturæ, compoſita ex parvis lateribus, exſculptis excellenti artificio.


FIG. IV
A
B
C
D


FIG. III.
MER
OR
OCC
1
2
3
4
7
8
11
13
14
16
17
18
21
22
23
24
25
27
28
30
31
32
33
34





POMITINA. C L. STRATONICE
MONVMENT ET VIRIDIAP FECIT SIBI ET
C.C.POMITINVS.C.C.L.MAHENI. ANTIOCHO
COLLIBERTIS SVIS.
CC POMITINVS C.C.L.SALVIO ET OPTATO ESVIS ET
P.CORNELIO Ɔ.L. DASIO. ET
LIBERTEIS LIBERTABVS SVEIS
EXTRA. QVAM
C POMITINO C C Ɔ L ANTIOCHO.VERNAE
IN FRON P XXIII IN AG P XII

RACILIA. EVTYCHIA
FECIT. C.N.RACILIO
TELESPHORO PATRONO ET CONIVGI
CVM QVA VIXIT ANNIS XXI. MENSIBVS
VII. ET. CN RACILIO.FRVCTVOSO FILIO
QVI.VIXIT. ANNIS X MENSIBVS. VIII.
DIEBVS XXII. HORIS .V. ET SIBI. ET
RACILIAE FRVCTVOSAE FILIAE NA
TVRALI IDEMQVE SOCIAE ET. LI
BERTIS LIBERTA BVSQVE.POSTE
RISQVE EORVM ET. SIQVIS HVIC
MONVMENTO POST ME ALIQVAM.
CONTROVERSIAM. FACERE VOLVE
RIT AVT DENOMINE AVFERRE IN
FERRET AERARIO.P.R.H.V.M N. IN
FRONTE P XII IN AGRO XII. H.M.D.M.V.

L.VALERIVS FELIX. FECIT.
SIBI ET AELIA ELPIDV TICO
NIVGI SVAE ITEM LIBERTIS
LIBERTABVSQVE POSTERIS
QVE EORVM ET COMINIAE CRI
SIDI CONIVGI SVAE
H. M. D. M. A.

D M
M. AVR. TIMOCRATI ET
SAENIA EVTICHIS ET
TIMOCRATES. FILIVS FE
CIT LIBERTIS LIBERT
POSTERISQ EORVM
H. M D. M A.

D M
P. AELIVS. TROFIMVS,
FECIT. SIBI. ET
LIBERTIS LIBERTABVSQVE
AEORVM

C.CVRTIVS C.L.LVCRIO FECIT
SIBI.ET CVRTIAE.C.L.TVRANI
DI LIBERTAE.SVAE ET LIBERTIS
LIBERTABVS SVIS POSTERISQVE
EORVM ET.L. COMINIO HELENO

FIG. IV

FIGURA IV.

TItuli, seu inscriptiones, observatæ in lateribus Sepulcrorum, quæ in præcedenti tabula sunt expressa.

FIGURA V.


ALia facies picturæ tantummodo. In Ichnographia Sepulcrorum Villæ Corsinæ N°. 2.


FIGURA VI.

PIctura in laqueari cameræ ſepulcralis , quæ in Ichnographia Numerum 2. habet .

FIGURA VII.

FAcies interior unius ex Sepulcris Villæ Corſinæ , in qua delineata ſunt illius ornamenta , tam operis tectorii , quam Picturæ . Situm eſt Ichnographiæ N. 3°.


FIG VII
C IVLI CAESARIS
APPAES


FIG VI





F

FIGURA VIII.

ÆDicula, ſeu cavum parietis in facie Sepulcri, quod in Ichnographia Sepulcrorum Villæ Corſinæ locum quartum obtinet. Ornata eſt opere tectorio, & Pictura, excellentis artificis manu N°. 2. Deformatio coronarum ſeu coronicum ex tectorio.

FIGURA IX.

FAcies Sepulcri interior, tectoriis & Picturis ornata. Inter Sepulcra Villæ Corſinæ ad Numerum 7. Ichnographiæ,

FIGURA X.

PIctura in fornice ejusdem Cellæ Sepulcralis, quæ in Ichnographia N°. 7. est.

FIGURA. XI.

FAcies interior, quæ in iisdem Villæ Corsinæ Sepulcris ad Ichnographiæ Numerum 8. est.

FIGURA XII.

FRagmentum Picturæ in camera eadem.

Vasa, pavimento ejusdem inclusa, & plena cineribus defunctorum, cum inscriptionibus suis, superne appositis.


FIG. XI
FIG. XII.
FLAVIAE
D M
GEMINAE
C VALERIVS
SPERATVS
HILARVS


FIG X.



FIG. XIIII.



FIGURA XIII.

FAcies interior, quæ inter Sepulcra Villæ Corſinæ N°. 9. eſt in Ichnographia.

FIGURA XIV.

ALiud pavimentum operis Muſivi, colore candido & nigro, in iiſdem Villæ Corſinæ Sepulcris, Ichnographiæ N°. 10.

FIGURA XV.

FAcies interior, adornata Picturis & opere tectorio. Ichnographiæ Numero 19. inter Sepulcra Villæ Corſinæ.

FIGURA XVI.

PIctura in convexo fornicis Sepulcralis. In Ichnographia Sepulcrorum Villæ Corſinæ N°. 20.

FIGURA XVII.

PAvimentum Muſivum colore candido nigro. In Sepulcris Villæ Corſinæ ad Numerum 21. in Ichnographia.

FIG. XVI.






FIG. XVII.



FIG: XVIII.

FIGURA XVIII.

PAvimentum Musivum coloribus diversis, area candida. In Ichnographia Sepulcrorum Villæ Corsinæ N°. 24.

FIGURA XIX.

PIctura in ea Cameræ Sepulcralis parte, quæ ſub gradibus eſt. Ichnographiæ N°. 27.

FIGURA XX.

ORnamentum operis tectorii & Picturæ. In Ichnographia Sepulcrorum Villæ Corſinæ N°. 27.

FIGURA XXI.

ICuncula marmorea, inventa in Sepulcris Villæ Corſinæ, in Ichnographia ad Numerum 27.

FIG. XIX.

Q. CALPVRNIVS Q. FELIX
DEDIT FRATRI
Q. CALPVRNIO Q. L. EVTHEMONI


FIG·XX.

C. NVMICIVS
L. PHILINI

NVMICIO C. L.
TAVRO

FIG·XXI·

GENIO
L. IVLIO L. F. MAGNO.
VIXIT ANNIS XV.
MENSIBVS VI. DIEB. XX.
in eadem aedicula Sepulcr[illegible] [illegible] [illegible] qui [illegible] [illegible]
magnitudine atque opere [illegible] [illegible] cum sequente inscriptione
DIIS MANIBVS
LVCIVS. IVLIVS. PROCLVS.
LVCI. FILIVS.
VIXIT ANNOS. VIIII.
MENSES. III GENIO. VIVVS


FIG. XXIV



FIG. XXIII


FIG. XXII

FIGURA XXII.

POculorum opercula teſtacea, inventa in Sepulcris Villæ Corſinæ.

FIGURA XXIII.

VAſa Lacrymatoria diverſorum generum, teſtacea, & vitrea. Inventa ſunt in Sepulcris Villæ Corſinæ extra portam S. Pancratii.

FIGURA XXIV.

INſtrumentum ſacrum ad inſtar cornu alicujus. In medio habet caput Sileni, pampino coronatum. Vas illud adhibebant veteres ad effundendos Latices varios, id eſt, vinum, lac, ſanguinem, in ſacrificiis funebribus, quæ dicebantur inferiæ, quæque facere ſolebant mortuis. Vas teſtaceum ſeptem circiter unciarum ſeu digitorum magnitudine, inventum in Villa Dominorum Cavalerium. In hocce erat lucerna materiæ ejuſdem, quam propinqui hominis defuncti collocare ſolebant in Sepulcris, poſtquam ſublatus fuit cremandorum cadaverum uſus. Digitus æneus, inventus in Sepulcris iiſdem. Creditur eſſe votum aliquod, qualia Sacerdotes facere ſolebant Diis Manibus, cuſtodibus Sepulcrorum; ad denotandam ſcilicet ea ſuperſtitione purgationem animæ, quæ dicebatur Agniſmus. Multi autem horum digitorum ex marmore inventi fuerunt in Sepulcris Villæ Corſinæ, ad S. Pancratii.

FIGURA XXV.

IChnographia, & profpectus Sepulcri Furiæ gentis, quod detectum eft anno 1665. in Eremo Camaldolorum illic ubi fitum fuit Tufculum vetus.

FIGURA XXVI.

FVriæ gentis Infcriptiones Urnarum Sepulcralium.

FIGURA XXVII.

VIdetur hoc Sepulcrum fub Capitolio, ab ea parte, quæ Forum Trajanum fpectat. Quadratum eft, & exftructum ex lapide Tiburtino. Infcriptio ejus indicat, pertinere illud ad Cajum Publicium, Ædilem plebis, cujus meritis & virtuti S. P. Q. R. illum decrevit honorem, qui folis Imperatoribus & Veftalibus conveniebat; dum fcilicet in Urbe locum illi conceffit, quo fui fuorumque pofterorum reponerentur Cineres, quod contra legem XII. Tabularum erat, quemadmodum hanc refert Cicero. Ovidius in Faftis mentionem facit duorum fratrum Publiciorum, Ædilium plebis, qui Ludos Florales ediderunt.



FIG. XXV.


FIG XXVII
C. POBLICIO. L.F. BIBVLO. AED. PL. HONORIS
VIRTVTISQVE CAVSA SENATVS
CONSVLTO. POPVLIQVE. IVSSV. LOCVS
MONVMENTO. QVO IPSE. POSTERIQVE
EIVS. INFERRENTVR PVBLICE DATVS EST.



P. POV C.P
id est Publio furio Cay Filio
C POVR M.P
id est Furio Marci Filio
M P.
Marci Filius
CN. A OVRIO.
Cneo Furio
Q POVRIO A F
id est Q. Furio Auli Filio
C. POVR
id est Caio Furio
A. POV.
Aul. Furius
FOVRIO MFC.F
Furio Marci filii Curare fecit
Q TVRPLEIO L F
Q TVRPLEIO. L F
id est Q. Turpilio Lucij Filio
Lucio Turpilio Lucio Filio

FIG. XXVI





FIG. XXVII.
spith 20

FIGURA. XXVIII.

ICHnographia Sepulcri veteris in Via Appia, contra locum, qui dicitur *Domine, quo vadis?* Quod vulgo creditur esse familiæ Scipionum. Ichnographia punctis descripta primum seu inferiorem Sepulcri ordinem demonstrat, terrestri solo æqualem; circularis altera superiorem.

FIGURA XXIX.

PRospectus & facies Sepulcri veteris, quod creditur esse Scipionum, in via Appia, contra locum, qui dicitur, *Domine, quo vadis?*

FIGURA XXX.

Ichnographia Sepulcri Serviliæ Gentis.


FIGURA XXXI.

Sepulcrum vetus Gentis Serviliæ, ſitum in Via Appia, ultra S. Sebaſtiani, ad Caſtrum Prætorium, & Circum Caracallæ.

FIG XXXI.



FIG. XXX







FIG. XXXIV.

TI. PLAVTIO M.F.A.
SILVANO AELIANO.
PONTIF SODALI AVG
III VIR A.A.A.F.F. Q. TIB. CAESARIS.
LEGAT LEG V. IN GERMANIA
PR VRB LEGAT ET COMITI CLAVDII
CAESARIS IN BRITANNIA CONSVLI
PROCOS ASIAE LEGAT PROPRAET MOESIAE.
IN QVA PLVRA QVAM CENTVM MILL
EX NVMERO TRANSDANVVIANORVM.
AD PRAESTANDA TRIBVTA CVM CONIVGIBVS
AC LIBERIS ET PRINCIPIB AVT REGIB SVIS
TRANSDVXIT MOTVM ORIENTEM SARMATAR.
COMPRESSIT QVAMVIS PARTEM MAGNAM EXERCITVS
AD EXPEDITIONEM IN ARMENIAM MISISSET.
IGNOTOS ANTE AVT INFENSOS P R REGES SIGNA
ROMANA ADORATVROS IN RIPAM QVAM TVEBATVR
PERDVXIT REGIBVS BASTARNARVM ET
ROXOLANORVM FILIOS DACORVM FRATRVM.
CAPTOS AVT HOSTIBVS EREPTOS REMISSIT AB.
ALIQVIS EORVM OSPIDES ACCEPIT PER QVEM PACEM
PROVINCIAE ET CONFIRMAVIT ET PROTVLIT
SCYTHAR. QVOQVE REGEM ACHERONENSI
QVAE EST VLTRA BORVSTENEN OPSIDIONE SVMOTO
PRIMVS EX EA PROVINCIA MAGNO TRITICI MODO.
ANNONAM P R ADLEVAVIT HVNC LEGATVM
IN HISPANIAM AD PRAEFECTVR VRB REMISSVM
SENATVS IN PRAEFECTVR TRIVMPHALIBVS
ORNAMENTIS HONORAVIT AVTHORE IMP
CAESARE AVGVSTO VESPASIANO VRBIS EX

ORATIONE EIVS + Q.I S S

MOESIAE ITA PRAEFVIT VT NON DEBVERIT IN
ME DEFERRI HONOR TRIVMPHALIVM EIVS
ORNAMENTORVM NISI QVOD LATIOR EI
CONTIGIT MORA TITVLVS PRAEFECTO VRBIS
HVNC IN EADEM PRAEFECTVRA VRBIS IMP CAESAR
AVG VESPASIANVS ITERVM COS FECIT

FIG. XXXII



F. Z.

F I G U R A XXXII.

IChnographia Sepulcri Plautiorum, ultra pontem Lucanum, cis Tibur.

F I G U R A. XXXIII.

SEpulcrum Plautiorum, ultra pontem Lucanum, in Via, quæ Tibur ducit.

F I G U R A XXXVI.

INſcriptio Sepulcri Plautiani, ultra pontem Lucanum.

FIGURA XXXV.

IChnographia Sepulcri Cæciliæ Metellæ, quod vulgo dicitur *Caput bovis*, in Via Appia, ultra S. Sebaſtiani.

FIGURA XXXVI.

ADumbratio ſeu deformatio Sepulcri Cæciliæ Metellæ, quod dicitur *Caput bovis*. 1. Fundamentum quadratum, quod jam nudatum eſt muro ſeu pariete ex grandibus pumicibus conſtructo, & in ambitum circumeunte. 2. Vallum, quod magnam ejuſdem fundamenti partem, & veterem illius portam ſeu januam tegit. 3. Crypta, ſeu Cuniculus latus 12. altus 40. Spithamas. 4. Cella, quæ olim Cæciliæ Arcam Sepulcralem habebat, nunc autem in ipſam fabricam ingreſſum dat. 5. Feneſtra, ſeu portula, ubi ſcala eſt, per quam ad Sepulcri ſummitatem adſcendi poſſit. 6. Murus novantiquus, qui pinnas in ambitum habet, ad uſum Caſtelli ſeu munimenti.

FIGURA XXXVII.

DIſpoſitio, ſeu deſcriptio Sepulcri præcedentis, quæ interne omnes ejus partes demonſtrat. 1. Centrum illius. 2. Aditus ad Cameram Sepulcralem. 3. Camera Sepulcralis, in qua poſita erat Columna, quæ hodie viſitur in ædibus Farneſianis.

FIGURA XXXVIII.

ARca Sepulcralis Cæciliæ Metellæ, tempore Pauli III. ſublata e Mauſoleo ſuo, quod hodie dicitur *Caput bovis*, & tranſportata Romam in ædes Farneſianas, ubi ſervatur hodieque.



FIG. XXXVII
FIG. XXXVIII
12
5

FIG. XXXVI.



CRETICI
METELLAE
CRASSI
5
FIG. XXXV

FIG. XXXX.

FIG. XXXIX.

FIGURA XXXIX.

GEntis Pompejæ facies Sepulcralis, detecta in Via Appia, intra muros Romæ Urbis, ante Portæ Capenæ exitum. Delineata eſt a Pyrrho Ligorio, cujus delineationes ſervantur in Bibliotheca Vaticana.

FIGURA XL.

PRincipalis facies Sepulcri veteris, prope Portam Capenam, intra Romam Urbem. Delineata eſt a Pyrrho Ligorio, & ſervatur in Bibliotheca Vaticana.

FIGURA XLI.

LAteralis facies in Sepulcris illis, quæ detecta ſunt ante egreſſum ex Porta Capena. Delineata eſt a Pyrrho Ligorio, & ſervatur in Bibliotheca Vaticana.

FIGURA XLII.

SEpulcrum vetus in Via Appia.

FIG XXXXII



FIG XXXXI

CALLISTHENES CHRESTVS CAESARVENAT ARPVS TONSOR	PANTAS IOYAIANOOY CAESARIS ZAMIACNCIA VNCTOR AEΛOHXAIPE	TI IVLIVS AVGVS ET AVGVSTAE L OTTIOBORVS MEDICVS OCVLARIS HIOBITVS EST	LIVVSAVIVSTI CNDOPITI TABVLARIVS ARIES ATTALIANVS	CNDOPITIVS SCARIPHVS / SIICIABF DL ZOSIME	SILICIVS MEDICVS AB OCVLIS
P·PETRONIVS·P·L· ALEXSA PETRONIA·P·L· MARTA	PETRONIVS P·L·FELIX AVG SER	C IVLIVS C IVLI CYONIS AVG PRISCI PAS	C IVLIVS CL PHRONIMVS A BIBLIOTHECA GRAECA	CALLISTENES CHRESTVS CAESARIATRRIE ARCEI CONDISCIPVLI	NICOMACHVS AVGVSTV ARG TI CAESAR AVG HISPAN
IVLIA CL C IVLIVS IVCVNDA AVG AGAMO	C.DECIMVS M·MINDIVS OPTATO EROS	IVLIVS C IVLIVS DIVI AVG L STIRAX DIONISIVS AB EPIS LA	LONGINVS D M OSTIARIVS ARTICVL TI CLAVD SER	C IVLIVS CAESARIS L DEMETRIVS	GRAT GEMELL
PHRONIMVS VIX ANN XXII POSVIT PAEDEROS PIO FRATRI S T T L	L MVNATI L VALERIVS L·L· STACTVS NICOMEDI AB EPISTOLAR	C PLAETORIVS SECVN DO AVG VNCTOR	CAIVS VERNA C IVLIVS CORI NICOMENISVIO ISI CHARITO VIX·ANNOS. VIX ANNOS XIIX	HAEC EST VENVS BVS ADROPSOLIS VIRGI NIS MASTVRBATION	TI CLAVDIO PI YRRO TA CIO AVG FABERTI CLAV DIVS AMIANTHVS AVO FABER A TABE RNAC
D M IANVARIAE VERN CAEA VIXIT ANN XXV DIEB XXII FECIT EVTY CHVS. CONIVGI EIVS	C CESTIVS C·L·EROS AVG MINISTR CERDON FABR A TABVL	CHARACTERI TI CAESARIS·AVG PEDISEQ PRIMIANO	Q FVLVIVS Q L STASIMVS FELICVLA STASIMI DELICIVM	P PETRONIVS ACVTVS ET SERGIA NOMAS	TI IVLIVS TI. AVG SER·APOTIONE O. H·S· S·


FIG. XXXXIV
D M S.
P. VIBIP F. MARIANI E. M. V. PROC.
ORIVNDO EX ITAL. IVL. DERTONA
PATRI DVLCISSIMO
VIBIA MARIA MAXIMA


FIG. XXXXIII
D M
M. ANTONII. ANTII. LVPI. PR
PATRICII AVGVRIS QVAEST SODAL TITII. TRIB
LAT CVIVS. MEMORIA PERVIM OPPRESSI. IN
INTEGRVM SECVNDVM AMPLISSIMI ORDINIS
PIETATIS SVAE ERGA EVM. TESTIFICANDAE GRATIA ET
M. VALERIVS BRADVA MAVRICVS PONTIF ET ANTONIA VITELLIA
AMICI
Q. FABIVS HONORATVS T. ANNAEVS PLACIDVS

FIGURA XLIII.

SEpulcrum in Via Oſtienſi, ad milliare tertium expreſſum ex delineatione veteri. Hodie dirutum eſt.

FIGURA XLIV.

SEpulcrum vetus in Via Caſſia, ad tertium circiter milliare ab Urbe Roma, falſo dictum Neronis.


FIGURA XLV.

ICHnographia Sepulcri veteris, quod repertum eſt in hortis D. D. Cavalerium, inter S. Sabæ & muros Romæ Urbis.

Planum notatum litera A. indicat eſſe hanc fabricam antiquiſſimam, & forſan ex liberæ Reip. temporibus, quia reticulati operis eſt, & præterea obſervatur, ſpatium intermedium fuiſſe detectum. Argumento ſunt feneſtræ quatuor in locis, qui notati ſunt litera B. C. Ingreſſus loci alterius, qui poſtea muro clauſus eſt. D. Scala, quæ hiſce temporibus adſcendebat ad partes ſuperiores, & poſt exſtructam Cellam Sepulcralem inſerviebat ad deſcenſum in hancce, quæ undique humo contecta eſt. E. Ichnographia Cellæ Sepulcralis. F. Ingreſſus in eandem. G. Valvæ, factæ ex marmore. H. Pavimentum Cellæ, confectum ex minutis marmoribus quadratis, quæ candida ſunt, & faſciolis nigris diſtincta.

FIGURA XLVI.

PRoſpectus fabricæ Sepulcralis, cujus Ichnographia proxime præcedit. A. Camera ejus principalis. B. Scala, quæ ad hanc deſcendebat. C. Cuniculus, ſeu Crypta, quæ eandem ambiebat. D. Diverſæ cavernæ recentiores, factæ ad collocandos in illis defunctos. E. Planities ſuperior, in qua erant alia Sepulcra plura, digna obſervatione, quia in pavimento ſolia antedicta ſua habebant opercula, quibus ab interiore parte appoſitæ erant fiſtulæ, ſeu tubi fictiles, reſpondentes ad caput mortui. Per hos defundebatur in capita mortuorum vinum aut lac in ſacrificiis eorundem anniverſariis, ex more horum temporum. Atque hoc expreſſum eſt ad literam F.


FIG. XXXXVI
A
B
D
E



FIG. XXXXV.
D
Spith 6.8.4
B
Spith 7
Spith 36 1/4
Spith 9.32
B
Spith 22.
E
F
C
Spith 10.87
B
B


FIG. XLVII.
DE GENTILIS
FIG. XLVIII.
GENTILIA

FIGURA XLVII.

SEpulcrum vetus ultra Pontem Lucanum, ante Tibur, in hortis D. Dominici Gentilis.

FIGURA XLVIII.

ALiud Sepulcrum vetus in iisdem hortis D. Dominici Gentilis, ultra Pontem Lucanum, ante Tibur.

FIGURA XLIX.

SEpulcrum vetus prope Tibur, quod nunc quidem dirutum eſt. Deſcriptum ex delineationibus Petri Berrettini de Cortona.

FIGURA L.

IChnographia, & diſpoſitio ſeu deſcriptio Sepulcri veteris, quod exciſum eſt ex ſolido lapide petræ, quæ profunditatem habet Spithamarum 60. Detectum eſt anno 1692. ad radices Aventini, in illa parte, quæ ſpectat Orientem. In Ichnographia exhibetur ſcala, quæ in illud deſcendebat, & ad ambitum ſive Cryptam reſpondebat, quæ extrinſecus circumit Cellam Sepulcralem. Deſinit ille ambitus in ſpatium majuſculum, in cujus medio os eſt putei, qui profunditatem habet Spithamarum 20. Cella incruſtata eſt, ſive munita tectorio; treſque ædiculæ, Picturis coloris cærulei adornatæ. In ipſo centro incluſus erat pavimento pumex quadratus trium undequaque Spithamarum, in cujus medio teſſera erat ex ære, quæ & ipſa quadrata undique erat trium & ſexaginta pondo, & ſubtus atque ad latera circumcincta faſciis plumbeis trium & triginta pondo. Et obſervandum eſt, in ſuperficie ejuſdem teſſeræ æneæ fuiſſe nonnihil cavi, tanquam illi impoſitus fuiſſet axis quidam, aut aliud inſtrumentum. 1. Canalis, ſeu cuniculus, ab antedicta camera uſque ad ſummitatem & ſuperficiem ſoli pertingens. In duobus lateribus illius foramina erant ſeu cavernulæ, ad infigendas illis manus pedeſque in deſcenſu & adſcenſu. 2. In alium ſimilem locum ingreſſus, mediam partem muro clauſus & obſtructus.

FIG. XXXXIX.



FIG. L.








FIG. LII.



FIG. LI.



FIGURA LI.

IChnographia Sepulchri veteris in Via Portuensi.

FIGURA LII.

PRospectus Sepulcralis praecedentis Ichnographiae. Descriptus est ex delineatione, quam concinnavit aliquis, qui Sepulcrum ipse forsan observavit aut integrum adhuc, aut nondum omnino dirutum. Marmora ejus maxima copia Romam abducta fuerunt principio Pontificatus Alexandri Septimi; quaedam autem maxime speciosa Sepulcri in hortum asportata Quirinalem.

FIGURA LIII.

ICHnographia Sepulcri veteris & elegantiffimi, quod totum eft lateritii operis. Situm eft in in Via Afinaria, ad fecundum circiter milliare extra Portam S. Johannis, & ab omni fere parte integrum. Diftinctum eft in tres ordines, hoc eft, cameram fubterraneam, & Cryptam feu ambitum, qui illam circumit, & præterea veftibulum, quod ex fuis Picturæ reliquiis cognofcitur effe illius ævi, quo ars illa maxime floruit. 1. Scala, quæ defcendit ad partem inferiorem. 2. Feneftræ ad planitiem fundamenti cameræ illius, quæ e folo exftat, & cujus pavimentum ex opere Mufivo eft, concinnato ex teffellis candidis & nigris. 3. Ichnographia Cellæ ejufdem. 4. Scala, quæ adfcendebat ad cameram fuperiorem. 5. Feneftra quadrata in pavimento, quod foli altitudinem æquat, eademque in fummitate laquearis, quæ lucem edmittit ad partes inferiores.

FIGURA LIV.

DEformatio, & difpofitio, feu defcriptio interior fabricæ Sepulcralis, cujus Ichnographia proxime præcedit. 1. Camera fubterranea, in qua inventa fuit infignis elegantia & eruditione Columna, quæ hodie inter alia ex Antiquitate rara affervatur in domo Baberina, ad quatuor fontes. 2. Camera folo terreftri æqualis, in qua exhibetur difpofitio ornamentorum operis architectonici, quæ funt in eadem. 3. Camera fuperior, undequaque dicta. 4. Feneftra grandis & incurvata, quæ lucem immittit in cameram eandem.



FIG. LIIII.

Fig. LV



Fig. LVII.



Fig. LVIII




Fig. LIX



Fig. LVI



FIGURA LV.

ARca Sepulcralis, quæ inventa eſt in Camera ſubterranea Ichnographiæ præcedentis. Hodie ſervatur inter alia ex Antiquitate rara in ædibus D. D. Barberinorum, ad quatuor fontes.

FIGURA LVI.

FRons præcedentis Arcæ ſepulcralis. Altera frons ſeu Pluteus ejuſdem.

FIGURA LVII.

IN oppoſita ad partem exteriorem facie collocatæ erant in Zoophoro coronæ ſuper ſolidam pilarum baſin tabulæ duæ pictæ, quarum hoc fragmentum partem exhibet.

FIGURA LVIII.

AD dimidium circiter milliare extra Portam Næviam, quæ dicitur Major, in Via Præneſtina videtur area ſeu planities. A. hujus Sepulcri veteris, quod appellatur *Taurus*. Exſtructum eſt ex magnis elaboratis ſaxis lapidis Albani. Cæterum ut ingreſſus & Camera Sepulcralis illius indicat, nullum priſcæ magnificentiæ veſtigium reliquum habet, & ſpoliatum eſt omnibus ornamentis, maxime a parte exteriore. Nuperis temporibus cinctum fuit rudi muro ad oculorum voluptatem & delicias, ſicut expreſſum eſt in ejus proſpectu D. B. demonſtrat diſpoſitionem lapidum, e quibus formata eſt Crypta Sepulcrum ambiens, alta Spithamas 12. lata 5. C. Ichnographia Cameræ Sepulcralis, exhibita in forma majore, quo melius appareat omnium laterum menſura.

FIGURA LIX.

SAcerdos Cereris. Repræſentatur hic Sacerdos currens, & altera manu facem accenſam, altera papavera tenens. Horum autem Sacerdotum, cum celebrarentur Sacra Myſteria ſeu Initia Cereris in Urbe Atticæ Eleuſine, ille mos erat ut iſtoc modo currerent, referente Strabone. Fuit hoc ſymbolum velociſſimi curſus ſolaris, & caloris ejuſdem, qui denotatur per facem accenſam. Hic autem fœcundat Terram humidam, quæ intelligitur per papavera, & ex cujus humore oritur omnium rerum generatio. Cæterum figura hujus Sacerdotis viſa olim fuit in pavimento Sepulcri veteris in Via Aſinaria, quæ eſt inter Ardeatinam & Latinam. Ipſum pavimentum Muſivi operis erat colore candido & nigro. Hodie nullum ejus apparet veſtigium, & una cum pavimento ipſa etiam fabrica diruta eſt.

FIGURA LX.

ICHnographia Pyramidis Caii Ceſtii.

1. Saxum ſeu petra Pyramidis.
2. Camera Sepulcralis.
3. Ingreſſus & cuniculus Pyramidis novantiquus.
4. Alter ingreſſus, factus tempore inſtaurationis, quam fecit Alexander VII. Pontifex, ſub altero cuniculo novantiquo.
5. Planum, quod Pyramidem ambit.
6. Baſes Columnarum.
7. Baſes Statuarum.
8. Gradus, qui Pyramidem ambiunt.
9. Muri Urbis Romæ, qui conjuncti ſunt Pyramidi, eamque dividunt.

FIGURA LXI.

FAcies Pyramidis C. Ceſtii verſus Orientem.
Alta eſt 171. lata 130. Spithamas.

FIGURA LXII.

PRoſpectus & diſpoſitio, ſeu deſcriptio interior Pyramidis Sepulcralis Caii Ceſtii a parte Occidentali. 1. Cuniculi novantiqui, exciſi ad ingreſſum Cameræ Sepulcralis aperiendum. 2. Alter cuniculus factus tempore Alexandri VII. Pontificis, ad ingreſſum faciliorem & commodiorem reddendum. 3. Cella Sepulcralis.

FIGURA LXIII.

ALtera duarum Baſium ſeu ſtylobatarum, in quibus conſimiles ſunt inſcriptiones. Poſitæ autem fuere in Pyramidis Caii Ceſtii facie principali, quæ ſpectat Viam Oſtienſem. Applumbatus illi erat pes ex ære majoris, quam humana eſt, magnitudinis; & juxta inventum eſt brachium ſtatuæ ejuſdem.

FIGURA LXIV.

LAtus Cameræ Sepulcralis in Pyramide Caii Ceſtii, in quo demonſtratur diſpoſitio Picturarum.

FIG. LXI

C. CESTIVS L F POB EPVLO PR. TR. PL
VII. VIR. EPVLONVM

OPVS ABSOLVTVM EX TESTAMENTO. DIEBVS CCCXXX
ARBITRATV
PONTI P F CLA MELAE HEREDIS ET POTHIL

INSTAVRATVM. AN. DOMINI. MDCLXIII.

FIG. LXV

FIG. LXII

FIG. LX

Oriens

Meridies

Septentrio

Occidens

FIG. LXIII

M. VALERIVS. MESSALLA. CORVINVS.
P. RVTILIVS. LVPVS. L. IVNIVS. SILANVS
L. PONTIVS. MELA. D. MARIVS.
NIGER. HEREDES. C. CESTI. ET.
L. CESTIVS. QVAE. EX. PARTE. AD
EVM. FRATRIS. HEREDITAS.
M. AGRIPPAE. MVNERE. PER.
VENIT. EX. EA. PECVNIA. QVAM.
PRO. SVIS. PARTIBVS. RECEPER.
EX. VENDITIONE. ATTALICOR.
QVAE. EIS. PER. EDICTVM.
AEDILIS. IN. SEPVLCRVM.
C. CESTI. EX. TESTAMENTO.
EIVS. INFERRE. NON. LICVIT.


FIG. LXIV











L.5

FIGURA LXV.

FIgura prima a parte finiſtra, in eadem Cella Sepulcrali.

FIGURA LXVI.

FIgura ſecunda.

FIGURA LXVII.

FIgura prima in latere dextro Cameræ Sepulcralis Caii Ce-

FIGURA LXVIII.

FIgura ſecunda lateris ejuſdem.

FIGURA LXIX.

UNa quatuor Figurarum, quæ pictæ ſunt in ſummitate laquearis, quod eſt in Camera Sepulcrali Pyramidis Caii Ceſtii.

FIGURA LXX.

VAſa picta in Camera Sepulcrali Pyramidis Caii Ceſtii.

FIGURA LXXI.

IChnographia Sepulcri Augusti in Campo Martio. Delineatum est a Petro Andrea Busalino, Architecto, qui illud summa cum diligentia dimensus est omnibus suis partibus.

FIGURA LXXII.

VEstigia Mausolei Augusti, in Campo Martio, inter Viam Flaminiam & Tiberim. Nullum fuit illis temporibus aliud Urbis Romæ ædificium, quod hujus assequeretur magnificentiam & splendorem. Hinc & inter septem Miracula connumeratum fuit ob venustatem & superbiam suam. Duodecim portæ ad invicem respondentes ingressum in illud præbebant. In parte maxime edita, quæ ad altitudinem CCL. cubitorum assurgebat, quidam autumant collocatam fuisse ipsius Imperatoris Augusti statuam ex ære. Hoc Sepulcrum etsi suis spoliatum ornamentis nobilissimis, idem tamen non parum ornamenti confert ædibus D. Floravantis, pone Templum Sancti Rocci, ubi hodieque videtur.



FIG LXXII . 2
Ospitale di S. Rocco
Otto Cantoni
S. 16
Spish 42
Spith 192
Strada di ripetta
Strada di Pontifici

FIG LXXII




FIG LXXI




FIG · LXXIII



M

FIGURA LXXII[b].

A. Porta primi ordinis, ſive ingreſſus in Mauſoleum Auguſti. Alius enim, præter hunc, locus apparet nullus, qui potuerit aditum dare in Sepulcrum. B. Cuniculus ſeu Crypta, longa ſpithamas circiter centum, quæ deprehenditur antiquitus quoquoverſum fuiſſe munitus magnis elaboratiſque pumicibus, quorum hodie tantum formæ cognoſcuntur parietibus impreſſæ. C. Alter aditus in ordinem ſecundum, qui cum ſolis cameris lateralibus communicat reliquias hujus admirandæ molis.

FIGURA LXXII[c].

URna Sepulcralis Agrippinæ, quæ hodie videtur in Capitolio, in impluvio domus D. D. Conſervatorum, ubi loco baſis eſt, & ſuſtinet manum coloſſi cujuſdam ænei. Ut inter eruditos convenit, ſtabat illa antiquitus in Mauſoleo Auguſti. Sequioribus deinde temporibus inter alia monumenta ſimilia, quæ huc illuc delata fuerunt, & adhibita, ut inſervirent ad menſuras olei aut vini, etiam hæc adhibita fuit ad uſum modii, ſeu menſuræ frumentariæ, (rubiatellæ) corrupte rugitellæ, quemadmodum apparet in latere Urnæ; quod etiam habet Senatus Romani, & D. D. Conſervatorum inſignia hodierna.

FIGURA LXXIII.

SEpulcrum Virgilii ad Poſilipum, prope Neapolin.

FIGURA LXXIV.

COlumna Trajana. Inter celebria, & propter excellentiam Sculpturæ infiniti pretii ex Antiquitate monumenta, quæ hodie admiramur, permagni æſtimatur hæcce Columna. Artificio mirabili adornata eſt rerum geſtarum Sculpturis, & inſignita ſucceſſibus bellorum contra Decebalum, Daciæ Regem, quæ conſummavit glorioſiſſime Trajanus Imperator. Hic cum prius alias inſuper nationes barbaras Romano ſubjeciſſet Imperio, in reditu ex Perſia ad Seleuciam Iſauriæ, ut ſcribit Eutropius libro VIII. confectus eſt gravi morbo, & ereptus ampliſſimæ rerum geſtarum gloriæ. Oſſa ejus Romam translata fuerunt, & in auream indita Urnam, atque ita cum pompa ſolenni collocata ſuper Columnam. Et idcirco locum hæc quoque habet in ſerie Sepulcrorum. In faſtigio ejus conſpiciebatur etiam ejuſdem Imperatoris ſtatua ænea, quem illi honorem ad perpetuam memoriam Senatus decrevit.



FIG. LXXIV






FIG. LXXV


FIGURA LXXV.

IChnographia Sepulcri ſeu molis Ælii Hadriani Imperatoris, quod vulgo dicitur Caſtellum S. Angeli.

A. Fundamentum quadratum Sepulcri iſtius, ſeu molis, ſecundum delineationem ejus, quæ anno 1530. in lucem edita eſt ab Antonio Labacco, in ejus de Architectura Veterum libro. B. Tibicines, ſeu fulcra in dicto fundamento, quæ ſuſtinebant fornices, planitiem formantes illam, ſuper qua ſecundus ſurgebat ordo molis forma circulari. C. Portæ, quæ reſpondebant ad invicem, ut in ambitum circumiri moles poſſet, ſicut in ipſa apparet Ichnographia. D. Saxum Figuram habens circularem ad ſuſtinendum ordinem ſecundum ſuper planitiem primi. E. Cuniculus rotundus factus recens ab Alexandro VI. ad adſcendendum in cacumen molis. F. Caverna quadrata, ab ima parte uſque ad cacumen pertingens, quæ hodie appellatur Decipula. G. Spatium circulare, in quo Labaccus expreſſit Scalam veterem, cujus nullum apparet veſtigium. H. Camera interior ſuper fundamentum exſurgens, cujus planities cum ſolo terreſtri congruit. In tertio Sepulcri ordine alia ejuſdem modi eſt.

FIGURA LXXVI.

DEſcriptio interior Molis Hadriani.

A. Fundamentum quadratum, quod conſtituebat Molis ordinem primum. B. Camera in ſaxo Molis, ſuper planitiem ſoli exſurgens. C. Porta ad ingrediendam Molem. D. Cuniculus, qui a porta ducebat ad dictam Cameram Sepulcralem B. E. Caverna quadrata, nunc quidem vacua, ab ima parte uſque ad cacumen pertingens; quæ quoniam deſcendit in eundem cuniculum D. conjicere licet, eſſe Scalam veterem. F. Molis ordo ſecundus, Columnas in ambitum diſpoſitas habens, quæ porticum circumeuntem formant. Hujus autem ordinis nihil videtur, niſi ora, quæ convexitatem fornicis præcingit in ipſo ſaxo, quod adhuc ex mole ſupereſt. G. Tertius ordo, tectus pariete muri lateritii ab Alexandro VI. quem non indicavit Labaccus. H. Camera ſita in ejuſdem tertii ordinis planitie. I. Summitas priſci ſaxi, & ejuſdem ordinis tertii. K. Turris recentior Alexandri VI. quæ ab occidentali parte fundata apparet vetuſtis muris lateritiis, qui ſuſtinere poterant illam ornamentorum copiam, quam habuit Moles.

FIGURA LXXVII.

PRofpectus Ichnographiæ & defcriptionis præcedentis, quæ Molem Hadriani exhibent.

A. Fundamentum marmoreum ex delineatione Labacci. Gamuccius illi apponit duas infcriptiones Commodi & Aurelii. B. Molis ordo fecundus, qui fuper fundamentum quadratum affurgebat. C. Columnæ, quæ in eodem ordine fecundo porticum formabant in ambitum Molis. Atque hæ funt, ut vulgo creditur, illæ ipfæ columnæ, quæ funt in Bafilica S. Pauli, quam Conftantinus Magnus exftruxit. D. Tertius ordo, ftatuis & columnis ornatus ad ordinis fecundi & ipfius adeo Molis convenientiam, quæ ftatuis & columnis magnifice fuit ornata, ut Procopius aliique auctores referunt.

FIGURA LXXVIII.

PRofpectus Molis Hadriani fine ornamentis antiquis.

Ab Angelo illo, qui tempore S. Gregorii Magni Pontificis apparuit in faftigio hujus Sepulcri veteris, illud ei nomen eft inditum, ut diceretur Caftellum S. Angeli. Inter bella cum Gothis, aliifque Nationibus Barbaris, quæ Romam invaferunt, fpoliatum fuit omnibus ornamentis præftantibus. Ita cum perdidiffet Majeftatem & fplendorem fuum, a Bonifacio IX. ejufque fucceffore Alexandro IV. converfum eft ad ufum munimenti. Spartianus repofitos in eo non tantum cineres Hadriani vult, fed Antoninorum quoque, qui illi fuccefferunt in Imperio. Procopius tradit, nobiliffimum hoc Sepulcrum ex marmore Pario fuiffe exftructum, & fuperiores ex eodem marmore ftatuas elaboratas arte fingulari, & abfolutas numeris omnibus. Ad ejus igitur prifcam formam & magnificentiam indicandam, in Tabula III. ejus exhibetur delineatio, quæ & cum veterum teftimoniis, & cum obfervationibus recentiorum congruit.


FIG LXXVIII



FIG LXXVII
D
B
C
A
Sp 374



FIGURA LXXVIIII.

COLUMNA ANTONINA.

CUm perſequerer priſcorum Sepulcrorum ſeriem, judicavi inter ea dandum quoque Columnæ Antoninæ locum. Neque enim ab ratione aut veri ſpecie alienum eſt, cum ænea Antonini Pii ſtatua, quam illi poſuit in ſummitate Columnæ M. Aurelius Antoninus, Imperator, ut patet ex Numiſmate, pariter quoque cineres ejuſdem in Urna fuiſſe collocatos ibidem; ſicut & in Columna Trajana ejuſdem fuere cineres, de quo Eutropius libro 8°. Gamuccius in Antiquitatum libro dicit, in baſi hujus Columnæ fuiſſe ſcriptum CONSECRATIO. Idem innuit Sebaſtianus Erillus in diſſertatione de Numiſmatibus. Quamvis autem hæc Columna magnam priſcæ venuſtatis perdiderit partem, neque veterem undequaque reliquum habeat ſplendorem, quippe quæ flammæ injuriam temporibus Barbarorum experta eſt; expreſſæ tamen in ea cognoſcuntur celebres res geſtæ, & ſumma M. Aurelii Antonini Imperatoris gloria, quam ipſi victoriæ pepererunt inſignes, ab Germanis, Sarmatis, aliiſque reportatæ Nationibus, de quibus ille feliciter triumphavit, ut in ejus vita refert Julius Capitolinus. Fuit autem erecta ex Senatuſconſulto ad memoriam M. Aurelii Antonini Imperatoris, in foro Antonini, in Via Flaminia.

FIGURA LXXX.

A. Mons, qui vulgo dicitur Frumentarius, ex congesta humo ad tegendum Sepulcrum excitatus. B. Sepulcrum Alexandri Severi & Juliæ Mammææ. C. Priscus in idem Sepulcrum ingressus in solum terrestre, cui respondet etiam Cameræ inferioris planities. D. Foramen, sive cuniculus recentior in saxo laquearis, per quem aditus dabatur in Cameram sepulcralem, ubi sita erat Arca marmorea. E. Arca sepulcralis, quæ Imperatoris Alexandri Severi & Juliæ Mammææ esse creditur. F. Aditus & distantia angustæ Cellæ, sine alio exitu. G. Laquear Cameræ, quæ ad soli planitiem respondet, ruptum atque dirutum, ad educendam foras Arcam sepulcralem, quæ tollenonibus ad eandem aream seu planitiem demissa est, & extracta per ingressum veterem. H. Lineæ punctis descriptæ, quæ demonstrant Ichnographiam Cameræ superioris. I. Domuncula recentior & Cupressi in dorso montis antedicti ad voluptatem oculorum.

FIGURA LXXXI.

ARca Sepulcralis, ut creditur, Alexandri Severi & Juliæ Mammææ, matris ejus, educta ex loco, qui dicitur Mons Frumentarius. Hodie est in impluvio D. D. Conservatorum in Capitolio.

FIG. LXXX




FIG. LXXXI.









FIG. LXXXII

FIG. LXXXIV

FIG. LXXXVI

FIG. LXXXIII

FIGURA LXXXII.

SCulptura, quæ in altero latere præcedentis Arcæ ſepulcralis apparet.

FIGURA LXXXIII.

EJuſdem frontes utrimque.

FIGURA LXXXIV.

IN Frumentarii Montis Arca ſepulcrali Vas inventum fuit plenum cineribus, quod heic exhibetur ſculptura & artificio inſigne. Hodie ſervatur in Bibliotheca Barberina.

FIGURA LXXXV.

SCulptura in ambitu Vaſis ejuſdem, quod excellentis artificis manu elaboratum eſt.

FIGURA LXXXVI.

SCulptura in fundo Vaſis ejuſdem.

FIGURA LXXXVII.

IChnographia Sepulcri Munatii Planci. Cajetæ.


FIGURA LXXXVIII.

PRospectus ejusdem Sepulcri Munatii Planci. Cajetæ.

FIG. LXXXVIII.



FIG. LXXXVII.



N. P.

FIG.LXXXIX.




FIG XC



CAC

ΒΑΙΟΝΕ ΠΙϹϹΤΗ ΙΧΝΟϹϵΝΘ
ΑΔϵΤΥΝ ΒΟΝΑ ΘΡΗϹΟΝ
ΠΑΙΔΟϹ ΑΦΝ ωΜΑΖωΝ ΜΗΤ
ΡΟϹ ΑΠΟΠΤΑΜϵΝΟΝ ωΧϵΤ
ΟΔϵΝΝϹΚΥϵϹϹΙΛΥΠωΝ ΠΑ
ΤΡΙ ΠϵΝΘΟϹ ΑΛΗΚΤΟΝ
ΔΙϹϹΗϹ ΠΑΗΡωϹΑϹ ΠϵΝ
ΤΑΔΑ ΤωΝ ϹΥΝΟΔωΝ

ΤΟΙΟϹΔΗΝ ΓϵΓΑωϹ ΟΙΟϹ Π
ΟΤϵ ΦΥϹϵΝ ΙΑΧΧΟϹ
ΗΘΡΑϹΥϹ ΑΛΚΙΔΗϹ ΗΚΑΛ
ΟϹ ϵΝΔΥΜΙωΝ

FIG XCI



FIGURA LXXXIX.

SEpulcrum paris conjugum, Juliæ Saturninæ, & Caii Sulpicii Clyti, quorum exhibentur imagines. Item fidelitas conjugalis indicatur per Canem, qui juxta Inſcriptionem eſt. Concinnata ex Archetypo.

FIGURA XC.

SEpulcrum infantis, equo inſidentis, cum verſibus Græcis.

FIGURA XCI.

URna Sepulcralis, ſeu Etruſca, inventa in Peruſiæ ſuburbiis, in loco, qui dicitur S. Soſtæ.

FIGURA XCII.

ALia Urna Etrufca , eodem in loco , quo præcedens inventa . Servatur apud Dominum F. Venturinum .

FIGURA XCIII.

URna Etrufca , inventa in Cella fepulcrali ad S. Softæ .

FIG. XCIII



FIG. XCII.





FIG XCV
FIG XCVI
FIG . XCIV

FIGURA XCIV.

URna feralis, inventa in veteribus Sepulcris Etruſcis prope Peruſiam. Servatur penes Auctorem.

FIGURA XCV.

URna feralis, inventa in Sepulcro ad S. Soſtæ.

FIGURA XCVI.

ALia Urna feralis, inventa in eodem Sepulcro ad S. Soſtæ.

FIGURA XCVII.

SACRIFICIUM THESEI.

EXhibetur effigies Juvenis cum Chlamyde, qui dextrum genu Aræ impoſitum habet. Dextra manu palmæ ramum tenet, ſiniſtra acinacem. Ab dextro latere illius Amazo conſpicitur, ſolutis atque fluitantibus capillis, quæ bipennem ſublevat ferituræ ſimilis. Ab ſiniſtro latere figura Militis eſt, qui ſe ſcuto tegit, & præcipua Capitis parte, ut & Pectore dimidio deeſt. Quod ad haſce figuras attinet, in illa quidem Juvenis iſtius agnoſcimus ipſum Theſea, qui dextrum genu Aræ imponens ſacrificium illud innuit, quod ipſe fecit Phœbo, ut eum ſibi propitium haberet & faventem in expeditionem contra Amazonas. Quarum cum victor evaſiſſet, ut indicat palma, quam dextra tenet, accepit Antiopen, in præmium virtutis & fortitudinis ipſi conceſſam. Atque hæc, ſublata bipenni, ſtat, tanquam motura controverſiam Theſeo de parta adverſus ſodales ſuas ſeque ipſam victoria. Hæc ſacrificia deinceps Athenienſes ſoliti fuerunt in memoriam Theſei, Regis ſui, & victoriæ ab eodem reportatæ contra Amazonas celebrare quotannis menſe Junio; unde eadem dixerunt Boedromia. Hoc nobiliſſimum ex ære cimelium, quod Etruſcum eſt, & inſigni modo inauratum, ejuſdem eſt magnitudinis, qua heic videtur expreſſum. Inventum fuit in ditione Viterbienſi, in loco, qui dicitur Ciballaria, in Sepulcro vetere Etruſco, inter multa alia, quæ ibidem erant Sepulcra, anno 1695.

FIGURA XCVIII.

URna feralis, quæ penes Auctorem eſt.

FIG. XCVII






FIG. XCVIII.





P

FIGURA XCIX.

URna feralis, inventa in quadam Cella Sepulcrali, extra Portam S. Laurentii.

FIGURA C.

URna feralis, inventa in cavo ſaxi grandis, quod vetuſtæ cujuſdam fabricæ erat, extra Portam Salariam.

FIGURA CI.

URna feralis, inventa in Camera quadam Sepulcrali prope Portam Capenam, intra Romam Urbem.

FIGURA CII.

URna feralis, deſcripta ex delineationibus Pyrrhi Ligorii, in Bibliotheca Vaticana.

FIGURA CIII.

ALia Urna ex eadem.

FIGURA CIV.

ALia Urna, defcripta ex iifdem delineationibus Bibliothecæ Vaticanæ.

FIGURA CV.

ALia Urna, defcripta ex eadem Bibliotheca Vaticana.

FIGURA CVI.

ALia Urna ex eadem.


FIG.CIII.
GENVCIAE


FIG CIV
PRAEDIMO VES
AVG
PHAEDFR FRATR


FIG. CV.


FIG. CVI.
OSSA
AMANDA ELENCHIO
HAEC VIXIT ANN VIII





FIG. CVII




FIG. CVIII



FIGURA CVII.

DEscripta eſt ex delineatione, concinnata ex archetypo.

FIGURA CVIII.

OPus cælatum vetus, inventum in ruinis Sepulcralibus Appiæ Viæ. Servatur Romæ in ædibus Borgeſianis.

FIGURA CIX.

UNicolor Pictura vetus, longa ſpithamas duas, alta unam, unciaſque duas. Æqualiter diviſa eſt in quatuor partes, ſive ſuperficies colorum diverſorum; id eſt, albi, fuſci, tertius autem color quaſi carneus eſt, quarta & ima pars coloris crocei, ſive lutei. Inventum eſt in Cryptis (Catacombe) Martyrum, extra Viam Aureliam, prope prædiolum Beati Pii Quinti, anno *1661*. Hodie ſervatur penes Eminentiſſimum D. Cardinalem Carpegnam.

FIGURA CX.

NObiliſſima ejuſdem generis Pictura, elaborata in opere Muſivo. Inventa fuit in Cryptis ſeu cavernis S. Sebaſtiani, magnitudinis ejuſdem, cujus eſt hæcce Tabula ænea.

FINIS.


FIG. CX.


FIG. CIX.

VETERUM
LUCERNÆ
SEPULCRALES.

VETERUM LUCERNÆ SEPULCRALES,

COLLECTÆ EX CAVERNIS ET SPECUBUS SUBTERRANEIS

URBIS ROMÆ,

FIGURIS ÆNEIS EXPRESSÆ:

IN QUIBUS MULTA AD ERUDITIONEM MONUMENTA CONTINENTUR,

Delineatæ ſecundum formas ſuas

A

PETRO SANCTIO BARTOLIO.

DIVISÆ IN TRES PARTES,

CUM OBSERVATIONIBUS

JOANNIS PETRI BELLORII.

Ex Italico in Latinum ſermonem tranſtulit

ALEXANDER DUKERUS.



VENETIIS,

Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

SERENISSIMO PRINCIPI,

RANUTIO II.

DUCI PARMENSI.

GENEROSISSIME PRINCEPS,



Æ Veterum Lucernæ, quæ inter Sepulcrorum horrores, ſpiſſamque longi temporis caliginem jacuerunt uſque adhuc exſtinctæ prorſus & ſine lumine, ecce jam ad novam adſpirant lucem poſt longas funeſtaſque tenebras; quo ſcilicet tanto ad nos redeant pulchriores. Quare cum illas ego, divites ſane atque inſignes ornamentis antiquis, expreſſerim in hiſce delineationibus, auſus ſum illas, Dux Sereniſſime, illuſtrare glorioſo nomine Tuo; quo ad perpetuum denuo accenſæ fulgorem, ſemper vivæ & inexſtinctæ reſplendeant. Hoc ut facerem, meque Tibi

devotum, quanta possum cum reverentia, ostenderem, Dux Serenissime, impulit me, aditumque mihi fecit summa, qua me prosequeris, benignitas; dum me potissimum dignatus es eligere ad incidenda æri numismata Tua, quæ abs Te adornantur publico & notis eruditorum, omniumque, qui literas amant; qui jam undique applaudunt Magnificientiæ Tuæ, illoque bonarum artium studio atque amori. Hisce dotibus adjungis, Dux Serenissime, virtutes regias, quas animo foves derivatas ad Te a majoribus Tuis, illis quondam heroibus, quos adeo pulchre exprimis, quorumque summam gloriam assequeris felicissime maxima illa & digna Principe sapientissimo providentia in regendis populis, Teque ipso, & Serenissima familia Tua. Precor Majestatem divinam, ut Te magis magisque cumulet hisce bonis, mihique facultatem det servitiis meis promerendi pretiosissimam gratiam Tuam. Interim Serenissimam Altitudinem Tuam perseverabo venerari reverentissimes.

Humillimus, devitissimus, & obsequentissimus Servus,

PETRUS SANCTIUS BARTOLIUS.

A D

L E C T O R E M
B E N E V O L U M
PETRUS SANCTIUS BARTOLIUS.


Uamvis Roma non inveniri amplius in Roma dicatur, nihilo secius ruinæ illius adeo sunt fœcundæ ornamentorum, & pretiosarum ex antiquitate rerum, ut excellentibus ingeniis eæ præbeant inexhaustam admirandi materiam. Quinimo dicere licet, incassum ab edaci laboratum tempore in illa exstinguenda. Quippe tot motibus concussa & prostrata, vario indies adspectu ex suis resurgit cineribus, & triumphorum suorum imaginibus immortalitatem sibi parit in literarum monumentis. Inter alia opera mea, haud ita multos ante annos dedi tibi, lector, Picturas sepulcrales Nasoniorum, *quas placere tibi, benevolus dedisti indicia. Nunc tibi, quæ istud comitentur donum,* Lucernas *offero* Sepulcrales*: quæ, obscuratæ licet atque exstinctæ, splendidam eruditionis faciem servant, oculosque hominum ad contemplationem figurarum alliciunt, quas impressas habent. Hæ majorem partem formatæ ex fragili luto, laceræ atque ruptæ, sine mea in colligendis illis diligentia, qua minuta etiam fragmenta curiose servavi, facile interiissent; sicut non paucæ interierunt ligonum & bidentium ictibus. Jam hasce accipe, quas offero tibi, ultra centum numero; non paucas sane, si raritatem; & ipsum adeo figurarum argumentum spectes; & interim exspecta delineationes ipsorum Sepulcrorum, seu Mausoleorum, quas jam adorno curiositati tuæ. Adeo scilicet Romani fuerunt studiosi, ut in ipsa etiam morte relinquerent posteris memoriam sui ad exemplum & imitamentum virtutis. Cæterum in hisce Lucernis attendimus solummodo ad figuras, & sensum earum moralem. Auxit illas D. Joannes Petrus Bellorius observationibus suis, quas amicitiæ nostræ dedit, favorem duplicans illum, quo me prosecutus est illustrando* Veteres Picturas Sepulcri Nasoniorum. *Qui uberiorem earum cognitionem volet, adeat Fortunium Licetum, qui sex libros compilavit* De Lucernis Antiquorum reconditis; *& legat dissertationem Octavii Ferrarii* De Veterum Lucernis Sepulcralibus, *in qua finitur lis de luminibus perpetuis. Superest, ut dicamus, si quis non sufficere huic libro titulum* Lucernarum Sepulcralium *existimet, excludendo inde paucas*


aliquot, quæ non pertinent ad Sepulcra; ille ut ſciat, eſſe ita denominatas a potiori parte, perſuaſumque mihi ab aliis, ne paucas illas omitterem. Idem intelligatur de ruinis Urbis Romæ, ex quibus erutæ ſunt hæ Lucernæ, licet quatuor aut ſex aliunde venerint; veluti prima & quinta ex patria mea, Peruſia: quæ tamen non faciunt ad numerum majorem centum & ſedecim Lucernarum, tot enim tibi exhibemus. Longum vale, Lector.




VETERUM
LUCERNÆ
SEPULCRALES,
FIGURIS ÆNEIS EXPRESSÆ.

PARS PRIMA.

IN QUA CONTINENTUR VARII RITUS, LUDI FUNEBRES, ET OPINIONES VETERUM, QUOD AD DEFUNCTOS.


Fig 1
Fig. 2.
Fig. 3
Fig. 4.



JOHANNIS PETRI BELLORII
OBSERVATIONES
AD
VETERUM LUCERNAS SEPULCRALES.

PARS PRIMA.

In qua continentur varii Ritus, Ludi funebres, & opiniones veterum, quod ad defunctos.

FIGURA I.



HOMO, FORMATUS A PROMETHEO. Nota est fabula de Prometheo, qui formaverit hominem ex luto, & face ad radios solis furtim accensa, animaverit eum igne cœlesti. Atque hoc ope Minervæ factum, videmus in hacce Lucerna; quod convenit cum descriptione Luciani, in Dialogo, *Prometheus es in verbis: Quemadmodum & ille, nondum exsistentibus hominibus, excogitatos atque denuo inventos tum finxit, talibus effigiatis & exornatis, quæ & moverentur facile, & aspectu gratiosa forent: & in summa Architectus ipse erat, sed cooperabatur tamen etiam Minerva illi, quæ & lutum inspirabat, & figmenta illa animata reddebat.* Hoc ipsum scribit & Servius ad hunc Virgilii versum:

Caucaseasque refert volucres, furtumque Promethei.

Prometheus Japeti & Clymenes filius post factos a se homines, dicitur auxilio Minervæ cœlum adscendisse, & adhibita facula ad rotam solis ignem furatus hominibus indicasse. Protagoras apud Platonem hanc fabulam narrat diverse aliquantum: nem-

pe Promethea, cum homini, ab ipsa statim nativitate nudo & inermi, providere alio modo non posset, ornasse eum muneribus rationis atque artium, pariter cum igne surreptis Minervæ & Vulcano: *Cummque aliter salutis humanæ viam consultans Prometheus non invenisset, surripuit Vulcano, Minervæque artificiosam pariter cum igne sapientiam.* Unde homo, nobilitatus adeo dote pretiosa, extulit se supra cætera animalia, & Deorum factus est consors; ad quorum cognitionem mentis suæ oculis adscendit, venerando illos altaribus & sacrificiis, sicut pergit Protagoras: *Quoniam vero solus ex omnibus animantibus homo divinæ sortis particeps effectus est, principio solus ob hanc cognitionem Deos esse putavit, Arasque illis & Statuas dicavit.* Ad hunc modum in nostra Lucerna sepulcrali fingit hominem Prometheus ex luto, adjutus ab illa Dea, quæ credita est Sapientiæ, atque Artium habere dispensationem, quæque inspirat ipsi animam immortalem, unicum hominis ornamentum, cujus vi etiam post hanc mortalem vitam vivit. Hoc intellexit certe, qui finxit hanc Lucernam, & illam collocavit in sepulcro, ut mortis metum amoveret isto ad vitam immortalem transitu, quo animæ justorum adscendunt ad ætherem puriorem, cujus Symbolum Minerva est, quæ illum inspiravit luto humano. Hoc aliisque indiciis Antiqui innuere voluerunt perpetuitatem & durationem animæ nostræ, quæ non obnoxia sit ulli corruptioni corporis, prout illud cognoscimus ex aliis deinceps Lucernis. In confirmationem igitur illorum, quæ jam annotavimus, in memoriam huc reducimus Arcam sepulcralem Villæ Pamphiliæ, in qua expressa est vita & mors hominis, quæque a nobis est exposita in libro, cui titulus: *Admiranda Romanarum Antiquitatum vestigia.* Exhibentur in hac Arca Elementa & Prometheus, tenens manibus exemplar corporis humani, confectum ex partibus Elementorum, & item stylum, quo illud formavit. Minerva imponit capiti, tanquam in propria sede, Papilionem; atque ita animat simulacrum, vitam ipsi dans immortalem, cujus Symbolum est Papilio, & hominem faciens participem mentis, & divinæ naturæ. Hæc pulcherrima Lucerna fictilis, quam ordinis causa primo loco ponimus, inventa fuit in ruinis quibusdam Ditionis Perusinæ, atque ejus nobis humanissime facta copia a D. Evangelista Blasio, Cancellario ejus urbis, apud quem servatur.

FIGURA II.

FURTUM PROMETHEI. Persequentes moralem sensum ejusdem fabulæ, in hac altera Lucerna repræsentamus Furtum Promethei, quo abstulit & in terram detulit radios solares. Tenet una manu Flammam cœlestem, altera Cœlum superne monstrat, & originem nostram, unde accensa est anima humana, & natura ejus immortalis ad exemplum stellarum. Ad probationem adducimus Claudiani versus, qui sequens Protagoram in fabula modo exposita, Promethea miscuisse luto cœlestes particulas, & dedisse homini consilium & rationem, ad providendos & cavendos vitæ casus, ita describit:

——— quoscunque Prometheus
Excoluit, multumque injecit æthera limo,
Hi longe ventura notant, dubiisque parati
Casibus occurrunt, fabro meliore politi.

Ita Philosophi quidam crediderunt, animam humanam scintillam esse lucis divinæ, quæ descendat ad nos in nativitate, & ad ejusdem conjunctio-

nem æternam redeat ſoluto corpore, ſi homo cum juſtitia & virtute obſervaſſet ſanctas ejus leges; alioqui ſine fine ſentiat ſupplicia Erebi, pœnam peccatorum. Inter Lucernas noſtras ſervamus etiam hanc, colore rufo atque igneo, ſecundum ſenſum figuræ, quam repræſentat.

F I G U R A III.

SUPPLICIUM PROMETHEI. Quod attinet ad Supplicium Promethei, Caucaſo affixi, & lacerati ab Aquila, quemadmodum videmus in hac figura, lepidam veteres confinxere fabellam. Deluſum nempe ab eo Jovem, cum duos immolans boves, utriuſque carnem fraudulente ſubter pellem abſcondiſſet, & itidem oſſa ſubter aliam, relicta Jovi optione; qui non animadvertens dolum elegit oſſa loco carnium. Hanc fraudem indignatus Jupiter, ignem abſtulit mortalibus. Additum fabulæ eſt, cum Prometheus ignem reſtituiſſet, in pœnam facti catenis eum ad Caucaſum montem alligatum, laceratumque ab Aquila; atque hoc ſupplicium pertuliſſe diutiſſime, donec ab Hercule liberatus eo fuerit. Fabulam narrant Heſiodus, Æſchilus, Lucianus, aliique; & ita Martialis:

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus,
Aſſiduam nimio pectore pavit avem.

Hæc Lucerna eruta eſt ex Sepulcris Viæ Lavicanæ, & ſervatur apud D. Franciſcum Cicium.

F I G U R A IV.

NEREIS. In præcedenti Promethei imagine figurate ſignificatum eſt principium ignis; prout exiſtimavit Heraclitus per calorem omnia ad vitam animari: jam in hacce, in qua depicta eſt Nereis, quæ Equum marinum amplectitur, cognoſcimus principium Aquæ, unde Thales voluit ſcaturiiſſe homines, animalia, & cætera naturæ, imo ipſos etiam Deos; ſicut & placuit Orpheo, in *Hymno Oceani:*

Oceanum voco patrem incorruptum, ſemper exſiſtentem,
Immortaliumque Deorum parentem, mortaliumque hominum.

Ad confirmandam Nereida noſtram, frequenter in marmoribus & Arcis ſepulcralibus videmus exſculptos vario cum luſus genere Deos marinos, Nereidas, Nymphas, Tritonas, & chorum Veneris Aphrodites, quæ & ipſa ex mari & ſpuma prognata fingitur. Sperabant abs tali principio ſe reverſuros denuo, vitam & mortem in humore ponentes, ſine quo nec produci, nec corrumpi res ulla poſſet. Debemus elegantem hancee delineationem D. Marco Antonio Sabatinio, qui cum nobili ingenio ex æquo conjunctam habet cognitionem rariorum ex Antiquitate rerum, & humaniſſime hujus Lucernæ nobis fecit copiam ex Muſeo ſuo. Inventa eſt ſub monte Eſquilino, in hortis Montaltis.

FIGURA V.

TRITON. Eadem cum opinione depinxerunt in hacce Lucerna Tritonem, Deum marinum, coronatum alga inter tres Delphinas. Una manu tenet buccinam eamque inflans personat, (ipse enim Neptuni tubicen est) altera clavum ad gubernandas naves; quia putatur favere & propitius esse navigantibus. Ovidius optime hujus Buccinatoris munus describit, cum cessante Diluvio, Neptuni imperio revocavit fluctus maris, & flumina terrarum:

Cæruleum Tritona vocat, conchaque sonanti
Inspirare jubet fluctusque & flumina signo
Jam revocare dato. Cava buccina sumitur illi,
Tortilis in latum quæ turbine crescit ab imo.
Buccina quæ in medio concepit ubi aera ponto,
Litora voce replet sub utroque jacentia Phœbo.

Hæc Lucerna servatur inter rara antiqua Petri Sanctii Bartolii, auctoris operis hujus.

FIGURA VI.

CUPIDO MARINUS. Sequitur vagus Cupido & alatus, qui exsultans una manu concham tenet, altera cochleam, seu limacem in cochlea. Eædem conchæ marinæ frequenter reperiuntur insculptæ ornamentis sepulcralibus propter rationes supra demonstratas. In his effingebant etiam lineamenta suorum defunctorum, sperantes, volventibus annis denuo illos surrecturos ab eodem Aquæ elemento. Unde in hac Lucerna sepulcrali denotare voluerunt, animas etiam post separationem a corpore retinere primæ vitæ, primique principii amorem. Lucerna servatur apud eundem Petrum Sanctium Bartolium. Inventa est inter sepulcra Viæ Flaminiæ, ultra Aquam Transversam.

FIGURA VII.

CUPIDO, & PSYCHE. Immortalitas animæ intellecta fuit sub figura Psyches cum alis papilionis, qui nunquam moriens, semper vivus transformatur. Amplectitur illa Cupidinem, sponsum suum, & ab illo vicissim arcte premitur inter brachia; quo significatur ipsa anima conjuncta cum affectibus, quibus annexa est in hac mortali vita. Hoc modo videmus Cupidinem & Psychen frequenter conjunctim sculptos inter alia mysteria & symbola Arcarum sepulcralium, sicut etiam in hac ipsa Lucerna deprehendimus, ad significandum scilicet perpetuum amorem illorum, qui in hacce vita sese dilexerunt. Sperabant fore, ut una viverent in Campis Elysiis, aut longissimum post tempus surgerent, nunquam soluti illo vinculo, quod primitus illos tenuerat conjunctos; licet ad indicium mortis hic fax appareat versus terram inversa. Lucerna extra Portam inventa Portuensem, servatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.


Fig. 5.
Fig. 6.
Fig. 7.


Fig 8
Fig. 9.
Fig. 10
Fig 11.

FIGURA VIII.

SOMNUS. Voluerunt in hac Lucerna effingere Somnum, fratrem Mortis, qui ambo Erebo & Nocte creati. Hæc se involvit tenebris suis veloque umbroso cincta tribus Cupidinibus, qui somno sepulti jacent, telis atque arcu positis. Pausanias in Eliacis refert, in monumento Cypseli Tyranni sculptum simulacrum Noctis, cum duobus infantibus, quorum unus atro, alter candido colore erat, his adscriptis nominibus: MORTIS ET SOMNI. Hi duo pro germanis habiti, animam a sensibus alienando producunt in nobis eosdem effectus; cum somnus sit placida mors quædam, sicut eam describit Seneca Tragicus in *Hercule furente:*

Placidum lethi genus humanum
Cogis lentam discere mortem.

Hac de causa in quibusdam antiquis monumentis legitur: SOMNO ÆTERNALI. QUIETI ÆTERNÆ; & in Inscriptione quadam sepulcrali: IN AGRO SOMNI. Pellis leonis, qui incubat illa cum tribus puerulis, haud admodum videtur congruere Nocti & Somno, cum Leo sit animal solare & vigilans, somnique parcum. Nihilominus etiam ille, licet maxime insomnis, dormiendi vincitur necessitate, sicut noster Poeta dicit de nocte & omnibus animalibus:

Hora ch' ogni animal riposa, e dorme.

id est:

Nunc cum omnia animantia quiescunt, & dormiunt.

Lucerna, inventa in monte Cœlio, servatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA IX.

ANDROMEDA. Sequitur aliud Symbolum animæ humanæ, sub figura Andromedæa saxo solutæ & liberatæ a monstro marino. Ab uno latere stat Perseus, filius Jovis & Danaes, liberator puellæ; ab altero hujus parentes, Cepheus & Cassiopea lætantur de filiæ salute. Insidet illa saxo, conversa ad Persea defensorem; & ad pedes ejus jacet Balæna, prostrata & mutata in lapidem. Non aliud videtur denotari per Andromedam in hac Lucerna sepulcrali, quam anima humana soluta & libera ab affectibus & gravibus curis, quibus angebatur & atterebatur in hac mortali vita; eademque vitiis exposita, tanquam præda, quotiescunque Perseus, per quem significatur virtus animæ & recta ratio, non subvenit illi, atque eam extollendo ad cœlum liberat, ubi Andromeda locum habere inter stellas fingitur. Hæc Lucerna, inventa extra Portam Cœlimontanam, apud Aquæductus, devenit ad Præfectum Carolum Antonium dal Pozzo, qui hoc ipso tempore decessit, ereptus studiis inclyti sui Musei & Bibliothecæ. Hic, prout semper alias erat humanissimus, benigne nobis concessit ejus delineationem atque impressionem, ut eam cum aliis, quæ sequuntur, cum publico communicaremus.

FIGURA X.

MILES BELLO MORTUUS. Duo milites portant cadaver contubernalis sui, ut illud sepulturæ mandent. Tanta fuit & tam religiosa cura veteribus, ne insepultos relinquerent, qui bello perierant, ut ipsi etiam

hoſtes utrinque per diem aliquem ab armis ceſſarent, quo colligerent ſuos, & ſepelirent. Duobus modis Romani hunc ritum exſecuti ſunt: vel cumulando cadavera in unum tumulum, ſicut Germanicus oſſa, quæ ſupererant ex clade Variana; vel componendo cineres in Urnam, ita ut conſumpto reliquo corpore, ſervarent unum aliquod membrum intactum a flamma, cui mox a rogo abituri libabant atque immolabant, quod appellabatur, *juſta perſolvere*. Quod attinet ad modum efferendi cadaveris, pedibus & capite inter brachia militum pendentis, *quaſi raptim elati*, & ſine pompa, ejus exemplum deprehendimus in marmore Barberino, in quo expreſſus eſt juvenis venator, elatus ad rogum inter brachia ſuorum, ordine ſequentibus cane, & equo cum retibus, & ſervis plangentibus, cum aliis figuris, quæ pertinent ad funera, quemadmodum delineatum eſt hoc marmor in libro, cui titulus, *Romanarum Antiquitatum veſtigia*. Senex palliatus, qui comitatur cadaver, facile ſit libitinarius, & forſan ille, qui appellabatur *deſignator funeris*. Hæc Lucerna in Hollandiam aſportata eſt a D. de Witt, Antiquitatum & cujuſquemodi adeo eruditionis amantiſſimo.

FIGURA XI.

URNA FERALIS. Combuſto corpore oſſa & cineres reponebantur in Urnam, quam hic videmus collocatam inter duas cupreſſos. Hæc funeſti ominis arbor ponebatur inſuper ad fores defuncti, ut Diti conſecrata eſſet; quia ſemel cæſa nunquam revireſcit. Unde Claudianus:

——— *tumulos tectura Cupreſſus*.

Et Lucanus:

Et non plebejos luctus teſtata Cupreſſus.

Solebant igitur adhiberi tantum ad funera nobilium. In medio Urnæ videtur ſignum tituli ſepulcralis, qui ſolebat ſcribi Diis Manibus, & memoriæ defuncti. Lucerna eſt penes D. Petrum Sanctium Bartolium.


Fig 13
Fig 14

FIGURA XII.

TRAJECTUS CHARONTIS. Sepulto cadavere, Mercurium ducere animas ad inferos, ſeu ad trajectum fluminis Acherontis, finxerunt Veteres. Credebant defunctum, ſicut hic videmus, ſolvere naulum Charonti nautæ, qui erat obolus. Fabula manavit primum ab Homero, deſcenſum Ulyſſis ad inferos narrante. Imitatus hunc poſtea Virgilius eſt, qui ſub perſona Æneæ, patrem quærentis in Campis Elyſiis, ita loquitur de Charonte:

Et ferruginea ſubvectat corpora cymba.

Ridicula ſatis eſt rixa inter Menippum & Charontem de ſolvendo obolo. Hunc ex Satyricorum & Cynicorum numero Philoſophum fingit Lucianus cum ad flumen eſſet, moviſſe lites, & minatum Charonti, ſe caput ipſi comminuturum baculo, cum non eſſe ſibi nummos diceret. Tum converſus ad Mercurium, qui eum ad ripam deduxerat, cum illo expoſtulavit: aut ſolveret pro ipſo, aut reduceret eum in locum priſtinum. Erat Mercurius ex Diis Inferis, & ad inferos dux animarum. Simul hujus & primæ Lucernæ delineatio perlata ad nos eſt a D. Evangeliſta Blaſio. Inventa eſt in Ditione Peruſina.

FIGURA XIII.

INFERIÆ, ſeu PARENTALIA. In hacce Lucerna præter Urnam, ſupra cum Cupreſſis exhibitam, videmus inſuper ſacrificia funebria, quæ dicuntur *Inferiæ*. Hæc mortuis celebrare ſolebant, & peragebant effundendo vino, aqua, lacte, & ſanguine. Unde Æneas ad tumulum Anchiſæ:

Hic duo rite mero libans carcheſia, Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo ſanguine ſacro.

Duo juvenes in veſte laxa & ſuccincta videntur eſſe duo pocillatores, qui potum miſcere ad menſam ſoliti erant. Dextra fundunt vinum in flammam Aræ, ſiniſtra tenent amphoram, in qua continere poterant aquam aut ſanguinem, aut alium liquorem ſacrum, ex more, quem modo retulimus. Hunc morem ridet Lucianus ſub perſona illius filii, qui reprehendit patrem hæcce ob ſacrificia, in Dialogo, *de Luctu: Quid autem Saxum, quod ſepulcro imponitur, coronis ornatum? Aut quid valet, quod merum funditis? Num putatis illud ad nos deſtillaturum, & ad Orcum uſque permeaturum?* Caput bovis expreſſum inter duo ſerta, denotat ſacrificia funebria fieri ſolita defunctis.

FIGURA XIV.

INFERIÆ. Cum Præfectus Carolus Antonius dal Pozzo humaniſſime nos proſecutus ſit etiam hac altera Lucerna cum iiſdem Inferiis, voluimus adjungere illam præcedenti. In hacce loco Urnæ expreſſa eſt Ara cum flammis, cui duo pocillatores ex cornibus laticem infundunt, manibus ſimul tenentes amphoram. In anſa hujus Lucernæ ſculpta apparet Luna, ſicut & in multis aliis, quæ ſequuntur; ad denotandam ſcilicet Proſerpinam, cui pariter cum aliis Diis conſecratæ ſunt. Hæc autem intelligitur ſub nomine Hecates.


FIGURA XV.

SEQUUNTUR INFERIÆ. Hæc Fœmina, quæ manum tenet ſuper menſam in lance carnium, videtur nobis demonſtrare aliud genus ſacrificiorum, quæ dicuntur *parentalia*, ſeu *feralia*. Ita dicta ſunt *ab inferendis epulis*, id eſt, a cibis ad mortuos & ſepulcra ferendis, quo fieri quotannis ſolebat a propinquis defuncti, menſe Februario. In hiſce ſacrificiis feralibus offerebant fabas, apium, lactucam, panem, & liba; quibus ex parte aſſimilari poſſunt cibi, in hac menſa expreſſi, ubi apparent panes nonnulli. Hæc ſacrificia multa cum cura obſervabantur in memoriam propinquorum. Stulte enim credebant, illos hiſce indigere, & fieri ipſis rem gratam, ut deſcribit Lucianus in eodem Dialogo, *de Luctu*. Aliam harum figurarum delineavimus in *ſepulcro Naſoniorum*, numero VII. Superſtitio hæc diu adhuc obtinuit apud primos Chriſtianos, ut parentarent ad ſepulcra ſanctorum Martyrum; & tanquam vana, abolita eſt a ſanctis Patribus. Lucerna ſervatur in Muſeo Præfecti, Caroli Antonii dal Pozzo.

FIGURA XVI.

INFERIÆ. Eandem opinionem de Inferiis, ſeu parentalibus deprehendimus in hacce Lucerna, in qua exſculpta eſt menſa cum quatuor vaſis, quæ latices continent, reſpondentes aquæ, vino, lacti, & ſanguini. Hiſce liquoribus ſolebant libare, & conſpergere cineres atque oſſa propinquorum & amicorum, diebus funebribus atque anniverſariis. Quod ut facere poſſent, habebant aditum in ſepulcra, in quibus inventæ ſunt Urnæ & Arcæ cum operculis, perforatis hic illic pluribus foraminibus, aut etiam uno tantum, ad transfundendos illac liquores, & ſpargendas inſuper roſas & flores, quibus hæc Lucerna in ambitum adornata eſt. De poculis, quibus uſi fuerunt in hiſce libatiouibus, exemplum habemus in fabulis *Mileſiis*; illorum nempe latronum, qui libarunt animabus Thraſilonis, aliorumque ſodalium ſuorum: *Poculis aureis memoriæ defunctorum commilitonum vino mero libantes*. Horum vaſorum, ſeu poculorum ſervamus aliquot in noſtro Muſeo, inventa in ſepulcris, & ex fuſca terra confecta. Sed in hac Lucerna deſignantur illa per catinum, ſculptum in formam naviculæ, ſeu *cymbii*, cum operculo pendente a latere; qui catinus collocatus eſt ſuper Aram, ſeu Tripodem rotundum, qui poterat inſervire libationi. Caput & ungula Leonis, quibus menſa ſuſtinetur, etiam convenit uſibus ſepulcrorum; & deprehenditur hoc animal frequenter inſculptum marmoribus ſepulcralibus, in Symbolum vigilantiæ & cuſtodiæ rerum ſacrarum, quoniam Leo natura eſt animal ſolare, & ſomni parciſſimum. Hac de cauſa effinxerunt eum quoque in portis, templis, atque aris, ſecundum ſuperſtitionem Ægyptiorum, a quibus derivatus eſt hic mos, cum omnes naturæ virtutes ad ſolem referrent. Ex hac opinione retulimus hæcce vaſa potius ad uſum funebrem, quam ad ſacrificia Bacchi & Bacchanalia, prout continent latices, inferiis convenientes & proprios. Solebant etiam in ſepulcris reponere vaſa cum unguentis & odoribus, ad eundem uſum inferiarum. Lucerna ſervatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.


Fig 15.


Fig. 16



Fig 17.

FIGURA XVII.

SACRIFICIUM DEORUM INFERORUM, Sequitur alia Lucerna, formata in modum capitis bovini, quo ſcilicet referatur ad ſacrificia, quæ fiebant Plutoni & Proſerpinæ. Confirmatur hic mos verſibus Virgilii, in deſcenſu Æneæ ad inferos. In hiſce ſacrificiis Sacerdos, ſparſo in frontem Tauri vino, carpebat inter cornua pilos, eoſque in ignem conjiciebat;

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique immergit vina ſacerdos,
Et ſummas carpens media inter cornua ſetas,
Ignibus imponit ſacris libamina prima.

Multis marmoribus ſepulcralibus inſculpta ſunt capita Taurorum ſeu boum, ad notanda eadem illa ſacrificia, quæ frequentia erant ad placandos inſuper Deos Manes. Licetus, qui ſimilem Lucernam exhibet, per Bovem intelligit Terram, & humationem hominis: *Pro bove terram; ideoque recte bovis caput referens, humationem hominis deſignat*. Lucerna, affabre formata ex terra, ſervatur in locupleti & inſigni Muſeo D. D. Leonis Strozzii, cujus excelſa indoles non minus ſplendore natalium fulget, quam ſtudio eruditionis, quæ jam glorioſos maturat partus.

FIGURA XVIII.

GRYPHUS. Gryphum etiam frequenter ſculptum videmus in monumentis Veterum, quia Symbolum eſt cuſtodiæ, ſicut ante diximus de Leone; eoque reſpectu effictus eſt in hac Lucerna ſepulcrali. Hoc animal ſuperiore parte corporis alatum fingitur in modum Aquilæ, reſpectu velocitatis ſuæ; inferiore autem habet formam Leonis, propter fortitudinem. Narrant, Gryphos ſtudioſe aurum conquirere in montibus Riphæis, & cuſtodire contra quoſcunque, qui accedant ad illud rapiendum. *Gryphi ſævum, & pertinax genus ferarum, aurum terra penitus egeſtum mire amant, mire cuſtodiunt, & ſunt infeſti attingentibus*, dicit Mela. Tali de cauſa effinxerunt Gryphos in Sepulcris, ut terrerent, & longe removerent ab illis violatores. Et ſane attentus ſatis & circumſpectus in hac Lucerna exprimitur. Poteſt etiam Gryphus referri ad diverſam ſententiam, cum ille ſit Symbolum ſolis, & perpetui motus illius, prout videmus in figuris quibuſdam eum ungula moventem Currum ſolis. Lucerna ſervatur apud de Witt.

FIGURA XIX.

SACRIFICIUM FUNEBRE. Ara, ſeu Columna, ſuper quam ignis eſt accenſus, videtur eſſe conſecrata Diis Manibus, & duæ iſtæ imagnines humanæ reſpicere ad ſacrificia funebria, atque expiationes. Prior dextra tenet haſtam, & aperit ſiniſtram verſus rogum, in ipſo actu ſupplicantis: comes altera, ad ipſam Columnam reclinata haſta, manibus apertis ſe & ipſam oſtendit ſupplicantem & commiſerantem. Eædem haſtæ horum ſupplicantium, qui ſemi-nudi ſunt, pugnæ cujuſdam, ſeu ludi funebris indicium dant; quales fieri ſolebant in Sepulcris, & quorum habemus exempla in ſequentibus Lucernis. Hæc inter alias ſervatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA XX.

GLADIATORES SAMNITES. Ludi Gladiatorii fieri ſolebant in Sepulcris, ex opinione illa ſuperſtitioſa, ſanguine placandi Mortuos. In hac & ſequenti Lucerna cognoſcimus genus Gladiatorum, qui dicuntur *Samnites*, & alio nomine *hoplomachi*; idque ex indicio pinnarum in galeæ ſummitate, & ocrearum, ſeu tibialium in cruce ſiniſtro, quem habitum ſcribit Livius fuiſſ uſitatum apud milites Samnites: *Siniſtrum crus ocrea tectum. Galeæ criſtatæ*. De pinnis, quæ in hiſce duobus Gladiatoribus obſervantur, ita Varro: *Pinnæ, quas inſigniti milites in galeis habere ſolent, & in Gladiatoribus Samnites*. Erant alii Gladiatores, horum adverſarii, & factionis diverſæ, qui dicebantur *Pinnirapi*, quod *pinnas rapiant*. Lipſius ad hunc verſum Juvenalis:

Pinnirapi cultos juvenes, juveneſque laniſtæ,

illos appellat *ſecutores*, ſeu *provocatores*, autoritate Ciceronis, & Onomaſtici veteris. Archetypus hujuſce reperitur in Muſeo D. Præfecti, Caroli Antonii dal Pozzo.


Fig. 18.
Fig 19.



Fig. 20.

Fig. 21



Fig. 22



Fig. 23.



Fig. 24.




FIGURA XIX.

GLADIATORES SAMNITES. Ocreas, seu tibialia, quibus hi alteri bini Gladiatores munitum habent crus sinistrum, parte anteriore, itidem intelligit Satyricus, tangens Matronas Romanas, quæ non erubescebant in publico exercere artem gladiatoriam:

Quale decus rerum, si conjugis auctio fiat;
Baltheus & manicæ, & cristæ, crurisque sinistri
Dimidium tegmen. ——

Vegetius reddit rationem, quare ita armari fuerint soliti Velites: *Quod certantes missilibus, sinistros pedes ante habere debent*. Lucerna est penes D. Petrum Sanctium Bartolium, eruta in horto monasterii Sancti Eusebii.

FIGURA XXII.

PRÆFECTUS GLADIATORUM, VIRGATOR. SABINUS POPILLIUS. Imago, quæ in medio est, & cum virga se interponit, atque duos Gladiatores a pugna separat, potest referri ad illum Præfectum sacrorum certaminum, qui appellabatur *Designator*, & ab usu virgæ, *Virgator*. Hic curabat ordinem & apparatum Gladiatorum, de quo ita Faber in suo *Agostinico: Quod ipsum Designatoribus, atque Mastigophoris injunctum oneris ab Athlothetis, atque Curatoribus Ludorum, ut eorum interventu, atque opera ipsi Agonothetæ & Epistatæ, sive Curatores Ludorum, & Agonum Gymnicorum, si quid a pueris, aut juvenibus Athletis adversus leges Agonisticas, decorumque atque ordinem esset admissum, hoc adhibitis Designatoribus, atque Mastigophoris, hoc est, Virgatoribus, ipsi vindicarent*. Nomen Sabini Popillii credo respicere ad Designatorem, qui expressus est in Lucerna, quæ servatur penes D. Petrum Sanctium Bortolium. Inventa est extra Portam Cœlimontanam.

FIGURA XXIII.

PUGILES. Gladiatoribus succedunt hi duo Pugiles; qui descendebant & ipsi in Arenam, & nudi pugnis invicem cædebant, atque occidebant. Alii ex his majore cum insania armatas habebant manus, & cestibus pugnabant, quos descripsit Virgilius in Ludis funebribus Anchisæ, in persona Daretis & Entelli. Lucerna extra Portam Cœlimontanam inventa est, & servatur penes D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA XXIV.

DESULTOR CUM DUOBUS EQUIS. Desultores, qui currebant in Circo, aut Hippodromo, nusquam melius expressi videntur, quam in hacce Lucerna. De his Isidorus: *Desultor, cum ad finem cursus venisset, desiliebat, ex equo in equum transiliebat.* Prout illos Budæus, sequens Titum Livium, describit: *Erant desultores, qui duos equos absque ephippiis agitantes, ex altero in alterum subinde mira pernicitate desiliebant.* Ita autem Livius loquens de Numidis, in prælio Romanorum contra Asdrubalem, ad flumen Iberum: *Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu; sed quibus desultorium in modum binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam, in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat. Tantæ velocitatis ipsis, tamque docile equorum genus est.* Verum hi Numidæ currebant armati in prælio: noster desultor exercet se nudus, sine impedimento ephippii, pileum modo gerens in capite, ut quam maxime sit levis atque agilis ad desiliendum & insiliendum; unde Manilius dixit, *ludere per terga volantum.* Notat Festus Pompejus in funeribus, quæ dicebantur *indictiva, publica funera*, ad quæ a Præcone invitabatur populus, cucurrisse desultores. Tali autem cum pompa exsequiæ potentium & primorum in Urbe hominum celebrabantur. Lucerna videtur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.



aa

F I G U R A XXV.

Bigarum Cursus. Auriga, quem videmus in Bigis, appellabatur *Bigarius*, a cursu duorum equorum. In hoc actu mos observatur, non sedendi, sed standi in Bigis, & continendi sese in pedibus; quod *insistere* dixit Virgilius in Georgicis, loquens de Erichthonio, Quadrigarum inventore:

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Jungere equos, rapidisque rotis insistere victor.

Atque hoc faciebant, ut ad rapidi cursus violentiam consisterent tanto firmiores. Insuper eandem ob causam solebant, sicut hic videmus, unum pedem anteponere alteri, quo agiliores essent simul ad lora adducenda, simul & ad remittenda. Ita Sidonius:

Tensis cum subito sinu lupatis,
Tensis pectoribus, pede ante fixo.

Inclinat se etiam & incurvat aliquantum noster Auriga, flagellum manu tenens, quo rapidos equos ad metam dirigat, secundum descriptionem Virgilii:

Nec sic immissis aurigæ undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera pendent.

Lucerna est penes D. Petrum Sanctium Bartolium. Hic vero illud dicere convenit, licet Decursiones & Ludi equestres exhibiti fuerint ad rogos Imperatorum, aliorumque hominum illustrium, nihilominus etiam Circenses, & Quadrigarum cursus speciatim pertinuisse ad consecrationem eorundem Imperatorum atque Augustarum; eosque decretos ipsis a Senatu inter alios honores, sicut apud Capitolinum legimus de Antonino, ejusque conjuge Faustina. Nos autem hic collocamus Lucernas Circenses, ut hosce Ludos conjungamus cum cæteris, quia & ipsi sunt funebres. Porro, quod attinet ad eosdem Aurigas, Desultores, Gladiatores, aliosque, qui se varie exercent in figuris harum Lucernarum, si quis illas volet referre non ad ritus Inferiarum, sed ad suum cujusque defuncti munus & studium, ita ut per illas intelligatur ars, quam ipse vivus exercuit aut professus est, non admodum pugnamus. Neque enim alias litem movemus alteri de sententia & interpretatione sua.

F I G U R A XXVI.

Quadrigarius victor. Sequitur Quadrigarius, qui victoriam reportavit cursu Quadrigarum. Stat ille in curru, non currens per Circum, sed expositus acclamationibus & applausibus de victoria relata. Una manu tenet Palmam, alteram aperit ad accipiendas laudes & clamores, quibus nomen suum celebratur, Triumphi ad instar. Ut alludamus ad similes acclamationes Circenses, adducimus Epigramma Martialis, in mortem Scorpi Aurigæ, immature erepti gloriæ victoriarum suarum:

Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria Circi,
Plausus, Roma, tui, deliciæque breves.
Invida quem Lachesis raptum Trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Lucerna servatur in Museo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XXVII.

CIRCUS. Inter alias insignes Lucernas, quæ hoc tempore inventæ sunt in fodienda Villa D. D. Corsinorum in Via Aurelia, extra Portam Sancti Pancratii, hancce etiam apponimus, quæ nobis exhibet Aurigam cum Quadrigis, & insuper præcipuas Circi partes. In medio videmus stantem Obeliscum, signatum Characteribus Hieroglyphicis inter duas Columnas, super quas duæ Victoriæ tenent Palmas & Coronas. Ab uno latere est Ara, seu Delubrum Neptuni, cum septem Delphinis: ab altero Pulpitum Prætoris, seu Consulis, qui dabat signum, & edebat Ludos. Hæc figura cum præcedente indicat nobis usitatum habitum Quadrigariorum; tunicam scilicet, seu breve sagulum, ad pectus constrictum fasciis, quibus appendebant lora quatuor equorum, ut possent illos in tempore incitare plus minusve, & vicissim temperare cursum eorum. Rationem reddit Argolius in notis ad Panvinium, *De Ludis Circensibus: Ipsos enim habenis solitos præcingi*, *ut octo lora facilius possent distinguendo temperare, totiusque vi corporis equos retinere*. Inserviebant etiam hæc ligamina, ne excuterentur in terram: quare ita erant, ut Quadrigarius facillime posset illis sese expedire, ne curru raptaretur, ut Hippolyto contigit, de quo Ovidius, curru delapsum narrans:

Excutior curru, lorisque tenentibus artus,
Viscera viva trahi, nervos in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partim reprensa relinqui;

De hisce videatur idem Argolius, cum auctoritate Euripidis, & Senecæ *in Hippolyto*: item Schefferus, *De Re vehicularia*, qui erudite hæc tractat. Noster Quadrigarius insuper in capite Galeam habet, cui Statius adjungit cristas:

Ipse habitu niveus: nivei dant colla jugales:
Concolor est albis & cassis, & insula cristis.

Lucerna est penes D. Petrum Sanctium Bartolium.


Fig
Fig
Fig

FIGURA XXVIII.

Equus Alatus. Quamvis hic Equus Alatus, cum Heroe, qui illum frenat, non pertineat ad Circum, tamen hic eum delineavimus, in ſignum & laudem velocitatis ſuæ. Adſimilatur Pegaſo affictione alarum, quæ ſignum erant volucris & rapidi curſus illius. Unde Claudianus, laudans velocitatem equorum Cappadocum:

------------ jam paſcua fumant.
Cappadocum volucrumque parens Argæus equorum.

Imago, quæ frenum moderatur, poteſt referri ad Alexandrum, Bucephali domitorem; ſeu Bellerophontem, qui frenavit Pegaſum. Hæc inſignis Lucerna ſervatur in Muſeo D. Canonici, Raphaelis Fabretti, qui ſcriptis eruditis magnum ſibi nomen comparavit.

FIGURA XXIX.

Bigæ cum Victoria. Victoria Bigas agitans, una manu regit habenas, altera tenet coronam, ad ſignum præmii curſus. Et ſequitur adeo hic honos ſepulcrum Victoris defuncti, expreſſus ſub imagine Victoriæ, & coronæ ab ipſo reportatæ. Lucerna ſervatur apud Præfectum, Carolum Antonium dal Pozzo.

FIGURA XXX.

Auriga Victor. Hi Aurigæ victoriis ſuis immortalitatem ſibi conſecuti videbantur, dum fama ipſos ſequebatur uſque in ſepulcra; prout talis Victoris in noſtra Lucerna videmus effigiem cum ramo Palmæ. In habitu ejus optime cognoſcuntur ligamina pectoris, quæ confecta erant ex corio, apud Latinos *lora*, quibus, ut diximus, in curſu utebantur Bigarum & Quadrigarum agitatores. Reperiuntur in marmoribus ſepulcralibus frequenter hujuſmodi effigies, tantum pectore tenus expreſſæ ad ſimilitudinem defunctorum, quæ dicebantur *vultus*, ſecundum interpretationem Turnebi, quem ſequitur Dalecampius ad hunc locum Plinii: *Expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Ubi Dalecampius: *Imagines eæ non integri & totius corporis fuerunt, membris & lineamentis omnibus conformatæ; ſed oris ſimulacrum tantum effingentes, humerorum tenus.* Lucerna eſt penes D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA XXXI.

BESTIARII. Gladiatoribus Beſtiarios ſubjungimus, qui & ipſi deſcendebant in Arenam, damnati ad Pugnam cum feris & beſtiis, unde & nomen acceperunt. Alter horum tenet ſcutum & haſtam, alter adoritur & conficit Urſum, qui morſu petit ejus coxendicem. Hic notare eſt habitum & morem horuncce, qui non pugnabant nudi, ſed pectora muniti, & crura coxendiceſque tecti loris & faſciis ex corio duriſſimo, aut ſimili materia; ita, ut tuti eſſent a dentibus atque unguibus ferarum, a quibus invadebantur. Eorundem ligaminum vidimus exemplum in gemmis antiquis Auguſtini, in illo Circulatore, qui ducit & informat Urſum, brachio faſciis involuto porrigens illi eſcam. Lucerna ſervatur in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XXXII.

VENATIO LEONIS. Licet hic non ſit locus proprius Venationi Leonis, nihilominus eam hic collocamus, propter affinitatem cum præcedente Figura. Videmus Leonem, qui ſtimulatus magno animo prodit ex cavea adverſus Haſtatum, ſeu Jaculatorem, qui pilum vibrat. De hiſce Jaculatoribus Africanis loquitur Seneca, in libro, *De brevitate vitæ*, miſſis ad Sullam a Boccho Rege, in Ludis Circenſibus, quos ille dederat: *Primus L. Sulla in Circo Leones ſolutos dedit, cum alioquin alligati darentur; ad conficiendos eos miſſis a Rege Boccho Jaculatoribus*. Forſitan aliquis horum Afrorum expreſſus ſit in hacce Lucerna, ad artem ejus denotandam, quam profeſſus eſt. Archetypus reperitur in Muſeo Præfecti, Caroli Antonii dal Pozzo.

FIGURA XXXIII.

PUGNA URSI, ET TAURI. Optime convenit cum Spectaculis & Ludis Gladiatoriis Pugna Urſi & Tauri. Solutus uterque eſt vinculo, quod illos tenebat alligatos, ut colligitur ex loco Senecæ, quem modo retulimus. Ita in Spectaculis ſolebant pugnæ exponi feræ, ad delectationem populi, ſicut ejus rei habemus exempla apud Martialem, *De Spectaculis*. Hic Urſo ſuccumbens Taurus, dilaniatur & devoratur. Servatur Archetypus apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

Fig. 31.



Fig. 32.





Fig. 33.



Fig. 34.

FIGURA XXXIV.

SALTATOR. Cum pergeretur in eruendis Monumentis Sepulcralibus Villæ Corsinæ, ad Sancti Pancratii, inventa fuit hæcce Lucerna, quæ exhibet effigiem nudi Saltatoris, qui agitat membra ad sonum & strepitum duorum lignorum fissilium, sive sint arundines, quas utraque manu tenet, & pariter concutit. Visa fuit hæc Figura insignis admodum, sed aucta est curiositas, cum videretur eadem pluries repetita, & depicta in Musivo pavimenti sepulcralis, ubi in medio frondium ambitu pariter saltantes conspiciuntur quatuor Juvenes nudi. Bini ex his sine pileis fissum utraque manu tenent exile lignum; alteri bini pileati quatiunt una manu eadem ligna, altera faciunt gestus ad instar Mimorum seu Histrionum, quemadmodum hic juxta exhibemus delineationem eorum perfectam. Pollux libro quarto, *De specie Saltationis*, facit mentionem de hoc genere Saltationis, & Soni musici: *Erat enim, fissilia trahere ligna, Choricæ Saltationis species*. Superest jam, ut inquiramus in causas, quare in Lucernis & Sepulcris effinxerint hoc genus ineptiarum, Histrionum comicorum, & Satyricorum. Ratio est, quia in Exsequiis hominum Illustrium, quæ dicebantur *Indictivæ*, una cum lamentationibus, næniis, sonisque lugubribus, quæ comitabantur feretrum, insuper solebant ad risum movendum præire Saltatores, Mimi, Histriones, Scurræ. Hujus moris facit mentionem Dionysius Halicarnassensis, Kirchmanno notatus in Libro, *De Funeribus: Quin etiam in illustrium virorum Funeribus, præter alias pompas, vidi & Satyricos Choros, qui lectulum præcedebant, & Sirinnam saltationem saltabant*. Idem apparet in duabus sequentibus Lucernis.

FIGURA XXXV.

DELINEATIO Musivi, quod est in pavimento sepulcri, supra descripti.

Pavimentum Musivum, variis coloribus, Area candida. Inter sepulcra Villæ Corsinæ, ad Numerum 24. in eorum Ichnographia.

Fol. 38



Fig. 6



Fig. 7



FIGURA XXXVI.

SALTATORES. In Præcedenti Lucerna vidimus primam Saltationem Comicam & Satyricam, uno tantum Saltatore. Jam in hacce repræsentantur nobis Saltatores gemini. Hi aperiunt manus, & percutiunt invicem Palmas, quemadmodum apud nos videre consuevimus Larvatos Saltatores cum pugionibus.

FIGURA XXXVII.


SALTATORES. In hac repræsentantur tres Gibberosi & Ridiculi Saltatores, qui jacto in sublime virgarum fasce, saltantes ad modum, extendunt manus ad excipiendum eum, ne cadat in solum.

VETERUM LUCERNÆ SEPULCRALES,

FIGURIS ÆNEIS EXPRESSÆ.

PARS SECUNDA.

IN QUA CONTINENTUR DII.


Fig. 1
Fig. 4
L TETIVS
ALYPVS
IOVI D D
Fig. 3
Fig. 2

JOHANNIS PETRI BELLORII

OBSERVATIONES AD VETERUM LUCERNAS SEPULCRALES.

PARS SECUNDA.

IN QUA CONTINENTUR DII.

FIGURA I.



UPITER CUSTOS. Multi Dii comprehenduntur in ſequentibus Lucernis, quos deſcripturi ab Jove incipimus. *Ab Jove ſurgat opus*; per quem nos intelligimus Deum Optimum Maximum, unicum principium & auctorem omnium rerum. Hæc Lucerna, penſilis ex ære, a Liceto attribuitur Jovi Cuſtodi, propter vigilantiam & cuſtodiam canis, qui ad pedes ejus accumbit. Hoc animal tributum quoque Laribus Diis, cuſtodibus & præſidibus ædium, eorumque pedibus appoſitum fuit; de quibus ita Ovidius in *Faſtis*:

Et canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat. Quæ ſtandi cum Lare cauſa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque:
Compita grata Deo, compita grata cani.

Figura Jovis cum fulmine & haſta convenit cum cognomine *Cuſtodis*, quemadmodum legitur in quodam Neronis Nummo: JUPITER CUSTOS. Inſuper idem Jupiter numerabatur inter Deos Penates, qui & ipſi præſides erant & cuſtodes.

FIGURA II.

AQUILA CUM FULMINE. In hacce Lucerna penſili, ænea & ſatis grandi, pulchre admodum videmus expreſſam Aquilam, cum fulmine inter ungues, & conſpicuo titulo dedicationis: L. TETIUS ALIBUS JOVI DD. De hac alite regia, miniſtra fulminis, Horatius in *Odis*:

Qualem miniſtram fulminis alitem,
Cui rex Deorum regnum in aveis vagas
Permiſit. ———————

D. Michael Angelus Cauſeus, auctor *Theſauri eruditæ Antiquitatis*, qui hoc tempore in lucem prodiit, non minore ipſius eruditione atque doctrina exornatus, repetit hancce Lucernam, a Liceto exhibitam, & attribuit eam Jovi Conſervatori, auctoritate Nummi cujuſdam Domitiani, qui repræſentat eandem Aquilam, fulmen unguibus tenentem, cum inſcriptione:

JUPITER CONSERVATOR. Nos ſequimur eandem ſententiam. Hæc inſignis Lucerna ſplendet in illuſtri Muſeo D. Urbani Roccii, Nobilis, qui cum aliis dotibus conjunctum habet ſtudioſum amorem rerum antiquarum & rariorum. Ad quam laudem ex æquo accedit Conjux ejus, Domina Cintia Capoditerra, Magdalena Roccia; Matrona, cujus animi virtutes æquant natalium ſplendorem.

FIGURA III.

AQUILA CUM FULMINE SUPER GLOBO. Fulmen, Globus, & Aquila ſunt Symbola, quibus Antiqui ſignificare voluerunt providentiam divinam: & idcirco Romani illa Jovi conſecrarunt, Moderatori Univerſi. Adhibuerunt illa etiam in conſecrationibus Imperatorum, quemadmodum eadem expreſſa inveniuntur in Nummis, cum titulo: CONSECRATIO; poſt mortem tribuentes illis Divinitatem. Palmæ ramus, quem Aquila roſtro tenet, ſignum eſt Victoriæ. In aliis figuris conſpicitur Laurus, & Corona quercea. Lucerna ſervatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA IV.

JUPITER VECTUS AQUILA. Ad hanc figuram Jovis, in ſublime evecti ab Aquila, quæ avis ipſi conſecrata fuit, non aliud eſt, quod adjungamus, quam Romanos defunctis Imperatoribus ſuis in conſecratione etiam hunc tribuiſſe honorem ut fingerent, ipſorum animas in cœlum & inter ſtellas tolli ab Aquila. Hæc ambitio induxit etiam homines privatos ad eam inſaniam, ut conſecrarent tali modo defunctos ſuos, habitu & cultu divino ſublatos ab Aquila in cœlum. Hujus Lucernæ nobis facta eſt copia a D. Marchione, Camillo Maximo, cujus nobiles animi dotes ſe quoque extendunt ad eruditionem Antiquorum monumentorum, quibus celebrem reddit ornatiſſimam Aulam ſuam; imitans una cum conjuge, Domina Marchione Julia, præclaro Germine ſtirpis ejuſdem, gloriam patrui ſui, Camilli Maximi, Cardinalis, qui paucos ante annos Romæ obiit, ornamentum patriæ ſuæ; & ſimul ereptus eſt optimis literarum ſtudiis.


Fig. 5
Fig. 6.
Fig. 8.
Fig. 7

FIGURA V.

SERAPIS. Caput Serapidis cum modio, seu canistro, & corona radiorum Solis, repræsentat naturam hujus Dei, quem Ægyptii putabant eundem cum Sole, principio & fine omnium rerum, quæ ab ipso veniunt, & in ipsum redeunt. *Cujus vertex*, dicit Macrobius, *insignitus Calatho, & altitudinem sideris monstrat, & potentiam capacitatis ostendit: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur*. Hic Deus idem quoque existimabatur cum Plutone, & hac de causa frequenter reperitur effictus in Lucernis sepulcralibus, sicut in sequentibus dicemus ad ejus imagines. Lucerna, raro elaborata artificio, servatur apud D. Canonicum, Raphaelem Fabrettum.

FIGURA VI.

SERAPIS. In hac effigie optime expressus conspicitur Serapis, cum canistro frugum in capite, seu Calatho ex juncis contexto. Pingitur insuper cum modio, in signum abundantiæ & fœcunditatis suæ. Sedet una manu sceptrum tenens, alteram extendens ad monstrum triceps, quod expressum est in sequente figura; prout illud videbatur juxta Statuam ejus Alexandrinam in Ægypto, quemadmodum describit illam Macrobius. Hæc Lucerna fuit inventa juxta Portam Capenam inter muros. Servatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.


FIGURA VII.

MONSTRUM TRICEPS SERAPIDIS ALEXANDRINI. In Antiquitatum Museo nostro servamus Icunculam æneam cum tribus capitibus diversorum animalium, quæ ab Ægyptiis attributa fuit Serapidi sub natura Solis. In medio est caput Leonis, ad dextram placidi Canis, ad sinistram rapacis Lupi, quibus denotantur tria tempora, præsens, præteritum, futurum. Ad intelligentiam hujus Icunculæ adducimus locum Macrobii ex *Saturnalibus*, ut tollamus opinionem cujusdam, qui putavit, esse Cerberum Trifaucem: *Eidem Ægypto adjacens Civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Serapin atque Isin cultu pene attonitæ venerationis observat: omnem tamen illam venerationem Soli se sub illius nomine testatur impendere; vel dum Calathum capiti ejus infigunt, vel dum Simulacro signum Tricipitis animantis adjungunt; quod exprimit medio, eodemque maximo, capite Leonis effigiem. Dextera parte caput Canis exoritur, mansueta specie blandientis. Pars vero læva cervicis rapacis Lupi capite finitur; easque formas animalium Draco connectit volumine suo, capite redeunte ad Dei dexteram, qua compescitur Monstrum. Ergo Leonis capite monstratur præsens tempus, quia conditio ejus inter præteritum futurumque actu præsenti valida fervensque est. Sed & præteritum tempus Lupi capite signatur, quod memoria rerum transactarum rapitur & aufertur. Item Canis blandientis effigies futuri temporis designat eventum, de quo nobis spes, licet incerta, blanditur.* Corpus hujus Monstri retinet formam Leonis. Sed illic Macrobius memorat unum tantummodo serpentem, qui illud conjungit & connectit; hic videmus duos distinctos, qui illud implicant quatuor spiris seu voluminibus a collo usque ad crura: forsitan ad denotandas quatuor tempestates anni, quæ perpetuo cum sole re-

meant. Hoc Amuletum, sive sit Hieroglyphicum vetus minutum ex ære, præstantissimum donum est D. D. Leonis Strozzii, qui eo dignatus est honorare Museum nostrum.

FIGURA VIII.

SERAPIS, CASTOR, & POLLUX. Prout Serapis multa habebat communia cum aliis Diis, habebatur ille quoque pro Deo inferno, & idem cum Plutone, sicut dictum est supra: atque ideo videmus eum frequenter effictum in Lucernis. Habemus de eo disertum locum in Oratione, scripta ab Juliano Imperatore in laudem Solis, ex illo Apollinis ipsius dicto: *Unus Jupiter, unus Pluto, unus Sol est Serapis*. Habebatur ille Deus maximus; non horribilis, sed benignus & mitis, & ad quem eveherentur animæ Justorum, quique cæteras puniret transmigratione in alia corpora: *Hinc non absurde Plato prudentem Deum dixit esse Plutonem, quem quidem nos alio nomine Serapidem vocamus, quasi* ἀϊδῆ, *hoc est, sub adspectum minime cadentem, & intelligentia constantem, ad quem sublimes evehi narrat illorum animas, qui quam optime justissimeque vixerunt. Non enim ille cogitandus est, quem horribilem nobis fabulæ describunt: sed mitis potius, & benignus alter, qui generatione penitus animas exsolvit; non solutas rursus aliis corporibus affigit, ut eas puniat, & ante-actorum pœnas exposcat: quin easdem contra sursum dirigat, & ad intelligibilem mundum sublatas evehat*. Quod ad imagines Castoris & Pollucis attinet, per illas significatur immortalitas animæ humanæ. Finxerunt ex Helena natos duos Filios, Pollucem & Castorem: illum Jove creatum, & immortalem, hunc natum Tyndaro, & mortalem. Hic autem cum periisset in bello, fratrem Pollucem, qui eum amabat, impetrasse ab Jove, ut cum illo divideret immortalitatem suam, & uterque vicissim sex menses inter mortuos, & totidem in vivis esset. Fuerunt hi connumerati inter stellas, & volunt Astronomi, altera oriente, alteram occidere; quæ stellæ, sicut hic videmus, fulgent in illorum capitibus, & fuerunt habitæ salutares. Stant hi duo fratres in ipso actu frenandi equos; quemadmodum apparuerunt in equis, pugnantes pro Romanis in bello Latino, & visi fuerunt lavantes ad fontem vicinum templo Vestæ, cum nunciarent victoriam. Lucerna est penes D. Joannem Petrum Bellorium.


Fig. 9
Fig. 11
Fig. 10

F I G U R A IX.

JUPITER cum aliis DIIS. In figuris pulcherrimæ hujus Lucernæ continentur Naturæ mysteria, principium & generatio rerum; secundum opinionem illorum, qui Philosophantes, requirebant causas vitæ & mortis, offerentes vota & Sacrificia, ut Deos suos redderent sibi propitios. Supremo loco sedent tres Dii, qui dicuntur *Magni* Jupiter, Juno, Minerva. Hos existimarunt esse Deos Penates Romanorum, quibus Tarquinius Priscus exstruxit templum cum tribus cellis in Capitolio. His faciebant vota & Sacrificia, credentes, esse eos vitæ humanæ Auctores, ab iisque nos accipere corpus, spiritum, & rationem. Credebant, Jovem esse medium Æthera, Minervam superiorem, & maxime sublimem, Junoni autem attribuerunt infimam aeris partem, sicut interpretatur Macrobius: *Penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus. Esse autem medium Æthera Jovem, Junonem vero imum aera cum terra, & Minervam summum Ætheris cacumen: & argumento utuntur, quod Tarquinius, Demarathi Corinthii filius, Samothraciis Religionibus mystice imbutus, uno Templo, & sub eodem tecto Numina memorata conjunxit.* Subtus in curribus suis meant Sol & Luna, ad fœcunditatem terræ & naturæ, secundum temperamentum caloris & humoris. Sedet itaque Neptunus, sive ille sit Pater Oceanus, altera manu innitens Urnæ, altera tenens Anchoram; quo denotatur primum principium & elementum Aquæ, unde derivari volebant primam hominum & rerum generationem. Talia Symbola exprimebant in sepulcris, sperantes, post mortem sese revicturos & redituros ad primam originem. Duo juvenes, qui dimidia parte corporis extra nubes prodeunt, & inflant retortas buccinas, videntur imitari turbines & strepitus ventorum, qui portant & effundunt nubes & pluvias ad fœcunditatem Naturæ. Credebant etiam animam non esse, nisi spiritum, & ventum: unde Virgilius de ea dixit:

Par levibus ventis. ------------

Lucerna reperitur apud. D. Joannem Petrum Bellorium.

F I G U R A X.

JUPITER, JUNO, MINERVA. Ad præcedentem Lucernam disseruimus de hisce tribus Diis, tanquam rerum principio: jam in hac altera sequimur eandem sententiam, cognoscentes ipsum principii illius effectum in imagine Junonis, cornu Amaltheæ manu tenentis, gremio autem sertum florum & pomorum ad signum fœcunditatis terræ, quæ a virtute hujusce Deæ promanat. Volebant, hanc esse inferiorem partem Aeris Terræ conjunctam, imo ipsam Terram, irrigatam & gravidatam imbribus a Jove, marito suo, sicut intellexit Virgilius:

At pater omnipotens, fœcundis imbribus Æther,
Conjugis in gremium lætæ descendit. ------------

Unde Varro: *Antiqueis enim, quod nunc; & hi Dei, Cœlum & Terra, Jupiter & Juno.* Arnobius, refutans varios Gentilium Deos, loquitur de Junone tanquam de Pomona Dea: *Nam si aer illa est, quemadmodum vos ludere & dictitare consuestis, Græci nominis præposteritate repetita, nulla Soror & Conjux omnipotentis reperietur Jovis, nulla Fluvidomina, nulla Pomona.* Lucerna nobiscum communicata est a D. Præfecto dal Pozzo.

FIGURA XI.

SOL & LUNA. Credebant quoque poſt longum curſum horum Planetarum ſuos defunctos ad vitam redituros, expurgatos præteritæ vitæ peccatis. Huc adducimus ſermonem Socratis apud Platonem, in *Phædone*, de animabus pluries a corpore mortali ſeparatis, & earum regreſſu ad priſtinam vitam: *Ex veteri ſermone abire ad Inferos animas defunctorum, rurſuſque huc reverti; fierique ex mortuis quaſi quodam circulo remeantes, ad demonſtrandam animæ immortalitatem. Nam ex viventibus mortui, ex mortuis viventes ratione contrariorum fiunt.* Aliam rationem mox addemus una cum Symbolo immortalitatis. Facies ſolis fulget duodecim radiis, qui reſpondent ad gyrum ſolarem duodecim menſium, & ad curſum Anni. Sub pectore Solis incurvat ſe creſcens Luna, cornua convertens ad majorem Planetam; ad exprimendum lumen, quod ab illo continuo recipit, verſus ipſum ſe convertens perpetuo. Duo pulli, qui ſolum roſtris petunt, expreſſi in anſa Lucernæ, dant indicium *defuncti Pullarii*; qui, dum viveret, habuit curam pullorum, ex quorum paſtu Augures capiebant auſpicia. Inventa fuit Lucerna ad Sancti Joannis & Pauli in Monte Cœlio, & ſervatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.



FIGURA XII.

SOL, & LUNA, cum SEPTENTRIONIBUS. Raro admodum & inſigni argumento exponuntur in hac altera Lucerna Sol & Luna Planetæ, cum ſeptem ſtellis Plauſtri, in Symbolum Æternitatis, & illius loci, quem Romani animabus aſſignarunt. Illuc finxerunt tranſilire animas Imperatorum poſt conſecrationem; eam ob rationem, quod eædem ſtellæ nunquam occidunt, ut aliæ, ſed ſemper ſplendent ſupra noſtrum Horizontem. Unde Manilius:

Atque effulgentes cœlum conſurgit ad Arctos,
Omnia, quæ ſummo deſpectant ſidera cœlo,
Nec norunt obitus. ———

Et eodem in loco fingunt apparuiſſe ſtellam Cæſaris. Plinius refert verba ipſius Auguſti, in capite *de Cometis. Iis ipſis Ludorum meorum diebus, Sidus crinitum per Septem dies in regione cœli, quæ ſub Septentrionibus eſt, conſpectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conſpicuum fuit. Eo ſidere ſignificari Vulgus credidit, Cæſaris animam inter Deorum immortalium Numina receptam; quo nomine id inſigne ſimulacro capitis ejus, quod mox in foro conſecravimus, adjectum eſt.* Et ita Claudianus in quarto Conſulatu Honorii:

Viſa etiam medio, populis mirantibus, audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuſo
Languida, ſed quantus numeratur nocte Bootes,
Emicuitque plagis, alieni temporis hoſpes
Ignis, & agnoſci potuit, cum Luna lateret.
Sive parens Auguſta fuit, ſeu forte reluxit
Divi Sidus Avi. ———

Omnia hæc Nummis confirmantur, præſertim uno & item altero Fauſtinæ, qui Lunam creſcentem habent cum Septentrionibus, & Titulo: CONSECRATIO. Lucerna ſervatur apud D. Canonicum, Raphaelem Fabrettum.

FIGURA XIII.

CAPITA SOLIS & LUNÆ. Eandem ob rationem exhibentur in hacce Lucerna Capita Solis & Lunæ ad invicem converſa: illud radios, hoc Lunam creſcentem in ſummitate habet. Hic notare licet crinem Apollinis, non intonſum & prolixum, ſicut in aliis Figuris depingitur, ſed erectum & criſpatum in modum radiorum. Fax Solaris illuſtrat & calefacit infra caput Solis Globum terreſtrem, qui ſemper ex parte illuminatus eſt ſplendore illius, ad generationem omnium rerum. Apud D. Joannem Petrum Bellorium ſervatur Lucerna.

FIGURA XIV.

APOLLO cum GRYPHO. In hac Eigura exprimitur Harmonia Apollinis, qui Citharæ ſuæ ſono temperat Naturam, & tempeſtates Anni. Juxta adeſt Gryphus alatus, qui illi conſecratus eſt, & adhibitus ad trahendum ejus currum, ſicut nobis deſcribit Claudianus:

At ſi Phœbus adeſt, & frenis Grypha jugalem
Riphæo Antipodas repetens detorſit ab axe.

De Gryphis, qui in Sepulcris reperiuntur, dictum eſt ſupra ad Numerum 18. Partis primæ, & pergimus de illis in proxima Lucerna. Duo Delphines in anſa Lucernæ reſpiciunt ad amorem, quo ipſi feruntur erga Muſicam. Dicitur Delphin ſuavitatem cantus amans, ſervaſſe Arionem, allectus harmonia Citharæ. In cœlo appellatur *Signum muſicum*, & explet novem ſtellis ſuis numerum Muſarum. Fuit etiam Apollo cognominatus Delphinius, quia in hunc piſcem transformatus, viam monſtravit Caſtalio Cretenſi, qui ducebat coloniam Delphos; unde Urbs hæc & Oraculum nomen acceperunt. Hæc Lucerna conſpicitur in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XV.

GRYPHUS APOLLINIS cum ROTA. Inſigni ſane commento orbem quoque anni & mutationem tempeſtatum ejus, explicuerunt Veteres per imaginem Gryphi, qui ungula ſua movet & circumagitat rotam currus ſolaris, quemadmodum videmus expreſſum in hacce Lucerna, quæ Apollini dedicata fuit, ad ſignificandum perpetuum Gyrum Solis & Temporis. Clemens Alexandrinus refert, apud Ægyptios in Templo hujus Dei fuiſſe rotam, quæ ſine intermiſſione volveretur, eandem ob cauſam; & ut denotarent, generationem & conſervationem omnium rerum pendere a motu & circumagitatione rotæ ſolaris. Lucerna, penſilis ex ære, eſt in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.



Fig. 17
COPPIRES

FIGURA XVI.

Pegasus. Idem munus trahendi currum Solis attribuerunt quoquè Pegaſo, qui & ipſe Hieroglyphicum eſt Solis ſignum, & ſæpius Symbolice expreſſus in Sepulcris; propoſitus etiam a nobis in tribus Figuris, inter *picturas Naſoniorum:* idque ſive ad Heroas in cœlum tranſvehendos & Campos Elyſios, ſive ad denotandum ipſum Solem, qui quaſi volans currit infatigabilem curſum, in continuo gyro ſui Orbis. Finxerunt etiam, ab alatis equis tractum ejus cœleſtem currum, in ſignum ſcilicet velocitatis eorum; ſicut deſcribit Ovidius *in Faſtis:*

Sextus ubi e terra clivoſum adſcendet Olympum
Phœbus, & alatis Æthera carpet equis.

Per hanc opinionem, quam ſupra memoravimus, quæque etiam Pythagoræ fuit, intelligere voluerunt, ad longum hujuſce Planetæ gyrum omnes res, & ipſos adeo homines debere reverti ad primum principium vitæ ſuæ. Lucerna inventa in Via Appia, eſt inter illas D. Petri Sanctii Bartolii.

FIGURA XVII.

Mercurius. Hic Deus ſæpius expreſſus videtur in Lucernis ſepulcralibus, quia connumeratus fuit inter Inferos Deos, & Dux animarum creditur in deſcenſu ad inferos. Munus ejus deſcribit Horatius in Hymno:

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, ſuperis Deorum
——————— *Gratus, & imis.*

Et Papinius ſub Tireſiæ perſona, in invocatione Deorum Manium:

——————— *Virgaque potenti*
Nubilus Arcas agat. ———————

Lucerna inventa eſt in via Lavicana, & communicata nobiſcum ab humaniſſimo D. Carolo Simoncinio, Medicinæ Profeſſore.

FIGURA XVIII.

Mercurius. In hacce altera Figura apparet nobis Mercurius ſtans, juxta ſe habens Gallum Gallinaceum, & Arietem. Ille erat in tutela hujus Dei, & Symbolum vigilantiæ, quæ requiritur ad mercaturam. Inſuper hæc ales putabatur illi adeſſe ſemper, eique Præſtigiatores tribuebant virtutem magicam. Aries conſecratus erat Mercurio: putabant enim, hunc, qui Deus lanificii credebatur, augere greges. Unde Pauſanias deſcribit Statuam ejus in Urbe Corintho, inſidentis arieti, & item alteram in Bœotia, humeris arietem portantis. Prior harum in gemmis Auguſtini expreſſa eſt. Lucerna reperitur apud D. Fabritium Clarum, Pictorem inſignem.

FIGURA XIX.

LUCERNA, DEDICATA BACCHO. Pampinus, in cujus ſpeciem formata eſt anſa hujus Lucernæ, nobis indicium dat, eſſe Baccho dedicatam, tanquam vini & vindemiarum Auctori. Hæc penſilis, & ex ære eſt.

Plures Lucernæ, quæ ſequuntur cum Figuris, ad Chorum Bacchi pertinentibus; præterquam quod erat ille & invocabatur inter Deos Inferos, poſſunt etiam referri ad initiatos Myſteriis Bacchi, & ad Orgia, Symbolice expreſſa in horum Sepulcris, quod idem fecerunt in gemmis annulorum. Lucerna eſt in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XX.

BACCHUS, & SERAPIS. Sedet Bacchus, Thyrſum ſeu ferulam manu tenens, & pedibus adſtat Tigris, ipſi conſecrata. In anſa Lucernæ effictus eſt Serapis, qui & ipſe numeratus fuit inter Deos Inferos. Cæterum Bacchus, ſecundum varias opiniones de nativitate ejus, creditus etiam fuit filius Jovis & Proſerpinæ, & cum hoc & Cerere communia habere Sacra Eleuſinia. Forma, in qua noſtra imago ſedet, quieſcens, brachio retorto, & manu capiti impoſita, denotat, hunc Deum eſſe quietum, liberum, & immunem a curis; prout vinum liberat mentem ab omni penſitatione & moleſtia; unde etiam *Liber*, & *Lyæus* dictus eſt. Ovidius:

Cura fugit multo diluiturque mero.

Lucerna eſt in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XX.

SILENUS. In hacce Lucerna Silenus manu portat cantharum vini, quod ejus ſolenne ſignum eſt. Creditus autem fuit nutritor Bacchi. De eo Virgilius:

Et gravis aurita pendebat cantharus anſa.

Lucerna, inventa in Villa Corſina, ſervatur in Muſeo D. Petri Sanctii Bartolii.


Fig. 20.


Fig. 21.



Fig. 19.


Fig. 22.
Fig. 23
Fig. 24

FIGURA XXII.

SATYRUS, UTREM HUMERIS GESTANS. Celebratur hic Feſtum Bacchi, tempore vindemiarum, & Satyrus portat Utrem, vino recens expreſſo plenum, uvis in vite pendentibus. Fiſtula, ex Septem calamis compoſita Satyris in uſu fuit, & propria Deo Pani, in memoriam ſcilicet Syringis. Finxerunt autem vivere illos inter fiſtularum ſonos, & ſaltationum gaudia. Lucerna ſervatur in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XXIII.

BACCHANS. Hicce Bacchans & ipſe portat Utrem humeris, & manu tintinnabula tenet, quæ pendent alligata ad annulum. Hæc concuſſa & agitata ſonitum edebant. Exhibemus juxta fragmentum lateritium, in quo conſpicitur Baccha, Tympanum manu tenens, quod Tigridem expreſſam habet. In orbem ejus circumeunt eadem tintinnabula, quæ ſimul cum Tympano concuſſa argutum & ipſa ſonum edebant. Alter Orbis ex ære eſt, cum ſeptem campanulis, ad eundem uſum. Utrumque ſervatur in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XXIV.

BACCHANS FURIOSUS. Diſcurrit hicce Bacchans, Deo agitatus & coronatus Pampino. Tenet una manu Thyrſum, altera perticam ſeu baculum vibrat adverſus canem. Lucerna eſt penes D. Marcum Antonium Sabatinium.

FIGURA XXV.

PUERULI BACCHANTES. Saltabant & cantabant hice Pueruli in Puerili Choro Bacchi. Unus fundit hic vinum ex canthage, alter perſonat ſiſtro, formato in modum Trianguli radiati, quod ex ferro erat, & pulſatis radiis edebat argutum ſonum. Pollux inter inſtrumenta Muſica, quæ pulſantur, numerat etiam *Trigonem triangularem*. Pretium hujus Lucernæ augetur ex perſona poſſidentis, nempe Dæ. Marchionis, Octaviæ Renziæ Strozziæ, quæ benigniſſima ſimul, & amantiſſima antiquorum ad eruditionem Monumentorum, dignata eſt huic Libro concedere illam cum aliquot aliis, quæ ſequuntur.

FIGURA XXVI.

PRIAPUS. Hæcce Priapi non ſine ratione adjungitur aliis Bacchi imaginibus, quia uterque habitus eſt pro eodem Numine: unde etiam Priapi ſimulacrum in pompa Bacchi ſolenniter præferebatur. Gremium, frugibus plenum, cum membro virili erecto, denotant fœcunditatem & generationem, ejus potentiæ attributam. Tenet una manu Falcem ruſticam, ad terrendos in agris prædones atque aves; altera Ramum Pineum, quod præter alia commune etiam habet cum Silvano. De eo Tibullus:

Pomoſiſque ruber cuſtos ponatur in hortis,
Terreat ut ſæva falce Priapus aves.

Porro hæc Figura notabilis eſt, quod ad habitum attinet, & geſtationem Lucernæ ruſticæ, ad pectus conſtrictæ fibulis.

FIGURA XXVII.

VINDEMIÆ. Sequuntur Vindemiæ & Vindemiatores, qui uvas, quæ ad humeros dependent baculis, varie in corbes ſeu Calathos deferunt. Currus, quem trahunt duo Boves jugo conjuncti, non radiatas habet rotas, ſed ſolidas, & vas incurvum, accedens ad rotunditatem utris, ſeu dolii, novo vino pleni, quod non ſatis diſcerni poteſt. Lucerna eſt in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XXVIII.

DEUS TERMINUS. Vis illa, quam hæce imagines abhibent in collocando Termino, ex pondere indicat, eſſe hanc ſtatuam ex marmore, ſtabiliendam in confinio agrorum, ſeu triviorum, aut viarum. Varia inſtrumenta Muſica, Cymbala, Tibiæ, Fiſtulæ, ſignum nobis dant feſti & Dedicationis Termini, atque anniverſariorum Sacrificiorum illius; niſi forte quis velit ſtatuam hanc referre ad Silenum, cui conveniunt iidem Soni Muſici, ſimul cum Canthar o vini, & Vite. Præter Mercurium, multi etiam alii Deorum ruſticorum & agreſtium exprimebantur in formam Terminorum, Satyrorum, Panum, Priapi, Sileni, Herculis, & aliorum. Hæc rara ſane Lucerna ſervatur apud D. Petrum ſanctium Bartolium.

FIGURA XXIX.

HERCULES, LEONEM SUFFOCANS. Hicce Heros faucibus Leonis Nemeæi conſtrictis, intercludit ipſi animam, eumque ſuffocat. Hoc primum fuit ejus certamen, de quo Archytas:

Non amplius tauricomi gravem rictum Leonis
Formidate, agricolæ paſtores Nemeæ:
Certe enim ab Hercule, optimo certatore, cecidit domitus;
Cervicem feram occidentibus ſtrangulatus manibus.

Labores Herculis, quibus expletis glorioſe in cœlum tranſcendit, ſæpe reperiuntur inſculpti Arcis ſepulcralibus. Lucerna reperitur apud D. Philippum Fabrum. Eruta eſt in Via Appia, apud Templum Sancti Sebaſtiani.

Fig. 26.



Fig. 27



Fig. 28.



Fig. 29.





Fig. 30.
Fig. 32.
Fig. 31.

FIGURA XXX.

CYBELE. Notum eſt ſimulacrum Cybeles, ſive illa ſit Rhea, Magna Mater, cum Turribus in capite, manu Tympanum, ad pedes Leones habens, quæ Symbola ad Terram reſpiciunt. Cultus hujus Deæ reſpectu mortuorum in eo conſiſtebat, ut precarentur illis terram levem, *Sit tibi terra levis*. Ita enim corporibus inſepultis ter ſuperinjecta terra pietatis officium præſtabant, loco ſepulturæ, quod vocabatur, *Terræ injectio*. Hæc Lucerna ſervatur apud D. Priorem, Claudium Michelium, ſtudioſum & eruditum in Antiquitatum raris, qui nobiſcum communicavit delineationem ejus.

FIGURA XXXI.

DEA VESTA. Statua, quæ in hac Lucerna ſtat erecta Tædam manu, & Leones ad pedes habens, optima ratione adſcribitur Deæ Veſtæ ſub perſona Cybeles; ſive illa ſit Terra, quæ communi conſenſu pro eadem Veſta habita eſt, & diſerte ab Ovidio in *Faſtis:*

Veſta eadem eſt, quæ Terra: ſubeſt vigil ignis utrique,
Significant ſedem Terra focuſque ſuam.

Prout ſcilicet Terra animatur igne, & abſque illo maneret infœcunda, & ſine Vita. Leones vulgare ſunt Cybeles & Terræ Symbolum, ſicut in præcedenti Lucerna; & ipſi quoque naturæ ſunt igneæ & ſolaris. Hæc Lucerna penſilis ex ære, publicata eſt a Liceto, & nuper a D. Michaele Angelo Cauſeo, in *Theſauro eruditarum Antiquitatum*, cujus ſequimur ſententiam.

FIGURA XXXII.

DIANA. Vaga eſt in veſte ſuccincta hæc Imago Dianæ Venatricis, cum arcu & pharetra, quæ plane eadem credita fuit cum Proſerpina. Lucerna reperitur in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XXXIII.

DIANA JACULATRIX. Licet Diana hic effiсta fit in ipfo actu mittendi telum & feriendi, nihilominus Cerva illi adftat fecura. Eft enim hoc animal in patrocinio & tutela Dianæ, cui dicatum eft: ideoque Cervam videmus trahere currum, & appofitam Statuis illius. Eft etiam Cerva fignum Numinis Dianæ; quo denotatur celeritas curfus Lunaris in circulo fuo; qui multo velocior eft, quam aliorum Planetarum; ficut Cervus multo eft velocior animalibus quadrupedibus. Lucernam habet D. Petrus Sanctius Bartolius. Inventa eft in Efquiliis, in Villa Montalta.

FIGURA XXXIV.

DIANA EPHESIA. Hæc Lucerna dedicata Dianæ Ephefiæ, cum Statua Symbolica illius, infuper in anfa diftincte continet Lectifternium Serapidis cum modio, & Ifidis cum flore Loti in capite, & item Lectifternium Solis & Lunæ. Utrimque bini porrigunt invicem dextras, propter conjunctionem, quæ inter illos intercedit. Videntur autem in hac Figura denotari hice Dii, licet fub diverfis nominibus utrique iidem fint apud Ægyptios & Romanos; item communio illa denotari videtur, quam habent invicem ad generationem, & fubftantiam rerum, quæ ad vitam excitatæ funt. Atque hinc effigies illorum pofuerunt in Sepulcris, ficut fupra obfervavimus. Quod ad *Lectifternium* attinet, erat hoc epulum feu convivium apud Romanos, quod parari folebat Diis, ad placandos eos, & propitiandos. Ita hic videmus illos in Lecto ad menfam in formam tripodis, cui carnes impofitæ funt. Epulum autem maxime Jovi, Junoni, & Minervæ parabatur in Capitolio. Lucerna fervatur in Mufeo D. Petri Sanctii Bartolii.

FIGURA XXXV.

DIANA EPHESIA. Hæc Lucerna itidem dedicata eft Dianæ Ephefiæ, in anfa habens Lunam crefcentem, cum infigni titulo dedicationis, fcripto Græce: ΑΡΤΕΜΙϹ ΕΦΕϹΙΩΝ ΕΥΤΥΧΟΥϹ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Diana Epefia Eutychis Alexandri Miletopolitarum*. Hic Eutyche, qui hancce Lucernam confecravit Dianæ Ephefiæ fuit Dux feu Prætor ejufdem civitatis Miletopolis ut cognofcimus ex quodam Nummo Commodi, quem exhibuimus in Appendice noftra ad Symbolicum Simulacrum Dianæ Ephefiæ. Hæc infignis ex ære Lucerna fervatur in Mufeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XXXVI.

MARS & DIANA. Cum non inveniamus alium fenfum, quem ad hafce duas imagines applicemus, referri poterunt ad Deos Tutelares defuncti. Lucerna eft penes D. Joannem Petrum Bellorium.

Fig. 33.



Fig. 34






Fig. 36





Fig. 38
ALLADI
TRICI
Fig 39

FIGURA XXXVII.

PALLAS VICTRIX. Conſpicuus Palladis Victricis titulus, PALLADI VICTRICI, familiaris eſt huic Deæ, quæ armata eſt & bellatrix. Hujus Simulacrum erat Athenis, & ab ea credebatur dari victoria. Phornutus: *Victoriam Minervæ aſſidere tradunt, quod vincenti victoriam tribuat.* Hoc cognomine ſæpe etiam inſignitur in Inſcriptionibus & Nummis, quia Expeditiones & Ducatus obiri debent a Ducibus prudentibus & conſilio præſtantibus. Hæc inſignis Lucerna, penſilis ex ære, exhibita eſt a Fortunio Liceto nonnihil diverſe. Tenet una manu Ramulum Oleæ, ad monumentum victoriæ, quam reportavit a Neptuno, cum imponendum eſſet nomen Urbi Athenarum. Servatur in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XXXVIII.

PALLAS, ſeu MINERVA JACULATRIX. In hacce Lucerna Pallas efficta minitans cum haſta, alludit ad nomen ſuum, quod eſt *a minando.* Martianus Capella reddit ejus rei rationem allegoricam, a ſapientia hujus Deæ petitam:

Haſtam etiam vibrans penetrabile monſtrat acumen.

Lucerna reperitur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA XXXIX.

MINERVA. Hæc Lucerna, quæ habet formam ſtantis Simulacri, differt a duabus præcedentibus in qualitate Numinis, quod non formidabile eſt & minitans, ſed cum haſta & ſcuto quieſcit pacificum & benignum. Cum titulo *Paciferæ* maxime in Inſcriptionibus Nummorum cognoſcitur. Pax enim requiritur ad ſtudia bonarum Artium, quarum illa Tutelaris Dea eſt. Fuit etiam habita eadem cum Proſerpina, ut ſupra obſervatum eſt. Lucerna ſervatur apud D. D. Leonem Strozzium, ubi melius adhuc exprimit erudita hujus Viri ſtudia.

FIGURA XL.

MINERVA. Nota eſt fabula de Minerva, quæ prima invenit Oleam, unde dicta Virgilio:

——————— *Oleæque Minerva*
Inventrix. ———————

In certamine ſcilicet, quod habuit cum Neptuno. Ita, ſicut Cereri & Baccho inventionem frugum atque vini adſcripſerunt Veteres, ſic Minervæ acceptum tulerunt donum Olei, ab illa primum monſtrati mortalibus. Atque hoc repræſentatur in hacce Lucerna, in qua expreſſa eſt menſa cum vaſe. Dea premit digitis fructum Oleæ, & vaſi inſtillat liquorem. Eodem modo hoc exprimitur in Marmore quodam Porticus Juſtinianæ. Lucerna reperitur in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XLI.

VENUS LIBITINA. In hac Lucerna funebri, quæ formam Simulacri habet, sculpta Venus est cognomine Libitina. Credebant enim, ab hac Dea dependere nativitatem & mortem, unde Romæ in Templo ejus venibant omnia, quæ ad funera pertinebant. Ideo & ipsa habebatur pro Numine Infernali, & quod haberet potentiam gratum faciendi animabus, ducendo eas ad Campos Elysios; & maxime quidem animas amantium, sicut Tibullus, loquens de se ipso, dicit:

Sed me, qui facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus Campos ducet in Elysios.

Lucerna est penes D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA XLII.

GRATIÆ. Cum Venere semper conjunctæ eunt Gratiæ, sequentes Chorum ejus: unde post Imaginem illius Deæ ponimus hasce tres Sorores expressas in Lucerna, & amplectentes invicem, quemadmodum fere depinguntur. Lucerna asservatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA XLIII.

CUPIDO, VICTOR MARTIS. Reponimus inter Chorum Veneris Cupidinem victoriosum, qui, Marte exarmato, spolia tenet, scutum ejus & thoracem, ad erigendum Tropæum. Unde Lucretius, Venerem invocans, ita loquitur:

Nam tu sola potes tranquilla pace juvare
Mortaleis; quoniam belli fera munera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui sæpe tuum se
Rejicit, æterno devictus vulnere Amoris.

Lucerna est penes D. Petrum Sanctium Bartolium.



Fig. 42.
Fig 43
Fig 41


Fig. 41





Fig. 40.

FIGURA XLIV.

Cupido, cum Pavone, & Lepore. Una cum Lepore Veneris Cupido portat Pavonem Junonis, quaſi etiam de hac triumphet Dea, quæ ſane lepida alluſio. Lucernam habet D. Petrus Sanctius Bartolius.

FIGURA XLV.

Salus, ſeu Hygiea. Fœmina, quæ in patera cibum porrigit Serpenti, ſolenne Deæ ſalutis eſt Symbolum, deſcriptum a Virgilio, in Sacrificio Æneæ ad tumulum Anchiſæ:

——— ille agmine longo
Tandem inter pateras & levia pocula ſerpens
Libavitque dapes. ———

Lucerna ſervatur apud D. Laurentium Grimaldum, cujus doctrina & eruditio accedit ad alias ejus dotes, quæ in hacce Aula magnam ipſi exiſtimationem conciliant.

FIGURA XLVI.

Fortuna. Non ſupereſt, niſi ut addamus Simulacrum Fortunæ. Tenet una manu Clavum, Symbolum regiminis, quod illi adſcripſerunt, qui eam exiſtimarunt Deam, quæ opes daret hominibus; unde altera manu tenet Cornu-copiæ abundans & felix. Sed etſi hoc modo depicta eſt in hacce Lucerna funebri, non ideo tamen habet aliquam in altera vita vel dandi, vel auferendi divitias potentiam; æquali ſcilicet jam omnium ſorte, tam divitum & potentium, quam illorum, qui vixerunt in paupertate & mendicitate. Unde dixit Propertius:


Lydus Dulichio nil diſtat Crœſus ab Iro:
Conſule cum Mario, capte Jugurtha, ſedes.

VETERUM LUCERNÆ SEPULCRALES,

FIGURIS ÆNEIS EXPRESSÆ.

PARS TERTIA.

IN QUA CONTINENTUR VARIA SYMBOLA ET EMBLEMATA, CUM LUCERNIS SACRIS CHRISTIANORUM.


Fig 3.
Fig 4
OB
CIVIS
SER
Fig 1
Fig. 2

JOHANNIS PETRI BELLORII OBSERVATIONES AD VETERUM LUCERNAS SEPULCRALES.

PARS TERTIA.

In qua continentur varia Symbola & Emblemata, cum Lucernis sacris Christianorum.

FIGURA I.

VICTORIA cum TROPÆO. Non ſolum arma bellica, ſed etiam illa, quæ ablata erant hoſtibus, affigebant & exſculpebant in Sepulcris in formam Tropæorum, cum Victoriis & Coronis. Ita apud Virgilium Æneas Tropæum erigit ad tumulum ſuorum, qui bello ceciderant, ex ſpoliis Mezentii:

Ingentem quercum, deciſis undique ramis,
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti Ducis exuvias. ——————

Duas alias Tropæorum Figuras obſervavimus in Sepulcro Naſoniorum, cum ſpoliis hoſtilibus, ad Monumentum affixis. Lucerna eſt penes D. Illuſtriſſimum, Urbanum Roccium.

FIGURA II.

VICTORIA, & INFERIÆ. Huic alteri Lucernæ, in qua repetitur Victoria cum Tropæo, adjunctæ ſunt Inferiæ & Sacrificia Funebria, cum duobus Pocillatoribus, qui cornibus latices effundunt quorum, Imagines ſupra deſcripſimus. In Ara, quæ ſertis ornata eſt, conſecratus eſt Clypeus votivus, circumdatus ſerto Laureo, in cujus medio votum debebat eſſe notatum. Lucerna eſt penes D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA III.

VICTORIA, GLOBO INSISTENS. Similem Victoriam deprehendimus in Nummo quodam Auguſti, ubi per Globum intelligitur Imperium orbis, quem ſubjecit ille ſibi victoriis atque armis ſuis. Optime diverſam hujus Figuræ rationem reddit Apulejus in *Metamorphoſi*, deſcribens ædes Byrrhenæ, ubi ſuper quatuor Columnis collocatæ erant quatuor Victoriæ, inſiſtentes totidem pilis, ad ſignificandam volubilitatem hujuſce Deæ inconſtantis, quæ alas ad volatum & fugam expanſas habet. Victoriæ cum coronis & tæniis videntur etiam depictæ in Pyramide Caii Ceſtii, in Sepulcro Naſonio, & alias frequenter. Lucerna eſt in Muſeo Joannis Petri Bellorii.

FIGURA IV.

VICTORIA cum Clypeo votivo: OB CIVIS SER. Similes Victoriæ cum Clypeo & eodem titulo, pluries expressæ sunt in Nummis Imperatorum. Hice Clypei figebantur & dedicabantur a Senatu & Populo Romano in Capitolio, & in Templis Deorum propter aliquod in Rempublicam beneficium, sicut hic quoque legimus. Cujus honoris hic etiam videtur fuisse factus particeps Miles aliquis, in bello servatis uno aut pluribus civium, quos manibus hostium eripuit, aut alioqui fortitudine sua liberavit a vulneribus & morte. CIVIS pro CIVES legitur aliquoties in Nummis Augusti, I. longo loco literæ E. impresso a Triumviris Monetalibus. Servatur hæc Lucerna a Da. Marchione, Octavia Renzia Strozzia.

Pag. 21



nnnn

F I G U R A V.

Victoria cum Clypeo: Anno Novo. *De anni novi auspiciis* in lucem edidimus brevem Dissertationem, ad expositionem grandis Nummi, qui Antonini Pii est, in quo literis singularibus, per verborum compendia notatum est votum felicitatis, quam Senatus & Populus Romanus ominatus fuit Imperatori, Calendis Januari, sive novo Imperii ejus anno: S. P. Q. R. A. N. F. F. Optimo Principi Pio. *Senatus, Populusque Romanus annum novum faustum, felicem, Optimo Principi Pio*. Hæc interpretatio probatur hacce Lucerna, per scutum, quod tenet Victoria: Anno Novo Faustum Fel. Reliquæ literæ non satis discerni possunt. Insuper in hac Lucerna effictum est caput Jani Bifrontis in Nummo; forsitan ad notandas strenas & liberalitates, mitti atque exerceri solitas Anni principio. Ab hocce Jano dependet glans, primi alimenti Symbolum; quia Janus docuit usum monetæ aliarumque rerum ad utilitatem humanam. Eodem felicitatis respectu in alio minuto Nummo sculpta est Victoria, & item in alio duæ manus Conjunctæ ad Caduceum. Aliud etiam Symbolum adest, quod missum facimus, nisi forte sit fulmen Jovis, & nux pinea, proprius Cybeles fructus. Verum, cum hæc insignis Lucerna ante duos tresve annos eruta sit ex ruinis Sepulcralibus Viæ Latinæ, unde ad D. Præfectum, Carolum Antonium dal Pozzo pervenit; restat, ut consideremus, quonam modo ab auspiciis felicitatis & vitæ pervenerit in Sepulcra & commercium Mortuorum. Nescio, an satis processerit, si ejus rei rationem petamus ex variis opinionibus Veterum de statu animarum. Crediderunt, relicto corpore terreno & mortali, vivere eas denuo novos annos, & mortem esse transitum ad alium mundum, huic similem, ubi novus Sol, novæque stellæ spendeant, novaque Elementa: ubi anni atque ejus tempestates alternentur ad conservationem hominum. Atque ideo forsan augurati sint novum annum defunctis. Talem opinionem indicavit Plato in Critone, & Virgilius in descriptione Camporum Elysiorum:

Devenere locos lætos, & amœna viretas
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas:
Largior hic campos æther, & lumine vestit
Purpureo, solemque suum sua sidera norunt.

Item Claudianus in persona Plutonis, Proserpinam raptam & ad Inferos abductam consolantis, promittendo ipsi meliorem lucem, mundumque meliorem:

Amissum ne crede diem, sunt altera nobis
Sidera, sint orbes alii, lumenque videbis
Purius, Elysiosque magis mirabere Campos,
Cultoresque pios; illic pretiosior ætas,
Aurea progenies habitat. ——————

FIGURA VI.

VICTORIA, TAURUM immolans. Quidam hoc Sacrificium referre voluit ad Deum Mithran, ſed melius refertur ad Victoriam, indicio Nummi cujuſdam Auguſtei ex auro, cum titulo: ARMENIA CAPTA. Servamus in Muſeo noſtro pulcherrimum par teſtarum veterum cum eodem Victoriæ typo, quæ genu premit Taurum proſtratum, una manu tenens ejus cornu, altera ferrum in ipſo feriendi actu, ante Aram in formam Tripodis. Lucerna ſervatur apud Dominam Marchionem, Octaviam Renziam Strozziam.

FIGURA VII.

AMAZO VULNERATA. Hoc pulcherrimum Monumentum repræſentat nobis Amazonem, lethali vulnere affectam, & illabentem inter brachia Juvenis, qui illam ſuſtinet. Plutarchus in vita Demoſthenis narrans bella inter Philippum & Græcos, loquitur de atroci prælio ad Chæroneam & fluvium Thermodoonta, quod Oraculum prædixerat; & affert auctoritatem Duridis, ſcribentis Thermodoonta non eſſe Fluvium, ſed Statuam viri cognominis inter brachia portantis Amazona vulneratam; quæ Statua fuerit inventa cum Inſcriptione, cum terra foderetur ad figendum tentorium. Ita Plutarchus: *Duris hunc Thermodoontem notat non fuiſſe amnem; ſed quoſdam, cum ibi terram foderent ad tentorium figendum, humanum ſimulacrum ex lapide, haud magnum, inveniſſe, cui literæ inſcriptæ ſignificarent, Thermodoontis eſſe hanc Statuam, qui ſauciam Amazonem ulnis comprehenſam ferret*. Ex quo loco D. Petrus Petitus, in eruditiſſima diſſertatione *de Amazonibus*, illuſtrat ſenſum & Figuram hujuſce Lucernæ, effictæ forſan ad memoriam Thermodoontis, & pugnæ Amazonum ab incola quodam iſtius loci. Inter arma videmus ſcutum Amazonicum, quod dicebatur *pelta*, ſecurim ſeu bipennem, ab iiſdem Amazonibus in bellis adhibitam, galeam, arcum, item equum; quia equis inſidentes, ſagittis hoſtes conficiebant. Delineatio hujus Lucernæ videtur apud Licetum, cui copiam illius fecit D. Præfectus, Caſſianus dal Pozzo, ſecundum cujus Archetypum etiam noſtram epreſſimus.



FIGURA VIII.

AMAZO VULNERATA. Idem argumentum primæ faciet & ad hanc ſecundam Lucernam Sauciæ Amazonis, quæ hic repetitur forma nonnihil diverſa, & elegantia ſimili. Servabatur antehac in Muſeo noſtro; nunc ſola ejus delineatio nobis ſupereſt.

FIGURA IX.

HECTOR RAPTATUS. Videtur hæc Lucerna repræſentare Hectorem, raptatum velocibus equis circa muros Trojæ; & Achillem, qui haſtam arripit, & pugnat ad portam Scæam, unde Trojanus eum repellit; quæ non conveniunt cum deſcriptione Homeri. Hoc Monumentum reſpicit forte ad Græcum aliquem, gloriantem ſigno Achillis. Lucerna eſt penes D. Joannem Petrum Bellorium.

FIGURA X.

ÆNEAS ANCHISEN portans. Ita Trojani, Signi ſui loco, effingebant Ænean, Anchiſen humeris portantem & fugientem incendium. Idem indicat Nummus argenteus, cuſus ab iiſdem in honorem Julii Cæſaris cum Ænea, Anchiſe, & Julo: ex deſcriptione ſcilicet Virgilii, quæ obſervata eſt in hacce Figura, in qua cognoſcimus habitum Trojanum, accurate expreſſum. Lucerna reperitur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA XI.

ULYSSES, ad MALUM alligatus. Idem intelligimus de Erroribus Ulyſſis, quemadmodum hic eum videmus ad Malum alligatum, ut ſecurum ſe redderet a mortifero Sirenum cantu, ſecundum deſcriptionem Homeri. Hoc forſan Signum fuit civis alicujus Ithacenſis, ſolenni apud civitates more, ut ornarent ſeſe titulis & imaginibus Heroum ſuorum. Lucerna hæc ſervatur in Muſeo D. Canonici, Raphaelis Fabretti.

FIGURA XII.

PORTUS ALEXANDRINUS. Eodem modo hæcce Lucerna exhibere nobis videtur Pharum Alexandrinam, cum navi, quæ Portum intrat, adeo ut nautæ jam vela colligant. Posita forsan fuit ad sepulcrum Alexandrini cujusdam; qualem expositionem ad hancce & præcedentes Lucernas dedimus, cum non habeamus argumentum, quod magis conveniat. Hæc Lucerna reperitur in Museo D. Petri Sanctii Bartolii.

FIGURA XIII.

HEROS. Hæc elegans Imago, quæ nuda est, cum galea & pelle Leonis, ad collum constricta in modum chlamydis, ensem falcatum, seu *harpen* dextra tenens, Heroem quendam exprimit. Commode possit referri ad Persea, si in altera manu, quæ sublata est, appareret caput Medusæ. Lucerna fuit inventa in Sepulcris Villæ Corsinæ, & servatur a D. Sanctio Civili, qui humanissime nos prosecutus est ejus delineatione.

FIGURA XIV.

LARVE SCENICÆ. Non caruerunt etiam Sepulcra Larvis Scenicis, & Histrionibus tragicis aut comicis, finito hujusce vitæ mortalis theatro; prout in hac Lucerna videmus varias personas, quæ adornatæ sunt ad memoriam Poetæ alicujus, seu auctoris Scenici. Servatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.


Fig . 12 .


Fig 13 .



Fig . 14 .


Fig. 15



Fig. 16.


Fig. 17


Fig. 18.

FIGURA XV.

LAUREA cum LARVA. Quamvis perennis Laurus præmium ſit Poeſeos & honor Poetarum, nihilominus hic videmus, coronam ex Lauro tropæum eſſe Mortis. Ambit ea hanc Lucernam, acquiſita certamine Solennium Ludorum, unde reportabant eam Poematibus ſuis, & Victores evadebant illi, qui Muſas maxime habebant faventes. Notabantur in Sepulcris tales quoque honores, quibus reportabant præmii loco Titulos & Coronas. Perſona ſeu Larva ſignum eſt Poeſeos & Sçenæ Comicæ. Aſſervatur Lucerna apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA XVI.

MODIUS FRUMENTI. Modius & Manipuli ſpicarum indicium dant Frumentarii cujuſdam, ſeu Præfecti Annonæ, ſicut colligimus ex illis verſibus, qui dedicati ſunt Fortunæ, & ſcripti in Baſi T. Cæſii Primi, Præfecti Annonæ, quæ etiamnum videtur Præneſte; cui Baſi ſuper inſcriptionem inſculpti ſunt Modii quatuor cum ſpicis frumenti. Lucernam habet D. Petrus Sanctius Bartolius.

FIGURA XVII.

CIRCULATOR. Adjungimus Circulatorem, qui Ludos facit cum Simiis & Canibus, ſicut in foro & circulis noſtros Circulatores videmus præbere ludos populo. Hæc Lucerna, exhibita a Liceto, delineata eſt ex prototypo, quod eſt in Bibliotheca Præfecti dal Pozzo.

FIGURA XVIII.

SILENUS. Formata eſt hæc Lucerna in modum Capitis, hedera coronati; adeoque illam convenienter attribuimus Sileno, ſive ille alius ſit ex furioſo Choro Bacchi. Nihilominus ex aſpectu formidabili quidam credidit eſſe Larvam, ſeu unum ex Lemuribus illis, qui crediti ſunt errare circum ſepulcra, & terrorem movere. Videtur hoſce intelligere Plautus *in Amphitruone: Larva umbratilis ſum, tu me minus territas*.

FIGURA XIX.

LARVA. Præcedentem ſequitur hæc altera Lucerna ejuſdem argumenti, formata in ſpeciem Capitis deformis.

FIGURA XX.

VULCANUS. Hæc Lucerna, penſilis ex ære, exhibet juvenem ſedentem, qui ulnis truncum palmæ arboris complectens loco ellychnii, flatum ciet ad flammam excitandam. Licetus in libro ſuo *de Lucernis* alteram harum exhibet, quæ formam Conchæ habet, & cui inſidet iſtiuſmodi juvenis nudus, qui galea flatum ciet ad accendendum ellychnium. Juxta eum eſt forceps & malleus. Atque iſta Figura ab ipſo Liceto attribuitur Vulcano. Unde nobis cogitandi dat occaſionem, an hæc Lucerna convenire poſſit Diis Laribus, qui pariter adorabantur cum Vulcano, id eſt, cum igne, ad hunc modum excitato ex cineribus & paucula favilla. Lucerna videtur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA XXI.

VULCANUS, ſeu HYEMS. Interpretatio præcedentis Lucernæ etiam huic inſerviet, quæ formata eſt in formam Senis pallio involuti, & occupati accedendo ellychnio, & excitanda ex eo flamma. Delineatio hujus ſervatur in Bibliotheca Præfecti Caroli Antonii dal Pozzo.


LUCERNÆ SACRÆ CHRISTIANORUM.

FIGURA XXII.

SACROSANCTUM NOMEN CHRISTI. Antiqui fideles in ſepulcris poſuerunt & ipſi Lucernas mortuis ſuis, ex more illo, quem a Gentilibus relictum ſervabant, ritus illorum ſuperſtitioſos transferentes ad cultum ſacrum religioſum. Inde multas Lucernas videmus ſignatas ſalutari & Hieroglyphico Charactere nominis Chriſti, contento primis duabus ejus literis Græcis XP, quæ conjunctæ in unum formant Divinum Monogramma ☧, CHRISTUS, quod nonnulli perperam interpretantur PRO CHRISTO. Talis Character ſecundum cœleſtem viſionem primum fuit adhibitus a Conſtantino in Scutis, Galeis, & ſignis Militaribus, poſt Victoriam contra Maxentium; de quo videatur Baronius *in Annalibus*, & Boſius *in Roma Subterranea*. Lucerna videtur apud D. Petrum Sanctium Bartolium. Margo ejus circumdata eſt duabus frondibus palmarum, quod ſolenne Martyrii ſignum eſt.

(Pag 92




Fig. 23
Fig. 24
Fig. 25
NONI ATTICI
V.C ET INLVS
TRIS

F I G U R A XXIII.

SACROSANCTUM NOMEN CHRISTI. Recondito ſane cum myſterio exhibetur in hac altera Lucerna idem Nomen Chriſti, inciſum anſæ, primorum Chriſtianorum pietate & ſanctitate. Sacroſanctum Nomen circumdatum eſt corona palmitum atque uvarum, quo alluditur ad ipſum Chriſtum, ejuſque verba, quæ referuntur in Evangelio Sancti Joannis: *Ego ſum Vitis vera, & Pater meus Agricola eſt: omnem palmitem, in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Ita Chriſtus ipſemet ſe Vitem appellat, & per palmites intelligit fideles; ad quæ ita meditamur cum Sancto Baſilio: *Debemus rationem ejus contemplari, qua Dominus ſeſe Vitem, & Patrem Agricolam, ſive Vinitorem dixit, noſque ſingulos, in piorum conventu per Deum ſatos, Palmites appellavit. Hinc nos ad uberrimi fructus feracitatem invitat, ne, ut inutiles atque ſuperflui, ludibrio ſimus, & fœcundarum palmitum conſortio reciſi amputatique, igni deſtinemur. Auctor vero noſter nunquam ceſſat animas noſtras vitibus comparare*. Sed ulterius progreditur ſenſus myſticus de vite & vino in *libro Geneſeos*, ubi referuntur Prophetica verba Jacobi de Juda filio, quæ a Sanctis Patribus intellecta ſunt de Perſona & Sacramento Chriſti: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*. Ita Paſſio ejus figurate exprimitur per ſanguinem Uvæ; & ſub nomine Stolæ & pallii, Sacratiſſimum Corpus ipſius, adſperſum ſanguine. Hæc Lucerna ex ære penes D. Joannem Petrum Bellorium eſt.

F I G U R A XXIV.

SACROSANCTUM NOMEN CHRISTI ☧. A & Ω. Hæc Lucerna, penſilis ex ære, nobilitatur titulo defuncti: NONI ATTICI V. C. ET INLUSTRIS. Inſuper Conſpicua eſt duabus literis Græcis, quæ adjunctæ ſunt Sacroſancto Nomini, A & Ω, id eſt, *principium & finis*, ſicut legimus de ipſo Chriſto *Apocalypſeos* Cap. I. *Ego ſum* A & Ω, *Principium & Finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens*. Sane verba, quæ conveniunt Divinæ ejus Eſſentiæ. Ita Plato ex ſententia Veterum affirmat in ſeptimo libro *de Legibus*, Deum in ſeſe continere principium, finem, & media omnium rerum: *Deus, o viri, ſicut antiquus ſermo teſtatur, Principium, finem, & media omnium rerum continens*. Hæc eſt penes D. Joannem Petrum Bellorium.

F I G U R A XXV.

ALIA LUCERNA CHRISTIANORUM CUM GRYPHO. Hæc Lucerna ab utroque latere impreſſum habet Salutiferum Monogramma Nominis Chriſti. Anſa formata eſt in caput & collum Gryphi, ſupra quod eminet idem Monogramma, ſive ſit Crux; quæ ſuperne non eſt integra, nec ſatis dignoſci poteſt. Gryphus apud Gentiles fuit Symbolum Solis, ut diximus; ſed in hac Lucerna ad religionem pietatis Chriſtianæ pertinet, portans ſignum veri Solis, Jeſu Chriſti. Penſilis eſt ex ære, in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii.

FIGURA XXVI.

Columba. Præter Venerabile Nomen, ſculptum in anſa hujus Lucernæ, conſpicua ſuperne eſt Columba, quæ inde uſque a primæ Eccleſiæ temporibus, Sanctorum Patrum conſenſu recepta eſt pro typo Spiritus Sancti, qui apparuit in forma Columbæ, eademque ad hujus ſimilitudinem intravit Arcam: *In imaginem Sancti Spiritus ales intravit*, dicit Sanctus Paulus. Sub hujus avis imagine figurate expreſſerunt etiam Eccleſiam, Apoſtolos, ipſoſque fideles, reſpectu ſimplicitatis, charitatis & innocentiæ. Unde Veteres Chriſtiani ſolebant Columbam ſculpere & depingere in Sepulcris, Lucernis, Monumentis, Gemmis annulorum, & Bullis, portantes eam loco Amuleti. Sic inter noſtra cimelia ſervamus parvam fibulam puerilem in formam Columbæ, inventam in Cœmiteriis ſacris inter oſſa infantis. Vidimus plures harum Lucernarum ex ære. Hæc reperiebatur quondam in celebri Muſeo Franciſci Angelonii.

FIGURA XXVII.

Sanctus Petrus. Inter Monumenta Sacra, quæ inventa ſunt in Sepulcris Sanctorum Martyrum, inſignis admodum eſt hæcce Icuncula ex ære, ad ſimilitudinem Principis Apoſtolorum, S. Petri, ſicut illud probant aliæ ejus imagines. Habitus eſt Apoſtolicus & palliatus, una manu benedicit, altera tenet divinum Nomen Chriſti in figura oblonga, quæ formam Crucis habet. Ipſe Sanctus, ad majeſtatem compoſitus, videtur gloriari, quod ad Gentes afferat Nomen illud adorabile, cujus vi & virtute faciebat miracula & baptizabat. Ita Sanctus Petrus ad portam Templi in nomine Domini ſanavit hominem a nativitate claudum, ut legimus in *Actis: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Nomen ſane Venerabile apud Homines & Angelos, in quo continetur noſtra ſalus, uti Sanctus Apoſtolus reſpondit ſacerdotibus & primoribus Hebræorum, qui illud abominabantur: *Non enim aliud Nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Hæc virtus defundebatur in Sanctum Petrum & alios Apoſtolos, qui in Nomine Chriſti faciebant miracula & baptizabant, ſicut legimus in iiſdem *Actis* de Sancto Philippo: *Cum vero credidiſſent Philippo Evangelizanti de regno Dei, in Nomine Jeſu Chriſti baptizabantur viri & mulieres.* Servatur hæc inſignis Icuncula in Muſeo D. Joannis Petri Bellorii, inter alia Sacra Monumenta hic collocata merito.

FIGURA XXVIII.

Pastor Bonus. *Ego ſum Paſtor Bonus: Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis:* Apud Sanctum Joannem cap. x. Frequens apud primos Chriſtianos fuit imago Chriſti ſub habitu Boni Paſtoris, qui reportat oviculam ad ovile; eamque inſculpſerunt maxime Sacris Calicibus, ut ſcribunt Tertullianus & Baronius, ad Sacerdotes admonendos, ut imprimerent cordibus ſuis hunc Divinum Paſtorem. Verbis Chriſti modo allegatis reſpondent altera illa apud Sanctum Lucam, quæ noſtram Figuram illuſtrant: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec invenerit eam?*

Fig. 28



Fig. 27.





Fig. 26



Fig. 29

&, *cum invenit eam, imponit in humeros ſuos gaudens*. Hic repræſentatur Dominus in habitu Apoſtolico, oviculam humeris portans, quæ Gregis Chriſtiani Symbolum eſt. Lucerna, inventa in Cœmiterio Calixti, ſervatur a D. Franciſco Cicio.

F I G U R A XXIX.

PASTOR BONUS, CUM SYMBOLIS DIVERSIS. In præcedenti imagine vidimus Dominum oviculam humeris portantem in habitu palliato; hic iterum eum videmus in habitu Paſtorio, qui cinctus eſt ad inſtar brevis tunicæ, & lacernæ ad pectus fibulatæ, cum tibialibus reticulatis, reportantem eodem modo ad Ovile oviculam, quæ aberraverat. Ad pedes ejus ſunt ſeptem aliæ ex grege oviculæ, converſæ ad Paſtorem, per quas intelliguntur fideles Chriſti, ſimplices & innocentes inſtar agnorum. Myſticus eſt Numerus Septenarius in ſacris literis, & continet in ſe perfectionem. Ab uno latere Boni Paſtoris ſculpta eſt Arca Noæ, per quam Sancti Patres figurate intellexerunt Eccleſiam. Inſidet illi Columba; & intelligitur ſcilicet illa, quæ ab ipſo Noa emiſſa eſt ad explorandum, an jam ceſſaſſet Diluvium. Poteſt etiam referri ad Spiritum Sanctum, quemadmodum ſcribit Sanctus Hieronymus contra Luciferianos: *Emittitur de Arca Corvus, & non rediit; poſtea pacem Terræ Columba nunciat. Ita & in baptiſmate Eccleſiæ, teterrimo alite expulſo, id eſt, Diabolo, pacem Terræ noſtræ Columba Spiritus Sancti nunciat:* Infra Arcam videmus Jonam, qui exit ex ventre Balæuæ, poſtquam in eo triduum fuerat moratus: quod ſepulturæ & Reſurrectionis Chriſti Symbolum eſt, unde Sanctus Matthæus dicit: *Signum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus ac tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus ac tribus noctibus*. Ab altero Latere, Paſtoris expreſſus eſt idem Jonas, qui nudus requieſcit ſub umbra Cucurbitæ, ab qua dependent undique frondes & longi fructus: atque heic Propheta Symbolum eſt quietis Domini poſt mortem & paſſionem: *Et præparavit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Jonæ, ut eſſet umbra ſuper caput ejus, & protegeret eum, laboraverat enim. Hederam* legit Sanctus Hieronymus pro *Curcurbitam*, ſicut hic videmus, quæ controverſa lectio eſt. Superne ſplendent Sol & Luna, cum ſeptem Stellis in medio, quæ poſſunt applicari ad illas ſeptem *Apocalypſeos: Et habebat in dextra ſua Stellas ſeptem*. Solem & Lunam priſci Gentiles ſæpe depinxerunt ad ſignificandam æternitatem, ut interpretatur Horus Apollo, noſque vidimus antea in Lucernis noſtris. Altera Columba, quæ infra Lunam eſt, poteſt accipi pro innocentia, puritate, ſimplicitate, concordia, & aliis virtutibus Chriſtianis defuncti, quarum hæcce ales eſt Symbolum. De his videatur aureus libellus Hieronymi Aleandri: *Navis Eccleſiam referentis Symbolum*. Lucernam habet D. Joannes Petrus Bellorius.


FIGURA XXX.


JONAS SUB CUCURBITA. Ex myſteriis, quæ continentur præcedente Lucerna Paſtoris Boni, repetimus in hacce Jonam, qui nudus jacet ſub Cucurbita, quieſcens poſt toleratos labores. Apparet illa hic diſtinctius per magnitudinem ſuam, ad tollendum omne de Jona dubium; cum alii per nuditatem decepti, putaverint eſſe Venerem, expoſitam ad laſciviam. Inſuper non animadverterunt ad ſalutiferum Monogramma Nominis Chriſti, quod acceperunt pro Rota. Videatur Licetus. Lucerna penſilis eſt ex ære, ſimilis aliis, quæ impreſſæ ſunt. Delineatio ſervatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGURA XXXI.

NAVICULA SANCTI PETRI. In hac Lucerna repræſentatur myſtica Navis S. Petri, quæ eſt Sancta Eccleſia inſtituta a Chriſto. In ſummitate mali legitur titulus *Valerii Severi*, ad quem pertinet Lucerna: DOMINUS LEGEM DAT VALERIO SEVERO. Sed diverſæ ſunt interpretationes. Videtur hic, relicto Gentiliſmo, novam accepiſſe Legem a Domino, datam ab ipſo Eccleſiæ ſuæ; & erroribus diſcuſſis Chriſtus eum duxiſſe in rectum tramitem navigationis. In hunc ſenſum accipi poſſunt verba Davidis, *Pſalmo* XXIV. *Dulcis & rectus Dominus: propter hoc Legem dabit delinquentibus in via:* ut intelligamus illa non modo de peccatoribus, ſed etiam de aliis promiſcue, qui aberrant a recta via Evangelii. Dubia reſtat etiam cognitio duarum Imaginum habitu Apoſtolico, quæ in Navi ſunt. Quidam credidit illam, quæ ad gubernaculum ſedet eſſe Sancti Petri, allegans auctoritatem Sancti Bonaventuræ, *Serm.* I. *in Domin.* IV. *Pentec. Navis Simonis eſt Eccleſia Simoni commiſſa*. Altera Imago, quæ in prora ſtat, videtur eſſe Chriſti, prædicantis illis, qui errant in ſalo naufragæ vitæ hujus. Nihilominus quidam arbitratur, regimen navis melius referri ad Chriſtum, qui ſibi elegit navim Petri; & illam Moſis deſeruit: *Petri navim eligit, Moſis deſerit, hoc eſt, ſpernit Synagogam perfidam; fidelem aſſumit Eccleſiam*, dixit Sanctus Ambroſius, *Sermone* x. loquens de Chriſto. Non omittenda eſt erudita interpretatio Michaelis Angeli Cauſei de hac Lucerna, in *Muſeo* ſuo *Romano*, & erudito *Theſauro Antiquitatum*, qui formavit argumentum duorum verborum, quæ reſtant in titulo: EUTROPI, VIVAS; quod precari ſolebant morientes amicis ſuis carioribus, & propinquis: quaſi Valerius Severus inſtructus ad Religionem Chriſtianam, conſtanti animo exceperit mortem, tanquam Legem a Domino impoſitam, Eutropio longiorem vitam optans: *Mortem, tanquam Legem ſibi a Domino impoſitam, conſtanti animo exſpectans, longiorem Eutropio vitam optat.* Hæc inſignis Lucerna eruta eſt ex ruinis Montis Cœlii, in hortis D. D. Morellorum, contiguis Sancto Stephano Rotundo; ubi inventæ ſunt multæ Statuæ & Marmora felicium Imperii temporum. Morabatur hoc tempore Romæ Cardinalis, Leopoldus Mediceus, qui hanc Lucernam cum aliis raris ornamentis Florentiam detulit.

Reſtant duæ Lucernæ Hebraicæ, quas hic apponimus complementi loco.


DOMINVS LEGEM
DAT VALERIO SEVERO
EVTROPI VIVAS
Fig. 31
Fig. 30



kkkkk.

FIGURA XXXII.

CANDELABRUM HEBRÆORUM. Proprium Genti Hebraicæ ſignum eſt Candelabrum, quod illa inſculpſit in Synagogis & Scholis & Monumentis defunctorum. Hac de cauſa illud etiam expreſſerunt in Lucernis, imitantes morem Gentilium, accendendi illas in Sepulcris. Durat etiamnum apud illos hic mos, ut poſt ſepulturam per ſeptem continuos dies Lucernam ſeu lampadem accenſam ponant ad pluteum ſeu frontem lecti, in quo defunctus obiit. In hac cognoſcimus Candelabrum cum ſeptem luminibus, quod convenit cum mandato Domini, expoſito ab Moſe: *Facies & Lucernas ſeptem, & pones ſuper Candelabrum.*

FIGURA XXXIII.

LUCERNA HEBRÆORUM cum ſeptem ELLYCHNIIS. Hæc Lucerna teſtacea habet formam rotundam, in orbem circumdata ſeptem lychnis ſeu ellychniis, & alludit ad ſeptem lumina Candelabri. In medio habet anſam, qua ſuſpendi poſſit. Inventa fuit in vetere Cœmiterio, ſeu campo Hebræorum, ad Portam Portuenſem. Nunc apud D. Joannem Petrum Bellorium aſſervatur.

FINIS.

FIGURA XXXIV.

Lucerna Pensilis. Ex ære, cum Inventis Poeſeos, ſcenæ Comicæ, & Symbolis Bacchi, penes D. Marcum Antonium Sabatinium.

FIGUR. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. & XL. non explicantur.

Fig. 34.



Fig. 38.



Fig. 36.



Fig. 35.



Fig. 37.






FIGURA XXXIX.

Quum multæ Lucernæ ſint dedicatæ variis Deis, videtur probabile hanc eſſe dedicatam Herculi, quoniam corona e quercu conſecrata eſt illi Deo. Ipſa Lucerna extat apud nobilem indolem doctaſque Muſas Sereniſſimæ Dominæ Annæ Eliſabethæ Lotharingiæ Principem Vaudemontii.

FINIS.



JOANNIS POTTERI
ARCHÆOLOGIA
GRÆCA.

ARCHÆOLOGIA GRÆCA,

SIVE

VETERUM GRÆCORUM,

PRÆCIPUE VERO

ATHENIENSIUM,

RITUS CIVILES, RELIGIOSI, MILITARES ET DOMESTICI,

FUSIUS EXPLICATI

PER

JOANNEM POTTERUM.



I. Camerata in. *P. Monaco sc.*

VENETIIS,

Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

TYPOGRAPHUS
LECTORI
S. P.


IMULAC hoc Opus duobus Voluminibus comprehensum, & Lingua Anglicana conscriptum, ac Londini excusum vidissem; non inutile judicavi, illud Latina veste indutum, Doctorum oculis subjicere. Consilium meum approbabant Viri Eruditissimi, qui illud Opus conspexerant, & me hortabantur, ut illud Latino orbi non inviderem, tum ob eruditionem variam, quam in eo videbit Lector, tum ob accuratum illum ordinem, quo Clar. Auctor agit de Græcis Antiquitatibus. Idcirco conquisivi Virum linguæ Anglicanæ & Latinæ peritum, qui summa fide hunc Librum transtulit; & ut hæc Editio eo accuratior foret, communicavi hoc consilium cum Clar. Auctore, ut ipse, si forte in translatione erratum foret, corrigere vellet: quod libenter fecit; singulas enim paginas ipse oculis lustravit, ita ut de fide translationis vix dubitandum sit; petii insuper ab eo, ut si quæ alia ad locupletandum hoc Opus haberet, mihi ea non denegaret; ita ut hic Liber duplo auctior prodeat in lucem, quam Anglicana Lingua editus fuit. Nullis præterea sumtibus neque labori peperci, ut nitide ac eleganter lucem videret, minimeque dubito, quin ejus publicatione apud candidos Lectores gratiam sim initurus aliquam. Quod superest, ab initio Operis adjunxi Librorum, Capitum, Sectionum & Titulorum Syllabum, in fine vero perfectissimum & accuratissimum Indicem Verborum ac Rerum. Vitia, quæ forte irrepserunt, pro solita humanitate condonet Lector. Multa præclara Opera sub prælo nostro sudant, inter quæ facile primas tenent Desiderii Erasmi Roterodami Opera Omnia, emendatiora & auctiora, ad optimas editiones, præcipue quas ipse Erasmus postremo curavit, summa fide exacta, Doctorumque Virorum notis illustrata, & figuris æneis ornata, in

decem Tomos diſtincta, in quorum primo præfixa ſunt Judicia honorifica, Elogia & Epitaphia Eraſmi a Viris Doctiſſimis in eujs honorem & laudem conſcripta, conjunctim nunquam ſic edita, cum Indicibus copioſiſſimis. Vale, & laboribus noſtris fave.



SYLLABUS
LIBRORUM, CAPITUM, SECTIONUM ET TITULORUM.

LIBER PRIMUS.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

SECTIO QUARTA.

SECTIO QUINTA.

SECTIO SEXTA.

SECTIO SEPTIMA.

SECTIO OCTAVA.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

FINIS.

JOANNIS POTTERI
ARCHÆOLOGIA GRÆCA,
SIVE
ANTIQUITATES GRÆCIÆ.
LIBER PRIMUS.
CAPUT PRIMUM.
De statu Athenarum usque ad Cecropem.



MAGNA fuit erga Antiquitatem per omnia sæcula veneratio; neque homines tantum, sed & familiæ, civitates, & regiones antiquitate præcellentes semper & ubique maximo honore dignæ habitæ sunt. Hincque una ex primis & maxime universalibus disceptationibus, quæ unquam humanum genus turbarunt, originem duxit; quippe singulis fere nationibus, quarum haud admodum manifesta origo erat, æqualem sibi cum ipsamet terra durationem vindicantibus. Hac ratione Ægyptii, Scythæ, & Phryges sese primum hominum genus fuisse imaginabantur, Arcadesque προσελήνας, sive *ante lunam natos*, se esse jactabant. Nec exiguum hisce opinionibus pondus addebat litterarum defectus, cum enim singulis coloniis deessent viæ, quibus memoriam avorum suorum conservarent, eamque posteris traderent, intra paucas generationes primigeniæ nationis suæ obliviscantur, sese que propriam sibi regionem ab exordio mundi inhabitasse existimabant.

Ipsi nostri Athenienses vana hac opinione imbuti erant, & cum præcipuis vicinorum suorum de antiquitate acriter palam certabant. Eodem se cum sole (ex Menandro Rhet.) tempore productos esse præ se ferebant, sibique honorificum nomen (ut existimabant) arrogabant Αὐτόχθόνων, quod designat homines ex eodem, quod inhabitant, ortos solo. Vetus enim erat fama, & ubique fere apud populum recepta, in mundi initio homines, instar plantarum, mira quadam prolifica virtute ex fœcundo communis matris Terræ utero prodiisse; hincque Athenienses passim sese Γηγενεῖς, *e terra natos*, nuncupabant, veluti nos docet Hesychius in voce Γηγενής. Ad eamdem originem alludentes Athenienses sæpe se vocare amabant Τέττιγας, *Cicadas*, ipsorumque nonnulli aureas cicadas gerebant, eas capillis suis ornamenti gratia innectentes, ut hoc signo a recentioris ævi & ignobilioris ortus hominibus distinguerentur, quoniam hæcce insecta ex ipso solo progenita credebantur. Leg. Thucyd. *lib.* I. Eustath. *ad Iliad.* γ. Mentionem hujus moris injicit Virgilius in *Ciri*:

Ergo omnis caro residebant cura capillo,
Aurea solenni comptum quem fibula ritu
Cecropiæ tereti nectebat dente cicadæ.

Haud dubie antiqua admodum natio Athenienses fuere, & fortean prima & unica, quæ unquam eam regionem incoluit; cum enim Thessalia, &

A Peloponnesus, & omnes fere fertiles Græciæ regiones singulis annis aliorum imperio paruerunt, sterilitas Atheniensium soli eos ab exterorum invasionibus tutos reddebat. Nullos tum temporis fixos & perpetuos incolas habebat Græcia, sed mutationibus in dies erat obnoxia, fortioribus passim minus validos e possessione sua ejicientibus; ac propterea non nisi de iis, quæ ad ipsos in præsens tempus sustentandos necessaria erant, sibi prospiciebant, quotidie existimantes fore ut potentior natio eos sedibus suis expelleret, veluti ipsimet expulerant suos prædecessores. Vid. Thucyd. *loco cit.*

B In hisce omnibus turbis tuta erat & quieta Attica, nec sibi quid ab extraneis inimicis metuebat, ob fragosum & infœcundum solum, quod nullum contentioni fomitem præbebat, & ab intestinis & civilibus turbis tuta, per quietos & pacificos inhabitantium mores; hac enim aurea ætate nulla ad imperium adfectabatur via, nullæque ambitionis scintillæ hominum incendebant mentes, sed unusquisque sua contentus sorte, æquali agri aliorumque necessariorum portione cum finitimis suis fruebatur.

Diuturnam pacem opulentia omniumque abundantia rerum vulgo comitantur, hisce vero temporibus,

C cum proprii fundi reditibus fruebantur homines, nec viam invenerant commercii ope suis defectibus satisfaciendi, longe alia res se habebat ratione, atque pax mater erat dumtaxat paupertatis & inopiæ, quippe magnam eorum, qui proventus consumerent, copiam producens, nulla vero præbens adminicula, quæ iis sustentandis paria forent. Atque hoc brevi experti fuerunt Athenienses, paucis enim exactis ætatibus eum in numerum excreverant, ut ipsorum regio, non tantum infœcunda, sed inter arctos limites coercita, haud diu necessaria iis suppeditando sufficeret. Quare animum adjecerunt ad aliquod inve-

D niendum remedium, quo se liberarent, & eam ob rem colonias deduxere novas sibi quæsituras sedes, quæ per varias Græciæ partes dispersæ fuerunt.

Frequens admodum primis mundi temporibus hæcce coloniarum deductio fuit, variaque hujus exempla succedentibus sæculis reperiuntur, præsertim inter Gallos & Scythas, qui sæpe ingenti numero patriam reliquerunt, & instar universalis diluvii omnia ante se posita inundarunt. Quadraginta Atheniensium Colonias enumerat Meursius, verum nulla omnium earum adeo memoratu digna, ac quam in Asia Minori patriæ suæ nomine Ioniam nuncuparunt. Primi enim Athenienses Iones & Iaones vocati fuerunt. Vid. Herod. *l.* I. Strab. *Geogr. l.* IX.

Æſchilus *Perſis*; tuncque evenit, ut arcta admodum affinitas Atticæ & priſcæ Dialecto Jonicæ intercesserit, obſervante Euſtathio *in Iliad. α*. Atque licet e re ſua putarint Athenienſes antiquo iſto ſuo nomini valedicere, non tamen id Theſei tempore omnino inuſitatum erat, ſicuti ex pila apparet ab ipſo erecta in Iſthmo, ut oſtenderet ab hac parte Athenienſium, ab altera Peloponneſiorum limites; ad cujus pilæ latus, quod orientem ſpectabat, hæcce reperiebatur Inſcriptio, ut eſt apud Plutarchum *Theſeo*,

Τάδ' οὐχὶ Πελοπόννησος, ἀλλ' Ἰωνία.
Hæc non ſunt Peloponneſus, aſt Jonia.

ad id, quod occidentem, ſequens,

Τάδ' ἐστὶ Πελοπόννησος, οὐκ Ἰωνία.
Sunt Peloponneſus hæc, haud Jonia.

Nomen iis inditum vulgo fertur a Javane, quippe Javan proxime accedit nomen Ἰάων, atque multo propius, ſi (ut ajunt Grammatici) veteres Græci litteram α large pronunciabant, inſtar diphthongi αυ, hocque apud hodiernos Græcos in hunc uſque diem obtinere Georgius Wheeler narrat. Javan hic quartus Japheti filiorum fuit, diciturque in Græciam adveniſſe poſt confuſionem Babylonis, ſedeſque in Attica fixiſſe. Hocque non leviter confirmatur ex Sacra Scriptura, ubi nomen Javanis variis in locis pro Græcia ſumitur. Bina exempla occurrunt apud *Danielem*, *c.* X. *verſ.* 20. *Et cum ego egreſſus fuero, ecce Princeps Græciæ veniet*. Et denuo, *cap.* XI. *verſ.* 2. *Concitabit omnes adverſus regnum Græciæ*. Ubi quamvis vulgares Verſiones non reddant *Javan*, tamen (ut obſervat F. Rous) hæc vox in Hebraico Textu exſtat. Atque rurſum apud *Jeſaiam cap.* LXVI. *verſ.* 19. *Et illos, qui evadent, mittam ad nationes, quæ ſunt ad mare, in Italiam & in Græciam*. Hic notat G. Raleigh, Verſionem Tigurinam, una cum Genevenſi, Hebraicas voces retinere, & nominibus *Tubalis* & *Javanis* loco *Italiæ* & *Græciæ* uti. Ipſimet vero Græci, cum verus ipſorum conditor iis lateat, nomen hoc ad multo recentius tempus referunt, derivantque ab Jone Xuthi filio. Xuthus hic, (ut refert Pauſanias) cum patris Hellenis pecuniam diripuiſſet, cum male collecta multitudine ſe in Atticam contulit, quæ tum temporis Erechthei imperio ſuberat, qui honeſte ipſum excepit, ſuamque ipſi filiam in matrimonium collocavit, ex qua duo nati filii, Jon & Achæus, quorum prior Jonibus, alter Achæis nomen dedit. Nec veriſimilitudine caret, ipſum Jonem nomen ſuum ab Javane recepiſſe; quippe in omnium Hiſtoria temporum is mos notatu dignus eſt, ut proavi cujuſdam, præſertim iſtiuſmodi, qui eo, quo vixit, tempore illuſtris fuit, priſcum nomen ſervaretur, quo ſcilicet in primario quodam ex ejus poſteris quaſi reviviſceret.

A prima in Atticam deducta colonia, uſque ad Ogygis Regis tempora, nulla rerum ibi geſtarum exſtat memoria. Plato dumtaxat in *Timæo* refert, traditum fuiſſe, Athenienſium potentiam & gloriam iis temporibus ingentes admodum fuiſſe, & in civili & militari re fuiſſe admodum experros, juſtiſſimis æquiſſimiſque legibus paruiſſe, & longe majori ſplendore fuiſſe conſpicuos, quam ad quem ſua ætate pervenerant. Sed de horum ſequentiumque ſeculorum rebus geſtis, ad Theſeum vel Bellum Trojanum uſque, parum vel nihil certi exſpectari poteſt; partim, quia rudis & litterarum expers ætas annalibus deſtituta erat; partim vero, ob vaſtam nimis temporis diſtantiam, quo hi annales, ſi unquam exſtiterunt, prorſus perierunt; partim etiam, propter veterum Græcorum faſtum & vanam gloriam, qui, id agentes ut divinam aliquam originem habuiſſe exiſtimarentur, induſtrie

A genealogias ſuas occultarunt, priſciſque hiſtoriis tenebras fabulis & poeticis figmentis ſuis offuderunt. Et ut Plutarchi verbis utar in *Theſeo* princ. ex interpr. Herm. Cruſerii, *Quod faciunt in ſitu orbis deſcribendo Hiſtorici, qui, ſi qua cognitionem ſuam fugiant, ea extremis tabularum partibus ſupprimentes, in margine alicubi annotant, ulteriores regiones arena & ſiccitate ſqualidas feraſque eſſe, aut inſuperabilem limum, aut Scythica juga, aut mare conglaciatum: id mihi liceat de ſuperioribus dicere, ulteriora, monſtroſa & tragica, Poetæ fabularum ſcriptores depaſcuntur, neque ultra fidem obtinent, vel certitudinem.*

B Utcunque neutiquam mihi omittenda ſunt, quæ narrantur de Ogyge, vel Ogygo, quem nonnulli Thebarum, nonnulli Ægypti, Arcadiæ alii, alii vero Atticæ, Regem fuiſſe volunt, quæ ejus ex nomine Ogygia vocata dicitur. Vid. Stephanus Byzant. *de Urb. & Pop.* Potens admodum fuiſſe Princeps & variarum civitatum conditor narratur, præprimis Eleuſinis, refertque præterea Pauſanias, eum Herois Eleuſinis patrem fuiſſe, unde iſta urbs nomen ſuum traxit. Patriarchæ Jacobo coævum fuiſſe fertur, cujus ætatis anno ſeptuageſimo fere ſeptimo natus ſupponitur, apud Hieronymum *Chronic.* Euſeb. aliis eum ad Moſis tempora referen- C tibus, ex Juſtino Mart. *Orat. ad Gentes*. Regnum ejus extrema, ad quam unquam perveniſſe Athenienſium Hiſtoriæ vel Annales præ ſe tulere, periodus eſt, hinc cum alicujus rei ſummam vetuſtatem exprimere cupiunt, Ὠγύγιον vocant, cujus plurima exempla in variis veteribus Auctoribus reperire licet: unicum vero tantummodo proferam ex Nicandri *Theriacis*:

Ὠγύγιος δ' ἄρα μῦθος ἐν αἰζηοῖσι φορεῖται.
Vetus autem fabula inter juvenes fertur.

Et adludendo ad inſignem potentiam, qua gaviſus fuiſſe ſupponitur, aliquid magnum vel potens D vocant Ὠγύγιον, veluti nos docent bini eruditi Grammatici. Heſychius: Ὠγυγίου, παλαιοῦ, ἀρχαίου, μεγάλου πάνυ. *Ogygii, antiqui, veteris, magni admodum*. Suidas: Ὠγύγιον, ἀρχαῖον, παλαιὸν, ἢ ὑπερμέγεθες. *Ogygium, vetus, antiquum, aut prægrande*. Atque hinc Ὠγύγια κακὰ iis erant *ingentia* & *intolerabilia mala*; & Ὠγύγιος εὐήθεια, apud Philonem, *ſumma ſtultitia* & *ſtupiditas*. Regnavit XXXII. annos, (ita computante Cedreno) proſpera in omnibus utens fortuna, omniumque rerum abundantia, quas Fortuna alumnis ſuis elargiri valet, fruens; attamen finis ejus haud minus flebilis quam vita proſpera; quippe in hoc fortunæ E apice conſtitutum, ſubita & horrenda eum inundatio, quæ non tantum Atticam, ſed totam ipſammet Achajam, communi diluvio involvit.

Crebra apud Veteres mentio fit variorum, qui in Attica regnarunt, Regum, inter Ogygium Diluvium & primum Cecropem; veluti Porphyrionis, quem Athmonenſes, populus Atticæ, Templum Veneri Οὐρανίᾳ, ſeu *Cœleſti*, apud ipſos condidiſſe referunt, vid. Pauſanias in *Atticis*; & ut Colæni, idem *ibid.* Memoratur etiam Periphas, qui Antonino Liberali *Metamorph.* VI. ut juſtus ac pius Princeps deſcribitur, tandemque in aqui- F lam transformatus eſſe narratur. J. Tzetzes in *Commentariis ad Lycophronem* meminit cujuſdam Draconis, ex cujus dentibus enatus foret Cecrops, atque hinc nonnulli cauſſam arceſſunt, cur Διφυὴς vocatus fuerit. Tandem, ne plura congeram, Pauſanias & Stephanus mentionem faciunt Actæi, vel Actæonis, a quo nonnullis Atticam nuncupatam placet *Acten*; atque hoc nomen ſæpe apud Poetas occurrit, præſertim apud Lycophronem, obſoletorum nominum ſtudioſum captatorem, *Caſſ.* verſ. III.

Ακτῆς διμόρφου γηγενοῦς σκηπτουχίας,
Atticæ, quod est biformis terrigenæ regnum.

Verum exigua hisce narrationibus fides habenda est; Philochorus enim, Auctor non minoris fidei quam vetustatis, (veluti Africano nominatur) nos docet, Atticam Diluvio Ogygio adeo vastatam fuisse, ejusque incolas ad tam exilem numerum redactos, ut per c. & xc. *annos a tempore Ogygis usque ad Cecropem sine ullo omnino rege vixerint, atque huic ejus opinioni adstipulatur etiam Eusebius *Chronico* p. 27. Edit. Amstelodam.

* CLXXXIX. habet Meursius pag. 28.

CAP. II.

De statu Athenarum a Cecrope ad Theseum usque.

IN eo fere omnes consentiunt, primum Cecropem pauperes ruri degentes, qui hinc & illinc per Atticam dispersi erant, congregasse, cumque eos in unum corpus coegisset, (quamvis non in unam civitatem, hoc enim non nisi elapsis compluribus ætatibus factum est) formam quampiam imperii inter eos constituisse, & nomen *Regis* sibi vindicasse. Principio rerum plures nationes imperio Regum parebant, qui vulgo dignitate & fama præcellebant, & ob fortitudinem, prudentiam, aliasque virtutes ad id honoris fastigium universali consensu & electione populi provehebantur, qui voluntarie potius quam necessario, consilio potius quam vi coactus, iis obediebat; ipsique Reges amore, & virtutum suarum pretio, & imperandi solertia, quam armorum vi, & servili potentiæ suæ metu, obedientiam sibi conciliare malebant. Absolutum imperium haud ambiebant, populique sui utilitatem, cui proregendo noverant se eo fastigii evectos, propria ambitione sua cariorem ducebant. Nec inflexa genua, nec prostratos vultus, desiderabant, sed familiaritatem colere non detrectabant, vel cum infimis subditorum suorum, quotiescunque ipsorum indigerent auxilio. Brevi, tam exacte medium in omnibus suis actionibus tenere studebant, ut neque auctoritatem suam contemtui exponerent, nec metum incuterent iis, quos potius beneficiis ad voluntarium obsequium adlicere, quam severitate in coacto officio coercere, cupiebant. Haud aliud sibi emolumentum, præterquam bonum & felicitatem populorum suorum, proponebant, nec auctoritate sua ulterius utebantur, quam quousque illa in eum finem conducebat. Eorum dignitas & munus præcipue in tribus hisce consistebant.

Primo, in exercendo jure, in audiendis caussis, in componendis litibus, quæ inter subditos suos accidebant, in novis legibus constituendis, confirmandisque, sicubi erant, veteribus. Vid. Cicero *de Off.* lib. II. c. XII. Sed in universum populus tantopere confidebat adquiescebatque in justitia & æquitate Principis sui, ut ejus solum arbitrium pro legibus esset. Leg. Just. *Hist.* lib. I. princ.

Secundo, in ducendo illos ad bella, in quibus non tantum bonis consiliis res administrabant, sed ipsimet pro salute & honore regionis suæ in confertissimam hostium aciem irruebant, & sæpe eorum fortissimis ad singulare se certamen offerebant. Hocque primariam officii sui partem rebantur, rationi profecto congruam judicantes, eos, qui aliis honore præstarent, etiam virtute antecellere debere; &, qui in omnibus conviviis publicisque consiliis primas tenerent, antesignanos etiam in subeundis periculis ad patriam suam defendendam esse oportere. Atque hoc Sarpedon apud Homerum *Iliad.* μ. v. 310. Glauco conterraneo suo probare conatur:

Γλαῦκε, τίη δὴ νῶϊ τετιμήμεθα μάλιστα,
Εδρῃ τε, κρέασιν τε, ἰδὲ πλείοις δεπαέσσιν
Εν Λυκίῃ, πάντες δὲ, θεοὺς ὡς, εἰσορόωσι,
Καὶ τέμενος νεμόμεσθα μέγα Ξάνθοιο παρ' ὄχθας
Καλὸν, φυταλιῆς καὶ ἀρούρης πυροφόροιο;
Τῷ νῦν χρὴ Λυκίοισι μετὰ πρώτοισιν ἐόντας
Εστάμεν, ἠδὲ μάχης καυστειρῆς ἀντιβολῆσαι.

Glauce, cur autem nos honoramur maxime,
Sessioneque, carnibus, & plenis poculis
In Lycia, omnes autem, Deos tanquam, nos inspiciunt,
Et prædium incolimus magnum Xanthi juxta ripas
Amœnum, soli arboribus consiti, & arvi frugiferi?
Quare nunc oportet Lycios inter primos existentes
Stare, & pugnæ ardenti interesse.

Tertio, in obeundo solemnia sacrificia, eratque regiæ occupationis pars sacrorum cura. Lacedæmoniorum Reges cum inaugurabantur, Sacerdotes consecrabantur Jovis Οὐρανίου, *Cœlestis*, idque officium ipsi præstabant. Nemo est, cui ignotus Virgilii locus *Æneid.* III. v. 80. de Anio, qui simul Rex erat & Sacerdos:

Rex Anius, Rex idem hominem, Phœbique Sacerdos.

Rara apud Homerum occurrit sacrificii mentio, quin aliqui ex Heroibus, iique præcipui totius cœtus, sacrarum cerimoniarum ritus peragebant; & sic tantum aberat, ut infra dignitatem majestatemque suam id esse existimarent, ut potius reliquis ipsorum honoribus id augmenti loco putarent accedere, atque inferioris ordinis cultores haud minori cura hanc divini cultus partem iis reservabant, quam parati erant ad honoratiorem locum illis concedendum in conviviis, quibus seipsos reficiebant, post finita sacrificia.

Nunc ad Cecropem redeamus, quem, simulac in novo hocce Regno confirmatus erat, occupatum in formando specimine civitatis cujusdam, quam imperii sui sedem destinarat & perpetuæ commorationis locum, reperiemus. Et hunc in finem, utpote commodissimum in ditione sua locum, elegit rupem quamdam a natura adversus impetus valide munitam, sitamque in lato campo in medio fere Atticæ, nomenque & urbi, & circumjacenti regioni, de proprio nomine *Cecropiam* dedit. Postea auctis Atheniensium viribus, cum vicinas planities ædificiis replevissent, Ακρόπολις, sive *Arx* evasit.

Deinde, ut jus rectius exerceretur, & ut mutuum inter suos subditos commercium promoveret, eos in quatuor divisit Tribus, quarum nomina erant,

1. Κεκροπίς.
2. Αὐτόχθων.
3. Ακταία.
4. Παραλία.

Cumque jam regionem suam incolis admodum bene repletam videret, partim peregrinis eo advenientibus, partim concurrentibus populis ex omni angulo & latebra Atticæ, uti antea quasi in secessu sepulti fuerant, censum instituit, jubens, ut unusquisque lapidem in locum destinatum conjiceret, & ita facta supputatione viginti mille reperti sunt, ut ex Philocoro refert Pindari Scholiastes *Olym.* ode IX. ad vers. 68.

Verum quandoquidem solum natura sua erat sterile, nec populus exercitatus in eo colendo, & in usum optimum convertendo, istiusmodi hominum multitudo non poterat non ad summas angu-

ſtias redactum iri, niſi Cecrops artem navigandi eos docuiſſet, atque hac ratione de frumento ex Sicilia & Africa iis proſpexiſſet. Vid. Joh. Tzetzes in *Heſiodi* Ἐργ. *α*. v. 18 Edit. D. Heinſii.

Præterea auctor fuit multarum præcellentium legum conſtitutionumque, præſertim circa matrimonium, quod inter unum ſolummodo virum unamque mulierem ex ejus mandato celebrandum erat, cum antea inter ipſos promiſcua licita fuiſſent, uti Nonnus innuit *Dionyſ.* lib. XLI. v. 382.

*Κάδμος εὐγλώσσοιο διδάσκεται ὄργανα * φωνῆς,*
Θέσμα Σόλων ἄχραντα, καὶ εὔνομον Ἀτθίδι πεύκης
Συζυγίης ἀλύτοιο συνωρίδα δίζυγα Κέκροψ.
Cadmus eloquentis docet inſtrumenta vocis,
Leges Solon illibatas, & legitimum Atticæ tedæ
Conjugii indiſſolubilis currum bijugum Cecrops.

Nec tantum inſtituendæ mutuo inter ſe vitæ regulas ſubditis ſuis præſcripſit, ſed primus quamdam religionis formam inſtituit, in honorem Deorum erexit altaria, quaque illi ratione colendi eſſent docuit.

Regnante Pandione, quinto Athenienſium rege, Triptolemus Athenienſes ſerendi, & terram colendi, rationem docuiſſe dicitur, multaſque utiles & neceſſarias leges tuliſſe, quarum tres memoratas reperimus a Porphyrio ex Xenocrate, *de Abſtinentia ab Animal.* lib. IV.

1. *Γονεῖς τιμᾷν, Parentes bonorare.*
2. *Θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν, Deos fructibus colere.*
3. *Ζῶα μὴ σίνεσθαι, Animalia non lædere.*

Cecrops † ſecundus, ſeptimus Athenienſium rex, ſubditas ſibi regiones diviſit in duodecim urbes, & ſubditos ſuos vicatim habitantes ad eas implendas compulit. Leg. Etymol. in Ἐπακρία χώρα Earum nomina erant, (ſicuti a Strab. *Geogr.* l. IX. traduntur in deſcriptione Atticæ) *Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelea, Eleuſis, Aphidna, Thoricus, Brauron, Cytherus, Sphettus, Cephiſſia, Phalerus.* Sed Cecropia ſemper prima imperii ſedes manſit, quamvis unicuique harum urbium (Georgii Wheleri verba ſunt *Itiner. Græc.* Angl. Edit. p. 339. qui hanc diviſionem ad primum Cecropem refert, inductus Euſebii aliorumque nonnullorum auctoritate) ſeparata & ſingularia eſſent jura magiſtratuſque; ac tam parum Principibus ſuis Cecropis ſucceſſoribus, erant ſubjecti, ut raro vel nunquam eos conſulerent, niſi dumtaxat, ſi quando commune periculum immineret, atque adeo abſolute rerum ſuarum ſatagebant, ut ſæpe bellum inter ſe invicem, nullis cum ſuis Regibus communicatis conſiliis, gererent.

Atque hoc in ſtatu permanebat Attica, uſque ad regnum Pandionis ſecundi, Athenienſium octavi regis, qui regno ſuo ejectus a Metionis patrui ſui liberis; qui tamen ipſi haud diu tam injuſte quæſita poſſederunt: quippe & eos majoribus viribus quatuor Pandionis filii, Ægeus, Lycus, Pallas, & Niſus, expulerunt. Hi, referente Apollodoro, poſtquam Metionidas ejeciſſent, inter ſe regnum diviſerunt. Verum exiſtimant alii, ipſum Pandionem, junctis ipſorum omnium auxiliis quietam regni ſui poſſeſſionem cum recuperaſſet, ſuprema voluntate in quatuor partes diviſiſſe, ſingulis ſuam portionem adſignando: & quamvis veteres Scriptores non conſentiant, quæ pars ſingulis ſorte obtigerit; in eo tamen omnes conveniunt, principatum Athenarum Ægeo attributum, quod magnam invidiam fratrum ei conflavit; atque eo magis, quia (quæ plurimorum eſt opinio) non Pandione progenitus, ſed ab eo adoptatus filius erat; hanc ob rationem (veluti narrat Plutarchus) Ægeus Theſei matri Æthræ filium ſuum, cum ad virilem ætatem perveniſſet, mandavit, ut Trœzene, ubi natus erat, Athenas quam occultiſſime mitteret, præciperetque, ut quam maxime fieri poterat iter ſuum omnes celaret, quoniam admodum metuebat Pallantidas, qui perpetuis ipſum inſidiis appetebant, & ob orbitatem deſpiciebant; erant enim illi quinquaginta fratres, omnes Pallantis filii. Quamquam (veluti idem Auctor refert) ab aperta rebellione abſtinebant, quia ſcilicet regnum recuperare, ſaltem poſt Ægei mortem, quoniam orbus erat, ſuperabant: ſed ſimulac apparebat Theſeus, & pro legitimo regni ſucceſſore agnoſcebatur, palam ſe pro inimicis gerere incipiebant, ægerrime ferentes, primo Ægeum, adoptivum dumtaxat Pandionis filium, nulloque modo ad Erechthei progeniem pertingentem, deinde Theſeum, ex aliena regione, & plane quantum ad ipſos peregrinum, avorum ſuorum regno potituros; ſed devicti ſubito & diſperſi Theſei ductu & virtute fuerunt.

Liberata ſeditionibus inteſtinis regione, ſtatim eam externa ſervitute liberare Theſeus aggreſſus eſt. Cum Athenienſes Androgeum, filium Minois, regis Cretæ, fœdum in modum trucidaſſent, impoſuerat iis Minos, ut novennale, vel ſeptennale, vel, ut aliis placet, annuum tributum ſeptem juvenum ſeptemque virginum mitterent Cretam, ubi Labyrintho includebantur, atque eo uſque circumerrabant, donec, cum nulla fugæ ſpes offerretur, fame perirent, vel a Minotauro, horrendo monſtro, ex diverſa hominis taurique compoſito forma, devorarentur. Cum jam tempus, quo hoc tributum mitti deberet, adpropinquaret, ſemet ipſum juvenibus ad abeundum in Cretam damnatis immiſcuit, ab Ariadna Minois regis filia, in cujus amorem inciderat, filum accepit, & ab ea uſum illius edoctus, quo per omnes Labyrinthi flexus deduceretur, ex eo evaſit, occiſo primum Minotauro, & hac ratione cum ſociis ſuis captivis veluti triumphans Athenas rediit.

At vero in reditu, præ nimio gaudio ob felicem itineris ſui ſucceſſum, fuit oblitus album velum expandere, quod ſalutis ipſorum ſignum Ægeo, qui in ſumma quadam rupe eos exſpectabat, & ſimulac navis ipſorum nigrum, & quaſi funeſtum, velum præferens in conſpectum veniebat, cum nihil de eorum fortuna conſtaret, ſe ipſum in mare præcipitem Ægeus dedit, atque ita Theſeo ad maturiorem in regnum ſucceſſionem viam ſtravit. Ad hæc ab primo Cecrope uſque tempora res Athenienſium exigua in mutatione ſteterunt.

CAP. III.

De ſtatu Athenarum, a Theſeo ad Archontes Decennales.

CUM jam memorata occaſione ad regnum perveniſſet Theſeus, ſtatim id incommodi expertus eſt, quod in agris ſubditos ſuos per vicos diſperſos, & hinc inde ſeorſim degentes, haberet. Huic malo ut occurreret, *grande* (inquit Plutarchus in *Theſeo*) *& mirificum opus agitans animo, contribuit Atticæ cultores in unam urbem, uniuſque urbis unum reddidit populum, qui tunc erant divulſi, & ægre ad agendum in communi de repub. conciri poterant: nonnunquam enim diſſidebant mutuo, belloq; certabant. Hos adiit, propoſuitq; eam rem ſingulis populis & familiis. Cujus conſilium privati & inopes cito acceperunt: opulentis & potentibus quum remp.*

* Vid. *Corp. Vett. Poet. Græc.* p. 569. ubi ὄργια pro ὄργανα.
† Vid. J. Meurſ. *de Reg. Athen.* lib. I. cap. III. ſub finem, ut & p. 146.

regno fore liberam proponeret, in qua omnis penes populum esset futura potestas, ipse vero moderator tantum belli & legum foret custos, cætera paria omnibus; partim eos perpulit: alii opes ejus veriti jam amplas atque audaciam, malebant sponte his quam vi compulsi consentire. Igitur dissolvit vicatim prytanea, curias, & magistratus, unoque statuto omnibus communi illic prytaneo & curia, ubi hoc tempore conspiciuntur, Astu & urbem Athenas appellavit, & *Panathenæa* (Παναθήναια) *sacrificium effecit commune. Celebravit etiam Metœcia*, (Μετοίκια) *id est, festum demigrationis, sexto decimo die mensis Hecatombæonis, quem etiam nunc festum agunt: depositoque (ut receperat) regno, remp. digessit, ab Diis auspicatus. Nam consulenti deum de ea urbe sortes Delphis allatæ sunt hæ:*

Αἰγείδη Θησεῦ, Πιτθηΐδος ἔκγονε κύρης,
Πολλαῖς τοι πολίεσσι πατὴρ ἐμὸς ἐγκατέθηκε
Τέρματα δὲ κλωστῆρας ἐν ὑμετέρῳ πτολιέθρῳ
Ἀλλὰ σὺ μήτε λίην πεπονημένος ἔνδοθι θυμὸν
Βουλεύειν, ἀσκὸς γὰρ ἐν οἴδματι ποντοπορεύσῃ.

Ægida Theseu, Pittheidis edite partu,
Fata pater multis meus & finem urbibus olim
Constituit, voluitque hac in vestra urbe teneri.
Tuque invicte malis animo ne cede labori,
Uter ut insanis pelagi jactaberis undis.

Hoc oraculum post civitati Atheniensi repetivisse scribunt Sibyllam, hoc versu,

Ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστι.
Immergi poteris, sed submergi tibi non fas.

Quo autem magis civitatem amplificaret, invitavit omnes pari proposito jure, & edictum, Δεῦρ' ἴτε πάντες λεῴ, *Huc pergite omnes populi, Thesei autumant fuisse, concilium quoddam populorum constituentis commune. Non permisit tamen, ut R sp. popularis ab affluente & indiscreta colluvie incondita evaderet & confusa, sed primus discrevit seorsim Patricios*, (qui *Græce* Εὐπατρίδαι) *Agricolas*, (qui Γεωμόροι) & *Opifices*, (qui Δημιουργοὶ): *Patriciis curam sacrorum & magistratuum ex ordine suo dandorum permisit jus, legumque disciplinam & interpretationem, quid jus fas esset. De cætero cives adæquavit, quod dignitate patricii, utilitate agricolæ, artifices numero viderentur præcellere. Nam principem eum fuisse in plebem (ut auctor est Aristoteles) propensum, & dominatum deposuisse, testari Homerum quoque in recensendis navibus apparet, qui solum populum* (δῆμον) *Atheniensem vocat.*

Hunc in modum Theseus Atheniensem Remp. constituit, & in eodem permansit statu usque ad Codri decimi septimi postremique regis, ob virtutem magis quam fortunam celebris, mortem. Cum enim (ex Tullio *Tuscul. Quæst.* Justin. *lib.* II. *cap.* VI. Vell. Paterc. *lib.* II. Eusebio) Atticam Dores, vel Spartani, vel Peloponnesii, vel, ut nonnulli volunt, Thraces invasissent, consulto oraculo responsum datum, *Superiores fore, ni Regem Atheniensium occidissent*; hoc audito Codrus, salutem patriæ anteponens suæ, indutus rusticam vestem haud longe ab inimicorum castris cum aliquo rixam movens tantopere quæsita morte potitus est Athenienses, cum id quod factum esset rescivissent, cadaver regis sui ut redderent, inimicos rogarunt; quo intellecto eorum tam fracti sint animi, ut e vestigio castra moverent, & ab incœpto desistentes nullius alterius prælii fortunam experirentur.

Athenienses autem, præ veneratione Codri memoriæ, nunquam ullum amplius præfectum *Regis* nomine voluerunt, sed parebant Archontibus, quibus permittebant, ut dignitate sua, quamdiu viverent, fruerentur, & morientes liberis suis relinquerent, atque sic potius auctores eos inter Reges numerarunt, quam inter Archontes, qui iis successerunt, quibus tantum ad certum quoddam tempus regnum obtinere concedebatur, sed a Regibus hoc differebant, quod aliquo modo subjecti erant populo, & administrationis suæ rationem, si peteretur reddere deberent. Primus horum fuit Medon, Codri filius natu maximus, a quo duodecim sequentes Archontes cognominati fuerunt Medontidæ, utpote qui ab eo descenderant; regnantibus hisce haud magni momenti mutationes passus est Atheniensium status, sed promovebatur tam commode & tam placide, ut vix memoratu digni ab quopiam illorum gesti aliquid narretur, ipsaque nonnullorum nomina fere oblivioni tradita sint.

Atque hac ratione conatus sum compendio Atheniensium statum describere, quamdiu Regibus paruerunt, qui fuere triginta numero, & Athenis imperarunt per septingentos nonaginta quatuor annos, ut computavit eruditissimus J. Meursius, quibus si triginta duos Ogygis addas, & annorum centum & nonaginta intervallum, in quibus nulla imperii vestigia reperiuntur, erunt mille & sedecim anni.

Series Regum Atheniensium.

	Annos		Annos
Ogyges	XXXII	*Thymœtes*	VIII
Interregnum	CXC	*Melanthius*	XXXVII
Cecrops I.	L	*Codrus*	XXI
Cranaus	IX	*Medon*	XX
Amphictyon	X	*Acastus*	XXXVI
Erichthonius	L	*Archippus*	XIX
Pandion I.	XL	*Thersippus*	XLI
Erechtheus	L	*Phorbas*	XXX
Cecrops II.	XL	*Megacles*	XXVII
Pandion II.	XXV	*Diognetus*	XXV
Ægeus	XLVIII	*Pherecles*	XIX
Theseus	XXX	*Ariphron*	XX
Menestheus	XXIII	*Thespieus*	XXVII
Demophoon	XXXIII	*Agamestor*	XVII
Oxyntes	XII	*Æschylus*	XXIII
Aphidas	I	*Alcmæon*	II.

CAP. IV.

De statu Athenarum, a Decennalibus Archontibus ad Philippum Macedonem.

POpulus Atheniensis quotidie superioribus suis jam prævalere incipiebat, singulis in statu factis mutationibus aliquid lucri capiens, donec tandem paulatim totum imperium sub vulgi potestatem redactum est. Haud contemnendam tamen potentiæ ipsius partem abstulerunt Theseus & Medon, sed eam, quæ remanebat sibi, quamdiu vixere, & successionem posteris sartam tectam servarunt. Verum primo septimæ Olympiadis anno & potentia & successio ad populum devolutæ sunt, qui, ut facilius Archontum suorum coerceret superbiam, & potentiam frænaret, per decem tantum annos cum imperio illos esse voluit, primusque hac creatus sub conditione Charops fuit, Æschyli filius. Sed ne hic quidem adquievit, quippe elapsis abhinc fere septuaginta annis, ut Archontes favori civium per omnia obnoxii essent, communi consensu statuerunt, ut eorum auctoritas unius duntaxat anni esset, quo exeunte rationem eorum, quæ gesserant, deberent reddere, eorumque primus Cleon fuit, qui tertio vigesimæ quartæ Olympiadis anno magistratum suum iniit, ut habet Clemens *Stromat.* I.

Archon fuit Olympiade trigesima nona Draco, qui plurimas novas leges, memoratu parum omnino dignas, nisi quia admodum crudeles, & inhu-

manæ fuerunt, quippe quæ vel leviora peccata morte mulctarent, condidit. Ita ut, qui pigritiæ rei peragebantur, punirentur morte, imo qui vel brassicam, vel pomum aliquod furto abstulerant, pari cum sacrilegis, vel homicidis, supplicio adficerentur; hincque non atramento, sed sanguine, Draconis leges scriptas esse memoratur dixisse Demades. Quin & ipsemet interrogatus, quare omnium delictorum pœnam mortem constituisset, levia eam mereri crimina, gravissimis quam statueret majorem non habere, respondit. Verum omnes hæ leges, unica, quæ homicidium spectabat, excepta, quadragesimæ sextæ Olympiadis anno tertio abrogatæ fuerunt.

Erat Archon tum temporis Solon, cui, postquam novam introducendam Reipublicæ formam, novasque illi leges statuendas commiserant Athenienses, in omnes præterea magistratus, conciones, judicia, Senatus consilia imperium dederunt, ut eorum numerum, tempus, & censum illorum, qui ad ea admitti possent, definiret, atque præsentia instituta pro arbitrio suo vel abrogaret, vel confirmaret, ut refert Plutarchus in *ejus Vita*.

Itaque Solon, exploratis populi animis, cum nonnullos Monarchiæ favere, alios Oligarchiæ, alios vero Democratiæ, divites autem potentes & superbos, pauperes sub oppressionis jugo gementes, deprehendisset, omnium litibus componendis, offensis tollendis, operam dedit, atque satisfacere, quantum fieri poterat, omnibus æqui amantibus est conatus. In quatuor ergo classes Athenienses pro cujusque fortunis redegit; in primam eos, quorum facultates quingentis medimnis (mensuris) liquidarum siccarumque mercium censerentur, adscripsit, ipsosque πενταχοσιομεδίμνους vocavit. Proximi ab his *Equites*, seu ἱππάδα τελοῦντες, qui equum alere possent, vel quorum census trecentos medimnos suppeditabat. Eorum, qui ducentos, quique Ζευγῖται dicti, tertia classis fuit. Reliquos ultimæ adscripsit, vocavitque Θῆτας, sive *Mercenarios*, hisque nullum magistratum gerere, sed in omnibus publicis concionibus suffragii tamen jus habere permisit, quod licet initio nullius momenti videretur, postmodum tamen eximii juris vicem præstare apparuit; maximi enim momenti caussæ, quia unicuique a Magistratuum judicio ad populum in concione congregatum provocare licebat, coram iis agebantur. Atque hac ratione divitibus potentiam magistratumque confirmavit, plebemque nec ipsorum crudelitati opprimendam exhibuit, nec omni in Republica administranda parte privavit. Hujusque exæquationis ipse meminit hisce versibus:

Δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κράτος ὅσον ἐπαρκεῖ,
  Τιμῆς οὔτ' ἀφελὼν, οὔτ' ἐπορεξάμενος.
Οἳ δ' εἶχον δύναμιν, καὶ χρήμασιν ἦσαν ἀγητοὶ,
  Καὶ τοῖς ἐφρασάμην μηδὲν ἀεικὲς ἔχειν.
Ἔστην δ' ἀμφιβαλὼν κρατερὸν σάκος ἀμφοτέροισι,
  Νικᾷν δ' οὐκ εἴασ' ἀμφοτέρους ἀδίκως.

Nam vires populo tribui, quantæ satis essent,
  Non detractus ei, aut amplificatus honos.
Sed neque divitiis & opum splendore superbis
  Tunc plus permisi, quam satis esse rebar.
Utraque prævalidis munivi pectora scutis,
  At paribus gaudens vincere neutra tuli.

Haud multis dehinc elapsis annis, cum diversis partium studiis distracta esset civitas, stratagemate imperium occupavit Pisistratus; quippe, postquam data opera voluntaria sibi vulnera inflixisset, in forum se perferri, ibique in sede collocari curavit, ostensisque populo vulneribus, ab adversis se partibus, quia nimium Reipublicæ faveret, ea passum esse adfirmavit. Hoc tam specioso obtentu ad misericordiam erga infelicem ipsius sortem facile commota, & in rabiem contra inimicos concitata, imprudens multitudo, impellente Aristone, quinquaginta ipsi satellites clavis armatos concessit. Hoc facto decreto, concessos sibi homines, atque pro lubitu suo plures adhuc alios conscripsit; nemo enim quid ageret animadvertebat, ac tandem, ut scilicet civitati amoris & curæ, qua ipsum prosecuta erat, mercedem persolveret, Arcem invasit, civesque sua orbavit libertate. Triginta posthæc annos vixit Pisistratus, e quibus septemdecim Atheniensibus imperavit. Sed instabiles perpetuisque obnoxiæ vicissitudinibus per omne id tempus Atheniensium res fuerunt, dum scilicet nonnunquam superiores cives eum expellerent, nonnumquam vero ab ipso superati ut triumpans rediret, inviti licet, pati cogerentur.

Atque huic successerunt filii Hipparchus & Hippias, quem Thessalum vocat Heraclides, quorum primus ab Aristogitone occisus, alter vero post tres vel quatuor elapsos fere annos a Clisthene, qui in auxilium ejectos vocavit Alcmæonidas Lacedæmoniosque, ad abdicandum imperium & inhonesta sibi fuga consulendum adactus fuit. Hac ratione e regione sua exsul in Persiam confugit, ubi exactis compluribus annis, Dario Athenas, quod æterno tandem aggressum esse ipsi dedecori versum, occupandi auctor fuit. Conscripto enim magno militum numero, Atheniensium ingressus est fines, ubi paucula hominum multitudine Miltiadis auspiciis ductuque, celebri illa pugna Marathonia, & ipse periit, & totus ejus exercitus deletus est. Pox expulsum Hippiam anno vigesimo hanc reportarunt victoriam Athenienses. Hunc itaque in modum, leges, libertatemque, quas iis eripuerat Pisistratus, post elapsos ab illos annos sexaginta octo, Athenienses recuperarunt.

Posthæc per triginta tres annos perpetuos floruerunt, quibus elapsis, mutata rerum facie, ad infimam fere sortem sunt redacti. Quippe Xerxes, ut Darii cladem ulcisceretur, exercitu (ut nonnulli adfirmant) septem decies centum millium hominum, fines ipsorum invasit, atque urbem suam ut relinquerent coegit, eamque insultantibus Barbaris spoliandam tradidit, qui eam, nemine admodum resistente, in cineres redegerunt: anno autem insequenti, Regis sui exemplum secutus Mardonius secunda denuo vice ipsammet combussit. Hasce procellas subito sedarunt Themistoclis Aristidisque virtus & sapientia, qui Persarum classem apud Salamina funditus postquam delevērant, haud minorem de Mardonio apud Platæas reportarunt victoriam; quo factum, ut, expulsis plane e Græcia Barbaris, in pristinum rebus statum redactis, e ruinis suis resurrexerint, majoreque, quam unquam, gloria Athenienses fuerint cumulati.

Nonnihil tamen mutationis secutum; primo enim Aristides, (ut refert Plutarchus) mediocri loco & fortuna natus, cum ob præclaras dotes, & singularem Reipublicæ navatam operam, ad Archontis honorem esset promotus, legem Solonis, juxta quam Θῆτες, sive *infimæ sortis homines*, ab omni magistratu arcebantur, abrogavit. Deinde Pericles cum Areopagi vim potestatemque infregisset, confusam Ochlocratiam introduxit, in qua plebs, & vilissimæ sortis quisque, eumdem cum optimatibus, & præclarissimo natis genere, excellentissimisque dotibus ornatis, locum in Republica obtinuerunt.

Hæ tamen domesticæ turbæ, quo minus foris prospera omnino fortuna ubique uterentur, impedimento non fuerunt. Quippe classis, in quam omne robur viresque suas congesserant, postquam

a Xerxe urbem deserere fuerant coacti Athenienses, auxilio, maris domini evaserunt, maximamque Ægæi maris insularum partem sibi vindicarunt; reliquisque Græcis vel sub potestatem suam redactis, vel fœdere coercitis, ad Ægypti usque limites processerunt victores, & (ut Aristophanes narrat) mille suo imperio civitates subjectas habuerunt.

Deinde in Sicilia, sub auspiciis ductuque Niciæ, rebus male succedentibus, obortisque aliis in Republica turbis, præcipui Atheniensium, (ut refert Thucydides *l.* VIII.) insolentiæ plebis pertæsi, mutandæ Reipublicæ formæ, & summum imperium in paucorum potestatem redigendi, ansam hinc arripuerunt. Quem in finem, cum Ducibus, qui pergere versabantur, facta conspiratione, in confœderatorum suorum civitatibus ut Aristocratiam formarent, eos adegerunt. Per idem etiam tempus cum nonnulli, quos maxime verisimile erat hisce novis rebus obviam ituros, Athenis occisi essent, tanto terrore perculsum fuit vulgus, ut, qui vel hiscere adversum conjuratos auderet, reperiretur nemo; verum quisque metueret, ne etiam vicinus suus e conjuratorum numero esset. Hoc terrore omnibus adfectis, Quadringenti Athenarum imperium occuparunt, qui sub specie pristinam judiciorum formam retinendi, omnes coram populo caussas agi, & secundum maximam suffragiorum partem judicari curarunt, sed inter sese de iis, quæ proponebantur, jam convenerat; nec populo alia libertas ulla suppetebat, nisi ut probaret & consentiret; e vestigio enim, qui ulterius quid tentaret, e medio tollebatur, nec in cædis inquirebatur auctores. Hac itaque ratione multa decreta, quæ huic novæ auctoritati firmandæ stabiliendæque inservirent, facta sunt, nec propterea illa per longum tempus servata sunt: classis enim & exercitus, quæ tum temporis in insula Samo erant, cum scilicet Quadringentorum horum tyrannica facta detestarentur, Alcibiadem ab exsilio revocarunt, Tyrannique, partim metu Alcibiadis, partim quia in se concitatos cives viderent, imperium auctoritatemque suam sponte abdicarunt, & in voluntarium exsilium sunt profecti.

Nec tamen hæc rerum vicissitudo summum imperium populo, vel toti civitati, plane restituit, sed solummodo quinque illis mille, quos Quadringenti (cum auctoritas eorum initium caperet) in administranda Republica sibi socios adjungere constituerant; parum enim vel nihil detrimenti injuriæve hinc pati videbatur plebs, quæ raro majori numero convenire solebat; hanc ob caussam nullæ sententiæ sub Quadringentorum nomine ferebantur, sed omnia a quinque istis millibus dicebantur peragi; usurpatoresque *πενταχισχίλιοι, τετρακόσιοι δὲ ὄντες, quinque mille, licet quadringenti tantum forent*, nuncupabantur, ut in *Alcibiade* Plato refert. Jam vero cum in tot hominum manus delapsa esset potestas, non diu post, consentientibus civibus, Alcibiades ejusque amici ab exsilio revocati sunt, eumdem in modum ac antea eos revocarant milites, decretumque, ut exercitus, in Samo degens, imperium, quod ad militum mentem e vestigio concinnatum, quo susciperet, rogaretur.

Domesticis hunc in modum compositis rebus, statim prospera sorte externæ suppetias ferebant; varias enim victorias, haud exigui momenti, brevi temporis spatio, auspiciis Alcibiadis reportabant: sed paulo post, commota in eum levi & inconstante plebe, secunda in exsilium vice ejectus est. Vid. Diodor. Sic. *lib.* XII. Xenoph. *Hist. Gr. lib.* II. Justin. *lib.* V. Quæ semper Atheniensibus funesta, nunquam funestior ac tunc temporis, Alcibiadis absentia fuit; classis enim ipsorum apud Ægos-Potamos, negligentia præfectorum, in manus Lysandri Lacedæmoniorum Ducis prodita, qui omnem fere submersit, ita ut ex ducentis vel trecentis navibus octo tantum superstites forent.

Post hanc victoriam, junctis cum Spartæ Regum Agidis, & Pausaniæ suis viribus, Lysander recta Athenas petit, quæ hisce legibus iis deditæ fuerunt, ut scilicet Athenienses Longum-Murum, quo urbs Piræeo portui juncta erat, demolirentur, omnemque suam classem decem, vel (ut nonnulli volunt) duodecim, quæ evaserant, navibus exceptis, traderent. Imo & consiliis agitatum fuit, an non urbs prorsum foret delenda, circumjacentesque agri devastandi, cumque id æquum censeret Agis, illius opinioni restitit Lysander, alterutrum ex Græciæ oculis haud eruendum esse contendens. Nihilominus tamen aliam in Rempublicam formam induxit, eamque ex Democratia in Oligarchiam, quam semper amaverunt Lacedæmonii, convertit.

Ut itaque victorum suorum mandatis obtemperaret populus Atheniensis, triginta Rectores, qui vulgo *Triginta Tyranni* vocantur, quorumque nomina apud Xenophontem videre licet, sibi elegit. Atque hi eum in finem electi, ut legum suarum corpus facerent, & antiqua istiusmodi decreta, quæ quam maxime iis temporum articulis conveniret, quæque *καινοὶ νόμοι* vocata fuerunt, colligerent. Suprema huic muneri auctoritas comes erat, & eorum commissum fidei omne in urbem imperium fuit. Illi autem ab initio specie quadam juris res agere videbantur, eosque turbulentos homines comprehendentes, qui civibus essent exosi, nec tamen vi legum arceri possent, mortis pœna mulctarunt. Postea vero quam a Spartanis satellitium iis fuerat concessum, ut civitatem, ita enim præ se ferebant, sibi obedientem redderent, statim, quo collimarent, manifesto apparuit; non enim amplius viles & exosos quærebant cives, sed Duces & præcipuos in urbe aggressi sunt, & ut ii, quos non absimile vero erat fore, ut eorum se imperio aliqua ratione opponerent, e medio tollerentur, armatos de domo in domum miserunt. Atque, ut partibus suis majores conciliarent vires, eorumque actis colorem quemdam inducerent, tria ejusmodi civium millia, qui proposito suo maxime conveniebant, elegerunt, iisque, reliquis omnibus postquam arma eripuissent, partem quamdam auctoritatis publicæ largiti sunt. Hocce virium incremento confirmati, majori, quam antea, impetu & ardore sanguinolentum scopum suum prosecuti, sine ullo jure, ullave justitiæ administrandæ forma, imo absque vel ulla simultate, odiove, omnes locupletes, solummodo quo divitiarum ipsorum compotes fierent, trucidarunt: imo eo usque crudelitas avaritiaque eorum occupaverat animos, ut communi consensu statuerint, ut singuli suos, quorum bona facultatesque invasuri essent, possessoresque e medio sublaturi, nominarent: cumque ex ipsorummet numero Theramenes se horrendum illud propositum detestari professus esset, e vestigio damnatum haurire venenum coegerint. AuctoritatemTyrannorum magno ambitu in principio provehere conatus erat hic Theramenes; verum cum illi occiperent ad istiusmodi injuriam inferendam ea abuti, nemo tanta ac ille violentia eorum conatibus obviam ivit, indeque illud contumeliosum *Κόθορνος* nomen sibi contraxit, *ὁ γὰρ κόθορνος ἁρμόττειν μὲν τοῖς ποσὶν ἀμφοτέροις δοκεῖ, cothurnus enim* (calceamenti genus) *utrique pedi aptari videtur*.

Tandem septuaginta numero Athenienses, qui fuga se Thebas contulerant, quique, ut a Tyrannis tuti forent, in voluntarium exsilium erant profecti, in eos conspirarunt, Phylenque, munitum in ditione Atheniensium castellum, ductu & auspiciis Thrasybuli ceperunt, & paulatim vires suas numerumque auxerunt; atque adeo eo usque fuerunt superiores, ut eos Spartam compulerint, omnesque eorum abrogarint leges, novamque illam imperii formam plane everterint. Hunc in modum Olympiadis nonagesimæ quartæ anno quarto libertatem suam recuperarunt, & in agrorum suorum fortunarumque tranquillam possessionem restituti sunt Athenienses; atque, ut contentionibus & litibus, quæ in posterum accidere possent, ansam præciderent, Ἀμνηστίαν, seu *Præteritorum oblivionem*, promulgarunt, ex qua, quicumque injuriæ & crudelitatis per Tyrannorum summum imperium admissæ culpa tenebantur, delicti veniam impetrare poterant.

Postquam gravi jugo servitutis Lacedæmoniorum hunc in modum patriam suam liberarat Thrasybulus, altera illustri ad Cnidum victoria, qua Lacedæmoniorum funditus delevit classem, eam pristinis suis juribus immunitatibusque Conon reddidit. Itaque maris imperium hac ratione adepti, animos receperunt, & non nisi de instaurandis, & in pristinam restituendis gloriam, Athenis cogitarunt. Nec profecto iis, quæ moliebantur, promovendis fortuna obstitit; quippe non tantum Lesbon insulam, Byzantium, Chalcedona, aliaque circum loca ad pristinum obsequium compulerunt, sed & ipsas Athenas ita instaurarunt, ut potentissima & omnium totius Græciæ præcipua urbs evaderet.

Per aliquot annorum decursum hoc loco Atheniensium res perstiterunt, donec ex vilissimis Græciæ ad magnam potentiam evecti Thebani ipsorum magnitudini, ductu eximiaque virtute Epaminondæ, impedimento fuerunt, & de imperii summa cum iis disceptarunt; hanc vero litem subito diremit mors Epaminondæ præpropera, in celebri illa ad Mantineam pugna, quæ magnitudini Thebanorum, qui ut ortum & defensionem suam, ita etiam interitum, magno illo viro debuerunt, finem imposuit. Tot integrorum regnorum vicissitudinem sapientia virtusque unius viri caussæ esse queunt.

Haud minus Atheniensibus quam Thebanis funesta mors Epaminondæ fuit; quippe, cum jam nemo, cujus virtutem æmularentur, cujusve metuerent potentiam, reperiretur, absque æmulo dominabantur, & nimia felicitate ad satietatem usque cumulati ignaviæ luxuriæque sese totos dedebant; avorum virtus contemtui ipsis erat, dura frugalisque illorum vivendi ratio ludibrio; publicos reditus, quos in classes exercitusque impendere soliti fuerant, nunc in ludos erogabant, & in sumtuosa festorum dierum convivia profundebant; theatralibus ludis interesse, quam virilibus exercitiis, & insipidos Comœdorum jocos audire, quam belli facinora, potius amabant, Mimumque forti & experto Duce præferebant longe; imo vero tantopere illis suis voluptatibus immersi erant, ut qui de restaurando exercitu, vel de publicis reditibus in eum sustentandum convertendis, aliquid proponere auderet, capite plectendum decernerent, veluti Libanius observat *Argum. ad Olynthiac.* 1.

Stulta hæc & degener ipsorum, ut & Græcorum aliorum, qui in eamdem supinam securitatem prolapsi sunt, indoles Philippo, qui Epaminondæ Pelopidæque sub disciplina educatus fuerat, Macedonas ex tenui & obscura sorte ad omnis Græ-
A ciæ Asiæque imperium provehendi occasionem præbuerunt, ut notat Justinus *Histor.* l. VI. c. IX. Idque animo conceperat inceperatque Philippus, at ejus filius Alexander Magnus perfecit.

CAP. V.

De Athenarum statu a Philippo Macedone, usque dum a Romanis liberarentur.

QUantumvis Athenienses, reliquique Græci, victricibus Philippi armis nonnihil restiterent, tertio tamen centesimæ decimæ O-
B lympiadis anno, collata ad Chæroneam pugna, devicti fuerunt. Atque hæc clades Græcorum gloriæ, ut maximam partem libertati, quam a tot retro sæculis adversum potentissimos Monarchas in id usque tempus integram servarant, quamque nunquam postea potuerunt recuperare, finem imposuit. Philippus tamen id agens, ut toti Græciæ contra Persas præficeretur, nihil ulterius tentans, neque exercitum suum illorum accessione corroborans, ab omni porro injuria Atheniensibus inferenda abstinuit, usque umbra quadam libertatis frui permisit.

C Vixdum mortuo Philippo rebellantes Macedonum jugum excutere conati ab Alexandro in ordinem facile redacti sunt, delictorumque veniam nullo negotio impetrarunt; quippe Alexander ardenti Persam invadendi desiderio flagrans, a nobili gloriosoque illo conatu vindictam de vili populo sumendo avocari noluit. Eo superstite quieti etiam permanserunt, imo adversus ipsum ne hiscere quidem fuerunt ausi. Sub finem tam regni ejus, cum in remotis regionibus bella gereret, neque otium suppeteret ad singulos eorum motus observandos, exules, quos Alexandr in omnibus Græciæ civitatibus jusserat restitui, recipere re-
D cusarunt. Quamvis in apertam rebellionem erumpere non sustinuerint, Leosthen i, uni ex ipsorum Ducibus, secreta tamen mandata dederunt, ut suo proprio nomine exercitum conscriberet, & ad singulas occasiones paratus esset. Morem iis gessit Leosthenes, & simulac ex vero nunciatum esset, mortuum Alexandrum in Persia, junctis cum aliis Græcis nonnullis suis copiis, Macedonibus, pro libertate Græciæ, bellum aperte indixit. Tandem vero ab Antipatro fusis ejus copiis, in Munychiam præsidium recipere, & iis, quas imponere placeret victori, legibus parere coacti fuerunt. Formam ille itaque imperii ipsorum immutavit,
E Oligarchiamque instituit, omnesque, quorum facultates duo millia drachmarum non æquarent, jure suffragii privavit, & quo melius eos coerceret, seditiosos & malevolos in Thraciam cunctos deduxit. Atque in manus novem fere millium hac ratione potestas suprema devenit.

Mortuo quarto posthæc anno Antipatro, imperio Cassandri, qui in Macedonum successerat regnum, civitas subjecta fuit. Ejus jugum sæpe excutere conati, amatamque tantopere Democratiam recuperare, anno tandem Olympiadis centesimæ decimæ quintæ tertio, manus dare coacti sunt, & lubentes præsidium olim ab Antipatro
F impositum recipere, atque adeo sub ejusdem formæ imperio vivere, & illi, quemcumque demum victori suprema potestate donare placuisset, morem gerere. Demetrius itaque Phalereus, qui, referente Diogene Laertio in *ejus Vita*, ex prosapia Cononis oriundus, & sub Theophrasto Philosophiæ operam dederat, iis præfectus fuit. Qui, cum omni, qua fieri poterat, humanitate & moderatione erga eos uteretur, reditus ipsorum augeret, urbem superbis ædificiis ornaret, & pristino

stino fere splendori redderet, Athenienses, ut istiusmodi illius meritis gratiam rependerent, omnes, quam in tam afflictis rebus suis poterant, honores in eum congesserunt, trecentasque statuas, juxta Attici anni dierum numerum, easque maximam partem equestres, ei erexerunt. Vid. Plin. *Hist. Nat.* Verum enimvero hæc omnia mera adulatio dissimulatioque fuerunt potius, quam vera erga ipsum veneratio; nec enim moderatio, nec tot in ipsos collata beneficia, ullum sincerum erga ipsum amorem producere valuerunt; perpetuo odio ipsum prosequuti sunt, idque eam tantum ob rationem, quia scilicet a Cassandro iis præpositus fuerat; & licet eorum periisset potentia, tamen tam elato adhuc animo erant, ut nihil omnino, quod Tyrannidem saperet, ferre possent. Atque id intra paucos annos manifesto apparuit: cum enim Antigoni filius, Demetrius Poliorcetes, arma ad tuendam, ut obtendebatur, Græciæ libertatem caperet, ab Atheniensibus publicis gratulationibus exceptus est, omnique ipsi ratione suum gaudium sunt testati; Demetrium vero Phalereum fuga ut sibi consuleret coegerunt, absentem morte mulctandum decreverunt, ac ipsius vitæ insidias struxerunt, cumque ipsum prehendere nequirent, furorem suum in ejus statuas exercuerunt, quas maxima cum abominatione & horrore, nonnullis in frusta diffractis, venditis aliis, aliis denuo submersis, everterunt, ita ut ex trecentis, excepta unica, quæ in arce collocata erat, nulla (prout supra citatus Auctor refert) superstes fuerit.

Postquam hac ratione urbem sub potestatem suam redegisset Demetrius Poliorcetes, Atheniensibus populare suum imperium restituit, quindecim millia mensurarum tritici iis est largitus, eamque præterea ligni copiam, quæ exstruendis ad defendendam urbem centum triremibus sufficeret, plenaque illos libertate, nullo imposito ad eos ad obedientiam compellendos præsidio, frui permisit. Verum hacce liberatione adeo abrepti fuerunt Atheniensium animi, ut nimias & impotentes gratias suas testaturi Demetrium & Antigonum non tantum *Regum* nomine, a quo ad id usque tempus abhorruerant, appellarent, sed *Tutelares Deos* suos vocarent. Imo & Sacerdotes ipsis elegerunt, condideruntque legem, ut legati, quos ad illos mitterent, ejusdem cum iis, qui vulgo Delphos ad Pythii Apollinis Oraculum consulendum, vel Elidem ad Olympium Jovem, ad obeunda solemnia Græcorum sacra atque offerenda pro salute & conservatione urbis ipsorum donaria, solebant mitti, quosque θεωρὺς nuncupabant, dignitatis essent. Demetrio in æde Minervæ locum adsignarunt, aramque, ubi e curru primum descenderat, ei posuerunt ac consecrarunt, eamque Δημητρίȣ Καταιβάτȣ, seu *Desultoris*, nominarunt, exhibitis præterea sordidæ maxime adulationis exemplis prope infinitis, quorum Plutarchus in *Demetrio* aliique non perfunctorie meminere. Cum enim (ut eruditorum recentiorum nonnemo observat) Athenienses, qua ratione manibus suis uti possent, forent obliti, eum defectum linguis suis compensarunt, atque ita illam eloquentiam, quam avorum virtus ad virilia magis argumenta accommodaverat, in abjectam converterunt adulationem.

Sed jam inclinante Demetrii fortuna, non ille amplius eorum Deus erat, nec Servator, sed in omnium ante promeritorum gratiam turpiter eum deseruerunt, in urbem ei ingressum negarunt, & plebiscito pœnam capitis statuerunt, si quisquam vel tantillum de reconciliatione cum Demetrio facienda proponere auderet. Hisce intestinis contentionibus turbata civitate, arrepta inde occasione Lachares imperium occupat, sed adveniente Demetrio, recentem auctoritatem abdicare, maturaque sibi fuga consulere coactus fuit.

Hunc in modum secunda vice sub potestatem Demetrii Athenienses redacti sunt. Demetrius vero, quantumvis turpiter ingratos eos expertus esset antea, centum millia medimnorum tritici largitus iis est, & ut eorum favorem melius promereretur, quos populo gratissimos existimabat, ad publica munia promovit. Hac inexspectata generositate ita abrepti, ut impulsu Dromoclidis oratoris communibus populi suffragiis decreverint, ut portus Piræeus & arx Munychia Demetrio, ut de iis quidquid vellet statueret, traderentur. Ille autem priori Atheniensium inconstantia, ne nimium tam submissis servis fideret, edoctus, duobus hisce locis, nec non Museo, validum præsidium auctoritate propria imposuit, eum in finem, (inquit Plutarch. in *Demetrio*) ut qui tantæ animi sui levitatis specimen dederat, populus in obsequio contineretur, neque nova sua perfidia eum ab aliis rebus gerendis avocaret.

Nec tamen hæc omnia ad inquietum populum, omniumque, quæ servitutem redolent, impatientem, in officio continendum suffecerunt. Imminuta enim demum, rebus aliquoties male gestis, Demetrii potestate, iterum defecerunt, ejectoque ejus præsidio libertatem omnibus Atheniensibus denuntiarunt; ac Diphilum, eo anno Tutelarium Deorum, hoc est, Antigoni & Demetrii, Sacerdotem, quo scilicet Demetrio majorem crearent molestiam, ordine moverunt, & sacerdotium edicto populi pristinæ suæ formæ restituerunt. Postquam se aliquantum jam recollegisset Demetrius, justa ob repetitam toties Atheniensium perfidiam ira commotus, arcta obsidione urbem cinxit, sed a Cratero se persuaderi passus eam solvit, ipsisque denuo libertate sua frui permisit.

Mortuo non multo abhinc tempore Demetrio successit Antigonus Gonatas, qui iterum devictis Athenis præsidium imposuit, easque successori suo reliquit. Sed mortuo Demetrio, Gonatæ filio, libertatem suam recuperare jam denuo conati Athenienses, in auxilium vocant Aratum, qui, quamvis ab iis insigni injuria affectus esset, & per longum tempus ex morbo decubuisset, ne tamen difficilibus temporibus urbi deesset, lectica se eo portari curavit, impetravitque a præfecto Diogene, ut Piræeum, Munychiam, Salamina, & Sunium Atheniensibus, pretio centum quinquaginta talentorum, traderet, quorum viginti urbi donavit ipse Aratus. Harum omnium mutationum Pausanias, Plutarchus, & Diodorus non perfunctorie meminerunt.

Cum Philippo, Macedonum Rege, non longo deinde interjecto tempore litem habuere, qui ad angustias eos redegit, regionem eorum vastavit, omnia per pagos Athenis circumjacentes templa diruit, cuncta splendida ædificia evertit, & militibus suis, ut ipsos lapides in frusta comminuerent, imperavit, ne scilicet iis instaurandis denuo inservire possent; quæ omnia damna simul cum pluribus exaggerationibus in oratione Legatorum Atheniensium ad Ætolos apud Livium *lib.* XXXI. cap. XXX. eleganter exhibentur. Sed ab incepto desistere, auxilium Atheniensibus ferentibus Romanis, coactus fuit Philippus, & deletis in integrum postea ejus copiis, plenam Græcis libertatem reliquit, qua, saltem ex parte, defendentibus eos Romanis, per multos annos iis frui licuit.

CAP. VI.

De statu Athenarum a fœdere cum Romanis inito usque ad Constantinum Magnum.

QUamvis Græci, aliique, qui se Romanorum tutelæ committebant, specioso libertatis nomine rerum suarum statum donarent, haud tamen longius, quam iis, sub quorum potestate erant, placebat, manebant liberi. Suis revera legibus regebantur, jureque suos magistratus eligendi gaudebant; sed si Romanorum commodis & beneplacito aliqua ratione obviam ire viderentur, exigua legum ipsorum vis erat. Atque licet in eligendis magistratibus, publicisque rebus administrandis, unicuique liberum esset quodcumque vellet suffragium ferre, attamen si vel Romanorum molitionibus adversaretur, vel paulo frigidiori in eos animo esset, vel (quod idem erat) libertatem ac jura patriæ suæ paulo acrius defenderet, invidis eum oculis, tanquam qui novis rebus studeret & hostili in se esset animo, intuebantur Romani.

Nec profecto aliam ob rationem mille ex principibus Achæorum, nullius criminis insimulati, ne quidem suspecti proditionis, Romam captivi missi sunt, ubi, nil juvantibus innocentiæ ipsorum testimoniis, neque precibus patriæ, quibus Senatum pro eorum libertate perpetuo fatigabat, per septemdecim annos in carcere detenti sunt; quibus elapsis triginta ex eorum numero dimissi sunt, inter quos Polybius fuit, ex cujus sincera narratione hæc omnia, prout gesta sunt, hauriri possunt, quæ ipsorum Historici, licet negare nequeant, utcunque palliare tamen conantur. Cæterum reliqui captivorum vel in carcere mortui, vel evadere conati tanquam malefici pœnam subierunt.

Hisce & similibus rationibus, dum obsequiis & adulatione Romanorum favorem promereri nonnulli conarentur, alii præ vecordia & metu eodem se torrente paterentur abripi, paucique illi, quibus animi satis erat ad patriæ suæ tuenda jura, in exigua existimatione versarentur, omnia secundum vota Romanorum procedebant; imo si quid iis contrarium eveniret, e vestigio eorum legati ad Senatum provocabant, cui potestas facta erat istiusmodi audiendi querimonias, & de iis pro lubitu statuendi, quin & armis ad obedientiam, quicunque se Senatus judicio submittere recusarent, compellebantur, & tanquam hostibus litem intentabant. Nec bellum decernere, nec pacem pangere, imo vel regiones suas defendere, nisi ex Senatus sententia & consensu, licitum iis erat. Quæcunque imponere Senatui luberet vectigalia, ipsis erant persolvenda. Quin & Romanorum præfecti propria nonnunquam auctoritate tributa imperare ausi sunt; & licet Macedonico bello, auditis justis adversus suos istos præfectos querimoniis, Senatus decernere fuerit coactus, ne ulla tributa, præterquam quæ suo mandato imponerentur, Græci penderent, quicunque tamen iis, quæ illi præfecti exigebant, resistere sustinerent, pro homine novas res moliente habitus fuit, tandemque eamdem, quam qui in apertam rebellionem prorumperent, sortem subibat.

Atque hoc loco sub Romanorum imperio res Atheniensium steterunt; patienter tamen huic jugo (sive id facile ferendum, si cum illo, quod iis imposuerant Macedones, compararetur, reputantes, sive quod jamdiu infortuniis adsuefacti vecordes redditi essent, sive quod viribus ad se in libertatem vindicandos destituerentur) sese submiserunt, & nunc temporis satis commodam servilem eam experiebantur libertatem, quam non multis retro elapsis ætatibus summa cum indignatione adspernati fuissent, cuique se, etiam vitæ fortunarumque suarum reliquarum periculo, se eximere omni ope contendissent.

Dehinc ad Mithridaticum usque bellum nullis insignibus vicissitudinibus obnoxii fuerunt; sed malo quodam fato, sive Philosophi Aristonis suasu, sive quod Mithridatis exercitum metuerent, ab ejus partibus steterunt, & intra mœnia sua Archestratum, unum ex Mithridatis ducibus, receperunt; quo facto ira commotus Sylla urbem obsidione cinctam cepit, tamque diram stragem in ea edidit, ut sanguine plateæ inundarentur. Sub idem tempus Piræeum & Munychia penitus combusta, mœnia diruta, prisca monumenta eversa, totaque adeo urbs eum in modum deformata, ut ante Adriani tempora nunquam pristinæ pulchritudini restitui potuerit. Vid. Plutarch. in *Sylla*, Strabo *lib.* IX. Lucius Florus *l.* III. cap. V. Appianus in *Mithridatico*.

Hisce sedatis procellis, pacem ad usque civile inter Cæsarem & Pompejum bellum habuerunt. Qui autem Pompeii partibus favebant, a Cæsaris legato Q. Fusio Caleno arcte obsessi fuerunt, qui, vastatis populatisque omnibus agris circumjacentibus, Piræeum, per id temporis nondum munitum, ac proinde neutiquam resistere valentem, occupavit. Sed ad nuntium Pompejanæ cladis victori sese dederunt, qui pro solita sua generositate in gratiam eos recepit, quippe proavorum ipsorum gloriam virtutemque in mentem revocans, *viventibus propter mortuos se parcere* (ut narrat Dion Cassius *lib.* XLII.) prædicabat.

Nunquam tamen amoris, quo imperium populare prosequebantur, scintillæ exstingui potuerunt: mortuo enim Cæsare, interfectoribus ejus Bruto & Cassio se junxerunt, & præter alios, quos in illos congesserunt, honores, statuas juxta Harmodium & Aristogitona, qui patriæ suæ libertatem adversus Pisistrati filios defenderant, iis collocarunt.

Dehinc post Bruti Cassiique cladem ad Antonium se contulerunt, qui, cum (ut refert Plutarchus in *Antonio*) magnopere exoptaret φιλέλλην, *Græciæ amans*, sed præprimis φιλαθηναῖος, *Athenarum amans*, appellari, multa humanitate eos excepit, multaque iis nequaquam contemnenda largitus est; imo (ut alii volunt) imperium in insulas Tenum, Æginam, Icum, Ceam, Sciathum, & Peparethum concessit.

Postquam vero Antonium superasset Augustus, paulo severius, ob ingratum eorum in suum patrem animum, cum iis egit, & præter alia, etiam jus vendendi civitatem abstulit, ut & insulam Æginam iis eripuit. Vid. Dion Cassius. Novas denuo res moliri, exeunte ejus regno, adgressi, facile ad pristinum obsequium redacti sunt; atque, licet tantam crudelitatem, tot populationes, aliaque passi essent infortunia, multis tamen gavisi sunt singularibus juribus, pristinam Reipublicæ servarunt formam, suoque tempore, qui Tiberio Cæsare imperante vixit, Strabo *lib* IX. eorum res floruisse narrat. Sed & adoptivus Tiberii filius Germanicus eo versum profectus Lictorem habere iis concessit; quippe Lictores apud Romanos summos Magistratus comitabantur, idque supremæ potestatis insigne erat.

Nihil deinde mutationis memoratu dignæ accidit usque ad Imperium Vespasiani, qui Atticam totamque Achaiam Romanorum provinciam fecit, imperatisque tributis, eos ut Romanis legibus parerent adegit.

Sub Nerva libertatis umbra saltem illis appa-

ruit, sed sub imperio tamen Proconsulis erant, plurimasque legum suarum ab Imperatore accipiebant, qui & scholis eos, qui artes & scientias profiterentur, præficiebat, atque Archontes præterea constituebat. Hinc autem est, quod huic numero, antequam ad Imperium perveniret, initiatus sit Adrianus. Nec alia ratione Trajani tempore res se habuit. Plinius enim in Epistola *ad Maximum lib.* VIII. *epist.* XXIV. qui ad regendam Achaiam missus erat, eum admonet, ut potestate sua moderate uteretur, & Athenienses quod attinet, inhumanissimam fore barbariem pronuntiat, si eos illa umbra illoque nomine libertatis, quod unum iis reliquum erat, privaret.

Nec tamen pax, nec jura illa singularia, quibus ab hisce & aliis Romanis Imperatoribus fruebantur, unquam compensandis ingentibus illis, quæ sub Sylla passi erant, damnis usque Adriani tempora suffecerunt. Is enim cum Archon esset, singulari civitatem favore prosequebatur, & ad Imperium ubi pervenerat, insignia iis jura concessit, æquas & moderatas leges statuit, magnam pecuniæ vim & annuum frumentum largitus est, totamque iis Cephaleniam insulam dedit. Deinde arces dirutas instauravit & pristino restituit splendori, novorumque ædificiorum integram regionem, quam Adrianopolim nuncupavit, suis sumtibus addidit. Brevi totam urbem tantopere exornavit, ut *Novæ Athenæ* vocata exinde sit. Atque hoc, præterquam quod ex aliis apparet monumentis, etiam videre licet ex Inscriptione, quæ exstat in Aquæductu, quem inchoavit Adrianus, successor vero ejus Antoninus perfecit.

IMP. CÆSAR. T. ÆLIUS. HADRIANUS. ANTONINUS. AUG. PIUS. COS. III. TRIB. POT. II. P. P.

AQUÆDUCTUM. IN. NOVIS. ATHENIS. COEPTUM. A. DIVO.

ADRIANO. PATRE. SUO. CONSUMMAVIT. DEDICAVITQUE.

Vid. Gruter. *pag.* CLXXVII. Et ex alia quadam apud eumdem Inscriptione *pag.* CLXXVII. liquet, illos eum pro altero urbis suæ fundatore coluisse.

ΑΙ Δ ΕΙΣ ΑΘΗΝΑΙ ΘΗΣΕΩΣ Η ΠΡΙΝ ΠΟΛΙΣ
ΑΙ Δ ΕΙΣ ΑΔΡΙΑΝΟΥ Κ ΟΥΧΙ ΘΗΣΕΩΣ ΠΟΛΙΣ.

Athenæ hæ sunt antea Thesei urbs,
Hæ sunt Adriani, non vero Thesei urbs.

Multa alia hic Imperator iis largitus est, quæ ejus successores, M. Antoninus Pius, & M. Antoninus Philosophus, illis continuarunt auxeruntque, quorum hic publicis omnium artium & scientiarum Professoribus stipendia concessit, atque ipsemet eorum ordini inscribi voluit.

Sed dum privatus adhuc Athenis operam litteris daret Severus, & injuria vel contumelia quadam ab Atheniensibus esset affectus, domum reversus vindictam de illis sumere constituit, nec (ut vulgo existimant) aliam ob causam magnam juris ipsorum partem iis abstulit, ut est apud Spartianum.

At impensius his favit Valerianus; mœniaque instaurare ipsis permittit, quæ, ex quo ea diruerat Sylla, per trecentos & ultra annos in ruderibus jacuerunt. Vid. Zosimus.

Hisce tamen novis mœnibus a Gothorum furore sese tutos præstare nequiverunt. Hi enim sub Gallieno, (prout Zosimus refert) vel (ut placet Cedreno) sub Claudio, in suam potestatem urbem redegerunt, sed iis nova illa victoria diu frui haud permisit Cleodemus, qui Barbarorum se furori cum subduxisset, ingentemque hominum naviumque collegisset numerum, partem eorum navali pugna devicit, reliquosque urbem relinquere & matura fuga saluti suæ consulere coegit. Vid. Zonaras. Memoratu dignum est, quod de Gothis narrat Cedrenus, eos nempe, cum urbem depopularentur, & magnum numerum librorum coacervassent, ut eos scilicet comburerent, mentem ob hanc rationem mutasse, quia Græcos, cum tempus suum iis legendis impenderent, ab rebus bellicis avocatum iri existimabant.

CAP. VII.

De Athenarum statu a Constantino Magno.

INclinante jam Romanorum magnitudine, præcipuus e magistratu Atheniensium Σρατηγὸς, quasi *dux exercitus*, vocatus fuit; verum Constantinus Magnus, præter multa alia jura singularia civitati concessa, illum nomine Μεγάλη Σρατηγ, seu *Magni Ducis*, donavit. Leg. Julianus *Orat.* I. Nicephorus Gregoras *Hist. Rom. lib.* VII. Constantius, rogatu Proæresii, eorum principatum, varias iis Archipelagi insulas largiendo, latius extendit.

Imperantibus Arcadio & Honorio, Græciam invasit Gothorum Rex Alaricus, omniaque vastavit & diripuit, jamque ipsas Athenas occupare statuerat, nisi tutelaris urbis Dea armata, quæque formam istarum statuarum adsumserat, quæ protectrici Minervæ dicabantur, simul etiam Achilles eo, quo Homerus eum depingit, modo, cum ob mortem Patrocli in rabiem concitatus in Trojanos extremo cum furore irrueret, ei apparuissent. Vid. Zosimus *lib.* V. Sed nullam apud horum temporum Scriptores hujus rei mentionem reperire licet, contra autem Athenas commune reliquis Græcis fatum subiisse narrant; hinc illud Claudiani *in Ruff. lib.* II.

Si tunc his animis acies collata fuisset,
Prodita non tantas vidisset Græcia clades;
Oppida semoto Pelopeia Marte vigerent;
Starent Arcadiæ, starent Lacedæmonis arces;
Non mare flagrasset geminum flagrante Corintho;
Nec fera Cecropias traxissent vincula matres.

Quin & Synesius *Epist.* CCXXXV. qui eodem tempore vixit, nihil Athenis splendidum, nec memoratu nec admiratione dignum, superfuisse, præter priscarum ruinarum celebria nomina, testatur; & veluti in sacrificiis consumto corpore ex toto animali, præter inanem pellem, nihil reliquum est, ita etiam Athenis, splendida & magnifica ædificia postquam eruta & subversa essent, nihil præter extimam superficiem superstes mansit.

Atheniensibus, ob uxorem Athenis oriundam Reginam Eudociam, favisse dicitur Theodosius II. Pari modo & Justinianus admodum in eos propensus fuisse narratur; sed ab ejus Imperio per septingentos fere annos, sive quod tam incondita barbaraque sæcula Historicorum penuria laborarent, sive quod pace fruerentur & obscuram agerent vitam, neque quidpiam, quod posteris tradi mereretur, dignum perpetrarent, paterenturve, nulla rerum apud eos transactarum ante XIII. sæculum mentio facta reperitur.

Atque tum temporis sub potestate Balduini Athenæ fuerunt, (uti refert Nicetas Choniates in *Vita Balduini*) easque obsidione cinxit unus ex Theodori Lascaris, per ea tempora Imperatoris Græcorum, præfectis, qui non sine virium detrimento obsidionem solvere fuit coactus. Nec diu post alteram a Comite Bonifacio obsidionem, qui eas sub imperium suum redegit, expertæ sunt.

Dehinc sub potestate Delvis cujusdam, e domo Arragonia oriundi, fuerunt; quo mortuo, Bajazeto Turcarum Imperatori paruerunt. Vid. Chalcocondylas *lib.* III. A Catalaunis postea, duce Andronico Palæologo seniori, ceptæ fuerunt. Leg. Niceph. Greg. *lib.* VII. Hos vero Catalaunos Chalcocondylas Κελτιβήρας appellat, eosque a Reinerio Acciaiolo Florentino, qui, cum legitima ipsi proles mascula deesset, suprema sua voluntate Venetiarum Reipub. eas adsignaverat, e possessione sua deturbatos refert.

Nec diuturnum Venetiarum in Athenas imperium fuit: ab Antonio enim, filio notho Reinerii, qui summam in Thebas & Bœotiam potestatem ipsi concesserat, eo orbatæ sunt; a quo tempore per aliquot annos Acciaiolis Athenæ paruerunt: Antonio enim successit e consanguineis Nerius nomine; qui a fratre Antonio regno, cui impar erat, pulsus, eodemque mortuo id denuo recuperavit; cum vero unicus illi filius esset, adhuc infans, successit ejus uxor, quæ ob stoliditatem, delatore Franco secundo natu Antonii filio, a Mahomete regno pulsa est; illique Francus ubi successerat, per aliquod tempus in carcere detentam occidi jussit: qua de causa ad ejus filio apud Mahometem II. insimulatus cum esset, exercitus sub ductu & auspiciis Omaris ad eum obsidendum missus fuit. Quo intellecto Francus Latinorum imploravit auxilium, quod plane ipsi denegarunt, nisi subditos suos eo adigeret, ut in omnibus Romanam superstitionem imitarentur, omnibusque iis fidei renuntiarent articulis, in quibus a Latinis Græca Ecclesia dissentiret; quod cum præstare nequiret, anno Domini CIↃCCCCLV. Athenas Turcis dedere coactus fuit, atque ita sub eorum potestate in hunc usque diem permanserunt. Vid. Chalcocond. *lib.* VI. & IX.

CAP. VIII.

De urbis Athenarum mœniis, portis, plateis, ædificiis, &c.

PUlcherrima atque maxima totius Græciæ urbs, quamdiu summo suo splendore conspicua esset, Athenæ fuerunt; quippe Aristides *Panathen.* circuitum earum integri diei facit. Quod tamen rhetoricam potius hyperbolen, quam accuratam veramque computationem, sapit; si enim fidem exactissimo calculo habeamus, totus Athenarum ambitus CLXXVIII. stadia, hoc est, paulo ultra duo & viginti Romana milliaria, duntaxat complexus fuit.

Sed varias rerum fortisque vicissitudines expertæ sunt, antequam ad id fastigium magnitudinis adscenderunt; nam ab initio, quod postea arx evasit, tota urbs erat, eaque Cecropia ab ejus primo conditore Cecrope nuncupata, quem primum urbes condendi rationem invenisse referunt, atque hinc Athenienses, antiquitatis vel minima specie superbientes, eam, utpote primam urbem, per excellentiam ἄστυ & πόλιν nominaverunt. Leg. Stephanus *Voc.* Ἀθῆναι. Dehinc regnante Erichthonio, mutato priori Cecropiæ nomine, Athenæ dictæ sunt. Inter varias hujus denominationis rationes vulgatissima est, nomen hoc a Minerva, quæ Græcis Ἀθήνη, quia nempe illa tutelaris urbis Dea

A fuit, desumtum fuisse: omnes profecto turres arcesque huic Deæ consecratæ erant, atque hanc ob causam Catullo vocatur,

Diva tenens in summis urbibus arces.

Idemque *in Homeri Iliad.* ζ. observavit Eustathius *pag.* 483. Edit. Basil. cum Minervæ templum in Trojana arce fuisse memorat:

Νηὸν Ἀθηναίης γλαυκώπιδος ἐν πόλει ἄκρῃ.

Templum Minervæ cæsiis oculis in arce.

In latissima amœnissimaque planitie & in excelsæ rupis summitate sita fuit: ut enim modo citatus Auctor observat *ad Iliad.* δ. *pag.* 384. primis urbium conditoribus per hæc tempora in more posi-

B tum fuit, ut in rupium præcipitiis excelsisque montium earum fundamenta jacerent, eum scilicet in finem, partim ut valide se adversus invadere conaturos tueri possent, partim imprimis quoniam eorum ope se tutos fore sperarent ab inundationibus, quibus tunc temporis admodum sibi metuebant, earum enim deplorandos effectus & audiverant, & sub Ogyge & Deucalione fuerant experti. Aucto deinde incolarum numero, ædificiis repleta tota planities fuit, & a situ ἡ κάτω πόλις, sive *urbs inferior*, sicuti Cecropia ἡ ἄνω πόλις, vel Ἀκρόπολις, sive *superior urbs*, dicta.

C Arcis ambitus sexaginta stadiorum fuit, ligneis sudibus septus, vel (ut quidam volunt) oleis cinctus; qua de re, cum Athenienses suis copiis adgrederetur Xerxes, consultoque Oraculo responsum esset, ut ligneis se mœnibus tutarentur, nonnulli juberi se Acropolin ingredi, ibique hostis adventum exspectare existimabant; quod experti quidam, nulla salutis spe hostibus resistentes, tandem eorum numero superati lugubres ineptæ suæ interpretationis effectus persentire coacti sunt. Vid. Syrianus *in Herm.* Cornel. Nepos.


Munita erat arx fortissimo muro, cujus pars paulo versus Austrum spectans a Cimone, Miltiadis fi-


D lio, ex spoliis e Persico bello relatis exstructa, & Κιμώνιον τεῖχος, *murus Cimonius*, vocata fuit. Leg. Plutarch. in *Cimone*.


Multis ante sæculis Borealis muri pars ædificata fuit ab Agrola, (veluti Pausanias) vel (ut Plinius refert) ab Euryalo & Hyperbio fratribus, qui, cum in id usque tempus in cavernis degerent, primi domos struendi artem Athenienses docuerunt. Hi Tyrrhenii natione erant, a qua omne genus ædificiorum in Græcia originem duxisse, indeque muri & arces Τύρσεις nuncupata esse dicuntur. Leg. Phavor. *Voc.* Τύρσις. Murus hic Πελασγικὸν, vel Πελαργικὸν dictus, quia *Pelasgi* ejus fundatores a


E perpetua obambulatione, vel sedium suarum ex una in aliam regionem, in morem ciconiarum, quæ Græcis πελαργοὶ, mutatione denominati fuerunt. Vid. Strabo *lib.* IX. Plin. *lib.* VII. LVI. & Pausanias *Atticis*. Diris devotum fuisse, quicumque sub hoc muro ædificasset, quia scilicet Pelasgi, dum ibi commorarentur, adversus Athenienses conspirarunt, refert Thucydides ejusque Scholiastes *lib.* II. Addit vero Pollux *lib.* VIII. cap. IX. fossam hic ducere, vel frumentum serere, lege vetitum, quique eam transgressus foret, a Nomothetis comprehensum, ab iis ad Archonta deductum, ipsique ab eo trium drachmarum mulctam


F irrogatam fuisse. Novem portis insignis fuit, indeque nonnunquam ἐννεάπυλον vocatur; sed, licet complures minores portæ essent, arx tamen unicam tantum magnam portam, sive introitum, habebat, ubi per gradus albo marmore inductos adscendebatur; opus id Periclis erat, tam superbe exstructum, ut impensi sumtus ultra mille drachmas fuerint. Leg. Plutarchus in *Pericle*, Pausan. *Atticis*, Harpocrat. & Suidas *Voc.* Προπύλαια.



Fig. 2.


Fig. 4


Fig. 6
II Stadia
Oriens


Fig. 5


Fig. 1


Fig. 3

A Interna arcis facies innumeris ædificiis exornata fuit, ut & ftatuis, & monumentis, in quibus prifcæ omnes hiftoriæ minutim depictæ, ita ut continui ornamenti fpeciem præ fe tuliffe Ariftides in *Panathenaica* refert. Tædium pareret harum omnium defcriptio, eamque jam exhibuit doctiffimus J. Meurfius, qui fumma induftria omnes Antiquitatis reliquias, quæ hinc inde per veteres Auctores difperfæ erant, in unum corpus collegit. Inter hæc memoratu maxime digna fuerunt.

Minervæ Templum, Νίκη, vel *Victoria*, vocatum, in quo Dea, malum Punicum dextra, finiftra caffidem tenens, confpiciebatur, alis deftituta, B in memoriam fcilicet rerum in Creta a Thefeo profpere geftarum, quarum fama non nifi ad ejus adventum Athenas pervenerat: vulgo antea in aliis locis alata Victoria repræfentabatur. Leg. Suidas & Harpocration. Arcem introeunti ad dextram illud erat, ex albo exftructum marmore.

In media fere arce magnificum Minervæ Templum fuit, quod *Parthenion*, vel quia virginitatem fuam illibatam fervaret Dea, vel quia Erechthei filiabus, quæ præ aliis παρθένοι dicebantur ex Hefychio, dedicatum effet, nuncupaverunt. Quin & Ἑκατόμπεδον, quod centum quadratos pedes pateret, C vocatum eft. A Perfis combuftum, a Pericle inftauratum, & ab unoquoque latere per quinquaginta pedes fuit ampliatum. Vid. Paufanias, Plutarch. in *Pericle*. Ducentos & feptemdecim pedes & novem pollices longum, nonaginta octo pedes & fex pollices latum effe, ac præcellenti albo marmore conftare, &, five materiam, five artem fpectes, omnium, quæ fuperfunt, Antiquitatis monimentorum longe pulcherrimum effe, Georgius Wheeler refert.

Neptuni, cognomine Erechthei, Templum duplex ædificium erat, & præter alia curiofa falfum fontem Ἐρεχθηΐδα dictum, qui e terra, Neptuni Tridente percuffa in ipfius cum Minerva li- D te, exfilierat, continebat. Atque hæc ejus pars Neptuno confecrata fuit. Altera Templi pars Minervæ facra, Πολιάς, id eft, *Urbica*, vel *Protectrix urbis*, & Πάνδροσος ab una e Cecropis filiabus denominata fuit. Sacra hic olea, a Minerva producta, & imago ipfius Deæ, cœlo, ut ferebatur, regnante Erechtheo, delapfa, reperiebantur. Ab uno alterove dracone, qui οἰκουροὶ ὄφεις, *domi cuftodes ferpentes*, dicti, hæc imago cuftodiebatur, & ante eam perpetuo ardebat oleo repleta lampas, ululaque illi adfidebat. Leg. Apollodor. *l.* III. Plutarch. *Sympof. lib.* IX. *quæft.* VI. Ambo ad hunc ufque E diem permanferunt hæc ædificia, minufque, quo ad majus introitus datur, viginti novem pedes longum, & viginti cum uno pedes & tres pollices latum, majus vero fexaginta tres cum dimidio longum, & triginta fex pedes latum eft. Ionicis ftriatis columnis fuftentatur tectum, earum vero capitula mixti ex Ionico & Dorico ordinis effe videntur.

In pofteriori Minervæ Templi parte publicum Ærarium erat, quod a fitu Ὀπισθόδομος, feu *pofterior domus*, dictum. In hoc, præter alios nummos publicos, talenta mille, adverfum urgentem aliquam neceffitatem, reponebantur; fed pœna F illi capitalis decreta erat, quicumque eos tralatitia de caufa expendiffet. Præterea omnium eorum, qui in Reipublicæ ære effent, nomina hic loci catalogo infcripta reperiebantur, atque hinc illi ἐγγεγραμμένοι ἐν τῇ Ἀκροπόλει, *in Arce infcripti*, e contra qui debita exfolviffent, ἐκ Ἀκροπόλεως ἐξαληλιμμένοι, *ex Arce deleti*, vocabantur. Hujus Ærarii tutelares Dii fuerunt Jupiter Σωτὴρ, *Servator*, & divitiarum Deus Plutus, quem alatum, & (quod aliis locis infolitum) videntem repræfentabant. Vid. Ariftoph. Scholiaft. *Pluto*, Etymologus, Thucyd. *l.* II. Philoftr. Εἰκόν *l.* II. Demofthen. Schol. *Orat.* III. *in Timocratem*. Utriufque hujus Dei ftatuarum meminit Ariftophanes fub finem *Pluti* fui, ubi Carionem admodum occupatum in collocando, poftquam vifum recuperaffet, juxta ftatuam Jovis Servatoris ille Deo introducit:

ΚΑΡ Θάῤῥει. καλῶς γὰρ ἔσαι, ἢν Θεὸς θέλῃ,
Ὁ Ζεὺς ὁ Σωτὴρ γὰρ πάρεστιν ἐνθάδε
Αὐτόματος ἥκων ΙΕΡ. Πάντ' ἀγαθὰ τοίνυν λέγεις.
ΚΑΡ. Ἱδρυσόμεσθ' οὖν αὐτίκ', ἀλλὰ περίμενε,
Πλοῦτον, ὅπερ πρότερον ἦν ἱδρυμένος,
Τὸν Ὀπισθόδομον ἀεὶ φυλάττων τοῦ Θεοῦ.

CAR. *Bono animo fis: nam, Deo volente, bene omnia*
Habebunt: quandoquidem tuus ille Juppiter
Servator hic eft, quo fponte advenit fua.
SAC. *Bene hercle nuntias.* CAR. *Parumper fuftine,*
Nam Plutum eodem collocabimus, ubi erat
Prius repofitus Juppiter, ut ærarium
Palladis in munito loco cuftodiat.

Poftea ad ufque fundamenta hæc domus ab ærario præfectis incendio deleta fuit. Hi enim poftquam publicos nummos decoxerant, ne a civibus repetundarum accufarentur, hac fibi ratione confuluerunt. Leg. Demofth. ejufque Schol. *Orat. in Timocr.* Varia præterea alia in Arce memoratu digna ædificia exftiterunt, veluti Jovis Σωτῆρος, *Servatoris*, & Minervæ Σωτείρας, *Servatricis*, facella, ex Lycurgi *Orat. in Leocratem*. Agrauli, filiæ Cecropis, vel Minervæ potius, eo cultæ nomine, Templum, in prominenti & præcipiti fragofaque rupis parte, juxta Herod. *l.* VIII. Et (ut unum tantummodo addam) Veneris Ἱππολυτείας Templum, quod, Hippolytum cum perdite amaret, Phædra dedicavit, fecundum Euripid. Schol. in *Hippolyto*.

Inferiorem vero urbem, in qua omnia illa, quæ arcem cingebant, ædificia una cum caftello Munychia & duobus Phalero Piræeoque portubus continebantur, haud æque ubique validus ambiebat murus, quippe qui variis temporibus & a diverfis artificibus effet exftructus. Hujus præcipuæ partes fuerunt Μακρὰ Τείχη, *Longi Muri*, quæ urbi portum Piræeum jungebant. Horum longitudo erat quinque admodum milliarium, atque hinc eos Plutarchus in *Cimone* μακρὰ σκέλη, *longa crura*, Propertius autem *l.* III. *Eleg. longa brachia* vocavit:

Inde ubi Piræei capient me litora portus,
Scandam ego Thefeæ brachia longa viæ.

Laterum duorum, ex quibus conftabat, alterum, Septentrioni expofitum, a Pericle fummis fumtibus exftructum eft, (ut narrat Plutarch. in *Pericle*) continetque XL. ftadia; Auftro obverfum alterum Νότιον τεῖχος, *Auftralis murus*, vel διὰ μέσου τείχη, *intermedii muri*, vel Νότιον διὰ μέσου τεῖχος, *murus Auftralis intermedius*, ut ab Auftrali ipfius arcis muro diftingueretur, vocatum fuit; imo nonnunquam & τεῖχος Φαληρικὸν, *Phalericus murus*, quia Phalerum portum in fe continebat. A Themiftocle ex ingentibus quadratis lapidibus factus, nec cæmento coagmentatus, fed ferro plumboque compactus fuit. Quadraginta cubitorum fuit altitudine, quæ Themiftoclis propofito ex dimidia tantum parte refpondebat; longitudine vero triginta quinque ftadia adimplebat. In utrifque complures erectæ erant turriculæ, quæ Athenienfibus, ubi eum in numerum excreverant, ut eos urbs non caperet, domiciliorum vicem præftiterunt. Vid. Plu-

tarch. in *Themistocle*, Appian. in *Mithridatico*, Thucyd. *l.* I. & II. Μουνύχιον, vel murus, qui Munychiam circumdabat, eamque jungebat Piræeo, LX. stadia complectebatur; & exterior ab altera urbis parte murus longitudine XLIII. stadia æquabat, ita ut totus urbis ambitus CLXXVIII. stadia, quæ viginti duo Romana milliaria aliquantum superant, complexus fuerit.

Præcipue urbis portæ fuerunt. I. Πύλαι Θριάσιαι, *Porta Thriasia*, postea Δίπυλον vocatæ, quia scilicet omnibus reliquis latiores erant. Ad introitum Ceramici fuerunt, unde eædem esse videntur cum Πύλαις Κεραμικοῦ, *Portis Ceramici*, apud Philostratum in *Philagro Sophist. lib.* II. Xenophontem *Hist. Græc. lib.* II. Plutarch. in *Pericle* & *Sylla*.

2. Πύλαι Πειραϊκαὶ, *Porta Piræensis*, quæ ad Piræeum ducebat; prope hanc Herois Chalcodoontis Templum, & eorum, qui patriam suam defendentes, cum sub Theseo Atticam invaderent Amazones, occubuerunt, monumenta fuerunt exstructa, ut refert Plutarch. in *Theseo*.

3. Ἱππάδες, *Porta equestris*, prope quam Hyperides Rhetor ejusque familia sepulti fuerunt, ex Hesychio.

4. Ἠρίαι, *Sepulcralis*, quia per illam cadavera ad sepulcra, quæ ἠρία Græcis, efferebantur. Vid. Theophrast. *Charact. Ethic.*

5. Ἱεραὶ, *Sacra*, ducebat Eleusinen: hac qui Eleusiniæ Cereris sacra celebrabant, solenni ritu egredi consueverant, & ab hoc more nomen suum porta traxit; quidquid enim vel tantillulum ad hæc mysteria attineret, ἱερὸν, *sacrum*, appellari solebat.

9. Αἰγέως Πύλαι, *Ægei Porta*, Thesei patris, cujus domus eo erat loco, quo postea Delphinium exstructum fuit; atque exinde Mercurii ad orientalem Templi partem statua, Ἑρμῆς ἐπ' Αἰγέως πύλαις, *Mercurius ad portam Ægei*, fuit dicta, unde hanc portam prope Delphinium fuisse constat. Leg. Plutarch. in *Theseo*.

7. Διοχάρους Πύλαι, *Porta Diocharis*.

8. Πύλαι Ἀχαρνικαὶ, *Porta*, quæ versus *Acharnas*, Atticæ pagum, prospicit.

9. Διόμειαι, versus pagum *Diomia*.

10. Πύλαι Θρακίαι, *Porta Thracia*.

11. Πύλαι Ἰτωνίαι, *Porta Ionia*, cui proxima erat columna in memoriam Amazonum erecta. Vid. Æschines Philosophus in *Axiocho*.

12. Πύλαι Σκαιαὶ, *Porta Scæa*. Leg. Hilduinus in *Vita Dionysii Areopagitæ*.

13. Ἀδριανοῦ Πύλαι, *Porta Adriani*, qua in partem urbis, ab illo Imperatore instauratam, & Ἀδριανόπολιν dictam, introitus est.

Vias Athenarum quod attinet, in genere de iis dici potest, non admodum uniformes fuisse, nec pulchras, (ut refert Dicæarchus in *Descriptione Græciæ*) & quamvis Homerus *Odyss.* VII. ἀγυιὰς nuncupet,

> Ἵκετο δ' εἰς Μαραθῶνα, καὶ εὐρυάγυιαν Ἀθήνην,
> *Venit autem Marathona, & latas plateas habentes Athenas,*

videtur tamen duntaxat magnitudinem, non vero pulchritudinem ipsarum designare; ita enim aliis in locis eodem epitheto Poeta usus est. Magnus sine dubio viarum numerus, sed plurima earum nomina plane perierunt; paucaque, si modo ulla, præter sequentia apud Auctores reperire licet. Ἱερὰ Συκῆ, Via Eleusina ducens. Ὁδὸς Θησεία, *Via Thesei*, inter Longos Muros, ad Piræeum tendebat, videturque eadem esse cum illa, quæ ἡ εἰς Πειραιᾶ, *Via Piræensis*, vocabatur. Ἡ τῶν πολεμίων, *Via hostium*, prope Academiam. Ἡ τῶν Ἑρμογλύφων, *Via Statuariorum*. Ἡ τῶν Κιβωτοποιῶν, *Via Arcu-lariorum*. Ἡ Ἑστία, *Via Vestæ*. Ἡ ξενικὴ, *Via peregrinorum*. Μυρμήκων ὁδὸς, *Via formicarum*. Ῥύμη τρίτη, *Vicus tertius*.

Τρίποδες, Via prope Prytaneum fuit, in qua multis in locis complures ænei tripodes affabre elaborati reperiebantur, inter quos etiam celebris ille Satyrus, Græcis Περιβόητος dictus, ex præcipuis Praxitelis operibus. Ac de his Tripodibus integrum opus scripsisse Heliodorus dicitur, ut videre est apud Harpocrat. *Voc.* Ονήτωρ.

Proximum est, ut inferioris orbis ædificia enarrem; itaque eorum duntaxat, quæ memoratu maxime digna exstiterunt, vel a quibus historia quæpiam, sive consuetudo dependet, mentionem facturus sum; reliqua quod attinet, Lectorem ad Pausan. & Meursii uberiores *Commentarios* remitto.

Magnificum ædificium fuit Πομπεῖον, in quo sacra utensilia, quorum diebus solennibus usus erat, servabantur, ibique omnia, quæ ad pompam spectabant, apparare erant soliti. Ad veteris urbis introitum, qua Phalerum spectat, situm, variisque statuis Heroum Atheniensium exornatum fuit. Et profecto vix ullus in urbe locus reperiebatur, qui istiusmodi figuris repletus non esset.

Vulcani, vel Vulcani & Minervæ, Templum, haud longe a Ceramico intra urbem, publicus carcer fuisse videtur; frequens enim eorum, qui ibi torquerentur, mentio occurrit.

Huic proximum Cœlestis Veneris Templum; duplex enim iis Venus fuit, quarum alteram, quæ castis amoribus præesset, Οὐρανίαν, *Cœlestem*, alteram vero, quæ libidini & fornicationi, Πάνδημον, *Vulgarem*, nuncupabant. Sicut autem natura & charactere diversæ erant hæ Veneres, ita & variæ in ipsarum cultu adhibebantur cærimoniæ. Primam colentes modeste & graviter se gerebant, alteri præter petulantiam lasciviamque nil gratum erat. Imo publica lupanaria in ipsius Templo, in quibus meretrices prostabant, permisit Solon. Præter hæc modo dicta, varia adhuc alia Veneri templa dedicata fuerunt, quo blandirentur Demetrio Poliorcetæ, uti Veneri Lamiæ, & Leænæ, in honorem duarum ejus amasiarum, quæ hisce nominibus nuncupabantur. Quin & eo adulationis processerunt Athenienses, ut Deorum suorum numero varios ex Parasitis suis adscriberent, ac in eorum honorem templa arasque exstruerent. Vid. Plutarch. in *Demetrio*.

Thesei Templum a Conone in media urbe fuit ædificatum, prope illum locum, ubi juventus luctam aliaque exercitia corporis addiscere solebat, hocque singulare jus ipsi concessum, ut asylum servis esset, iisque omnibus mediocris fortunæ hominibus, qui a potentiorum persecutione illuc confugerent, idque in memoriam factum Thesei, qui, dum viveret, oppressos tutari, iisque auxilium ferre adsueverat. Plurima præter hæc alia Templa Theseo adhuc superstiti sacrata sunt, ibique gratias pro beneficiis ab eo in urbem collatis referebant Athenienses; quæ tamen omnia, exceptis quatuor, Herculi dedicavit, & quæ antea Θήσεια, *Thesea*, tum Ἡράκλεια, *Herculea*, vocavit; etenim ex Philochoro refert Plutarchus in *Theseo*, Theseum, auxilio Herculis, e manibus Regis Molossorum liberatum fuisse. Vario usui unum eorum inserviit: quippe magistratus quidam ibi loci a Thesmothetis lecti, juxta Æschin. *Orat. in Ctesiphont.* Causæ etiam hic dicebantur, & carcer erat, ex Etymologo. Atque hinc quidam furcifer ingeniose ab Aristophane Θησειότριψ dictus, quem & non minori elegantia *Colonum carceris* Plautus appellat.

NB. Fig. I. Tab. I. pertinet ad pag. 25.

In hunc usque diem Thesei Templum conspicitur, & (ut refert Georgius Wheeler) Templo Minervæ in arce exstructo per omnia, si ejus materiam, formam, ordinemque Architecturæ attendas, simile, latitudinis vero tantæ non est. S. Georgio dicatum, & artificiosissimum est ædificium, cui par vix inveniri, multo minus quod illud superet, aliud potest. Tab. I. Fig II. col. 29.

Ἀνάκειον, Templum Castoris & Pollucis, qui Ανακεῖς vocati sunt. Hic servi venum exponebantur.

Ὀλύμπιον, vel Ὀλυμπίειον, Templum fuit in honorem Jovis Olympii exstructum, superbissimum Atheniensium ædificiorum, quod quatuor stadia ambitu suo complectebatur, eamque ob rationem columnis illud suffulcire necesse habebant, quod ante hæc tempora Athenis incognitum erat, ut ait Plinius *l.* XXXVI. c. VI. Hujus fundamenta jecit Pisistratus, plurimique, qui illi successerunt, Imperatores aliquid eidem adjecerunt, nunquam tamen ante Adriani tempora, quæ in septingentesimum a Pisistrati Tyrannide annum incidunt, omnino perfectum fuit.

Apollinis & Panis Templum in infima arcis parte fuit, versus septentrionem, in spelunca vocata Μακραὶ πέτραι, *Longa rupes*, vel Κεκρόπιαι πέτραι, *Cecropiæ rupes*. Hic Creusam filiam Erechthei Apollo dicebatur destuprasse. Apud Euripidem *Ione* ejus mentio exstat;

> ——— οἶδα Κεκροπίας πέτρας,
> Πρόσβορρον ἄντρον, ἃς Μακρὰς κικλήσκομεν;
> Πρ. Οἶδ', ἔνθα Πανὸς ἄδυτον, καὶ βωμοὶ πέλας.

> ——— *novisti Cecropias rupes,*
> *Septentrionale antrum, quos Macras vocamus?*
> *Novi, ubi Panis adytum, & aræ prope.*

Dianæ etiam Templum fuit Λυσιζώνη, exinde dictæ, quod mulieres, quæ primum pariunt, zonas suas solvere, easque illi Deæ dedicare, solitæ essent, ut refert Apollonii Schol. *l.* I.

Πάνθεον omnibus Diis sacratum fuit, qui ut erant simul omnes in uno templo conjuncti, ita & unum commune festum, quod Θεοξένια dictum, in eorum honorem celebrabatur. Magnificentissimum id fuit & centum viginti columnis marmoreis suffultum, extrinsecus omnes Deorum historiæ accurate sculptæ erant, & supra magnam portam collocati erant duo equi, summo artificio a Praxitele facti. Etiam nunc hæc exstant, prout Theodorus Zygomalas testatur in *epistola ad Martinum Crusium* A.D. CIƆIƆLXXV. exarata, in qua res Athenarum, sicut eo se habebant tempore, describit.

Templum Octo Ventorum, a Pausania omissum, commemorat describitque Georg. Wheeler ex Vitruvio, qui accuratiores observatores ventorum in octo eos divisisse narrat; veluti præsertim Andronicus Cyrrhastes, qui hanc formam Atheniensibus exhibuit; turrim enim octogonam marmoream exstruxit, singulisque ejus lateribus figuram venti ab ea parte qua flabat insculpsit. Summitati hujus turris exiguam marmoream pyramidem imposuit, cujus vertici impositus æneus Triton flagellum dextra tenens, quo circumacto ventum tum spirantem indicabat. Omnes exacte venti pyxidi nauticæ respondebant, & figuris naturæ ipsorum convenientibus exhibebantur, hisce eorum nomina grandioribus Græcis literis superscripta erant sequentia, ΕΥΡΟΣ, *Eurus*, ΑΠΗΛΙΩΤΗΣ, *Subsolanus*, ΚΑΙΚΙΑΣ, *Cæcias*, ΒΟΡΕΑΣ, *Boreas*, ΣΚΙΡΩΝ, *Corus*, ΖΕΦΥΡΟΣ, *Occidens*, ΝΟΤΟΣ, *Notus*, ΛΙΨ, *Libs*, *Africus*. Turris hæc, excepto illo Tritone, adhuc dum superstes est. Tab. I. Fig. III. col. 30.

Multæ numero erant Στοαὶ, vel *Porticus*, verum præ cæteris Πεισιανάκτιος, *Pisianactia*, & postea Ποικίλη, sive *Varia*, dicta, propter ingentem numerum præcellentium tabularum, a præcipuis Græciæ Pictoribus, veluti Polygnoto, Mycone, & Pandæmo Phidiæ fratre, pictarum. Ibi Philosophiam suam Zeno docuit, eamque instituit Sectam, quæ a loco nomen suum sortita, nempe a Στοᾷ Στωικοί. Atque vulgo etiam pro ea Philosophorum Secta ipsa Στοὰ sive *Porticus* sumitur, sicuti cum Athenæus *Deipnosoph. l.* VIII. Zenonem τῆς Στοᾶς κτίστην, seu *Porticus fundatorem*, appellat.

Μουσεῖον, *Museum*, prope arcem locus munitus erat, ab antiquo illo Poeta Musæo Orphei discipulo denominatus; ille enim ibi carmina sua cecinisse atque etiam sepultus esse dicitur. Præsidium illi imposuit Antigonus, ejusque filius Demetrius, quo tutius redderet, muro cinxit.

Ὠδεῖον Musicum Theatrum fuit, a Pericle ædificatum; structuram ejus quod attinet, intrinsecus plenum erat columnarum ordinibus scamnisque, extrinsecus in tecto ab uno puncto verticis compluribus declivitatibus deorsum tendebat, atque eum in modum fabricatum fuisse fertur (ut narrat Plutarchus in *Pericle*) ad exemplar tentorii Regis Persarum. Etiam tribunal (ut ex Aristophane in *Vespis* discimus) fuit:

> Οἱ μὲν ἡμῶν οὗπερ Ἄρχων· οἱ δὲ παρὰ τοὺς Ἕνδεκα·
> Οἱ δ' ἐν Ὠδείῳ δικάζουσ'.

> *Pars ad Archontem sedemus: pars ad Undecimviros:*
> *Pars ad Odei forum jus dicimus.*

A Lycurgo admodum exornatum fuit, juxta Hyperid. *Orat. pro Lycurgo*; sed Mithridatico bello dirutum, ex Appiano in *Mithridatico*, ab Herode Attico instauratum eo splendore, ut, referente Pausania, omnia Græciæ ædificia superaverit. Conspiciebatur in Ceramico, quo nomine veniebant duo loca a Ceramo Bacchi & Ariadnæ filio dicta; vel ἀπὸ τῆς κεραμικῆς τέχνης, *ab arte figulina*, quæ a Corœbo in uno ex hisce locis primum inventa est. Vid. Suidas, Plin. *l.* VII. c. LVI. Horum alter intra civitatem erat, & innumeras domos, templa, theatra, porticus, &c. continebat; alter vero in suburbiis positus, publicum sepulturæ locum præbebat, Academiamque & plurima alia ædificia complectebatur. Tab. I. Fig. IV. ibid.

Atheniensium Ἀγοραὶ, sive *Fora*, plurima fuerunt, sed omnium duo præcipua, nempe *Vetus*, & *Novum*. Novum forum in loco erat, qui Straboni *l.* IX. Ἐρέτρια dicitur. Atque hoc non longe abfuisse a Porticu Zenonis probabile est, suo enim tempore Forum prope eum locum exstitisse Pausanias narrat. Vetus forum in Ceramico intra urbem fuit, vocatumque ἀρχαία Ἀγορά. In hoc publicæ populi conciones habebantur; verum huic præcipue usui inserviebat, ut eo populus ad emendum vendendumque conveniret, hincque in duas divisum partes diversas pro ratione vendundarum mercium fuit; singulis enim, quæ vendebantur, diversus in foris adsignatus locus erat; hinc Κύκλοι, seu *Circi*, mentionem factam reperimus, ubi servi & vasa vendebantur, secundum Hesych. Hinc & ἀλφιτόπωλις ἀγορὰ, *forum farinarium*, ἰχθυόπωλις ἀγορὰ, *forum piscarium*, & γυναικεία ἀγορὰ, *forum muliebre*, ubi vestes & ornamenta muliebria venum exponebantur; imo præter hæc innumera alia fuisse legimus. A rebus, quæ in foris venduntur, nonnunquam ipsa fora denominari

A ſolent, veluti Οἶνος, *Forum Vinarium*, Ἔλαιον, *Forum Olearium* &c. Leg. Pollux *l.* IX. c. XV. Exempli loco ſint illa Eupolidis:

> Περιῆλθον εἰς τὰ σκόροδα, καὶ τὰ κρόμμυα,
> Καὶ τὸ λιβανωτὸν εὐθὺ τῶν ἀρωμάτων,
> Καὶ περὶ τὰ γέλγη.

> *Circumiverunt ad allia, & cepas,*
> *Et thus, & recta ad aromata,*
> *Et merces alias.*

B Tempus, quo res venum exponebantur, πλήθουσα ἀγορὰ, ſeu *plenum forum*, vocabatur, a multitune ſcilicet populi tum temporis eo confluentis; & profecto his vel illis mercibus diverſas horas conſtitutas eſſe videtur, hancque ob rationem Suidam dixiſſe puto, nonnullis in locis *Plenum forum* hora tertia, alibi quarta, quinta, vel ſexta fuiſſe.

Præter hæc loca, etiam ſua mercatoribus Βουλευτήρια, ſive *Curiæ*, in quæ convenirent & de negotiis ſuis inter ſe conferrent, fuerunt. Quippe mercatura Athenis ita viguit, ut ſi quis alicui vitio verteret, quod vitam iſtiuſmodi quæſtu ſuſtentaret, C injuria affecto actio de calumnia adverſus eumdem competebat. Vid. Demoſth. *Orat. in Eubulid.* Quin & hæc vivendi ratio tantum abeſt, ut pro ignobili habita fuerit, ut vel præcipuæ dignitatis viri iſtiuſmodi ſe negotiis, præcipue quæ mercaturam ſpectabant, addicere non ſint dedignati, veluti Plutarchus nos docet, qui & ipſummet Solonem ſe ad mercaturam contuliſſe narrat, quamvis nonnulli eum peregrinatum fuiſſe, ut doctrinam & experientiam acquireret potius quam ut Rempublicam aliquam fundaret, ſcribant. Nec profecto ejus tempore (ſecundum Heſiodum) inhoneſta vel ignominioſa D mercatura fuit, neque eam facientes viliores reddidit; ſed dignum vivendi genus, optima omnia, quibus fruebantur barbaræ nationes, domum apportans, anſam amicitiæ cum barbaris præbens Regibus, & experientiæ mater. Magnas urbes nonnulli condiderunt mercatores, veluti ille tanti habitus a Gallis, qui circa Rhenum habitabant, Maſſiliæ conditor; ſunt, qui Thaletem & Hippocratem Mathematicum mercaturam exercuiſſe, ut & Platonem in Ægypto oleum vendendo ſumtibus in itinera erogatis proſpexiſſe, referant. Ita Plutarch. in *Solone*.

Haud frequentes Athenis *Aquæductus* ante Ro E manorum tempora fuerunt; eorum vero defectum ſupplebant putei; qui partim a privatis hominibus partim publicis ſumtibus effodiebantur; verum cum pauci admodum in Attica regione fluvii eſſent, qui potui poſſent inſervire, (Eridanum enim lutulentum & uſui ineptum fuiſſe refert Strabo *l.* IX.) paucique lacus, vel magni fontes, parce proinde aqua inſtructa fuit, idque perpetuis inter cives rixis anſam dedit. Quare Solon legem tulit, ubi puteus publicus eſſet, intra ἱππικὸν, (hoc eſt, *quatuor ſtadia*) ut omnibus ex eo aquam haurire liceret; ſed qui inde eſſent remotiores, privatam ſibi aquam quærerent; atque ſi ad decem paſſuum pro F funditatem effodiſſent, neque aquam reperirent, liberum iis eſſet quotidie a vicinis ſex congios petere; prudentiæ enim eſſe exiſtimabat (ut Plutarchus noſter in *Solone* ait) defectum ſupplere, non vero pigritiam fovere. Præter alia ſplendida ædificia, magnifici aquæductus fundamenta Adrianus jecit, quem ejus ſucceſſor perfecit Antoninus. Remanetque ejus pars quæpiam etiamnum hodie, Ionicis columnis ſuffulta, eamque frontiſpicium receptaculi aquæ fuiſſe exiſtimat Georg. Wheeler.

Lacedæmone primum in uſu fuiſſe *Gymnaſia* dicuntur, ſed poſtea per totam Græciam vulgaria fuerunt, eaque ſunt imitati & magnam partem auxerunt Romani. Non hæc ſingularia ædificia, ſed multæ ſimul conjunctæ domus fuerunt, quæ multa hominum millia eodem tempore poterant continere, & in quibus, Philoſophis, Rhetoribus, omniumque aliarum ſcientiarum Profeſſoribus ad docendum, ut & Luctatoribus, Saltatoribus, omnibuſque aliis, ad ſua eodem tempore, ſine ulla moleſtia vel interruptione, peragenda exercitia, ſatis loci eſſent. Multis ea partibus conſtabant, quarum præcipuæ hæ fuerunt.

1. Στοαὶ, *Porticus*, quæ plenæ erant ἐξέδραις, & lateralibus ſtructuris ſedibus inſtructis, & ad diſſerendum docendumque accommodatis, atque hic ſolitos convenire diſcipulos veriſimile eſt.

2. Ἐφήβειον, locus, ubi Ephebi vel Juvenes exercebantur, vel, ſecundum nonnullos, quo, qui ſtatuerant ſe exercere, conveniebant, ut de genere exercitii, quo contenderent, & quodnam victori præmium decerneretur, agerent.

3. Κωρύκειον, Ἀποδυτήριον, γυμναστήριον, ubi veſtes exuebant.

4. Ἐλαιοθέσιον, ἀλειπτήριον, locus, ubi luctaturi, vel qui balneo uſi fuerant, ungebantur.

5. Κονιστήριον, Κονίστρα, ubi pulvis, quem in inunctos ſpargebant, ſervabatur.

6. Παλαίστρα, quæ nonnumquam pro toto Gymnaſio ſumitur, ſed propria ſua ſignificatione locum deſignat, in quo omnia exercitia, quæ ad πένταθλον ſpectabant, vel (ut nonnulli dicunt) ſola lucta & παγκράτιον peragebantur; & pulvere ſive arena conſperſum ſolum erat, ne decertaturi lapſarentur, vel cadendo læderentur. Alius præterea in Gymnaſio locus fuit, qui pulvere replebatur, quique illo palæſtræ multo profundior erat. Tab. I. Fig. VI. col. 32.

7. Σφαιριστήριον, locus variis exercitiorum generibus, ſed præcipue pilæ, deſtinatus.

8. Spatia relicta inter porticus & muros intermedia ad lucem recipiendum, & Area περιστυλία, quæ locus erat ſpatioſus ac quadratus, vel nonnunquam oblongus in Gymnaſii medio, in quo ambulare eaque exercitia peragere conſueverant, quorum uſus in palæſtra, vel in profundiori arena, vel in alio quopiam Gymnaſii loco, non erat, iſtiuſmodi erant (ut nonnulli exiſtimant) curſus & diſcus.

9. Ξυστοὶ, & Ξυστὰ, quæ in Græcia & Romæ diſtincta loca, ſuperne tectum habebant, erantque Luctatorum exercitiis deſtinata, cum ſcilicet ſub dio verſari tempeſtas iis non permitteret. Xyſta, nonnunquam Παραδρομίδες dicta, erant aperta ambulacra, & exercitiis, vel oblectamento, per æſtatis calorem, vel molliora hyemis tempora, inſerviebant.

10. *Balnea*, in quibus aquæ calidæ & frigidæ ſecundum varios gradus reperiebantur, atque hic exercitiis delaſſati, vel etiam aliis temporibus ſeſe refovebant. Priſcis Græcis haud frequentia Balnea fuerunt, rarus enim eorum uſus, niſi poſt perfectum aliquod inſigne opus, quod maximum laborem requireret, ex quo genere ſunt, bellum finitum, vel præclarum aliquod & ærumnoſum inceptum. Leg. Artemidorus *Oneirocrit. libr.* I. Atque hac ratione, poſt finitum Trojanum bellum, domum redux Agamemnon in balneum ſe contulit, ut præteritorum memoriam laborum omnium elueret, ibique proditione uxoris Clytæmneſtræ occiſus eſt. Vid. Lycophron *Caſſandra.* Sequentibus ſæculis celebrioris uſus fuerunt, & vel ſanitatis vel oblectamenti gratia frequentabantur ab utroque ſexu, qui Spartæ in communi lavaba-

vabantur, balneo, ſed aliis in urbibus diſtincta utrique loca fuerunt.

11. *Stadium*, amplus ſemicirculus, in quo exercitia peragebantur, fuit; id autem in commodum ſpectatorum ingenti numero eo confluentium gradibus aliis alios ſuperantibus inſtructum fuit, ut, qui in ſuperioribus ordinibus ſederent, ſupra illos, qui in inferioribus eſſent, proſpicere poſſent. Horum plura Athenis in Gymnaſiis aliiſque locis reperiebantur; præcipuum tamen id, quod prope fluvium Iliſſum a Lycurgo exſtructum fuit, poſteaque ab Herode Attico, uno ex opulentiſſimis, quos unquam habuerunt Athenæ, civibus, ampliatum. Factum id e Pentelico marmore, ea magnificentia, ut de eo agens Pauſanias Lectoribus ſuis difficile admodum fore dicat, fidem iis, quæ dicturus ſit, habere; omnibus enim, qui id contemplentur, miraculum cenſeri, tantæque magnitudinis eſſe, ut montem quemdam marmoreum in ripa Iliſſi eſſe forte quiſpiam jud caturus eſſet. Ad hunc uſque diem nonnihil lapidei operis in ea parte, quæ verſus fluvium eſt, remanere, ſed reliqua eſſe tantum Stadium terreum ſupra ſolum exſtans, narrat Georgius Wheeler. Quamvis figura ejus & magnitudo adhuc conſpicuæ ſint, omnes tamen gradus ſublati ſunt. Longus locus fuit, duobus parallelis præditus lateribus, verſus orientalem partem in circulum tectus, verſus oppoſitam apertus; centum & viginti quinque paſſus Geometricos fere longus, viginti ſex vel viginti ſeptem latus, hincque illi nomen *Stadium*, quod vulgaris apud Græcos menſura, octavam Romani milliaris complectens partem, fuit.

Inter varia illa, quæ Athenis fuerunt, Gymnaſia, hæc tria maxime memoratu digna, *Lyceum*, *Academia*, & *Cynoſarges*. Λυκεῖον, *Lyceum*, in ripa ſitum erat Iliſſi, eique nomen dedit Apollo Λυκοκτόνος, *Luporum interfector*, vel Λύκιος, *Lupinus*, cui conſecratum erat. Nec vero (ut Plutarchus in *Symp. lib.* VIII. *quæſt.* IV. exiſtimat) abſque ratione ſacer hic Apollini locus fuit; quippe haud immerito ab eo, qui morbos noſtros curat ſanitatemque inſtaurat noſtram, Deo robur & fortitudinem, quibus cum paribus in exercitiis contendamus, exſpectare licet. Hujus ædificii a nonnullis Piſiſtrato adſcribitur ſtructura, ab aliis Pericli, Lycurgo ab aliis; indeque probari forſan poſſet, omnes illos aliquid eo contuliſſe: & fundamenta hujus forte jecit Piſiſtratus, in altitudinem illud extulit Pericles, ampliavit & ornavit Lycurgus. Hic certe loci Philoſophiam docuit Ariſtoteles, cumque iis, qui ipſum doctrinæ gratia adibant, ſermones habuit, & quotidie ad horam unctionis uſque ombambulavit; Græcis enim ante prandium & cœnam in uſu fuit unctio; atque hinc factum, ut ipſe Ariſtoteles ac ſui Diſcipuli Περιπατητικοὶ ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, *Ambulatores ab ambulando*, dicti ſint, juxta Suidam. Sunt vero, qui huic denominationi ejus obambulationem ſermocinationemque cum Alexandro originem dediſſe referant.

Ἀκαδημία Ceramici intra urbem pars fuit, ab eoque ſex fere remota ſtadia, nomen ſortita ab Academo, priſco Heroe, qui Helenam, raptam a Theſeo, & Aphidnis latitantem, Caſtori & Polluci indicavit, atque hanc ob rationem, dum in vivis eſſet, maximo illi ipſum honore proſecuti ſunt: imo huic loco, cum ſequentibus temporibus Atticam frequenter invaderent, omnemque vaſtarent circa regionem, Lacedæmonii ſemper pepercerunt. Verum duos Arcadas in Caſtoris & Pollucis exercitu fuiſſe Dicæarchus tradit, quorum alter Echedemus, alter vero Marathon vocabatur, a quorum priore, quæ poſtea Academia, Echedemiam nuncupatam eſſe, pagum vero Marathona a poſteriore dictum. Ita Plutarchus in *Theſeo*. Umbroſis ſylvis ac ſolitariis ambulationibus ſtudiis meditationique aptis cinctum, teſtibus Poetis aliiſque, fuit. Ex Eupolide in Ἀστρατεύτοις ſequens verſus citatur:

> Ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ.
> *In umbroſis curriculis Academi Dei.*

Pari ratione Horatius *Epiſt. lib.* II. *epiſt.* II.

> *Atque inter ſylvas Hecademi quærere verum.*

Initio deſertus locus fuit, & ob paludes, quæ eum valde inſalubrem reddebant, incultus, ſed illis a Cimone deſiccatis, amœnus jucunduſque evaſit, & ab omne genus hominibus frequentabatur, ab iis præprimis, qui Philoſophiæ operam dabant, eo enim ad audiendum Platonem, qui perpetuo ibi docebat, ingenti numero confluebant. Sed cum is ex inſalubri aere, qui nondum plane purgatus erat, morbum contraxiſſet, ejuſque Medici, ut Scholam ſuam in Lyceum transferret, ei auctores eſſent, reſpondit ille, elegiſſe ſe Academiam, ut corpus ſuum domaret, ne præ nimia valetudine laſciviret, & imperium rationis difficilius agnoſceret, eodem ſcilicet modo, quo vites, cum ſe nimium late diſpergunt, pampinare, nimiumque luxuriantes ramos amputare ſolemus. Vid. Baſil. Magnus *lib. de legendis Gentil. libris*. Nec omittendum, muro cinctam Academiam a Piſiſtrati filio Hipparcho, qui, ut ſumtibus erogandis par eſſet, tam grave tributum populo impoſuit, ut deinceps, quidquid multos ingenteſque ſumtus requireret, Ἱππάρχου τειχίον, *Hipparchi murus*, vocatum ſit.

Κυνόσαργες in ſuburbiis prope Lyceum fuit; nomen illi ab *albo* aut *celeri cane*, qui Græcis κύων ἀργὸς, quique, Diomo ſacra Herculi faciente, victimæ partem ſurripuit, ex Heſychio aliiſque innumeris. Variis hic locus templis faniſque, Hebæ, Alcmenæ, & Iolao ſacris, (quæ aliquo modo ad Herculem, præcipuum ejus Deum, referuntur) ornatus fuit, imo & in ipſius Herculis honorem magnificum fanum exſtructum. Nihil vero ibi Gymnaſio memoratu dignius, in quo peregrini, iique, qui vel alterutra ex parte ad Athenienſes pertingerent, ſive qui patre aut matre Athenienſi procreati eſſent, ſeſe exercere poterant; quippe Hercules, cui ſacrum erat, haud plane legitimo partu editus, nec ex immortalium Deorum erat numero, ſed matre mortali natus; atque hinc Themiſtocles cum nothus eſſet, plurimos ex nobilibus juvenibus perſuaſit, ſe ut comitarentur, & inungerent exercerentque in Cynoſarge; quo facto callide inter vere nobiles, alienoſque, interque eos, qui veri, eoſque, qui nothi Athenienſes, diſcrimen ſuſtuliſſe videtur. Leg. Plutarch. in *Themiſtocle*. Quin & hic coram judicibus cauſæ de nothis agebantur, examinabanturque illi, quos falſo nomina ſua vere natis Athenienſibus inſeruiſſe ſuſpicio erat. Vid. Nonnus Monachus in *Collect. Hiſt.* Hoc in Gymnaſio Sectam Philoſophorum, qui a loci nomine, (ut nonnulli exiſtimant) Κυνικοὶ, *Cynici*, vocati ſunt, Antiſthenes inſtituit, prout narrat Diog. Laert. in *Antiſthenis Vita*.

Omnia Theatra Baccho & Veneri, ludorum voluptatiſque Diis, ſacra fuerunt, ex Lactantio *lib.* VI. imo & Baccho originem ſuam debere dicuntur, juxta Polydor. Virgil. *lib.* III. *cap.* XIII. atque hinc in iis editi ludi, qui Διονυσιακὰ, ſeu *Bacchanalia*, appellabantur, quique iis exſtruendis occupantur artifices, Διονυσιακοὶ τεχνῖται, *Bacchanales artifices*, utpote, qui ad Διόνυσον, ſive *Bacchum*, pertingerent.

Vetuſtiſſima Theatra ad tempus erecta fuerunt, & ex meris tantum tabulis, per gradus ſibi invicem, in commodum ſpectatorum, ſuperpoſitis,

conſtiterunt, hincque *Ἴκρια*, ſive *tabulæ*, vocata ſunt, juxta Heſychium in *Voc.* Ἴκρια. Verum vilia hæc ædificia Reipublicæ tantum non fatalia evaſerant; quippe cum omnis fere civitas, magiſtratus, & nobiles, æque ac ii, qui inferiores eſſent dignitate, ad audiendum, ut ſolebant, Pratinam Tragœdiam acturum confluxiſſent, nimis debile ad ingens confertæ mutuoque ſe prementis multitudinis ſuſtinendum pondus Theatrum ſubito corruit, parumque abfuit, quin omnes ſub ruinis ſuis ſepeliret, ex Suida *Voc.* Πρατίνας. Hoc periculum poſtquam ægre evaſerant, cautioribus factis, anſam lapidei Theatri, majoris ſecuritatis ergo, erigendi præbuit. Ab hoc itaque tempore Athenienſes, quorum exemplum haud diu poſt reliqui ſecuti Græci ſunt, fixa & permanentia lapidea exſtruxerunt Theatra, eaque ut plurimum ex marmore, atque lapſu temporis ad eam magnitudinem illumque excreverunt ſplendorem, ut omnia fere reliqua per Græciam ædificia ſuperarent.

Semicircularis Theatrorum erat figura, quamvis haud exacti dimidii circuli eſſent, ſed majus circuli dimidium continerent, ac propterea poſſent dici Amphitheatra, quæ eum in modum erant constructa, quo duo Theatra quaſi conjungi poſſent, nec accurate orbicularis, ſed ovatæ, figuræ erant. Ex duabus partibus conſtabant, quarum una Σκηνὴ, *Scena*, altera Κοῖλον, *Cavea*, vocabatur. Scena diſſepimentum erat, Actorum inſerviens uſui, quod Theatrum tranſverſum tranſibat. Ab initio vero, pro ratione priſtinæ ſimplicitatis, ex arcubus arborum foliis contectis confecta fuit, ſed inſequentibus ſæculis, cum majores in iſtiuſmodi res ſumtus impenderentur, pretioſis admodum aulæis, quibus machinarum directionem, aliaſque Actorum actiones, ſpectatorum oculis ſubducerent, exornari cœpit. Duplici fabricari ſolebat modo, vel enim in orbem circumagi poterat, atque tunc *Verſatilis* vocabatur, vel ſurſum attolli, cum dicebatur *ductilis*, atque poſterior hicce modus vulgo in noſtris Theatris, cum Scenæ proſpectum mutare volumus, obtinet.

Tres præcipuas januas Scena habuit; unam ad dextram, ad ſiniſtram alteram, iiſque mediocria & vulgaria oſtendebantur ædificia, tertia vero, quæ medio erat, ſplendidiores ſtructuræ, ut Deorum Templa, Regum Palatia, ob oculos ponebantur. Et ad ſingula cujuſque januæ latera minor quæpiam apertura erat, per quam vel Dii, vel homines, variarum machinarum ope, (quarum nomina apud Julium Pollucem *Onomaſt. lib.* IV. *cap.* XIX. reperire licet) in Scenam prodire ſoliti erant. Tota Scena in varias partes diviſa fuit, quarum hæ præcipuæ fuerunt.

Βροντεῖον, locus erat ſub Scena, in qua ænea ſervabantur vaſa, lapidibus aliaque materia repleta, quibus *βροντῆς tonitru* fragorem imitabantur.

Ἐπισκήνιον, locus in ſummitate Scenæ, ubi omnes machinæ, quibus variæ figuræ, variæque Scenæ mutationes exhibitæ, agebantur.

Παρασκήνιον, locus poſt Scenam, in quo ſe veſtiebant exornabantque Actores.

Προσκήνιον, locus ante Scenam porrectus, ubi Actores ludos agebant. Atque ea iſtius pars, ubi Chorus ſaltare & canere adſueverat, Ὀρχήστρα dicebatur, cujus in medio locatum erat Pulpitum, Græcis Λογεῖον, ſive Θυμέλη, dictum.

Ὑποσκήνιον, ſub Pulpito diſſepimentum, Muſicorum uſibus ſerviit.

Κοῖλον, ſive *Cavea*, ſpectatoribus adſignata fuit Tres hanc partes æquali diſtantia ſupra invicem exſtructæ componebant, quarum infima præcipuæ dignitatis viris & magiſtratibus, media plebi, ſuprema mulieribus, erat dicata.

Quia vero Theatra ſuperne aperta eſſent, Porticus poſt Caveam, ad quas pluvia tempeſtate confugerent, exſtruxerunt.

Portus Athenis tres erant:

1. Πειραιεὺς *Piræeus*, in Tribu Hippothoontide. Diſtabat ab urbe triginta quinque vel quadraginta ſtadiis, antequam ei jungeretur muro nobili, de quo paulo ante dictum. Quo tempore Themiſtocles navalia huc tranſtulit, cum Athenienſes Phalero præcipue uſi antea fuerant. Porro tres erant in Piræeo navium ſtationes. Prima, Κάνθαρος, a Cantharo heroe dicta. Secunda, Ἀφροδίσιον, a duobus ſanis Veneris, (Ἀφροδίτης) quorum alterum a Themiſtocle, alterum a Conone dicatum. Tertia, Ζέα, a frumento, quod Græci ζειὰν vocant. Habebat hic portus quinque porticus, quæ quia conjunctæ erant, Μακρὰ στοὰ dicebantur. Geminum etiam ibi forum erat, quorum hoc haud procul a mari & longa porticu diſtabat: illud remotius a mari fuit, & ab iis præcipue frequentabatur, qui propius urbi habitabant. Atque horum alterum, uti videtur, *Hippodamium* (Ἱπποδάμειος ἀγορὰ) appellatum, ab Hippodamo architecto, qui Piræum urbi adſtruxit: erat ibi mercatus adeo celebris, ut commune Græciæ emporium diceretur. Hinc natum proverbium, Τὸν Πειραιέα μὴ κεναγγίαν ἄγειν, *Piræeum non afferre vaſorum inanitatem*, id eſt, famem. Denique, hunc Piræeum jam ſuo tempore Strabo, qui ſub Auguſto & Tiberio Coſſ. vixit, ad pauca quædam domicilia redactum tradit: quæ calamitas a Sylla ei illata fuiſſe videtur, a quo belli Mithridatici tempore incenſus eſt.

2. Μουνυχία, *Munichia*, collis haud procul a Piræeo, peninſulæ formam obtinens: tum natura, tum arte, idque a Thraſybulo præcipue, munitus. Nomen accepit a Munycho quodam, qui fanum ibi Dianæ Μουνυχίας ſtatuit, cujus tamen conditorem Embarum fuiſſe tradunt alii.

3. Φαληρὸν, *Phalerum*, in Tribu Antiochide. Diſtabat ab urbe triginta quinque ſtadiis, (ut Thucydides) viginti ad ſummum, (ut Pauſanias *Arcadicis pag.* 471. *Edit. Hanov.*) Navale erat omnium in Attica antiquiſſimum: ex hoc enim Meneſtheus ad Trojam, & Theſeus ad Cretam, navigaturi ſolviſſe feruntur.

CAP. IX.

De Athenarum civibus, tribubus, &c.

Trium generum incolæ Atticæ fuerunt. 1. Πολῖται, ſive *Cives*. 2. Μέτοικοι, ſive *Inquilini*. 3. Δοῦλοι, ſive *Servi*. Dignitate & potentia cæteris ſuperiores erant Cives; penes hoſce enim imperium erat; ſed numero longe illos excedebant Servi; quippe maxima Civium pars complures Servos, vel qui ipſos comitarentur, vel qui eorum negotia peragerent, alere ſoliti erant. Cecropis tempore viginti Civium millia fuiſſe jam ante dixi: ſub Pericle (ut ex Plutarcho in *hujus Vita* liquet) minor ipſorum numerus fuit. Cum vero Demetrius Phalereus iis imperaret, priorem ſub Cecrope numerum millenario tantummodo ſuperabant, eodemque tempore Inquilinorum erant decem millia, Servorum vero quadraginta millia, ſicuti id ex cenſu juſſu Demetrii inſtituto, cujuſque mentionem facit Athenæus *Deipnoſoph. lib.* VI. apparet.

Atque hinc manifeſtum eſt, incrementum ipſorummet Athenienſium exigui plane momenti fuiſſe; ſed indies auctus hic incolarum numerus, qui ad eam magnitudinem, quo ſequentibus ſæculis pervenit, urbem provehebat, vel e Servis, vel

ex Inquilinis conflatus erat, qui commercii ergo, A vel alia ob commoda, Athenas habitatum veniebant; atque sub Cecrope utriusque hujus generis paucos, vel nullos, fuisse probatu haud difficile, quia scilicet, cum in recens condito suo imperio rari adhuc subditi reperirentur, ut peregrinis animum ad sedes suas ibi figendas adderet, opus illi fuerit, ut eadem, quæ incolis, advenis etiam jura largiretur. Quin etiam lex quædam vetus exstat apud Aristophanis Scholiastem *in Ran.* qua jubentur, quicunque Athenas habitandi causa commigrarunt, intra breve tempus in Cives cooptari. *Νόμος γὰρ ἦν τοὺς ἐξ ἀλλοδαπῆς Ἀθήνησι κατοικεῖν ἐθέλοντας, εἰς πολίτας ἐνταῦθα χρόνον ὀλίγον διατρίψαντας ἐγγράφεσθαι.* B

Elapsis deinde aliquot sæculis jus civitatis acquirere haud valde difficile fuit; sed cum incrementa caperet Atheniensium potentia, & gloriosa ipsorum facinora per omnem eos Græciam celebres redderent, summi favoris loco hoc jus habitum fuit, neminique, præterquam nativitate vel fama conspicuis, vel iis, qui Reipublicæ insignem navarant operam, concessum. Imo lege quadam cautum, ne quis civitate donaretur, nisi qui meritis clarus esset. Vid. Auctor *Orat. in Neæram.* Quæ lex lata est post devictum Mardonium ad Platæas. C Quin & ægre admodum ipsimet illi hoc adipisci poterant; quippe Menoni Pharsalio, qui Atheniensibus, bello adversus Eonem, prope Amphipolin, ducentorum equitum supplementum miserat, quantumvis id desideraret, negatum tamen fuit. Imo etiam Perdiccas, Macedoniæ Rex, postquam Atheniensibus contra Persas auxilium tulisset, meram tantum *ἀτέλειαν*, sive *immunitatem a tributo*, quod ab Inquilinis pendebatur, non vero jus suffragii, vel alia Civibus communia jura, sibi comparare potuit.

Nec tamen hæc rigida pertinacia, quæ prospere gestis eorum rebus victoriisque ortum debebat, D perpetuo pervicaces ipsos adeo reddidit, neque impedimento fuit, quo minus multi præclari viri, licet prioribus vel natalium splendore vel fortunis inferiores, in Civium numerum adsciscerentur: quorum ex numero fuerunt Hippocrates Medicus, Ajacis filius Eurysaces, cum pluribus aliis, præter integram Platæensium civitatem, quos ob insignem bello Persico navatam operam jure civitatis donarunt. Sed quamvis hisce donationibus numerus Civium auctus esse forte dici queat, non tamen exinde aliquid incolis accessionis factum; ii enim perpetuo iidem numero remanserunt, quoniam scilicet, qui hoc modo in Cives referebantur, E raro jure suo uterentur, idque potius tanquam honoris insigne, quam eo animo, ut ulla ratione ad ampliorem dignitatem ipsius auxilio proveherentur, ambirent. Insuper Solonis lege cautum, ne quis civitate donaretur, nisi qui e patria in perpetuum exilium pulsus fuisset, aut tota cum familia Athenas commigraret artis suæ exercendæ causa: melius enim affectos erga Athenas fore putabat, si alibi terrarum nihil carius haberent. Vid. Plutarchus in *Solone*: *Παρέχει δ' ἀπορίαν καὶ ὁ τῶν δημοποιήτων νόμος, ὅτι γενέσθαι πολίταις οὐ δίδωσι πλὴν τοῖς φεύγουσιν ἀειφυγίᾳ τὴν ἑαυτῶν, ἢ πανεστίοις Ἀθήναζε μετοικιζομένοις ἐπὶ τέχνῃ.* F *Τοῦτο δὲ ποιῆσαι φασὶν αὐτὸν, οὐχ οὕτως ἀπελαύνοντα τοὺς ἄλλους, ὡς κατακαλούμενον τούτους Ἀθήναζε ἐπὶ βεβαίῳ τῷ μεθέξειν τῆς πολιτείας· καὶ ἅμα πιστοὺς νομίζοντα, τοὺς μὲν ἀποβεβληκότας τὴν ἑαυτῶν διὰ τὴν ἀνάγκην, τοὺς δ' ἀπολελοιπότας διὰ τὴν γνώμην.*

Civitas non potuit nisi a toto populo donari, unde Cives adscititii vulgo dicebantur *δημοποιητοί*. Nec tamen id populi donum ratum erat, nisi sequenti etiam concione, cui ad minimum sex mille Athenienses interesse debebant, comprobaretur.

In neminem conferri hoc jus nisi ex millium ad minimum Civium consensu poterat. Verum, ne alicujus auctoritas, vel commodum, invitos ipsos, ut istiusmodi supplicationibus aures præberent, adigeret, privatim suffragia tulerunt, conjicientes nimirum exiguos calculos in urnas, eum in finem in concionibus suis a Prytanibus positas, qui & ipsimet sufficientem calculorum numerum suffragium laturis suppeditare debebant: quin & peregrini, qui civitatem ambiebant, in concionem, antequam omnes suffragia tulissent, non admittebantur. Quibus omnibus peractis, si quis collato in ipsum honore indignus videretur, ad Curiam provocare licebat, cui potestas facta erat in vitam moresque eorum inquirendi, eosque ordine movendi, quos indignos reperisset, jus civitatis revocando, quod ignorantia & imprudentia vulgi concessum fuerat, atque hoc infortunium Pytholao Thessalo & Apollonidi Olynthio accidit; ut legere est apud Demosth. *Orat. in Aristocrat.*

Cum in civitatem admittebantur, in Cives Athenienses renunciabantur relati, omnibusque honoribus, privilegiis, & immunitatibus ornati donatique; & jure poterant partici pes fieri & adesse in peragendis omnibus Civium sacris ritibus & mysteriis, iis duntaxat exceptis, quæ certis quibusdam nobilibus familiis propriæ erant, veluti Eumolpidarum, Cerycum, Cynidarum, quibus certa quædam sacerdotia, certaque sacra peculiaria erant, aut potius (ut quidam existimant) ab omnibus sacerdotiis arcebantur: quippe cum a familiarum istarum sacerdotiis cæteri etiam indigenæ repellerentur: exceptis etiam muneribus Novem Archontum, quæ obire non nisi Civibus natis Atheniensibus concessum erat, ut Religio & Respub. a solis indigenis administrari possent: quibus tamen adscititiorum Civium liberi adnumerabantur; denique in certam quamdam Tribum & Centuriam admittebantur, atque ita toti huic cærimoniæ finis imponebatur. Vid. Demosthen. *Orat. in Neæram.*

Cives nati Athenienses ii erant, quorum vel uterque, vel alteruter ex parentibus, Atheniensis; refertque Aristoteles *Polit. lib.* III. *cap.* V. in nonnullis Republicis ab initio eos pro liberis habitos fuisse, qui libera matre nati fuerant; verum indies aucto incolarum numero, eos tantum liberos existimatos, qui ex ambobus liberis parentibus essent progeniti. Atque ita hoc Athenis evenit; ibi enim lege cautum, ne notho, vel nothæ, jus esset cognationis; idque a Solone, uti constat ex Aristophanis *Avibus pag.* 602. *Edit. Amstelod.*

> Ἐρῶ δὲ δὴ καὶ τὸν Σόλωνός σοι νόμον·
> Νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχι-
> στείαν.

> *Dico autem jam & Solonis tibi legem:*
> *Spurio autem non esse affinitatem.*

Quæ lex tacito consensu abrogata est, docet Pericles, cum ejus in Republica existimatio vigeret, & cum ex legitimo matrimonio filios suscepisset, legem tulit, ut ii duntaxat pro veris civibus Atheniensibus haberentur, qui ambobus parentibus Atheniensibus civibus nati essent; & postquam populo, ut id concederet, persuasisset, tantum non quinque millia libertate orbata, & pro servis vendita fuerunt, eorumque, qui examini satisfecissent, & propterea remansissent in Republica, & pro vere natis Atheniensibus existimati, & probati fuissent, numerus censu instituto quatuordecim mille & quadraginta homines complexus fuisse repertus est. Postea vero cum omnes suos legitimos

filios amisisset ipse ille Pericles, eo usque Atheniensium pellexit animos, ut legem hanc abrogarent, eique concederent, ut nothum suum filium in propriam suam Tribum paterno sub nomine referret; hisce enim damnis satis ipsum pœnarum ob priorem arrogantiam superbiamque dedisse existimabant, atque satis acriter severeque divinam in eum animadvertisse vindictam, cujus tantam expertus acerbitatem esset, atque id quod petebat, & peti & concedi posse (uti Plutarchus in *Pericle* refert) reputabant.

Eadem lex postea revocata est ab Aristophonte Rhetore in prætura Euclidis post exactos triginta Tyrannos. Tunc enim statutum, pro nothis habendos esse, qui non erant matribus civibus nati. Carystius Ἱςορικῶν Ὑπομνημάτων *lib.* III. Ἀριςοφῶν δὲ ὁ Ῥήτωρ τὸν νόμον εἰσήνεγκεν ἐπὶ Εὐκλείδου Ἄρχοντος. Ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀςῆς γένηται, νόθον εἶναι. *Aristophon autem Rhetor legem hanc induxit sub Euclide Archonte. Quicumque ex cive non natus sit, nothum esse.* Liberos enim legitimos nisi ex legitima uxore procreare non poterant: legitima autem uxor nulla habebatur præter civem, cæteræ concubinæ erant. Hinc apud Homeri Interpretes *Iliad.* ν. & Pollucem *lib.* III. Νόθος, ὁ ἐκ ξένης, ἢ παλλακίδος. *Nothus, ex peregrina, aut pellice* natus. At, Γνήσιος, ὁ ἐκ γυναικὸς ἀςῆς καὶ γαμετῆς, τουτέςιν, ἐκ νομίμων γάμων. *Legitimus, ex muliere cive & nupta, id est, ex legitimo matrimonio*, progenitus.

Si qui ex dimidio, quasi dicas, sanguine essent, & libertate donarentur, semper inferiores, minorique in honore iis, qui ex integro, habiti fuerunt; variaque iis signa, & consuetudines, quibus ab aliis distinguerentur, fuerunt, veluti præcipue, quod iis, qui alterutro tantum parente Atheniensi essent, sese exercere in aliquo ex Gymnasiis, quæ ab utroque parente Atheniensi natis frequentabantur, non liceret, sed solummodo in Cynosarge, loco extra urbem sito; atque hoc ignominiæ notam fuisse docuit Themistocles, qui alteram tantum partem Atheniensi sanguine cum natus esset, ut hanc distinctionem vel tolleret, vel saltem imminueret, nobilibus Atheniensibus persuasit, ut secum sese exercerent. Vid. Plutarch. in *Themistocle*. Eodem in loco curia quædam erat, coram qua ii, quos illegitimos esse suspicio erat, examinabantur, quique rei peragebantur, libertate, quam falso sibi vindicabant, orbati pro servis vendebantur.

Porro gravissimum crimen putabant, si quis peregrinus civitatis jus assumeret: adeo ut quicunque accusabantur τῆς ξενίας, (id enim erat huic actioni nomen) in vincula statim conjicerentur, & carceris pœnam necessario sustinerent, priusquam coram judicibus sisterentur, idque ad gravitatem hujus sceleris testandam: ut docet Demosthenes *in Timocrat.* & Ulpianus. Nec satis fuit semel se purgasse, quin eum licuit cuivis ad Thesmothetas denuo in jus vocare, si judices muneribus corrupisse probabiliter suspectus esset.

Et quo civitas falsis nominibus purgaretur, instituta fuit disquisitio (διαψήφισις) Archia Prætore anno secundo Olympiadis nonagesimæ, ut constat ex Harpocratione, & Olympiadum Descriptore anonymo. Hæc autem disquisitio fiebat a viris ejusdem pagi, (δήμου) utpote qui ad cognoscendum de vicinis & municipibus suis aptissimi erant. Cum itaque mota esset de cujuspiam titulo lis, pagi istius Præfectus, (Δήμαρχος) quem penes erat τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, sive *liber civium nomina continens*, δημότας suos convocabat. Recitatis dein e lexiarchico omnium, qui pagum illum incolebant, nominibus, qui peregrinitatis postulabatur, avos suos, eorumque φρατρίας, sive *familias*, ostendere & idoneis testibus probare tenebatur, si indigenum se diceret: alioquin, si adscititius esset, publica decreta, quibus in civitatem cooptatus fuerat, proferebat. Tum δημόται jurati, ante solis occasum, (qui præstituti temporis terminus erat) foliis vel fabis sententiam ferebant, idque private, odii declinandi causa. Albæ fabæ si numero superiores essent, vincebat reus: sin nigræ, ex albo civium expungi, atque inter inquilinos referri debebat, indeque dictus est ἀποψηφισμένος, & ipsa res ἀποψήφισις. Vid. Demosthenes *in Eubulid.* Pollux *lib.* VIII. Hesychius, & Suidas. Sin condemnatus non acquiesceret suorum δημοτῶν judicio, Thesmothetæ judices ipsi dabant, quorum judicio si vinceret, in suam familiam restituebatur: sin damnatus esset, in servitutem vendebatur: ut Auctores modo citati tradunt.

Ne quis autem se civem falso dicere posset, pater unusquisque liberos, quos e legitimis nuptiis susceperat, quosque secundum leges adoptarat, inter φράτορας suos referre tenebatur, jurejurando profitens, eos a se legitime susceptos, aut secundum Atheniensium jura adoptatos. Vid. Isæus *de Apollodori hæred.* Nec tamen jurato patri fides semper habita est, sed φράτορες suffragiis privatis consensum suum, aut dissensum significabant. Leg. Demosthenes *in Macart.* Quod si φράτορες juvenem admittere nollent, adversus illos judicio experiri licebat. Vid. Demosthen. *in Neæram*. Atque ita demum, qui vere γνήσιοι, vel legitime adoptati reperiebantur, τῷ φρατόρων albo suo paternoque nomine inscripti sunt, hac forma, Θράσυλλος Ἀπολλοδώρου. Vid. Isæus *Orat. citata*. Hoc autem album dicebant κοινὸν γραμματεῖον. Et adoptivi quidem Thargeliorum festo, geniti vero Apaturiorum tertia die, quæ dicta Κουρεῶτις, inscribi solebant. Quo anno inscriptio hæc facta fuerit, incertum est. Alii enim tribuunt primo anno, cum *Etymologici* Auctore *Voc.* Ἀπατούρια: Ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ τοὺς γεννωμένους ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ παῖδας τότε ἐνέγραφον. *In hoc festo natos illo anno pueros tunc inscribebant*. Alii tertio, aut quarto, ut scribit Proclus *in Platonis Timæum*: Ἡ δὲ τρίτη (ἡμέρα Ἀπατουρίων) Κουρεῶτις· ἐν ταύτῃ γὰρ τοὺς κούρους ἐνέγραφον εἰς τοὺς φράτορας τριετεῖς ἢ τετραετεῖς ὄντας. *Tertia autem (dies Apaturiorum)* Κουρεῶτις dicta: *in illa enim pueros inscribebant inter contribules, qui triennes aut quadriennes erant*. Cnemon apud Heliodori *librum* I. inscribitur in φράτορας, ubi prima elementa didicit. Denique apud Aristophanem in *Ranis Act.* I. *Scen.* VII. *pag.* 231. *Edit. Aurel. Allobrog.* Chorus Archidemum exagitat, quod necdum inscriptus fuisset τῶν φρατόρων albo annos natus septem:

> Βούλεσθε δῆτα κοινῇ
> Σκώψωμεν Ἀρχέδημον;
> Ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτορας.
>
> *Vultisne, ut una*
> *Taxemus Archidemum?*
> *Qui septennis existens non edidit tribules.*

Quem tamen locum Scholiastes vetus ad Archidemi peregrinitatem respicere haud sine probabilitate putavit. Sed quicquid hisce de versibus statuatur, ex dictis certum est, non omnes eodem ætatis anno inscriptos fuisse.

Alia duo tempora numerantur, quibus Athenienses liberorum suorum nomina inscribere solebant, quæ quia cum jam dicta inscriptione a nonnullis doctis viris male confundi solent, non incommode huc referantur. Quippe secunda in-

scriptio erat in album Epheborum, cujus legitimum tempus erat annus decimus octavus, ut clare docet Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX. Καὶ εἰς μὲν τοὺς Ἐφήβους εἰσῄεσαν ὀκτωκαίδεκα ἔτη γενόμενοι. *Et in Ephebos quidem intrabant nati octodecim annis.* Quod autem hæc inscriptio in Ephebos cum priori illa in φράτορας confundatur, inde fuisse videtur, quod utraque fieret eadem die, nempe tertia Apaturiorum, quam etiam Κουρεῶτιν nonnulli tradunt dictam ἀπὸ τοῦ κείρειν τὴν κόμην, quod Ephebi tum comas tonderent, quas pro veteri more Deo cuipiam alebant; quod certe non potest illis convenire, qui in φράτορας inscripti fuere.

Tertia demum professio fiebat apud τοὺς δημότας, id est, *viros ejusdem pagi*, (δήμου) ante Panathenæa (Vid. Demosthenes *in Leocharem*) anno ætatis vicesimo. Inscribebatur τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ, sive libro cui inerant nomina eorum, qui in eo pago admittebantur ad τὰς λήξεις (*hæreditates.*) Ab hoc enim tempore incipiebant esse sui juris, & sua negotia tractare. Testis præter alios Julius Pollux *loc. cit.* Εἰκοστῷ δ' ἔτει ἐνεγράφοντο τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ· ὁ δὲ εἰς ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ἐγγραφεὶς ἤδη τὰ πατρῷα παραλαμβάνει. ἡ δὲ πατρῴα οὐσία καὶ λῆξις ἐκαλεῖτο. *Vigesimo autem anno inscribebantur in libro nomina civium continente: huic vero libro inscriptus jam paterna bona accipiebat: atque substantia paterna etiam* λῆξις *vocabatur.* Hinc dicebantur εἰς ἄνδρας ἐγγράφεσθαι, *inter viros scribi.*

Postquam formam quamdam Imperii inter Athenienses stabilisset Cecrops, quo melius justitiam exerceret, atque fraudibus artibusque illicitis, quæ in mercatura evenire possent, obviam iret, in quatuor eos divisit Φυλὰς, vel *Tribus*; singulas Tribus in tres subdivisit partes, quæ Τριττὺς, *Trittys*, sive *Ternio*, Ἔθνος, *Gens*, vel Φρατρία, *Curia*, nuncupabantur; harum denuo singulas in triginta Γένη, vel *Familias*, quæ, quia triginta constarent hominibus, Τριακάδες dictæ, diremit; quique harum membra erant, Ὁμογάλακτοι, sive *Collactanei*, & Γεννῆται, seu *Cognati*, non ob aliquam consanguinitatis causam, sed solummodo quia in eodem pago viverent, & simul educarentur, & in unum corpus vel societatem cogerentur, vocati fuerunt; quin & iidem Ὀργεῶνες dicti, quoniam eorumdem sacrorum participes essent, eosdemque Deos una colerent, ab *Orgiis* scilicet; Ὄργια enim, quamvis proprie Bacchi Mysteria significent, sæpe etiam pro cærimoniis in cultu alterius cujuspiam Numinis usurpatis sumi solent. Leg. Pollux *lib.* III. *cap.* IV. *lib.* VIII. *cap.* IX.

Tribuum nomina hæc fuerunt. 1. Κεκροπὶς, a Cecrope denominata; quippe Veteres, præ serio memoriam suam posteritati commendandi desiderio, urbes, vel regiones, vel alia quævis monumenta, quæ aliqua veri specie in secutura sæcula permansura esse augurabantur, de propriis suis nominibus denominare soliti erant. 2. Αὐτόχθων, ab ejusdem nominis Rege, quem nonnulli ante Cecropem in parte quadam Atticæ regnasse referunt; vel potius quia Athenienses Αὐτόχθονες appellari non mediocriter ambiebant. 3. Ἀκταία, ab Actæo, vel Actæone, alio ante Cecropem Rege; vel ab ἀκτῇ, sive *littore*, quia nempe magna pars Atticæ, eaque præcipue, quam illa Tribus inhabitavit, ad mare sita erat, atque hanc ob rationem tota regio nonnunquam *Acte* dicta fuit. Quin eadem de causa quarta Tribus Παραλία, sive *Maritima*, quoniam scilicet mari vicina esset, nuncupata fuit.

Nova tamen iis nomina, regnante Cranao, imposita fuerunt, dictæque sunt, 1. Κραναὶς, a Regis nomine. 2. Ἀτθὶς, a Cranai filia Atthide. 3. Μεσόγαια, *Mediterranea*. 4. Διακρὶς, *Petrosa*. Atque hasce duas a situ sic nuncupatus esse crederem; posterior enim in confragoso sita fuit littore, prior vero in interiori parte regionis.

Cum vero ad regnum pervenisset Erichthonius, a Jovis, Minervæ, Neptuni, & Vulcani nominibus, 1. Διὰς, 2. Ἀθηναὶς, 3. Ποσειδωνιὰς, 4. Ἡφαιστιὰς, ab ipso denominatæ fuerunt, ut discimus ex Polluce *lib.* VIII. *cap.* IX.

Postea sub Erechtheo nova iis nomina a filiis Ionis, magnæ inter Athenienses dignitatis viri, & exercituum ipsorum ducis, (uti narrat Herodotus *lib.* VIII. *cap.* XLIV.) indita fuerunt. En tibi hæc nomina. 1. Γελέοντες. 2. Ὁπλῖται. 3. Αἰγικόρεις. 4. Ἀργάδες. Atque de hisce nominibus intelligendus est Euripides, cum Minervam de Ione sic loquentem introducit *Ion.* ad finem:

Λαβοῦσα τόνδε παῖδα, Κεκροπίαν χθόνα
Χώρει, Κρέουσα, κ' εἰς θρόνους τυραννικοὺς
Ἵδρυσον· ἐκ γὰρ τῶν Ἐρεχθέως γεγὼς
Δίκαιος ἄρχειν τῆς γ' ἐμῆς ὅδε χθονὸς,
Ἔσται τ' ἀν' Ἑλλάδ' εὐκλεής. οἱ τοῦδε γὰρ
Παῖδες γενόμενοι τέσσαρες ῥίζης μιᾶς,
Ἐπώνυμοι γῆς, κἀπιφυλίου χθονὸς
Λαῶν ἔσονται, σκόπελον οἳ ναίουσ' ἐμόν.
Γελέων μὲν ἔσται πρῶτος· εἶτα δεύτερον
Ὅπλητες, Ἀργαδεῖς τ', ἐμῆς τ' ἀπ' Αἰγίδος
Ἔμφυλον ἕξουσ' Αἰγικορεῖς.

Accipiens hunc filium, ad Cecropiam terram
Vade, Creusa, & in thronis regiis eum
Colloca. Nam ex Erechthei posteris *natum*
Hunc æquum est imperare meæ terræ,
Eritque per totam Græciam clarus. Hujus enim
Filii quatuor ex una radice nati,
Cognomines terræ, distributique in Tribus agri
Populorum erunt, qui rupem meam habitant.
Geleon quidem primus erit: deinde secundum
Hopletes, tertium *autem Argades*, & quartum denominatum *a mea Ægide*
Ægicoreis habebunt tribulem, &c.

Quin & Herodotus *lib.* V. *cap.* LXVI. ac Pollux in eadem versantur opinione, quamvis alii hic iis contradicant, veluti e Plutarcho in *Solone* liquet, qui earum nomina paulo aliter recenset. Verba ejus hæc sunt: Καὶ τὰς Φυλάς εἰσιν οἱ λέγοντες οὐκ ἀπὸ τῶν Ἴωνος υἱῶν, ἀλλ' ἀπὸ τῶν γενῶν, εἰς ἃ διῃρέθησαν οἱ βίοι τὸ πρῶτον, ὠνομάσθαι· τὸ μὲν μάχιμον ὁπλίτας, τὸ δ' ἐργατικὸν ἐργάδεις· δυεῖν δὲ τῶν λοιπῶν τελέοντας μὲν, τοὺς γεωργούς, αἰγικόρεις δὲ, τοὺς ἐπὶ νομαῖς καὶ προβατείαις διατρίβοντας. *Ac sunt qui dicunt Tribus non ab Ionis filiis, sed a generibus, in quæ distributa a primordio studia hominum fuerunt, nomina sortitas esse:* milites *quidem* ὁπλῖται, artifices ἐργάται: *reliquorum autem duorum*, agricolæ, γεωργοὶ, pastores *vero ac* pecuarii αἰγικόραι.

Post hæc, cum incolarum numerus augeretur, Clisthenes consulto Apollinis Oraculo (ut in singulis alicujus momenti rebus fieri solebat) numerum Tribuum mutavit, & quatuor prioribus decem alias superaddidit, iisque nova nomina indidit, a certis quibusdam priscis Heroibus desumta, qui omnes, excepto Telamonis filio Ajace, in Attica nati erant; Ajaci enim inter reliquos, utpote vicino, amico, & in bellis socio, locum adscripsit, juxta Herodotum & Pollucem *locis citatis*; quippe Ajax (ut refert. Homerus *Iliad.* β.) suas copias cum Menesthei Atheniensium ducis copiis junxerat:

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας,
Στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.

Ajax vero e Salamine adduxit duodecim naves,
Et dispositas duxit ubi Atheniensium phalanges
stabant.

Quin & Plutarchus narrat, cum inter Athenienses & Megarenses de Salamine lis exorta esset, cumque Spartanos ad eam litem dirimendam advocassent, hæc ex Homero carmina Solonem citavisse, atque adeo, quoniam hæc ad jus ipsorum in illam insulam confirmandam multum conferrent, magno ipsos beneficio sibi devinxisse. Ad rem ut redeamus, Heroes illi ἐπώνυμοι, ab imponendo scilicet Tribubus nomine, dicti, & in eorum honorem juxta Curiam statuæ erectæ fuerunt. Horum a Pausania sequentia recensentur nomina, Erechtheus, Cecrops, Ægeus, Pandion, Acamas, Antiochus, Leo, Œneus, Hippothon, Ajax. Tribuum vero hæc fuerunt nomina, Ερεχθηὶς, Κεκροπὶς, Αἰγηὶς, Πανδιονὶς, Ακαμαντὶς, Αντιοχὶς, Λεοντὶς, Οἰνηὶς, Ιπποθοωντὶς, Αἰαντίς.

Postea, quando Antigonus & Demetrius a servitute Macedonica Athenienses liberassent, eorumdem Tribus auxerunt, priorique ipsarum numero duas addiderunt, quæ in liberatorum suorum honorem de ipsorum nominibus Αντιγονὶς & Δημητριὰς dictæ. Vid. Plutarchus in *Demetrio*. Verum cum gratus Atheniensium animus non diutius se prodidisset, quam prædicti illi duo Principes bona & felici fortuna usi fuissent, priora harum Tribuum nomina statim immutata fuerunt, dictæque sunt Ατταλὶς & Πτολεμαὶς, altera scilicet ab Attalo Pergami Rege, altera vero a Ptolemæo Rege Ægypti, a quibus Athenienses eximiis quibusdam beneficiis erant affecti. Leg. Stephan. *Voc.* Ατταλὶς & Βερενικίδαι.

Atque hic constans Atheniensium Tribuum numerus fuit, qui, quamdiu suam tutata libertatem est civitas, formamque suam Reipublicæ servavit, perpetuo remansit. Harum singulæ primo in triginta Γένη, *Genera*, seu potius *Familias*, diversæ fuerunt, quæ denuo singula hominibus triginta constabant, juxta Pollucem *loc. cit.* Ut autem mutuum commercium eo melius foverent, & societatem amoremque inter ipsas invicem promoverent, solennia iis festa erant a Solone primum instituta, ad quæ omnes conveniebant, lætique & hilares convivia peragebant, ex Athen. *Dipnosoph. lib.* xv Porro horum cœtuum nomina ab iis, qui ibi congregabantur, desumpta; si enim tota φυλὴ, seu *tribus*, eo se conferret, δεῖπνον φυλετικὸν, *convivium tribule*, dictum; si solummodo quædam φρατρία, sive *curia*, tunc δεῖπνον φρατρικὸν, *convivium curiale*; vel si δῆμος, sive *pagus*, quispiam, δεῖπνον δημοτικὸν, *convivium paganum*.

Exigui Pagi in Attica erant hi Δῆμοι, quorum plures ad singulas pertinebant Tribus, & licet in negotiis Reipublicæ conjuncti censerentur, seorsum tamen suas domos habitabant, distinctosque in divino cultu peragendo ritus & cærimonias obtinebant, quin & diversi ipsis Dii erant; singuli enim peculiaria numina adorabant, licet unanimi omnes consensu Minervam, utpote tutelarem totius regionis Deam, colerent; reliquis vero Diis certæ quædam duntaxat partes adsignatæ, atque propterea Minerva unica suprema gubernatrice hic inferiores erant. Atque iste circa religionem dissensus antiquissimus fuit, simulque cum ipsa Republica exortus est; cum enim Theseus iis persuasisset, ut rusticas suas domos relinquerent, & in unam civitatem convenirent, proavorum suorum Deos deserere impium nullaque expiandum ratione facinus existimarunt: quapropter e re sua, & reverentiæ, quam tutelaribus Diis suis deberent, congruum magis duxerunt, ut eosdem iis exhiberent honores, eademque, quæ antea soliti erant, loca ipsos colendi ergo adirent. Leg. Livius, Pausanias *Atticis*.

Maximus horum Δήμων usus in legum formulis contractibusque erat; horum enim ope, omni fraudi, imposturæ, erroribusque obviam ibatur. Atque hinc præcisæ illæ in eorum scriptis clausulæ, veluti N. filius N. e Tribu Æantide, e Pago Rhamunte, &c.

Centum septuaginta quatuor numero hi Pagi fuerunt, ex Eustath. *Iliad.* β. Strab. *lib.* IX. quorum nonnulli cum ejusdem nominis essent, situ distinguebantur, vocabanturque καθύπερθεν, *superiores*, & ὑπένερθεν, *inferiores*. Hi omnes in majores & minores dividebantur; μικροὶ, vel *minores*, erant sequentes, secundum Pausaniam *Atticis*, Αλιμούσιοι, Ζωστὴρ, Προσπάλτιοι, Αναγυράσιοι, Κεφαλῆνες, Πρασιεῖς, Λαμπτρεῖς, Φλυεῖς, Μυῤῥινούσιοι, Αθμονεῖς, Αχαρναὶ, Μαραθὼν, Βραυρὼν, Ραμνοῦς. Reliqui majores erant; en tibi eos promiscuo secundum ipsorum Tribus ordine.

ΚΕΚΡΟΠΙΣ.

Αἰξώνη,
Δαιδαλίδαι,
Επικείδαι,
Ξυπέτη,
Πίθος,
Συπαληττὸς,
Τρινεμεῖς,
Αθμονὸν, ἢ Αθμονία,
Αλαὶ,
Φλύα.

ΕΡΕΧΘΗΙΣ.

Αγραύλη, ἢ Αγροίλη,
Ευωνυμία, ἢ Εὐώνυμος,
Θήμακοι, ἢ Θήμακος,
Κηφισία,
Λαμπρὰ καθύπερθεν,
Λαμπρὰ ὑπένερθεν, ἢ παράλιος,
Παμβωτάδαι,
Περγασὴ,
Συβρίδαι,
Φηγοῦς,
Αναγυροῦς,
Κήδαι.

ΠΑΝΔΙΟΝΙΣ.

Αγγελὴ,
Κυδαθηναίων,
Κυθηρον,
Οα, ἢ Οεῖς,
Παιανιὰ καθύπερθεν,
Παιανιὰ ὑπένερθεν,
Προβάλινθος,
Στειριὰ,
Φηγαία,
Μυῤῥινοῦς.

ΑΙΓΗΙΣ.

Αλαὶ,
Αραφηνίδες, ἢ Αράφην,
Βατὴ,
Γαργηττὸς,
Διομεία,
Ερεχθία,
Ερίκρια,
Εχρία,
Ικαρία, ἢ Ικάριος,
Κολυττὸς,
Κυδαντίδαι,
Πλωθειὰ,
Τίθρας,
Φηγαία,
Φιλαίδαι,
Χολλίδαι,
Ιωνίδαι.

ΑΚΑΜΑΝΤΙΣ.

Αγνοῦς,
Εἰρισίδαι,
Ερμός, ἢ Ερμοὶ,
Ηφαιστιάδαι,
Θορικος,
Ιπέα,
Κίκινα,
Σφηττὸς,
Χολαργεῖς, Χολαργία, ἢ Χόλαργοι,
Κεφαλὴ,
Πρόσπαλτα,
Κυρτιάδαι.

ΛΕΟΝΤΙΣ.

Αἰθαλίδαι, ἢ Αἰθαλία,
Αφίδνα,
Δειράδες,
Εκάλη,
Εὐπυρίδαι,
Κηττοὶ,
Κρωπία,
Λευκόνοον,
Οἶον Κεραμεικὸν,
Παιονίδαι,
Πήληκες,
Ποταμὸς,
Σκαμβωνίδαι,
Σούνιον,
Υβάδαι,
Φρεάῤῥοι,
Μαραθὼν,
Αλιμοῦς,
Χολεῖδαι.

ΙΠΠΟΘΟΩΝΤΙΣ.

Αζηνιὰ,

Αμαξαντεία,
Ανάκαια,
Αχραδȣ̃ς,
Δεκέλεια,
Ελαιεὺς, ἢ Ελαιȣ̃ς,
Ελευσὶς,
Εροιάδαι,
Θυμοιτάδαι,
Κειριάδαι,
Κορυδαλλὸς,
Οἶον Δεκελεικὸν,
Οἰνέη πρὸς Ελευθέραις,
Σφενδάλη,
Κοίλη.

ΑΝΤΙΟΧΙΣ.

Αἰγιλία, ἢ Αἰγίλος,
Αλωπεκή, ἢ Αλωπεκαὶ,
Αμφιτροπὴ,
Ανάφλυςος,
Ατήνη, ἢ Ατηνία,
Βήσσα,
Θοραὶ,
Κριῶα,
Λευκοπύρα,
Μελαινεῖς, ἢ Μέλαιναι,
Παλλήνη,
Πεντέλη,
Σημαχίδαι,
Φάληρον,
Λίκκον,

ΑΙΑΝΤΙΣ.

Οἰνέη πρὸς Μαραθῶνι,
Τιτακίδαι,
Τρικόρυθος,
Ραμνȣ̃ς,
Ψαφίδαι.

ΟΙΝΗΙΣ.

Βȣ́τεια, ἢ Βȣτάδης,
Επικηφισία,
Θρία, ἢ Θρίω,
Ιπποδαμάδαι,
Λακία, ἢ Λακιάδαι,
Λȣσία,
Μελίτη,
Οὴ, ἢ Οἴη,
Περιθοῖδαι,
Πτελέα,
Φυλὴ,
Αχάρναι,
Τυρμίδαι.

ΠΤΟΛΕΜΑΪΣ, ἢ ΑΝΤΙΓΟΝΙΣ.

Βερενικίδαι,
Θυργωνίδαι,
Κονθύλη.

ΑΤΤΑΛΙΣ, ἢ ΔΗΜΗΤΡΙΑΣ.

Απολλωνιεῖς.

Præter hos, complures alii Pagi fuerunt, de quibus, ad quam pertinerent Tribum, incertum est; istiusmodi fuerunt,

Αγρα,	Κυνόσαργες,
Αγχησμος,	Σποργιλὸς,
Αμφιάδη,	Υσιαι,
Αρχίλαια,	Φρίττιοι,
Αςυπάλαια,	Ορωπὸς,
Αταλαύτη,	Κεραμεικὸς ἔξω τῆς πόλεως,
Αελβίνη,	Λαύριον,
Βραύρων,	Ληναῖον,
Υδρȣ̃σα,	Λίμναι,
Υμηττιοι,	Μȣνυχία,
Φορμίσιοι,	Παρνεῖς,
Χιτώνη,	Πνύξ,
Βριλεσσὸς,	Πατρόκλȣ βόθρος,
Εννα,	Σίρον,
Εχελίδαι,	Φαυρὰ,
Ζωςὴρ,	Φορὼν,
Θριὼν,	Ψυτταλία,
Κοθοκίδαι,	Φαρμακȣ̃σαι, &c.

CAP. X.

De Inquilinis & Servis Athenienſibus.

SEcundum Atticæ incolarum genus Μέτοικοι, *Inquilini*, fuerunt appellati, quo vocabulo iſtiuſmodi deſignabantur homines, qui e peregrina advenientes regione, ſedemque ſuam in Attica figentes, a Concilio Areopagitico admiſſi in publicum catalogum referebantur. Vid. Ariſtophanis Scholiaſtes *in Aves*. A Πολίταις, ſive *Civibus*, hoc differebant, quod non ingenui Athenienſes, ſed ex alia civitate vel ipſimet oriundi eſſent, vel ab iſtiuſmodi alio oriundis deſcenderent. A Ξένοις, ſive *Peregrinis*, autem diſtinguebantur, quoniam hi ad breve tantum tempus ibi commorabantur; Μέτοικοι vero fixum habebant domicilium, & eo-

A dem loco, in quem ſeſe contulerant, perpetuo degere amabant.

In urbe habitare iis permiſſum erat, propriaque ſua negotia, nemine impediente, obire, ſed nullis publicis muneribus fungi, nec ſuffragium in concionibus ferre, nec ullo modo imperii participes eſſe poterant; verum perpetuo ſeſe quaſi pro ſpectatoribus in theatro gerere, nec ulla ratione Reipublicæ negotiis ſeſe immiſcere, eorumve curam habere, ſed patienter decretis a Civibus factis ſeſe ſubmittere, omneſque regionis leges & conſuetudines ſervare debebant. Atque hinc Ariſtophanes apud Suidam eos paleæ comparat, utpote
B qui incommodam & inutilem Reipublicæ partem conſtituerent:

Τȣ̀ς γὰρ Μετοίκȣς ἄχυρα τῶν ἀςῶν λέγω.

Inquilinos enim paleam civium voco.

Nihil agere aut nullum negotium proprio nomine obire conceſſum ipſis erat; verum aliquem ex Civibus neceſſe erat ut eligerent, cujus curæ ac patrocinio ſeſe committerent, cujuſque officium erat eos ab omni vi & oppreſſione tutari. Atque hoc in Terentii *Eunucho Act. ult. Scen. ult.* edo-
C cemur, ubi Thais ſeſe Phædriæ familiæ commendat:

—— CH. *Tum autem Phædriæ,*
Meo fratri, gaudeo amorem eſſe omnem in tranquillo, una eſt domus,
Thais patri ſe commendavit, in clientelam & fidem
Nobis dedit ſe.

Atque is, cujus ſe fidei committebant, Προςάτης, *Patronus*, dicebatur, cui varia ab iis obſequia exi-
D gere licitum erat, quæ ſi non rite præſtabant, vel ſi patronum eligere negligebant, actio in eos dabatur, (quæ Απροςασίȣ δίκη, ſive *Actio propter non electum patronum*, dicta apud Polemarchum) bonaque ipſorum ærario adjudicabantur.

Ob ſingularia iis conceſſa jura, varia etiam ipſis officia peragenda Reſpublica impoſuit; exempli gratia, in Panathenæis, feſto in honorem Minervæ celebrato, viri certa quædam vaſa, quæ Σκάφαι, mulieres autem alia, quæ Υδρίαι dicta, adportare tenebantur, atque hinc eſt, quod viri nonnunquam Σκαφηφόροι, vel Σκαφεῖς, mulieres vero Υδριαφόροι, a Poetis Comicis nuncupentur. Eæ-
E dem Σκιαδηφόροι dictæ ſunt, quod ferrent etiam σκιάδεια (*umbellas*), quibus a matronis virginibuſque, quibus jus civitatis erat, ſolem arcebant. Qui mos ortus videtur poſt Xerxem & Perſas e Græcia fugatos, ubi Athenienſes proſpero ſuarum rerum ſucceſſu inſoleſcere cœperunt: ſic enim Ælianus *Var. Hiſt. lib.* VI. *cap.* I. Αθηναῖοι εὐτυχίας λαβόμενοι, τὴν εὐπραγίαν σωφρόνως ȣ̓κ ἤνεγκαν· τὰς γȣ̃ν παρθένȣς τῶν μετοίκων σκιαδηφορεῖν ἐν ταῖς πομπαῖς ἠνάγκαζον ταῖς ἑαυτῶν κόραις, τὰς δὲ γυναῖκας ταῖς γυναιξὶ, τȣ̀ς δὲ ἄνδρας σκαφηφορεῖν. *Athenienſes, adſpirante ſibi fortuna, non potuerunt eam modeſte ferre: quippe virgines inquilinorum umbellas præfer-*
F *re in pompis adigebant ſuis puellis, & mulieres mulieribus, & viros ſcaphas geſtare.* Porro σκάφα illæ erant naviculæ, quarum circumgeſtatione teſtabantur ſe non eſſe indigenas Athenienſium civitatis, ſed navi e peregrina terra advectos fuiſſe: quod pauci hactenus advertiſſe videntur. Corrigendus ergo Meurſius, Harpocrationis Interpres, & alii, qui σκάφας *ligones* vertunt.

Præter hæc, viri annuum duodecim drachmarum tributum pendebant, (quamvis Heſychius

decem tantummodo mentionem faciat) ac mulieres filiis orbæ sex drachmas persolvere debebant; verum illæ, quarum filii pendebant, immunes erant. Atque hoc tributum Μετοίκιον vocabatur, nec ab iis solum, qui Athenis habitarent, sed ab omnibus illis exigebatur, qui in ulla urbe Atticæ sedem figerent. Exemplum nobis exhibet Lysias *Orat. in Philonem* Oropum, Atheniensem urbem in Bœotiæ confiniis sitam. Eodem fere tempore, quo Xerxes Græciam invaderet, cum præclaris facinoribus suis ad magnam in Republica potentiam se evexisset Themistocles, Athenienses eo adduxit, ut hoc tributum remitterent, & inquilinos suis privilegiis frui deinceps paterentur, neque ullum tale quid ab iis exposcerent. Vid. Diodor. Sicul. *lib.* XI. Quamdiu vero hac immunitate gavisi fuerint, affirmare nequeo, id autem certum est, per exiguum tempus eam ipsis concessam fuisse, & fortasse simulac Atheniensium favori exciderat Themistocles, illa ipsis libertas ablata, decretumque abolitum fuit. Quod si quis hoc tributum non solvisset, e vestigio a Censoribus comprehensus in forum quoddam illi usui destinatum abducebatur, (Μετοίκιον id vocat Plutarchus in *Flaminio*, Πωλητήριον τοῦ Μετοικίου Demosthenes *Or.* I. *in Aristogit.*) ibique venum exponebatur a Πωληταῖς, qui publicis reditibus præfecti erant. Atque parum abfuit quin celebris ille Philosophus, Xenocrates hoc fatum subiisset, nisi e manibus illorum præfectorum (ut refert Plutarchus *loc. cit.*) ipsum liberasset Lycurgus. Revera venditum fuisse narrat Diogenes Laertius in *ejus Vita*, cum scilicet illi non esset, unde tributum penderet, sed a Demetrio Phalereo redemtum, qui, quoniam leges civitatis violare nollet, nec tamen tantum & tam dignum virum eo angustiæ redactum videre posset, suam illi libertatem restituit, & a Censoribus exactum pretium persolvit.

Verum enimvero, quamvis istiusmodi homines nullo modo promoverentur, neque ullum in Republica munus obirent, incitamentis tamen ad exercendam virtutem, & ad egregia suscipienda facinora, & Reipublicæ commodis serviendum haud erant plane destituti. Quippe qui insigni aliquo facinore se conspicuos reddiderant, raro negligebantur, vel sua mercede carebant, sed publice perpensis eorum gestis, peculiari populi edicto honos in eos conferebatur immunitatis ab omnibus tributis, vectigalibus, aliisque muniis, iis tamen exceptis, quæ ab ingenuis Atheniensibus exigebantur; atque hinc factum, ut hunc honorem ἰσοτέλειαν appellarint, eosque, qui ipso fruerentur, ἰσοτελεῖς, quia scilicet ἴσα ἐτέλων τοῖς ἀστοῖς, *æqualem cum civibus partem persolvebant*. Atque hoc quasi dimidia libertas quædam fuit, nec diversum ab eo, quod nonnunquam ἀτέλειαν vocatum esse invenimus, de quo jam ante locutus sum; idque iis peregrinis, qui de Republica bene quidem meriti erant, non vero satis insignem ipsi præstiterant opram, ut verorum civium numero adscribi possent, concessum fuit. Exemplum nobis suppeditat Macedonum Rex Perdiccas, ut & integræ civitates & Respublicæ nonnunquam, quæ peculiari quodam officio benevolentiam suam atque amorem erga Athenas testatæ erant: cujus rei bina exempla, Thebanos scilicet atque Olynthios, apud Theophrastum reperire licet, prout a Suida, cui cum Harpocratione & Hesychio hæc debemus, citatur.

Proximo jam loco ad tertiam, eamque numerosissimam, eorum, qui Atticam incoluerunt, partem progredior, *Servos* scilicet, quorum duo genera fuerunt; primum eorum, qui ob paupertatem mercede conducti servire cogebantur, quamvis liberi alioquin cives nati essent, verum ratione habita egestatis ipsorum nullum in publicis negotiis suffragii jus haberent; nonnullis enim temporibus (quippe hoc perpetuum non fuit) prohibitum erat, ne illis, qui istiusmodi opes, quarum mentio in lege facta, non possiderent, jus suffragii ferendi concederetur. Atque hi proprie Θῆτες & Πελάται vocati fuerunt, ex Polluce *lib.* III. *cap.* VIII. hocque minus vile Servorum genus fuit, quod vel pro lubitu, vel quamdiu res ipsorum id exigebant, hisce sub conditionibus serviebat; quin & in ipsorum potestate fuit, vel novo domino servire, vel servitute omnimoda semet liberare, propriis simulac facultatibus vitam sustentare apti essent.

Alterum *Servorum* genus potestati & voluntati dominorum suorum plane erat subjectum, dominisque æquum in ipsos, ac in agros suos & facultates suas, quorum magna pars censebantur, jus competebat. Eorum imperio omnino parebant, eamque, quam ipsi exigebant, operam præstare, vel in pessimis ærumnosissimisque servitiis, cogebantur; atque pro eorumdem lubitu quoniam cum ipsis ageretur, vel victu defraudabantur, vel fame enecabantur, vel verbera ipsis infligebantur, torquebanturque, (atque hoc, in plurimis quidem locis, absque ad superiorem potestatem provocandi jure) imo vel ipsa morte mulctabantur. Quin &, quod scilicet augmenti loco miserandæ ipsorum sorti accedebant, nulla iis recuperandi sibimet ipsis libertatem, neque eam posteris procurandi spes erat reliqua, sed per omnem vitam in eodem statu vivere cogebantur, omnisque hæreditas, quam eorum liberi cernere poterant, (domini enim non tantum concedere, sed & animum iis addere, ut matrimonio se jungerent, quo scilicet numero augerentur, soliti erant) ærumnarum parentum suorum, conditionisque vel ipsarum bestiarum conditione vix potioris, possessio fuit.

Satis equidem attente ad animum Veteres duram illam molestamque Servorum conditionem revocabant; feriumque illud, quod menti ipsorum obversabatur, libertatis desiderium, & quod eos perpetuo ad vitam suam, illius tuendæ ergo, variis periculis exponendam pronos reddebat, sufficientem profecto causam ad eamdem, quæ Servorum insederat animos, æmulationem in ipsismet excitandam præbebat. Quippe eo fere omnes homines ingenio sunt, ut iisdem animi affectibus propensionibusque, quarum ipsimet rei fuerunt, alios etiam obnoxios esse suspicentur. Atque industrie omnino hoc malum eos præcavisse, omnesque istiusmodi motus sedasse, Servos ad magnum a se intervallum removendo, reperimus; nulla enim ratione eos in familiaritatem suam admittebant, (in genere de ipsis loquor) tantum abest ut cum iis jocarentur; præterea exiguam de se ipsis opinionem mentibus eorum instillabant, eorum ingenia reddebant abjectiora, in iisque (quantum fieri poterat) generosi & virilis animi scintillas omnes illiberali educatione exstinguebant, colaphis plagisque (quæ ingenuos liberosque minime decere existimabant) ipsos adsuefaciendo; quin & difficili labore egestateque illos sibi submittebant, & (ut uno dicam verbo) eodem, imo nonnunquam pejori, ac nunc temporis nos bruta animantia, habebant loco. Hujusce rei exemplum satis idoneum (etsi alia non suppeterent) nobis præbebit Romanus Cato, is profecto vir, qui per omnes ætates ob exactam exquisitissimarum regularum Juris observationem celebris fuit; nec sane evidentiæ adserti mei vim eluserit, quod hoc a Romano factum, cum & Romæ, & in Græcia, omnibusque ferre aliis humanioribus civitati-

vitatibus, Servorum uſus in multis idem, nonnullis exiguis differentiis exceptis, fuiſſe videatur. Hic itaque Cato, (ut in *ejus Vita* Plutarchus refert) poſtquam ipſius Servi ſenes & ad laborem inepti evaſiſſent, quantumvis admodum fuiſſent fidi, & inſignia officia ei præſtitiſſent, ſuamque juventutem atque robur ſuum in ipſius uſum impendiſſent, nihilominus, cum jam ipſos opprimeret ſenectus, vireſque deficerent, ipſis victum ſubminiſtrare recuſavit, vel ut ineptos, qui vitam ſuam ſuſtentarent, e domo ejecit, vel in propria ſua familia morte confici curavit. Leg. Plutarch. in *Catone*. Verum equidem eſt, hanc barbariem non ubique obtinuiſſe, quin & ipſe noſter Plutarchus hoc factum Catoni huic Cenſori vitio vertit, ferique & a natura abhorrentis ingenii indicium exiſtimat; hinc tamen miſeram Servorum colligere conditionem licet, qui maxime arbitrarium imperium injuſtiſſimaque a crudeliſſimis & maxime barbaris Tyrannis impoſita onera ſubire cogebantur. Jam vero, ut eo melius conditionem eorum ob oculos ponam, paucis quibuſdam exemplis, (quæ nec affectui cuidam animi, nec ſuperbiæ, nec indoli quorumdam hominum, ſed vulgari potius & ubique recepto mori adſcribi poſſunt) quo pacto perpetuo ſe erga ipſos domini gererent, ſpeciminis loco exhibere aggredior.

Si quis Servus liberos ulla in re imitaretur, vel eos referre vellet ſive ornatu ſive moribus, nequiquam ferenda impudentia cenſebatur. In iis civitatibus, ubi moris erat comam alere, ſi eam Servus aleret, nullo modo expiandum crimen erat, ita ut Ariſtophanes in *Avibus pag.* 564. *Edit. Amſtelod.* per modum proverbii de eo, qui aliquid, quod ipſum non decet, facit, dicat:

ΠΕΙ. Επειτα δῆτα δῦλος ὢν κόμην ἔχεις;

Dein profecto ſervus exiſtens comam habes?

Servi peculiari tondebantur more, qui Θρὶξ ἀνδραποδώδης, *Capillitium ſervile*, vocabatur, quemque deferebant, ſi unquam adeo propitiam experirentur fortunam, quæ libertati eos redderet. Cum autem Servi in genere rudes & ignari eſſent, hinc factum, ut ἔχειν τὰς ἀνδραποδώδεις ἐπὶ τ̃ ψυχῆς τρίχας, *habere ſerviles in mente capillos*, proverbio de obeſæ naris & ſtupido homine dictum ſit. Vid. Euſtath. *ad Iliad.* α. *pag.* 59. *Edit. Baſ.* Quin & Servi a liberis veſtitu differebant; liberorum enim tunicæ erant ἀμφιμάσχαλοι, *utrinque manicam habentes*, contra vero Servorum tunicæ erant ἑτερομάσχαλοι, *alterutram manicam habentes.* Leg. Pollux *Onom. lib.* III. cap. XIII.

Pueros amare Athenis vulgata conſuetudo erat; ſatis equidem noti Socratis & Platonis amores, quin & ipſe Solon huic affectui pravo obſiſtere neutiquam valuit, eumque nec legibus adverſantem, nec bonis cum moribus pugnantem, quin econtra honore dignum, & qui ingenuam educationem deceret, judicavit; quapropter Servis hac voluptate interdixit, ad eam percipiendam viros dignitate conſpicuos quaſi invitans, interea dum inferiori loco natos ab ea abſtinere imperaret, ut in *ejus Vita* inquit Plutarchus. Nec eoſdem inungi vel gratis odoribus delibutos eſſe idem Legiſlator paſſus eſt, quippe qui hujuſcemodi elegantias clariori genere oriundis duntaxat concederet.

Nonnullorum Deorum cultui intereſſe Servis conceſſum non erat, ſed pro impuris ac prophanis cenſebantur; quin & Deorum iram concitare, ſuaque præſentia eorum ſacra polluere exiſtimabantur, exempli loco ſint ſacra Eumenidum aut Furiarum Athenis, Herculis vero Romæ; de quibus plura quædam proferendi infra offerretur occaſio.

A Servis teſtimonii dictio non erat legibus conceſſa. Terentius in palliata Apollodori fabula *Phormione Act.* II. *Scen.* I.

Servum hominem cauſam orare leges non ſinunt,
Neque teſtimonii dictio eſt.

Tamen per tormenta licebat e Servis veritatem extorquere; & quia non raro miſerum hominem tormenta enecabant, aut mutilabant, qui Servum in quæſtionem poſtulabat, (quæ poſtulatio, ut id obiter moneam, πρόκλησις dicebatur) is pretii, quo æſtimabatur Servus, fidejuſſores dabat. Vide
B Demoſthenis *Orat. adv. Pantænetum.* Varios habendæ quæſtionis modos deſcripſit Ariſtophanes *Ranis Act.* II. *Scen.* VI.

ΞΑΝΘ. Βασάνιζε γὰρ τ̃ παῖδα τυτονὶ λαβών.
ΑΙΑΚ. Καὶ πῶς βασανίζω; ΞΑΝΘ. Πάντα τρόπον, ἐν κλίμακι
Δήσας, κρεμάσας, ὑστριχίδι μαστιγῶν, δέρων,
Στρεβλῶν, ἐπὶ τε τὰς ῥῖνας ὄξος ἐγχέων,
Πλίνθυς ἐπιτιθεὶς, πάντα τἄλλα, πλὴν πράσῳ
Μὴ τύπτε τῦτον, μηδὲ γηθείῳ νέῳ.

C XANTH. *Torque igitur puerum iſtum, cum prehenderis.*
ÆAC. *Et quomodo torqueam?* XANTH. *Omni modo, ſcalæ*
Alliga, ſuſpende, loris flagella, cæde,
Torque, naribuſque acetum ingere,
Lateres admove, omniaque alia, ſolummodo porro
Ne feri illum, nec gethyo (cepæ genere) *recenti.*

Atque hæc Servorum educatio ab ingenuorum educatione plane erat diverſa; hi enim omnes li-
D berales artes, illi vero duntaxat, quomodo obediendum, quaque ratione dominorum ſuorum peragenda eſſent negotia, edocebantur. Cum autem ingenuo loco natos ad officia ſua præſtanda leni quadam & manſueta methodo quaſi invitare vulgo ſolerent, Servos haud ſecus, ac ſi fera animalia cicurarent, verberibus nempe ac acerbiſſima cum ſeveritate domabant. Nec tamen nonnulli defuerunt, quos feliciore genio & pluribus ingenii dotibus benigna natura donaverat, quoſque mitioribus lenioribuſque dominis conciliaverat fortuna, qui ob inſignes ſuos in doctrina & ſapientia progreſſus manifeſto indicio fuerunt, animæ nobili-
E tatem magnitudinemque ingenii nullo ordine nullave conditione coerceri, ſed vero vel infimæ viliſſimæque ſortis hominibus in abſtruſiſſima naturæ ſecreta licere penetrare, & intimæ apud Muſas admiſſionis eſſe. Hujuſce non inficiandum teſtimonium exhibent pauper ille & deformis Æſopus, ut & Poeta Alcman, apud Ælian. *Var. Hiſt. lib.* XII. cap. L. quin & (ne plures congeram) Epictetus, celebris ille Ethicus Philoſophus, idem hoc confirmat; cujus paupertatis ſerviliſque conditionis mentio fit in ſequenti Epigrammate *Antholog. lib.* III. cap. XXXIII.

F Δῦλος Επίκτητος γενόμην, κὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ιρος, κὶ φίλος ἀθανάτοις.

Servus Epictetus fui, & corpore mutilus,
Et paupertate Irus, & amicus immortalibus.

Servos ullo nomine inter liberos uſitato appellare arrogantiæ loco habitum fuit, quippe quod liberorum aliquid dignitati detraheret; verum ſi quis eo audaciæ procederet, ut Servo ſuo viri cujuſ-

dam dignitate & honoribus conspicui nomen inderet, insignis contumelia censebatur. Metium Pomposianum puniviſſe dicitur Domitianus, quia Servos ſuos præclaris Hannibalis & Magonis nominibus donaret; & (ut ad rem accedamus propius) legem tulerunt Athenienſes, qua omnibus interdictum fuit, ne ullum ex Servis ſuis auderent appellare de nominibus Harmodii & Ariſtogitonis, celebribus patriæ ſuæ defenſoribus, qui magno animo magnaque virtute Piſiſtrati filiorum conatibus reſtiterant. Vid. Alex. ab Alex. *lib.* III. cap. XX. Alio decreto cautum Athenis, ne ludorum ſolennium nomina Servis darentur: unde Athenæus *Deipnoſoph. lib.* XIII. quæſtionem movet, quomodo tibicina Nemea nomen acceperit a Nemeis ludis. Maximam vero partem (ut Strabo refert) a patria ſua nomen ſortiebantur, ſicuti Λυδὸς vel Σύρος, ſi in Lydia vel Syria nati eſſent; vel etiam a nominibus apud eas nationes maxime uſitatis, veluti in Phrygia *Manes* vel *Midas*, vel in Paphlagonia *Tibias*. Athenis maxime vulgaria nomina fuerunt *Geta*, & *Davus*, nempe a Getis deſumta, & Dacis, quos idem Strabo *lib.* VII. antea Δάους, vel *Davos*, nuncupatos fuiſſe putat. Raro ea nomina pluribus quam duabus ſyllabis conſtabant; atque hinc eſt, quod Demoſthenes *Orat.* περὶ Στεφ., poſtquam Æſchini objeciſſet, patrem ejus Servum fuiſſe, porro, tanquam id quod dixerat demonſtraturus, nomen etiam ipſius fictitium protuliſſe inſimulat, quippe qui *Atrometem* eum, qui revera *Tromes* erat, appellaſſet. Atque hujuſce conſuetudinis hæc fuiſſe ratio videtur, ut ſcilicet brevia illa ipſorum nomina eo facilius citiuſque pronunciari poſſent. Hinc etiam Oppianus Κυνηγέτ. I. canes brevibus nominibus vocandos cenſet:

—— οὐνόματα σκυλάκεσσι
Βαιὰ τίθει, θοὰ πάντα, θοῶς ἵνα βάξιν ἀκούῃ.

—— nomina catulis
Brevia inde, expedita omnia, velocem ut appellationem exaudiant.

Manumiſſi ſervile nomen ſæpe mutabant, & aliquando ſyllabas augebant: ut Stephanus ille, qui Philoſtephanus appellari voluit, *Antholog. lib.* II. cap. XLVII. *epigr.* XXXVIII.

Ἦν Στέφανος πτωχὸς, καὶ παῖς ἅμα· νῦν δὲ προκόψας
Πλουτεῖ, καὶ γέγονεν δ' εὐθὺ Φιλοστέφανος.

Erat Stephanus mendicus, & puer ſimul: jam vero proficiens
Diteſcit, & factus eſt ſtatim Philoſtephanus.

Præprimis illud curabant Veteres, ne Servi arma gererent, quod (ratione habita numeri ipſorum, quo vicies fere vulgo liberos cives excedebant) Reipublicæ forſan detrimento foret. Quapropter moris vulgo non erat, ut in bellum irent; cum itaque Virgilius *Æneid. lib.* IX. *verſ.* 544. loquitur de illis, qui in bello Trojano militabant, legi aut conſuetudini contrarium fuiſſe dicit:

—— vix unus Helenor,
Et Lycus elapſi; quorum primævus Helenor,
Mæonio Regi quem Serva Lycimnia furtim
Suſtulerat, vetitiſque ad Trojam miſerat armis.

In ſubito ingruentibus & prætervulgaribus caſibus duntaxat Servos, ut dominos ſuos atque ſemet ipſos tuerentur, armatos reperimus; hoc tamen

A non niſi rebus periculoſiſſimo in ſtatu conſtitutis, cum omnes ſervandi Rempublicam aliæ viæ præcluſæ eſſent, fieri ſolebat; primaque illud vice (uti dixi) accidit, cum ſub Dario Athenienſes aggrederentur Perſæ, & apud Marathona in integrum delerentur, juxta Pauſaniam. Poſtea & apud alias Reſpublicas, ſed non niſi quam cautiſſime, hic mos obtinuit; cum a Macedonibus & Achæis admodum premeretur Spartæ Rex Cleomenes, eorumque viribus reſiſtendo ſe imparem videret, duo Helotarum, ſive Lacedæmoniorum Servorum, millia armavit, ut hoc facto aptum colligeret agmen, quod Antigoni *Leucaſpidis*, ſeu *militibus albis clypeis armatis*, opponeret; ſed vero

B plures alios, licet tum temporis multo majori numero abundaret Laconia, conſcribere non auſus eſt. Leg. Plutarchus in *Cleomene*. Ac profecto hoc in caſu merito quis eorum prudentiam laudaverit; cum enim duriſſimis modis ipſorum animos multum exaſperaverant, nulla ſane ratio erat, cur, ſi unquam illi ſuperiores evaderent, ullam ab iis miſericordiam clementiamve ſe promerituros ſperarent. Quin & miraculo mihi proximum videtur, ſi attendamus quadringenta millia hominum ſub oppreſſione viginti vel triginta millium (tot

C enim, ut jam ante dixi, numero erant Servi, Cives, & Inquilini, qui Atticam incolebant) abſque ullo (exceptis paucis quibuſdam temporibus) ſe in libertatem vindicandi conatu gemere; præſertim, cum ad prorſus evertendam Rempublicam ſatis illis virium ſuppetiiſſe manifeſtum ſit, nec fieri non potuerit, quin multæ opportunæ occaſiones, præcipue belli, ſeditionis, tumultuſque temporibus, quibus civitas perpetuis turbis agitabatur, ad iſtiuſmodi propoſitum exſequendum iis oblatæ fuerint. Hoc vero partim vigilibus iſtis oculis, quos in eos perpetuo eorum domini, imo tota Reſpublica, defixos tenebant, partim

D vero degeneri iſti vecordiæ, quæ vulgo magna ex parte pervertit abjectoſque reddit eorum animos, quos ſervili conditioni fortuna ſubjecit, quantumvis nobile audaxque ingenium ipſis ineſſet, acceptum referri debent; vere enim Homerus *Odyſſ.* ρ. *verſ.* 322. cecinit:

Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι.

Dimidium enim virtutis aufert late videns Jupiter
Viri, quando ipſum ſervilis dies occupat.

E Sed neque anxia Reipublicæ cura, neque magna illa vis, qua ad infringendos hominum animos pollet oppreſſio, in perpetuo eos obſequio retinere valuit; verum & ſuas vires nonnunquam exercere voluerit natura, cum vel egregia opportunitate allecti, vel graviſſime vexati, impellerentur ad denuo recuperandam libertatem, hoc eſt, vitam fortunaſque ſuas propriam ſub poteſtatem redigendas. In Attica eos aliquando caſtellum Sunium invaſiſſe, totamque regionem depopulatos eſſe, quin & eodem tempore ſecunda vice Siciliam aggreſſos, (ea enim in inſula frequenter admo-

F dum rebellarunt) ſed tandem ingenti clade affectos (quippe decem myriadibus ipſorum occiſis) ad priſtinum obſequium rurſus compulſos fuiſſe, ſcribit Athenæus *Deipnoſoph. lib.* VI. Complures alios iſtiuſmodi ipſorum conatus aliis in locis, ſummo cum periculo, & ut plurimum extrema earum regionum everſione, adhibitos reperimus. Belli nonnunquam temporibus ad hoſtes transfugere amabant, idque αὐτομολεῖν vocabant, ut diſcimus ex Ariſtoph. *Equit.* quod, excepto furto, deli-

cto iis admodum familiari, vulgatissimum eorum, quæ illi committebant, criminum fuit: nulla enim aliquibus in locis alia semetipsos a servitute liberandi via suppetebat; verum si apprehenderentur, caro admodum pretio ipsis illud desiderium libertatis constabat, cum scilicet rotæ adligarentur, & flagellis crudelissime cæderentur, prout docet Aristophanes in *Pace pag.* 634. *Edit. Amstelod.*

Η δοῦλος αὐτομολεῖν παρεσκευασμένος,
Επὶ τροχοῦ γ' ἕλκοιτο μαστιγούμενος.

Vel servus transfugere paratus,
Super rota trabatur flagris cæsus.

Eadem ipsis ob commissum furtum pœna infligebatur, ut discimus ab Horatio *Epist. lib.* I. *epist.* XVI.

Non furtum feci, nec fugi, *si mihi dicat*
Servus, habes pretium, loris non ureris, *ajo.*

Aliquando rotæ adligati torquebantur, (quæ crudelitas nunquam profecto in liberos exercebatur) ut ea ratione confessionem ab iis, cum scelesto cuidam facinori auxiliares manus præbuisse accusabantur, extorquerent; sicut nos docet Aristophanes in *Pluto Act.* IV. *Scen.* III. ubi Sycophanta Servo dicit:

Επὶ τοῦ τροχοῦ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ στρεβλούμενον
Εἰπεῖν, ἃ πεπανούργηκας.

Super rota enim oportet te ibi tortum
Dicere, quæ flagitia perpetrasti.

Quod si aliquod commisissent crimen, flagellis illos vulgo cædere adsueverant, atque hinc factum, ut nebulo quispiam, qui crimine aliquo pœna digno teneretur, *μαστιγιᾷν*, hoc est, *flagello indigere*, diceretur. Nonnunquam autem, ne fuga sibi consulerent, columnæ adligabantur, unde apud Pollucem *Onomast. lib.* III. cap. VIII. Hyperides, *κρημάσας ἐκ τοῦ κίονος ἐξέδειρεν*, *suspensum ex columna excoriavit.* Ita enim legendum, non vero *κρεμάσαι ἐκ τοῦ κίονος ἐξέδειρεν*, prout vulgares Editiones habent, existimo.

Si autem insignis cujuspiam criminis rei tenerentur, ad molendum in pistrino damnabantur, laborem sane tum temporis molestissimum; quippe granum suum in farinam tundendo convertere cogebantur, neque facili illi molendi modo, qui apud nos obtinet, quique posteriorum sæculorum inventum est, adhuc dum adsueverant. Quapropter cum improbum quempiam laborem indicare vellent, vulgo cum labore, qui in pistrino sustinendus erat, comparare solebant; *Tibi mecum erit, Crasse, in eodem pistrino vivendum*, (inquit Tullius *de Orat.*) hoc est, Tibi & mihi, Crasse, eadem molesta vitæ ratio subeunda erit. Verum præter hunc, ad quem addicebantur, laborem, virgis vel flagellis cædebantur, nonnunquam, si atrox quodpiam scelus admisissent, morte plectebantur, ut e Terentio discimus in *Andria Act.* I. *Scen.* II. cujus Dramatis Scena in Attica exhibetur:

Verberibus cæsum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem.

Vel, prout alii hunc locum explicant, hæc iis pœna ad totam vitam imponebatur.

Molæ hæ in genere Μύλωνες dicebantur, atque hoc vocabulum, ob crudelitatem, quæ ibi loci in miseros Servos exerceri solebat, οὐκ εὔφημον, *inominatum*, vel *inauspicatum*, fuisse, imo nec nominari licuisse, refert Pollux *Onomast. lib.* I. c VIII. atque adeo Σιτοποιϊκὸν οἶκον, sive *pistrinum*, appellat. Varia iis molis nomina a variis granorum generibus, quæ in iis molebantur, indita fuerunt, ut χονδροκόπια, vel χονδροκοπεῖα, *alicæ mola*, ἀλφιτεῖα, *farinaria*, ζώτεια, ζώντεια, vel ζωντεῖα, *molæ*, & ζητρεῖα, *molendina*, sive *pistrina*, unde derivatur vox ζατρεύειν, *in pistrino torquere*, quod eo in loco fieri usuveniebat. Vid. Pollux *lib.* III. cap. VIII. Hesychius, Suidas, Etymologus.

Præter hæc, stigma eorum fronti ut plurimum, nonnunquam etiam aliis corporis partibus, inurebant; moris enim erat, uti Galenus *lib.* VI. observat, id membrum, quod peccaverat, punire; quod si Servus helluo esset, ventri ipsius infligenda erat pœna; si garrulus, exscindenda ipsi erat lingua, atque ita de reliquis. Vulgaris stigmate notandi modus hic erat; candenti ferro, cui certæ quædam litteræ insculptæ erant, membrum tamdiu inurebatur, usque dum istæ litteræ sic satis ipsi impressæ essent, dein sulcis infundebatur atramentum, ut scilicet quæ inscripta erant magis conspicua & lectu faciliora essent. Qui hoc modo stigmate notati erant, Στιγματίαι, & Στίγωνες, ut inquit Pollux, appellabantur; vel etiam *Attagæ*; id enim avium genus ποικιλόπτερον, sive *alis versicoloribus*, erat, prout narrat Aristophanes in *Avibus*. Istiusmodi Servos *Inscriptos* vocat Plinius *lib.* XVIII. cap. III. alii *Litteratos* eos nuncupant, e quorum numero Plautus *Casina Act.* II. *Scen.* VI.

—— OL. *Si hic litteratus me sinat.*

Quin & nemini ignotum esse potest, quid eidem Auctori *Trium litterarum homo* significet. Rarum hoc pœnæ genus erat, vel nunquam saltem ulli, præter Servos, infligebatur, inter quos adeo frequens erat, ut, cum Samii ingentem Servorum numerum libertate donarent, eosque ad publica munia admitterent, famoso *Litteratorum* nomine traducti fuerint:

Σαμίων ὁ δῆμος ἐστὶ πολυγράμματος,

Samiorum populus est litteratus.

Inquit Aristophanes apud Plutarchum in *Pericle*; quamvis alii (inter quos & ipsemet Plutarchus) varias hujus appellationis rationes enarrent, ut videre est apud Erasm. *Adag.* Atque hæc maxima infamiæ nota erat, quam Servi incurrere poterant, & propterea Phocylides *vers.* 212. ab ea abstinendum esse vel in Servis suadet:

Στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονειδίζων θεράποντα,

Stigmata ne inscribas, opprobrio afficiens Servum.

Contra vero in Thracia (prout scribit Herodotus *lib.* v.) pro insigni honoris id habitum fuit, nec nisi a viris dignitate ac auctoritate conspicuis usurpatum, & ab infimæ conditionis hominibus duntaxat prætermissum. Τὸ μὲν ἐστίχθαι, εὐγενὲς κέκριται· τὸ δ' ἄστικτον, ἀγενές. *Stigmate notari, nobilitatis indicium habetur: non esse sic notatum, ignobilitatis.* De Gelonis testatur etiam Claudianus *in Ruffin. lib.* I.

Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.

His adde quod Lucas de Linda de priscis Britanniæ incolis tradit, quod nempe *tenellis infantibus*

notas, certasque figuras animalium ardenti ferro imprimebant. Vid. ejus *Descript. Orbis.* Huic quoque fidem facit Tertullianus *De velanda Virgin.* ubi docet eorum insignia fuisse *stigmata, ut pennas Garamantum, crobylos Barbarorum, cicadas Atheniensium.* Item Claudianus *de Bello* Getico:

—— ferroque notatas
Perlegit exsangues Picto moriente figuras.

Hic vero monendum est, stigmata non modo Græcorum Servis impressa fuisse in sceleris alicujus pœnam, sed (qui communissimus erat stigmatum usus) ut dignoscerentur si a dominis fugerent. Quem in finem milites plerumque stigmate notabantur, ut *lib.* III. *Archæologiæ* hujus dicetur; ea tamen differentia, quod milites in manibus, Servi plerumque in fronte; illi ducum, hi vero dominorum nomine, aut insignibus notarentur. Hinc etiam Deorum quorumdam cultoribus stigmata fuisse impressa legimus. Lucianus de ministris Deæ Syriæ ait: Στίζονται δὲ πάντες, οἱ μὲν ἐς καρποὺς, οἱ δὲ ἐς αὐχένας, καὶ ἀπὸ τοῦδε ἅπαντες Ασσύριοι στιγματοφορέουσι. *Certis autem notis compinguntur omnes, alii quidem in vola manus, alii autem in cervice, & inde est quod omnes Assyrii notis insculpti sint.* Hinc Theodoretus opinatur, Judæis vetitum fuisse, ut se stigmate aliquo notarent, ne illo signo Deo alicui Ethnico in servitutem se addicerent: Ἕλληνες τινὰ τοῦ σώματος μόρια βελόναις ἐκέντων, καὶ μέλαν ἐπέβαλον εἰς θεραπείαν τῶν δαιμόνων· ταῦτα οὖν ὁ θεῖος νόμος ἀπαγορεύει. *Gentiles quasdam corporis partes acubus compungebant, dein atramentum immittebant in reverentiam Dæmonum: hæc igitur Dei lex interdicit.* Notæ, quibus insculpti sunt, variæ erant: vel enim notabantur proprio Dei nomine, vel ejus παρασήμῳ, seu *insigni*, quale erat fulmen Jovis, galea vel hasta Martis, caduceus Mercurii, tridens Neptuni, hedera Liberi Patris: unde Ptolemæus Philopater, quod hedera esset notatus, Galli nomen obtinuit: *Etymologici* Auctor: Γάλλος, ὁ Φιλοπάτωρ Πτολεμαῖος, διὰ τὸ φύλλα κισσοῦ κατεστίχθαι. Vel denique notabantur numero aliquo, aliave nota mystica, quæ plerumque Dei nomen continebat: qua ratione nomen solis mysticum ad numerum sexcentorum & octo pervenit, ut nos docuit Martianus Capella, & hoc modo notabatur XH. Quos tres notandi modos expressit divinus Auctor *Apocalypseos* XIII. 17. Καὶ ἵνα μή τις δύνηται ἀγοράσαι ἢ πωλῆσαι, εἰ μὴ ὁ ἔχων τὸ χάραγμα, ἢ τὸ ὄνομα τοῦ θηρίου, ἢ τὸν ἀριθμὸν τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ. *Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ipsius.*

Athenis autem paulo humanius cum Servis agebatur, quam aliis plurimis in locis; si enim aliqui sub gravi servitute gemebant, concessum iis erat ad Thesei templum tanquam ad asylum confugere, unde eos si quis extrahere vellet, sacrilegii loco habitum fuit, juxta Plutarch. in *Theseo.* Quin & ii, qui a dominis suis barbarum in modum excepti erant, actionem adversus ipsos intendendi jure gaudebant, eamque actionem Ὕβρεως δίκην, *Contumeliæ actionem*, vel Αἰκίας δίκην, *Injuriæ actionem*, vocabant; harum prima erat adversus istiusmodi, qui castitati Servorum suorum vim inferre aliqua ratione essent conati; secunda adversus eos, qui nimia in illis puniendis severitate essent usi; atque si liqueret, legitimas esse Servi querimonias, dominus Servum suum vendere cogebatur. Quod tum ex aliis discimus, tum e Pollucis *Onomastico lib* VII. cap. 11. Οἱ δὲ οἰκέται φασὶ τοὺς οἰκέτας πρᾶσιν αἰτεῖν, ἐστὶν εὑρεῖν ἐν τοῖς Ἀριστοφάνους Ὥραις:

Εἰ μὴ κράτιστόν ἐστιν εἰς τὸ Θησεῖον
Δραμεῖν, ἐκεῖ δ', ἕως ἂν εὕρωμεν πρᾶσιν,
Μένειν.

Ἄντικρυς δὲ ἐν ταῖς Εὐπόλιδος Πόλεσι:

Κακὰ τοιάδε πάσχουσιν, οὐδὲ πρᾶσιν
Αἰτοῦσιν.

De Thesei autem templo, quod Servis a dominorum sævitia fugientibus peculiare asylum fuerit, *libro sequente* plura dicentur. Id interea addam, quod si quis, excepto proprio domino, eos pulsarit, adversus eum dabatur actio. Hoc nos docet Athenæus *Dipnosoph. lib.* VI. Ἀθηναῖοι δὲ καὶ τῆς τῶν δούλων προνοοῦντες τύχης, ἐνομοθέτησαν καὶ ὑπὲρ δούλων γραφὰς ὕβρεως εἶναι. Ὑπερείδης γοῦν ὁ Ῥήτωρ ἐν τῷ κατὰ Μαντιθέου, αἰκίας, φησὶν, ἔθεσαν οὐ μόνον ὑπὲρ τῶν ἐλευθέρων, ἀλλὰ καὶ ἐάν τις εἰς δούλου σῶμα ὑβρίσῃ, γραφὰς εἶναι κατὰ τοῦ ὑβρίσαντος.

Atheniensium Servi, præterquam quod ab injuria, qua a Tyrannis afficiebantur, liberati essent, multis parasangis potioribus commodis fruebantur, quam sortis ipsorum socii, qui aliis in locis degebant; quippe longe majori loquendi libertate gaudebant, veluti id passim ex Comœdiis Aristophanis, Plauti, & Terentii colligere licet; & compluribus voluptatum generibus indulgebant, quarum ne minimum gustum quidem percipere ipsis aliis in locis licitum erat. Atque hinc Demosthenes *Philipp.* III. narrat, vitæ conditionem Servorum Atheniensium liberorum inquilinorum, qui in nonnullis aliis civitatibus degebant, præferendam fuisse; cujus adserti veritatem satis confirmat Plautus in *Sticho Act.* III. *Scen.* I.

Atque id ne vos miremini, homines servulos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere;
Licet hoc Athenis nobis.

Præterea opes sibi comparare iis concessum erat, modo ex iis exiguum tributum quotannis dominis suis penderent, quin &, si tantam pecuniæ summam conficere poterant, qua se redimere possent, non erat in dominorum potestate, ut impedimento ipsis essent, quo minus libertatem suam argento sibi compararent; idque ex eodem Auctore patet, qui Servum ita loquentem inducit in *Casina Act.* II. *Scen.* V.

Quid tu me vero libertate territas?
Quod si tu nolis, filiusque etiam tuus,
Vobis invitis, atque amborum ingratiis,
Una libella liber possum fieri.

Nonnunquam, si fideles & sedulos in dominorum suorum negotiis gerendis se præstitissent, eos ipsi quamvis non rogati manumittebant; quin &, si insignem quampiam Reipublicæ navassent operam, id vulgo Reipublicæ curæ erat, ut libertate mercedis loco donarentur. Quibus in bello mereri permissum erat, raro in servili conditione relinquebantur, sive præ metu, ne priores injurias in memoriam revocantes animum ad transfugiendum ad hostes adjicerent, vel domi res novas molirentur, cum tam opportuna iis offerretur occasio; sive ut eos incitarent ad fortiter constanterque obnitendum injustis conatibus hostium, cum scilicet tantam pro periculis, quæ subirent, mercedem exspectarent; sive denique, quod rationi neutiquam consentaneum existimarent, ut illi, qui vitam suam pro tuenda patriæ libertate exponerent, sub duro servitutis jugo ipsimet ge-

merent, & vel minima eorum, quæ maxime ipsorum virtuti & fidelitati accepta ferenda essent, parte privarentur; ob harum unam, inquam, vel ob omnes hasce rationes, eos, qui ingruentibus bellis pro publica securitate arma caperent, fere semper libertate donabant. Exempli loco (ne plura congeram) sint illi Servi, qui in navali illa apud Arginusas pugna, in qua Athenienses insignem de Callicratida præfecto Lacedæmoniorum reportarunt victoriam, fortes se gesserant; atque hinc apud Aristophanem *Ran. Act.* I. *Scen.* I. Servus quidam, mox opprimendus gravi quopiam onere, suam ignaviam accusat, quæ impedimento fuerat, ne nomen suum navalibus copiis adscribi curasset, atque adeo ne suam recuperasset libertatem:

Οἴμοι κακοδαίμων! τί γὰρ ἐγὼ οὐκ ἐναυμάχουν;

Heu me miserum! cur enim navali prælio non interfui?

Quamdiu Servi sub imperio domini alicujus essent, Οἰκέται, id est, *Domestici*, vocabantur, sed, postquam jam iis fuerat libertas concessa, dicebantur Δοῦλοι: quippe cum non, ut priores, pars facultatum dominorum suorum amplius essent, sed tantum tenerentur ad quoddam animi grati specimen ac exigua quædam officia præstanda, non absimilia iis, quæ a Μετοίκοις exigebantur, quibus in nonnullis rebus inferiores erant; quemadmodum docet Chrysippus *de Concordia l.* II. Verum raro, imo forte nunquam, ad dignitatem ingenuorum Civium perveniebant, præsertim si libertatem suam privato homini, non vero suis de Republica bene meritis acceptam ferrent; istiusmodi enim, qui ob Reipublicæ præstita officia ulterius promoti erant, in majori existimatione versati fuisse videntur, majorique gavisi libertate, quam alii, qui exinde solummodo, quod de privatis quibusdam hominibus bene meriti essent, libertate donati erant; nam constat jus civitatis his aliquando concessum fuisse: quod tamen rarius, nec sine multorum Civium querelis fieri solebat. Aristoph. *Ranis Act.* II. *Scen.* VI.

Καὶ γὰρ αἰσχρόν ἐστι, τοὺς μὲν ναυμαχήσαντας μίαν,
Καὶ Πλαταιᾶς εὐθὺς εἶναι, κἀντὶ δούλων δεσπότας.

Nam turpe est, qui prælio navali interfuerunt semel,
Hos statim Platæenses, & pro servis heros censeri.

Et cum admissi in civitatem a præcone renunciari solerent, lege vetabantur præcones, idque sub pœna ignominiæ, Servum liberum in Theatro renunciare, ne Græci cæterarum urbium, qui forte ludis interessent, ejus rei testes essent. Vid. Æschinis *Orat. adversus Ctesiphontem.* Denique manumissi dicebantur *nothi*, quod infame nomen erat, & ignominiosum ac quasi adulterinum libertatis genus eos esse consecutos notabat. Nonnus in Nazianzeni Στηλιτευτ. α. Ἐκάλουν δὲ παρὰ Ἀθηναίοις καὶ τοὺς ἀπελευθέρους, νόθους· νόθοι γὰρ καὶ οὗτοι πρὸς τοὺς ἐκ γενετῆς ἐλευθέρους.

Quam similis autem conditio Servorum manumissorum, quibus jus civitatis concessum non erat, inquilinorum conditioni fuit, hinc patet, quod cum a Μετοίκοις, seu *Inquilinis*, tributum exigebatur duodecim drachmarum, idemque additis tribus obolis solvere debebant *Liberti*, ex Harpocratione. Etiam quemdam Προστάτην, sive *Patronum*, eligere cogebantur, qui alius esse non debebat præter dominum, e cujus servitute liberati essent, eumque in eumdem fere colebant modum, ac apud Romanos *Liberti* & *Clientes* suos *Patronos*; quod si autem refractarios & ingratos erga dominum se gessissent, manum iis injicere, eosque coram judice adducere poterat, a quo, si sontes comperiebantur, libertate privati ad pristinam suam miseram conditionem redigebantur; quod si vincerent manumissi, penitus erant a dominis emancipati. Vid. Harpocratio, Suidas. Hanc actionem Ἀποστασίου δίκην, *Actionem non quæsiti patroni*, vocabant; quod nomen etiam expostulationibus Servorum & Libertorum adversus dominos & patronos suos datum fuit, eæque expostulationes utrisque permissæ erant, si non debita utrorumque conditioni humanitate excipiebantur; sed quia omnia publica Libertorum, ut & τῶν Μετοίκων, seu *Inquilinorum*, negotia præcipue per vicarios peragebantur, utrique, cum in libertatem adsererentur, eo gaudebant jure, ut Ἐπίτροπον, vel *Curatorem*, eligere possent, qui, si ejus Cliens aliqua injuria ab ipsius Patrono esset affectus, eum defenderet, pro eo intercederet, ejusque causam coram judicibus ageret; iique Curatores præ reverentia erga Patronum ex propria ipsius Tribu eligebantur. Leg. Suidas, Harpocration.

Atque hæc Servorum Atheniensium sors erat, quæ, etsi satis miseranda, attamen, si cum ærumnis sociorum ipsorum in aliis civitatibus comparetur, valde commoda, saltem ferenda, nec istiusmodi, ut de ea queri quis possit, videtur. Possem equidem hic varias Servorum in variis Græciæ regionibus conditiones recensere, veluti *Penestarum* in Thessalia, *Clarotarum* & *Minoitarum* in Creta, *Corynephororum* Sicyone, *Gymnitarum* Argis, pluriumque aliorum; verum in præsenti duntaxat statum Helotarum Spartæ ob oculos ponam, qui, cum tam frequens eorum apud Auctores mentio injicitur, omitti neutiquam debent; atque ex modo, quo illos habebant domini, (quamvis essent genus quoddam quasi elegantiorum Servorum, & majori gauderent jure, quam reliqui, juxta Pollucem *lib.* III. c. VIII.) constabit eorum, quæ Plutarchus in *Lycurgo* nobis narrat, veritas, nempe de Sparta trito proverbio dicebatur. Ἐν Λακεδαίμονι τὸν ἐλεύθερον μάλιστα ἐλεύθερον εἶναι, καὶ τὸν δοῦλον μάλιστα δοῦλον, *Lacedæmone liberum maxime liberum, & servum maxime servum esse.*

Helotæ dicti sunt ab urbe Laconica, cui nomen *Helos*, a Spartanis, qui omnes ejus urbis incolas captivos ceperant & in servitutem redegerant, devicta. Vid. Strabo *l.* VIII. Harpoc.

Libertis Spartanis omne exercitium vilis aut mechanicæ artis interdictum erat, quapropter omnis civitati quæ erant necessaria suppeditandi cura Helotis commissa erat; terram hi colebant, omnis generis obibant negotia, interea dum eorum domini, nobilium instar, omne suum tempus saltationibus, epulis, exercitationibus, certaminibus venatoriis, & λέσχαις, sive locis, ad quæ multi vulgo sodales conveniebant, impenderent. Leg. Plutarch. in *Lycurgo*.

Verum enim vero ad istiusmodi servitutem per omnem vitam si qui damnati essent, ferre id saltem potuissent, nisi præterea barbarum quam maxime in modum iis cum esset actum, injuriaque vel patientissimo homini non sustinenda affecti, quin & sæpe, nulla licet admissa culpa, imo absque vel ulla justitiæ specie, morte mulctati essent. Atque hujus rei Κρυπτία, sive *Arcana lex*, (cujus inventionem quidam Ephoris, quidam ipsi Lycurgo tribuunt) sufficiens exstat argumentum; hæc enim edictum erat, (verba fere sunt Plutarchi in *Lycurgo*) secundum quod ii, quibus juventutis demandata cura, clam nonnullos ex ipsorum numero, quos ad id aptissimos judicabant, in agros emittere, pugionibus duntaxat armatos, & pau-

xillo commeatu instructos, solebant; hi autem interdiu semet in sylvis & rupium cavernis occultabant, ibique quiete jacebant; noctu autem in publicas vias sese conferebant, omnesque, in quos incidebant, trucidabant Helotas; nonnunquam etiam interdiu eos, cum in agris opus suum faciebant, aggrediebantur, eosque sedato corde occidebant, prout in *Belli Peloponnesiaci Historia* refert Thucydides. Quin & (tradente Plutarcho) scribit idem Auctor, magnum numerum ipsorum, cum publico edicto (quod signum erat eorum libertatis recuperatæ) essent corona donati, ut & in libertatem ob insignia præstita officia adserti, & circum omnia templa honoris causa essent circumducti, subito disparuisse, (erant autem fere duo millia) neque tunc temporis, nec deinde ullum hominem exstitisse, qui, quo pacto mortem obiissent, sciverit. Addit Aristoteles, Ephoros, simulac magistratum suum iniissent, vulgo bellum iis indixisse, ut scilicet specie quadam legis occidi possent.

Apud omnes in confesso est, (pergit Plutarch in *Lycurgo*) Spartanos cum Helotis aspere omnino egisse; vulgo enim iste mos obtinebat, ut eos ultra modum vino se replere cogerent, & sic ebrios in publica convivia introducerent, ut scilicet eorum liberi exinde docerentur, *quam adspernandum & fœdum spectaculum esset homo ebrius*. Indecoras choreas saltare, ridiculasque cantare cantilenas compellebant; quin & nominatim iis, quidquid serium & virile esset, proferre interdicebant, *ne* scilicet *illa ipsorum ore polluerentur*. Atque hanc ob causam, cum Laconiam invaderent, plurimosque ex Helotis captivos facerent Thebani, nullis eos rationibus adducere potuerunt, ut *Odas* Terpandri, Alcmanis, vel Spendonis, celebrium Lacedæmone Poetarum, canerent; *Eæ enim* (inquiebant) *dominorum nostrorum cantilenæ sunt, quapropter eas canere non audemus.* Vid. Plutarch. *ibidem.*

Postquam jam in genere recensuerim, quo pacto Veteres cum Servis egerint, reliquum est, ut enarrem, qua ratione in tam miseram conditionem ex illa libertate, qua omnes homines naturæ beneficio gaudent, redacti sint. Atque hoc triplici factum modo apparet. Primo, præ paupertate, ob quam cum vitam suam proprio Marte sustentare homines non possent, & forte debitis obruti essent, libertatem suam cedere, seseque iis, qui eos alere & tutari possent, in servitutem addicere fuerunt compulsi; vel creditoribus suis corpora sua vendere, & quod nummis non poterant, servitio iis persolvere fuerunt coacti. Secundo, ingens eorum numerus forte belli, qua victi omnino victorum arbitrio se permittere cogebantur, in servitutem redactus est. Tertio, illorum id accidit perfidia, qui Servos emere ac vendere solent, qui sæpe ingenue natos educatosque furta abducerent, eosque venum exponerent. Hoc flagitio inclaruisse Thessalos memorat Aristoph. *Pluto Act.* II. *Scen.* V.

—— ΠΕ. Πόθεν ἂν ἕξεις θεράποντας;
ΧΡ. Ωνησόμεθ' ἀργυρίου δήπου. ΠΕ. Τίς δ' ἔσαι πρῶτον ὁ πωλῶν,
Οταν ἀργύριον κἀκεῖνος ἔχῃ; ΧΡ. Κερδαίνειν βουλόμενός τις
Εμπορος, ἥκων ἐκ Θετταλίας παρὰ πλείσων ἀνδραποδισῶν.

—— PA. *Unde igitur habebis Servos?*
CH. *Ememus argento sane.* PA. *Quis igitur primum erit venditor,*
Quando argentum & ille habeat? CH. *Lucri cupidus quispiam*
Mercator, veniens e Thessalia a plurimis plagiariis.

Quod si vero aliquis liberum hominem prodidisse convici poterat, ex legibus Solonis severe in eum animadvertebatur, eo tamen excepto casu, si foret filia, vel soror, has enim vendere licitum erat, si cum viro deprehensæ essent. Leg. Plutarch. in *Solone*.

Athenis in foro varia vendendis Servis loca destinata erant; de quibus jam ante locutus sum; atque quovis primo mensis die mercatores, *ἀνδραποδοκάπηλοι*, seu *mancipiorum mangones*, dicti, eos in forum adducebant, ibique venum exponebant, juxta Aristoph. Scholiast. *in Equit.* quin & præco lapidi eum in finem erecto, quique πρατὴρ λίθος, sive *venditionis lapis*, dicebatur, insistebat, populumque convocabat, secundum Pollucem *libr.* III. c. VIII. Atque hinc Cicero *Orat. in Pisonem* cum opprobrio Tribunos vocat *emtos de lapide*, quoniam eos ad aliquod negotium obeundum conductos esse suspicio erat.

Cum Athenis novissime emtus Servus domum deducebatur, convivium quasi quoddam apparatum erat, quo illi novum ejus servitium veluti gratulabantur, & nonnulla etiam ejus capiti infundebantur bellaria, quæ ob id καταχύσματα appellabant, ex Aristoph. in *Pluto*, & Polluce *loc. cit.* Verum hunc morem aliis in locis obtinuisse non reperio, quamvis omnibus aliis in regionibus Servi instar aliarum mercium emerentur venderenturque; præprimis notantur Thraces, qui sale eos emebant, atque hinc vocabantur πρὸς ἅλας ἀγορασμένα, *sale emta*; addit Eustathius, ἁλώνητα δουλάρια, *sale emtos servulos*, istiusmodi fuisse, qui admodum vili pretio emebantur. Primi eos pecunia emisse referuntur Chii apud Cœl. Rhod. *Antiquit. libr.* XXV c. IX. Antea enim vulgo aliis mercibus permutabantur; revera hac ratione Veterum mercatura exercebatur; apud Homerum enim Heroes sæpe captivos rebus ad victum necessariis dicuntur permutasse, idque præcipue sub finem *Iliad. η.*

Ενθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Αχαιοί,
Αλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
Αλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσι,
Αλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι· τίθεντο δὲ δαῖτα θάλειαν.

Illinc vinum emebant capitibus comati Achivi,
Alii quidem ære, alii autem splendido ferro,
Alii autem pellibus, alii vero ipsis bobus,
Alii etiam mancipiis: apparabant itaque convivium opiparum.

Atque hinc apparet, barbaram illam oppressionem crudelitatemque erga Servos non sequentium sæculorum superbiæ acceptam ferendam, sed primis & simplicissimis temporibus jam obtinuisse; quamdiu vero illa duraverit, incertum est.

Primus potestatem Servos morte mulctandi, nisi prius rationem facti reddidissent, abstulit Adrianus. Atque sub Imperio Neronis, aliorumque crudelium Imperatorum Romanorum, humaniter eos domini excipere & cum iis agere cogebantur, metuentes scilicet, ne ipsos tanquam mali quid contra Rempublicam molientes accusarent.

Verum religionis Christianæ per orbem terrarum incrementum hanc nullis limitibus coercitam potestatem abrogasse videtur, quam domini prioribus sæculis in Servos suos sibi vindicabant, abro-

gasse videtur; quippe Christiani summa cum mansuetudine & humanitate erga eos se gerebant, partim, ut eos allicerent ad amplectendam Christianam Religionem, cujus propagationi magis, quam propriis suis commodis, operam navabant, partim, quia barbarum & a natura abhorrens existimabant, homines a natura iisdem, quibus ipsimet, dotibus facultatibusque naturalibus, iisdem temperamentis & propensionibus donatos, non majori lenitate excipi, quam istiusmodi creaturas, quæ ratione destitutæ sunt, neque ulla potestate conditionem suam perpendendi, neque ærumnas, quibus oppressæ sunt, sentiendi gaudent.

CAP. XI.

De Atheniensium Magistratibus.

MAgistratus Athenis in tria genera dividuntur ab Æschine *Orat. in Ctesiphont.* Ulpiano in *Androt.* Cujus distinctionis fundamentum a diversis eos eligendi & ad honores provehendi modis desumitur.

1. *Χειροτονητοὶ*, seu *per suffragia creati*, istiusmodi erant, qui dignitatem suam a populo in legitima concione (quæ hac occasione in Pnyce semper habita est) congregato accipiebant, atque ita denominabantur a modo, quo eligebantur; populus enim suffragia sua sursum elevatis manibus ferebat.

2. *Κληρωτοὶ*, sive *sorte ducti*, erant illi, qui sortibus creabantur, quas in Thesei templo Thesmothetæ educebant. Ad hanc sortitionem haud omnes, quibus erat census, admissi fuisse videntur, sed quos populus prius designaverat. Illud insuper notandum, quod interdum populus magistratum, sortibus creari solitum, præter morem suffragiis creabant, si quem honore peculiari dignum judicarent. Cujus rei exemplum præbet Aristides, quem jussu populi *Ἄρχοντα* constitutum memorant historiæ Scriptores. Porro sortiendi ritus erat ejusmodi: Candidati uniuscujusque nomen tabellæ æneæ inscriptum cum fabis in urnam demittebatur, & is demum electus habebatur, cujus nomen cum alba faba exiit. Si quis autem nomen suum duabus tabellis inscripsisse deprehensus fuisset, capitalem pœnam luebat. Vid. Demosthenis *Orat. in Bœotum de Nomine.*

3. *Αἱρετοὶ*, sive *electi*, magistratus erant extra ordinem a quavis *φυλῇ*, *tribu*, aut *δήμῳ*, *pago*, ad curandum aliquod negotium constituti; istiusmodi erant publicorum operum curatores, & id genus alii.

Secundum Solonis instituta nemini, nisi qui amplas fortunas divitiasque possideret, magistratum gerere permissum erat; sed Aristidis opera, vel pauperioribus in administranda Republica pars quædam erat, quin & unusquisque liber Inquilinus non sine verisimilitudine summam dignitatem sperare poterat. Verum ea erat populi modestia, ut præcipua munera, atque istiusmodi, a quibus cura Reipublicæ dependeret, dignitate præcellentioribus relinquerent, nec ad aliud quid, præterquam ad minutiora & e trivio negotia obeunda, adspirarent, ut videre est apud Xenophontem *de Rep. Athen.* Nihilominus id postea mutatum videtur. Nam Plutarchus in *Phocione* meminit *τῶν ἀποψηφισθέντων τοῦ πολιτεύματος διὰ τὴν πενίαν*: *hominum qui propter inopiam census magistratu arcebantur.* Neque absimile vero est, cives interdum universos, interdum ditiores solummodo, fuisse ad magistra-

A tum admissos, in diversis Reipub. temporibus, nunc plebe, nunc optimatibus rerum potitis.

Verum etsi nullius hominis status vel conditio eum a publicis muneribus arceret, attamen illud a vitæ ratione & instituto plurimum pendebat; quippe si quis vitam vitiis inquinatam malique exempli duxisset, vel minimo munere indignus censebatur; non enim verisimile videbatur, ut is, qui haud ita se gerere privatus poterat ad bonam sibi famam existimationemque conciliandam, prudenter & sapienter vitam suam in publica statione collocatus instituere posset, vel ut is, qui suarum propriarum rerum non satagisset, atque in iis B administrandis peccasset, ad publicum quodpiam negotium suscipiendum, videndumque, ne quid detrimenti caperet Respublica, aptus foret. Quapropter, antequam aliquis ad publicum quoddam munus admitteretur, sui ipsius præteritæque vitæ rationem coram certis quibusdam judicibus in foro (loco ad hocce examen, dictum *δοκιμασίαν*, *explorationem*, destinato) reddere debebat. Leg. Lysiæ *Orat. in Evandr.* Æschines *contra Timarchum.* Nec tamen hoc solum sufficere censebatur, licet enim tunc temporis examini cum laude satisfecissent, in prima tamen post eorum electionem *κυρίᾳ* C concione novo iterum examini subjiciebantur, tum vero, si probrosi quid adversus eos exciperetur evinceretur que, honoribus suis excidebant. Vid. Demosthen. *in Theocr.* Item lege sancitum dicitur, ut, si quis obæratus magistratum gereret, ei capital esset. Vid. Demosthen. *in Leptin.* Accusabatur autem coram Thesmothetis. Idem *in Timocrat.* Atque post finitos eorum magistratus, rerum gestarum rationem Notariis ac Logistis reddere intra triginta dies tenebantur, eamque vocabant *Εὐθύνην*: & si quis id neglexisset, vel priori examini se non subjecisset, peculiari lege populo interdicebatur, ne eum corona (quæ solita eorum D merces, qui honores & famam sollicita prudentique publicarum rerum cura sibi quæsivissent) donarent. Quin & antequam rationes suas probassent, nullum alium magistratum, vel insigne aliquod munus ambire, nec in peregrinis regionibus mercaturam exercere, nec de fortunis facultatibusque suis, vel earum parte quadam, aliquid, sive ultima voluntate, sive eas piis usibus consecrando, sive alia quacunque demum ratione, statuere iis licitum erat. Leg. Suidas, Hesychius, Æschines *Orat. de Ement. Legat.* Verum omnia ipsorum bona integra & intacta servari debebant, ne, si publicos reditus intervertisse & dilapidasse compe- E rirentur, detrimenti exinde quidpiam civitas caperet, juxta Æschin. *in Ctesiphont.* Porro Logistæ (*Λογισταὶ*) illi, qui magistratuum rationes exigebant, decem erant numero. Hi, si magistratus aliquis rationes non daret, eum actione persequebantur, quæ dicitur *ἀλογίου δίκη* juxta Hesychium. Quod si aliqua controversia oriebatur, pro varia ejus materia varie determinata fuisse videtur: si de pecunia esset, ipsi Logistæ judicabant: si de injuriis, ad judices ejus generis causarum referebant, secundum Pollucem; sin de rebus, quæ ad concionem popularem spectabant, ad populum referebant. F Vid. Ulpianus *ad Demosthenis Orat. de falsa legat.* Accusatoris munere fungi cuilibet permissum erat: unde solennis illa præconii formula, hac occasione pronunciata, *Τίς βούλεται κατηγορεῖν*; *Quis vult accusare?* Vid. Æschines *Orat. adv. Ctesiphontem.* Ea tamen libertas, sicut e Julio Polluce discimus, non ultra tricesimum diem pertingebat; quo præterlapso, nemini licebat accusationem intentare. Quod si quis intra legitimum tempus accusatus se non stitisset, ab apparitore in jus vocabatur ad Senatum Quingentorum,

Demum si vadimonium desereret, ab illis infamia notabatur. Vid. Demosthenes & Ulpian. *Midiana.*

Quinetiam magistratus metu haud vacabant in ipso tempore sui honoris, si quid ab iis male gereretur: siquidem (ut nos docet Pollux) omnes novem Archontes qualibet κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ *stata concione* tenebantur ad populum referre, an recte præessent magistratus, necne? Et si qua quæstio de quopiam oriretur, jubebat præco ut manus tollerent, qui ipsum merito accusari credebant; quæ actio dicta est καταχειροτονία. Tum cæteri manus tollebant, quibus innocens videbatur, idque appellabatur ἀποχειροτονία, uti docet Suidas, cujus elegans hac de re locus exstat. Ea demum sententia vincebat, quam plures manus confirmandam significabant.

Magistratus munera sua inire solebant primo die Hecatombæonis, primi mensis in Atheniensium Calendario; solenne tunc etiam erat festum, quod a re ipsa nomen suum erat sortitum, Εἰσιτήρια, omnique lætitiæ genere, quod istiusmodi festis diebus proprium, celebrari solebat. Quin & a Senatoribus, plurimisque ex aliis magistratibus, Diis sacrificia offerebantur, precesque pro incolumitate civitatis in Jovis Minervæque fautorum æde fundebantur. Vid. Suidas, Ulpian. *in Midianam*, Antiphon *Orat. de Choreuta.*

CAP. XII.

De Novem Archontibus, &c.

PRæcipui Atheniensium magistratuum novem erant numero, omnibusque iis commune nomen *Archontes.* Sorte hi legebantur, sed ad munera sua, antequam duplex examen, in senaculo unum, quod Ἀνάκρισις, in foro alterum, quod Δοκιμασία dicebatur, subiissent, non admittebantur. Quæstiones, quæ a Senatu iis proponebantur, hujusmodi fere erant. Utrum nati essent proavis, qui a tertia retro generatione cives Athenienses fuissent? E qua tribu, vel e qua centuria essent, atque num cognationem quamdam ad Apollinem & Jovem Herceum haberent? An parentibus rite morem gessissent? An in bellis meruissent? An opibus satis essent instructi? Vid. Demosth. *in Eubulid.* Pollux *Onomast. l.* VIII. c. IX. Denique an essent ἀφελεῖς, *corpore integri?* mutili enim ad magistratum non admittebantur. Quod vero attinet ad questionem, qua interrogabant de Apolline Patrio, & Jove Herceo, sensus ejus fuisse videtur, an indigenæ cives essent? nam cives Athenienses universi cognationem quamdam ad hos Deos habere credebantur. Aristophanis Interpres *Nub.* de Apolline Patrio verba faciens, *ὡς πρόγονον ὂν αὐτὸν ἐτίμων καὶ οἱ Ἄρχοντες, ὅτε ἐχειροτονοῦντο· ἐκ γὰρ τοῦ μὴ εἰδέναι, ξένους αὐτοὺς ἐνόμιζον*, *ipsum igitur tanquam proavum colebant quoque Archontes, cum suffragiis creabantur: quos enim non noverant, peregrinos existimabant.* Hinc Comicus ille *Avib. pag.* 596. *Edit. Amstelod.*

—— *οὐ γάρ εἰσι βάρβαροι,*
Ὅθεν ὁ πατρῷός ἐστιν. ——

—— *non enim sunt barbari,*
Unde patrius est (Apollo). ——

Postea tamen, cum Athenienses rebus haud ita prosperis uti cœpissent, datum est, non modo indigenis, verum etiam civium adscitorum liberis, matre cive genitis, Archontes fieri: quinetiam id tandem ipsis adscriptis civibus concessum fuisse colligit Petitus e Plutarcho, qui refert se Atheniensi civitate donatum, & in tribum Leontidem relatum, Archonta creatum fuisse, *Sympofiac. lib.* I. *Probl.* X & *l.* X. *Probl.* ultimo. Quin &, juxta quorumdam sententiam, aliis omnibus magistratibus eædem quæstiones proponebantur, ut tradit Dicæarchus *contra Aristogit.*

Ad hos autem magistratus propius spectabat jusjurandum, quod ab iis in porticu, (quæ βασίλειος στοά, sive *regia porticus*, vocabatur) vel in foro πρὸς τῷ λίθῳ, *ad lapidem*, exigi solitum erat antequam admitterentur, idque hunc in finem, ut leges observarent, jus dicerent nullo partium studio abrepti, nullisque muneribus se corrumpi paterentur, vel, si secus accideret, statuam auream, sibi parem magnitudine, Delphico Apollini ponerent dedicarentque. Hinc in arcem se conferebant, & idem repetebant jus urandum. Quod institutum fuisse Solonis narrat Plutarchus; etsi is solummodo Thesmothetarum meminit; cæteros tamen Novemviros eodem jurejurando obstrictos fuisse memorat Phædrus Platonicus: Κἀγώ σοι, ὥσπερ οἱ ἐννέα Ἄρχοντες, ὑπισχνοῦμαι χρυσῆν εἰκόνα ἰσομέτρητον εἰς Δελφὺς ἀναθήσειν. *Ac tibi ego, sicut novem Archontes, polliceor auream imaginem æqualis mensuræ ad Delphos positurum.*

Hisce peractis munus suum suscipiebant, cujus nonnullæ partes ab illis seorsim, prout mutua ipsorum officia id exigebant, peragendæ erant, nonnullæ vero ex æquo ad omnes spectabant. Penes eos omnes morte mulctandi maleficos potestas erat, omnesque myrtea corona caput cingebantur; commune ipsorum officium erat sorte designare Δικαστὰς & Ἀθλοθέτας, e singulis tribubus singulos eligendo, uti etiam Ἱππάρχους, Φυλάρχους, & Στρατηγοὺς creare, & in cæterorum magistratuum mores & vitæ rationem inquirere, nec non eos, qui collato in ipsos munere indigni judicati essent suffragiis populi, ordine movere. Vid. *ibid.* Pollux, qui ubique laudatur in his capitibus. Atque, quod præstitorum officiorum quasi merces erat, ab omnibus tributis & vectigalibus, quæ ab aliis civibus ad conscribendos milites exigebantur, immunes erant, neminique præterquam ipsi hæc immunitas unquam concessa fuit. Et si quis Thesmothetam, aut Archontem coronatum, aliumve quemlibet eorum, quibus civitas immunitatem aliquam, aut coronam, aliumve honorem contulit, contumelia affecerat, pulsaverat, aut maledixerat, ignominia notabatur, quod non tam privatum hominem, quam ipsam civitatem injuriam affecisset. Vid. Demosthenes *in Mediam.*

Atque hæc suffecerint de Novem Archontibus simul sumtis, nunc de singulis seorsim agam; id mihi tantum dicere liceat, nihil certi de prima origine nominis ipsorum memoriæ traditum esse; sed tamen Sigonius conjicit nomina Βασιλεὺς & Ἄρχων per imitationem desumta esse a præcipuis priorum sæculorum magistratibus, cum civitas primum imperio Regum, deinde Archontum pareret; ut & nomen Πολέμαρχος, in memoriam præfecti exercitus, qui ab primis Regibus plerumque creabatur, ut ipsis belli tempore auxilio esset. Videntur etiam Θεσμοθέται (prout & ipsum nomen indicat) in gratiam populi constituti esse, ut scilicet ipsius leges ac privilegia contra aliorum Archontum vim & injuriam defenderent; atque hæc potestas antequam Rempublicam ordinaret Solon, longe major, nec tam arctis limitibus coercita, quam insequentibus temporibus, videtur fuisse; ille enim Legislator sanxerat, ut eorum munus præcipue in hisce, quæ sequuntur, consisteret.

Ἄρχων,

A Αρχων, ita quasi per excellentiam dictus, princeps illorum Novem erat; nonnunquam etiam Επώνυμος vocatur, quia ejus de nomine annus denominabatur. Ipsius imperium ad ecclesiasticas simul & civiles res spectabat; quin & ipsius erat omnes lites inter maritos & uxores dirimere; veluti de uxoribus, quæ post maritorum suorum mortem peperissent, de supremis voluntatibus & testamentis, de dotibus & legatis; cura etiam ipsi habenda erat orphanorum, iisque tutores ac curatores dare debebat; ut & querelas eorum, qui a vicinis suis aliqua injuria essent affecti, audire; atque eos, qui ebrietati dediti essent, punire; quin & primus inquirere in nonnullas publicas actio- B nes, ex quarum genere erant, quæ Εἰσαγγελίαι, Φάσεις, Ενδείξεις, Εφηγήσεις dicebantur, de quibus postea agemus. Locus, ubi jus dicere solebat Archon, erat *Odeum*, ibique de victu aliisque ad vitam sustentandam necessariis rebus causæ ad eum deferebantur. Ejus item officium erat Curatores, Επιμελητὰς dictos, constituere, rationem celebrandorum festorum, quæ Διονύσια & Θαργήλια vocabantur, habere, præter alia nonnulla solennia; quin & ludorum scenicorum, cantorum, choreutarum, aliorumque, quæ ad eos requirebantur, cura ei incumbebat. Quod si vino made- C re deprehensus foret, capital erat. Vid. Pollux *Onomast.* hic & ubique, Lysias *in Alcibiadem*, Demosthenes *in Macartatum*, Suidas, Harpocration ubique in his capitibus.

Βασιλεὺς in Regia Porticu jus dicebat, ibique ejusmodi dirimebat lites, quæ inter Sacerdotes & sacras intercedebant familias, e quarum genere erant *Ceryces*, *Eteobutadæ*, &c. quarumque nonnulla officia in divino cultu peragendo jure hæreditario competebant. Coram eo etiam adducebantur ii, qui impietatis, vel profanatorum mysteriorum quorumdam, templorum, aliarumve rerum sacrarum insimulabantur. Præterea præsen- D tem se sistebat in celebrandis Eleusiniis & Lenæis festis, & in iis omnibus, in quibus faces manibus gerentes cursu contendebant, videlicet in Panathenæis, Hephæstiis, ac Prometheis; publica etiam sacrificia pro incolumitate & prosperitate Reipublicæ debebat offerre. Ejus uxor, quam Βασιλίσσαν nuncupabant, ei adstabat in plurimis; si vero non ex istiusmodi oriunda esset familia, quæ ex integro Atheniensi sanguine progenita, vel si alteri marito, antequam Βασιλεῖ nuberet, juncta fuisset, secundum legem munus suum haud debito modo obire poterat. Nam lege tenebatur virginem civem ducere, (quod etiam Judæorum Pon- E tifici injunctum) alias haud idoneus putabatur sacris publicis præesse. Vid. Demosthenes *in Neæram*. Ad eum præterea res quædam civiles pertingebant; quippe quæstiones de rebus inanimatis coram eo proponebantur, ut & delationes de homicidio, ipsiusque munus erat in eas inquirere, & deinde ad Areopagitas, inter quos jus habebat suffragii, deferre, sed vero coronam suam, (quæ insigne quoddam muneris ipsius erat) interea dum causa agebatur, deponere debebat. Leg. Demosthenes *in Lacritum* & *Neæram*.

Πολέμαρχος omnium peregrinorum & inquili- F norum Atheniensium gerebat curam, eademque in ipsos auctoritate, qua in cives Archon, pollebat. Munus ipsius erat Enyalio, (qui ab aliis pro Marte, ab aliis vero pro quodam ex ejus comitibus habetur) ut & Dianæ Αγροτέρᾳ, ab pago quodam Atheniensi sic dictæ, sacra facere; præterea celebris illius patriæ defensoris Harmodii exsequias celebrare, & curare, ut liberi eorum, qui pro patria sua mortem obiissent, ex publico ærario debita ratione alerentur.

Verum enimvero, quandoquidem tres hi magistratus præ juventute sæpe in legibus ritibusque patriæ suæ non tam versati essent, quam quidem optandum fuisset, ne sibi solis plane relinquerentur, in more positum erat, singulis socios dare duos viros ætate, morum gravitate, & existimatione conspicuos, qui ipsis in obeundo munere suo auxilio essent, &, si offerretur occasio, nonnunquam eos docerent informarentque. Hos autem viros Παρέδρυς, sive *Assessores*, vocabant, iidemque se examini in senaculo & publico foro, quod alii subibant magistratus, subjicere, quin etiam illos rerum, dum munere suo fungerentur, gestarum, postquam magistratu abiissent, rationem reddere cogebant.

Reliqui sex Archontes communi nomine *Thesmothetæ* dicebantur. Delationes hi audiebant adversus eos, qui falsæ criminationis, calumniæ, corruptionis, impietatis accusabantur; quod etiam pars erat Regii muneris, hac tamen cum differentia, quod accusatores solebant φαίνειν τὸν ἀσεβῆ, sive oretenus impium deferre ad tribunal Regis, cum contra Thesmothetis γράφειν, hoc est, scriptam delationem tradere, deberent. Coram iis etiam omnes causæ & lites inter cives & peregrinos, inquilinos, vel servos, controversiæque de mercatura & mercibus disceptabantur. Ab iis provocationes ad populum instituebantur, publica examina variorum magistratuum peragebantur, & in publicis concionibus suffragia colligebantur. Omnia publica pacta & fœdera rata faciebant, dies, quibus judices causas in variis suis curiis audituri essent, assignabant, curam etiam gerebant, ne ullæ leges ferrentur, præterquam istiusmodi, quæ ad Reipublicæ salutem & incolumitatem conducerent, eorumque nomina deferebant, qui incautam multitudinem pellicere, eique, ut consentiret in omnibus iis, quæ Reipublicæ commodis adversarentur, persuadere studuissent.

Εὔθυνοι decem magistratus erant, eum in finem creati, ut Archontibus auxilio essent, & magistratuum rationes examinarent, mulctamque imponerent iis, quos publicam pecuniam intervertisse, vel ullo modo Reipublicæ injuriam res male administrando intulisse comperissent. Hos nonnunquam Εξεταςὰς, & Συνηγόρυς vocatos fuisse narrat Aristoteles *Polit. lib.* VI. *cap.* ultimo; nonnulli autem ipsos eosdem fuisse ac Λογιςὰς volunt, qui tamen secundum Aristotelem ab illis distincti dicuntur.

CAP. XIII.

De Atheniensium Magistratibus.

Οἱ Ενδεκα, sive *Undecim*, a numero ita appellati, ex ipso populo eligebantur, atque singulæ decem tribus unum suppeditabant; quibus addebatur Γραμματεὺς, sive *Scriba*, ut ita numerus esset plenus. Nonnunquam illi vocabantur Νομοφύλακες, *Legum custodes*; quæ appellatio ab eorum desumta munere; quippe in nonnullis haud absimiles erant iis, quos in Anglia *Sheriffs* vocamus: etenim in puniendis maleficis præsentes esse debebant, ipsisque eorum incumbebat cura, qui in publicos carceres abducebantur. Penes eos etiam potestas erat fures, plagiarios, & latrones sub suspicione comprehendendi, eosque, si facinus confitebantur, morte mulctandi, sin minus, judicio eos persequi debebant.

Φύλαρχοι erant magistratus, qui Atheniensibus tribubus præerant, quibus singulis singuli forte assignabantur. Postea hoc nomen peculiare præfecturæ cujusdam militaris erat, præfectique tri-

buum Επιμεληταὶ φυλῶν vocabantur. Eorum erat A publici ærarii, quod ad singulas tribus pertinebat, curam gerere, omnibus ipsarum commodis prospicere, easque omnes in consilium vocare, simulac quidpiam accideret, quod universi tribuum cœtus præsentiam requireret.

Φυλαβασιλεῖς in plurimis eodem munere, ratione habita singularum tribuum, quo respectu Reipublicæ Βασιλεὺς, functi fuisse videntur. Ex Εὐπατρίδαις, vel *Nobilibus*, eligebantur, publica sacrificia cæterumque divinum cultum his vel illis tribubus proprium curabant, & in Porticu, quæ Βασίλειον dicebatur, nonnunquam etiam in illa, B quæ Βυκολεῖον, conveniebant.

Φρατρίαρχοι & Τειττύαρχοι in variis Φρατρίαις & Τρίττυσι eamdem, quam in universam tribum Φύλαρχος, potestatem exercebant.

Δήμαρχοι eodem fungebantur munere in Δήμοις, redituum ipsorum, ex quibus omnia, quæ ab ipsis exigebantur, solvebant, iis cura incumbebat, populum in pagis, qui sub ditione sua erant, convocabant, quorum omnium nomina albo inscripta servabant, & electioni Senatorum, aliorumque magistratuum, qui sorte creabantur, præerant. Aliquando Ναυκράρυς eos, pagosque Ναυκραρίας, nuncupatos reperimus, quoniam eorum singuli, C præter duos equites, unam navem in publicum commodum suppeditare debebant.

Ληξίαρχοι sex erant præcipui, quibus adjungebantur triginta magistratus inferiores ordine, iique mulctam irrogabant illis, qui ad publicas conciones non veniebant, & in eos, qui præsentes essent, inquirebant; eos etiam, qui in foro emendo & vendendo ocupati essent, a mercarura desistere, & publica negotia curare compellebant, idque auxilio peragebant Τοξότων, qui certi quidam inferiores magistratus, vel potius ministri erant, admodum similes Romanorum Lictoribus, & Anglorum nostrorum *Sheriffs Liverymen*, *Bayllifs*, D &c. Mille istiusmodi Athenis erant, qui sub tentoriis in medio foro erectis degebant, postea ad Areopagum abducebantur. Nomen ipsorum videtur desumtum fuisse ab armis, quæ vulgo gestabant, sicuti prætorianæ cohortis milites Δορυφόροι nuncupabantur. Nonnunquam Δημόσιοι Επόπται dicuntur, quod nomen ab eorum munere deductum; aliquando Πευσίνιοι, a Peusino, uno uno ex priscis Atheniensibus, qui hoc munus vel primus instituit, vel regulas, secundum quas id obeundum esset, dedit; quin & Σκύθαι a regione Scythia; quippe vulgo, qui inde oriundi essent, E ad hoc munus eligebantur, utpote qui validi & audaces homines essent; atque hinc Aristophanes ejusque Scholiastes *Acharn.* & *Thesmoph.* aliquem ex iis ignoto & barbaro more loquentem inducit. Sed ut ad *Lexiarchos* redamus, hi Ληξιαρχικὸς γραμματεῖον, sive Λεύκωμα, vel *Album publicum*, totius civitatis servabant, in quo omnia inscripta erant civium nomina, simulac ad eam ætatem, qua paternam hæreditatem Λῆξιν vocatam adire poterant, pervenissent.

Νομοφύλακες ministri erant, quorum munus, ut magistratus & populus secundum leges vitam instituerent, curare, & contumaces atque refractarios F punire. Vid. Cicero *de Legib lib.* III. Columella *de Re Rust. lib.* XII. *cap.* III. Eum in finem publicis in concionibus sedes iis cum Προέδροις assignatæ erant, ut præsto essent ad iis obviam eundum, quicumque contra leges vel receptas consuetudines agere, vel aliquid bono publico adversum proponere vellent. Ludorum solennium publicorumque spectaculorum tempore albam vittam gerebant, tanquam insigne conspicuæ istius provinciæ, quæ ipsis demandata erat, iisque sellæ e regione novem Archontum erant collocatæ.

Νομοθέται numero mille erant, & sorte capiebantur ex eorum numero, qui in Heliæa judices fuissent, eorumque munus non (uti ex nomine colligi videtur) novas leges propria auctoritate ferre, hoc enim, nisi approbante senatu, confirmanteque populo, fieri non poterat) sed veteres examinare, & si aliquam earum inutilem, vel noxiam, prout res Atheniensium tunc se haberent, vel alii legi contrariam reperissent, operam dabant, ut illæ plebiscito abrogarentur. Præter hæc, curandum iis erat, ne quis intra murum Pelasgicum profunde araret foderetve, & ut, qui secus fecerat, comprehenderetur, & ad Archontem duceretur.

CAP. XIV.

De Atheniensium Magistratibus.

QUæstores ac Tribuni ærarii apud Athenienses diversorum generum erant; verum, antequam de munere ipsorum edisseram, necessario quædam præmittenda sunt de publicis reditibus, qui a diligentissimo Sigonio in hæc quatuor sequentia genera dividuntur.

1. Τέλη denotant istiusmodi reditus, qui ex agris metallorum fodinis, sylvis, aliisque publicis fundis proveniebant, quique in usum Reipublicæ seponebantur; & tributa, quæ inquilini & liberti pendebant; veluti & vectigalia, quæ a certis artibus & opificiis, præsertim autem a mercatoribus pro exportandis importandisque mercibus suis, exigebantur.

2. Φόροι annua tributa erant, quæ ab omnibus civitatibus tributariis exigebantur, eaque post cladem Xerxis primum imposita ab Atheniensibus fuerunt, ut eo melius bellum gerere possent, si forte, veluti metuebant, hostis denuo eos invaderet. Primus hoc tributum collegit Aristides, qui (sicuti in *ejus Vita* Plutarchus refert) omnium & singulorum, de urbe in urbem, pro cujusque facultatibus, censum instituit; ex quo censu quadringentorum & sexaginta talentorum summa confecta fuit. Hisce (pergit Plutarchus) Pericles tertiam fere partem addidit; narrat enim Thucydides, initio belli Peloponnesiaci ad Athenienses e confœderatis civitatibus sexcenta talenta rediisse. Post mortem Periclis Oratores, aliique viri magna inter populum auctoritate pollentes, paulatim hanc pecuniam auxerunt eo usque, ut ad mille & trecenta talenta adscenderet; atque id quidem non tam propter extraordinarios in bellum erogandos sumptus, quam populum ad munificentiam, & expensas in ludos scenicos, & ad erigendas statuas, atque templa exstruenda excitando.

3. Εἰσφοραὶ taxationes erant civibus æque ac inquilinis & libertis, auctoritate concionis & senatus, ad suppeditandos sumtus, qui in extraordinaria onera, occasione diuturnorum infeliciumque bellorum vel aliis de causis imposita, erogandi erant.

4. Τιμήματα mulctæ fuerunt, quæ omnes in ærarium deferebantur, decima tamen excepta parte, quæ Minervæ donabatur, ut & quinquagesima, quæ reliquorum deorum, ut & heroum, qui Επώνυμοι vocabantur, erat propria. Postquam huc usque de publica egi pecunia, nunc de iis, qui illi præfecti erant, acturus sum.

Επιστάτης e Prytanibus sorte eligebatur, publicique ærarii claves servabat, quod munus tanti fuit æstimatum, ut nemini id plus quam semel obire licitum fuerit. De reliquis honoribus & officiis

hujus ærarii præfecti alio loco agere constitui.

Πωλῆται decem numero erant, & simul cum iis, quibus cura pecuniæ in publica spectacula destinatæ incumbebat, etiam pecuniam e tributis provenientem, omnesque reditus elocandi, vendendique bona, quæ ærario addicta erant, potestate gaudebant, omniaque hæc pacta nomine ejus, qui illis præesset, confirmabantur, atque rata fiebant. Præterea eorum erat eos, qui tributum, Μετοίκιον dictum, non solvissent, reos peragere, eosque constituta auctione vendere. Hisce suberant magistratus quidam inferiores, Εκλογεῖς dicti, quorum officium erat publicam pecuniam colligere pro iis, qui publicos reditus conducebant, quique Τελῶναι vocabantur; hi semper erant viri bonæ existimationis, & præter propria sua pacta, pro solutione pecuniæ, quam juxta conductionem suam debebant, aliud fidei suæ pignus dare eos oportebat, & si ultra nonam Prytaneam solvere vel tantillulum supersederent, duplum sortis persolvendum mulctæ loco vel ipsismet, vel eorum vadibus imponebatur, quo neglecto omnes conjiciebantur in carcerem, eorumque bona ærario addicebantur. Leg. Suidas, Uulpianus *in Demosthen.* &c. Post expulsos Triginta Tyrannos, certi quidam magistratus, Συνδικοι dicti, cum potestate omnes querimonias de bonis ærario addictis cognoscendi, creati fuerunt, prout ex *Oratione* quadam Lysiæ *pro Nicia* apparet.

Επιγραφεῖς erant magistratus, qui omnes illos, a quibus tributa & vectigalia exigebantur, pro cujusque facultatibus censebant, publicas servabant rationes, & eos, qui tributa sua serius pendebant, judicio persequebantur.

Αποδέκται erant decem Tribuni ærarii, quibus omnes publicos reditus, pecuniam e tributis collectam, & quæ Reipublicæ debebantur, persolvi oportebat; quo facto omnem, quam acceperunt, pecuniam rationibus inferebant, & e tabulis publicis eorum nomina, qui debita sua persolvissent, coram toto senatu delebant. Quod si quædam controversia de pecunia vel tributis orta esset, eam illis dirimendi potestas erat, præterquam, si res difficilis & impedita, vel magni momenti esset, istiusmodi enim ad curias judicium deferebant.

Απογραφεὺς τῆς βουλῆς publicus Scriba erat, qui in primo hujus muneris exordio suffragiis, postea sorte creabatur, & rationum τῶν Αποδέκτων autographum, ut scilicet omni fraudi errorique obviam iretur, servabat.

Ελληνοταμίαι, vel Ελληνοταμιεῖοι, in tributariis civitatibus fungebantur eo munere, quod in propria Atheniensium ditione ad Αποδέκτας pertinebat.

Πράκτορες ii erant, qui nummos publicos e mulctis, qui alicujus criminis reis irrogabantur, colligebant.

Ταμίαι τῆς Θεοῦ, καὶ τῶν Θεῶν, illam mulctarum colligebant partem, quæ Minervæ reliquisque diis debebatur, idque coronam senatu fieri solebat. Decem hi numero erant, atque e Πεντακοσιομεδίμνοις, sive *Nobilibus*, sorte legebantur, ac in eorum potestate erat de nonnullorum mulctis, si liquido ostenderetur magistratus injuste illas imposuisse, aliquantum remittere. Eosdem cum iis fuisse, qui Κωλακρέται vocabantur, narrat Pollux, hique, prout Aristophanis Scholiastes testatur non tantum pecuniam, quæ diis e mulctis addicebatur, sed & alios reditus ad civilem usum destinatos, & ,ræprimis Τριώβολα, quæ inter judices distribuebantur, indeque δικαστικὸς μισθὸς, sive *merces judicialis*, dicta sunt, colligere solebant. Ita vocabantur, quasi Κωλαγρέται, quoniam sacerdotum quoddam genus erant, debitamque sibi partem e reliquiis sacrificiorum, inter quas animalium pelles & κωλαὶ *pernæ* vel *suffragines*, erant, petere solebant. Vid. Aristoph. Schol. *Avibus*, *Vespis*.

Ζητηταὶ magistratus erant in extraordinariis casibus creari soliti, ut nempe in publica debita inquirerent, si quando quæstorum negligentia vel aliis de causis ad ingentem summam excreverant, & periculum suberat, ne solverentur, nisi ut exigerentur daretur opera.

Magistratuum differentia, de quibus huc usque egimus, præcipue desumta est a diverso publicam pecuniam colligendi modo; itaque Sigonii methodum secuturus sum, proximoque loco enarraturus eos, qui ex diversa ratione eam expendendi distinguuntur. Quapropter sciendum est, publicum ærarium in tres partes divisum fuisse, pro ratione scilicet diversorum usuum, ad quos impendebatur; primam vocabant

1. Χρήματα τῆς διοικήσεως, pecuniam, quæ in civilem usum convertebatur.

2. Στρατιωτικά, quæ ad sumtus in bella erogandos requirebatur.

3. Θεωρικά, quæ piis usibus inserviebat, cuique accensebant expensas in ludos, publica spectacula, & festa, cum scilicet eorum plurima in honorem deorum, vel in defunctorum quorumdam heroum memoriam celebrarentur; atque hoc etiam nomine vocatam esse eam pecuniam, quæ judicibus, & populo in publicas conciones confluenti, dari adsueverat, Pollux refert. Hæ vero pecuniæ ingruente belli necessitate in militum stipendia irrogari jussit lex quædam a Demosthene meomrata *Orat. in Neæram*, quam postea abrogavit Eubulus, ut sibi gratiam popelli conciliaret, eodemque tempore contraria lege sanxit, ut capite lueret, quicunque auderet tentare, ut theorica pecunia militiæ usibus addiceretur. Vid. Ulpianus *Olynthiaca*. 1.

Ταμίας τῆς διοικήσεως, alio nomine Επιμελητὴς τῶν κοινῶν προσόδων dictus, præcipuus ærarii præfectus erat, reliquis honore & potestate longe præcellens, qui a populo creabatur, & quinque annos suo fungebatur munere, quibus elapsis, si honeste & integre se gessisset, moris erat, ut altera & tertia denuo vice eligeretur.

Αντιγραφεὺς τῆς διοικήσεως, antigraphum rationum præcipui ærarii præfecti, ne scilicet illæ corrumperentur, adulterarenturve, videtur habuisse.

Ταμίας τῶν στρατιωτικῶν princeps eorum erat, qui militibus stipendia persolvebant.

Ταμίας τῶν θεωρικῶν, vel Ο ἐπὶ τοῦ θεωρικοῦ, in ante memoratos usus τὰ θεωρικὰ χρήματα convertebat. Verum longe maxima molestissimaque muneris ipsius pars in pecuniam in pauperes cives, ut loca sibi in Theatro emere possent, erogando consistebat; atque hic mos originem suam duxit, & lege confirmatus est a Pericle, ut populi sibi gratiam conciliaret. Leg. Plutarch. in *Pericle*. Quippe (veluti observat Libanius *in Olintbiac.*) primis Reipublicæ ætatibus, cum e ligno exstructa essent Theatra, ad loca sibi occupanda avidus populus rixari inter se, quin & nonnunquam sibi invicem verbera & vulnera infligere solebant; huic itaque malo ut mederentur, decernebatur, ut unusquisque, antequam in Theatrum ingrederetur, duos pro ingressu obolos, vel drachmam persolveret, prout scribit Harpocration; & ne inferioris sortis homines jucunditate spectacula videndi privarentur, unicuique eam pecuniam ex ærario petere licitum erat.

Cap. XV.

De Atheniensium Magistratibus.

Σιτῶναι dicebantur ab ipsorum munere, quod in eo consistebat, ut frumentum in usum civitatis compararent, atque in finem Ταμίας τῆς διοικήσεως eam, quam pro ratione temporis poterat, pecuniæ summam iis debebat suppeditare. In arido & sterili solo, quod propriis suis incolis necessarium victum suppeditando haud sufficiebat, Athenæ sitæ erant, atque eam ob rationem frumentum a peregrinis nationibus quærere, aliorumque abundantia penuriam suam compensare, cogebantur, hocque, istiusmodi magistratus ut crearent, Athenienses adegit.

Σιτοφύλακες quindecim numero erant, quorum decem intra civitatem, quinque autem in Piræeo, officio suo fungebantur; providendum iis erat, ne frumentum & farina nimio pretio venderentur, præterea justum pondus & magnitudinem panibus statuere debebant. Ad hos quam proxime accedebant Σιτομέτραι, vel Αποδεκταῖοι, quorum erat curare, ut mensuræ frumenti legitimæ & æquales essent.

Αγορανόμοι decem numero erant, quorum quinque pertinebant ad civitatem, alii vero quinque ad Piræeum. At quindecim Αγορανόμους fuisse existimat Petitus, nempe decem in urbe, quinque in Piræeo; is enim tertiam Athenarum partem constituebat. Eorum negotium in foro erat, ubi omnium rerum vendibilium, excepto frumento, curam gerebant; & præcipue iis videndum erat, ne quis alterum injuria vel afficeret, vel in emendo vendendove deciperet, ut docet Theophrastus *de Legibus*. Λογισαὶ aliquando dicti sunt. Vid. Aristophanis Scholiastes *in Acharn.* Atque iis vectigal pendebant, qui Athenas portassent quidquam mercimonii: unde Dicæopolis in Aristophanis *Acharnensibus Act* I. *Scen.* IV. anguillam a Bœoto postulat tanquam αγορᾶς τέλος:

ΔΙΚ. Αγορᾶς τέλος ταύτην γέ που δώσεις ἐμοί.

DIC. *Fori vectigal hanc quidem mihi dabis.*

Μετρονόμοι istiusmodi erant magistratus, qui omne genus mensurarum, exceptis mensuris frumenti, examinabant; horum quinque in urbe, decem vero degebant in Piræeo, ubi maximum totius Atticæ forum erat. Οψονόμοι, quorum curæ commissum forum piscarium, duo vel tres a Senatu eligebantur. Vid. Athenæus *lib.* VI. Eustathius *ad Iliad.* λ. Pisces enim peculiariter ὄψα dicuntur. Plato *Sympos.* IV. *Problem.* IV. Πολλῶν ὄντων ὄψων, ἐκνενίκηκεν ὁ ἰχθὺς μόνον ἢ μάλισά γε ὄψον καλεῖσθαι. *Cum multi essent pisces, obtinuit piscis tantum vel maxime ὄψον vocari.* Item ὀψάριον, ut S. Joann. Evangel. *cap.* VI. *vers.* 9.

Εμπορίου ἐπιμεληταὶ magistratus erant, quorum curæ portus demandatus; decem illi numero fuerant, præcipuaque ipsorum muneris pars erat curare, ut duæ ad minimum partes omnis frumenti, quod in portum invehebatur, in civitatem perferretur, & ne ullum argentum e civitate a privato homine, exceptis iis, qui ad mercaturam frumentariam exercendam constituti erant, exportaretur. Vid. Demosthenes *in Lacrinum.*

Ναυτοδίκαι, vel Υβριστοδίκαι, in lites inter mercatores & nautas ortas inquirebant, atque istiusmodi examinabant homines, qui, cum & a parte patris & a parte matris peregrinorum filii essent, per fraudem tamen nomina sua in publicis tabulis perscribi curaverant, atque ea ratione jure ingenuorum civium sibi vindicabant; hocque sexto vigesimo uniuscujusque mensis die agere solebant. Nec multum ab his (prout Sigonius & Emmius de iis referunt) differebant Επαγωγεῖς: eorum solummodo erat eas causas, quæ ad mercaturam spectabant, audire, quas subito dijudicari oportebat, quæque in menstruos illos Ναυτοδίκων conventus differri nequibant. Narrat autem Pollux, præter hæc examina, eos in controversias de festis & publicis conviviis inquisivisse.

Αστυνόμοι erant publici vicorum urbis curatores. Aliarum quoque rerum curam habebant, quæ gerebantur in vicis publicis, περί τε τῶν αὐλητρίδων, καὶ ψαλτριῶν, καὶ τῶν κοπρολόγων, καὶ τῶν τοιούτων, *deque tibicinis, fidicinis, sordida loquentibus, & hujusmodi.* Aristoteles apud Harpocrationem decem Αστυνόμους memorat, quorum quinque in urbe, & totidem in Piræeo, munus suum exsequebantur: tamen Petitus sicut Α'γορανόμους, ita Αστυνόμους quindecim numerat, decem nempe in urbe, quinque in Piræeo; numerosque apud Harpocrationem corruptos esse queritur, eo quod Piræeum, cum tertiam urbis partem constituerit, tertiam partem ejusmodi curatorum habuisse probabile sit: sed forte cum emporium in Piræeo longe maximum fuerit, ejus cura non paucioribus viris commissa est, quam toti urbi præfuerunt. Porro e Demosthene colligi potest, neminem Astynomi officio bis fungi potuisse. Vid. ejus *Proœm.* LXIV.

Οδοποιοὶ, viarum inspectores.

Επισάται τῶν ὑδάτων omne genus aquæductuum curam gerebant. Fontes autem ad aliorum pertinebant officium, qui Κρηνοφύλακες dicebantur. Horum autem quatuor munera sub uno Αστυνομίας nomine comprehendit Aristoteles.

Επισάται τῶν δημοσίων ἔργων istiusmodi erant magistratus, quibus omnium publicorum ædificiorum cura, inventio, & administratio commissa erat, exceptis tamen urbis mœnibus, quorum peculiares curatores erant ab officio ipsorum Τειχοποιοὶ dicti, quorum vulgo idem, qui tribuum, numerus erat; singulis enim tribubus, quotiescumque id occasio postulabat, unum Τειχοποιὸν eligere licitum erat.

Σωφρονισαὶ decem erant, curabantque, (sicuti ex eorum nomine colligere licet) ut juventus sobrie & modeste se gereret, ex sententia Æschinis in *Axiocho.* Eumdem in finem noctu per urbem obambulare, & in eos, qui aliquas turbas darent, animadvertere solebant Thesmothetæ, ex Ulpiano in *Orat. adversus Midiam.*

Οἰνόπται tres erant magistratus, qui in publicis conviviis lumina & faces suppeditabant, curamque, ut quisque debitam sibi partem biberet, gerebant, secundum Athenæum *Deipnosoph. lib.* X.

Γυναικονόμοι suo etiam in publicis festis, sacrificiis, matrimoniis, aliisque solennibus munere fungebantur, &, ne quid adversum receptos mores fieret, cavebant, juxta eundem *lib.* VI.

Γυναικοκόσμοι magistratus erant, quibus mulierum apparatum secundum modestiæ & decori normam dirigendi cura incumbebat, quin & mulctam iis, quæ nimium delicatæ & morosæ in vestitu suo essent, irrogabant, eumdemque in Ceramico publice spectandum exhibebant.

Λειτουργοὶ erant homines opibus divitiisque pollentes, qui vel a propria tribu, vel universo populo publicos quosdam cultus peragere, vel propriis sumtibus Reipublicæ necessaria suppeditare jubebantur. Varia horum genera fuerunt, qui omnes e mille ducentis ditissimis civibus eligebantur, quos populus, si id postularet necessitas, omnia onerosissima molestissimaque officia in Re-

publica subire jubebat, atque unaquæque tribus centum & viginti ex suo proprio eligebant corpore; quamvis hoc (ut observavit Sigonius) Solonis adverseturinstituto, secundum quod quivis, qualiscumque demum foret conditionis, publico inservire pro facultate sua oportebat, ea tamen lege, ut nemo duo munera eodem tempore obire cogeretur. Vid. Demosthenes *in Leptinem*; qua *Oratione* aliam antiquam legem profert, qua singuli altero quoque anno jubentur λειτουργεῖν.

In duas hi mille & ducenti dividebantur partes, quarum altera ex iis, qui maximas possiderent opes, erat composita, altera ex tenuiorum facultatum hominibus constabat. Harum singulæ in decem dividebantur Συμμορίας, quæ erant distincta corpora, quibus peculiares præfecti & magistratus ex suo proprio numero erant. Denuo hæ Συμμορίαι in duas subdividebantur partes, juxta facultates eorum, qui illas componerent; atque hac ratione ex primis decem Συμμορίαις trecenti ex opulentissimis Atheniensibus civibus designabantur, qui, quotiescumque res id postularet, Reipublicæ necessariam pecuniam suppeditare, & simul cum nongentis reliquis omnes prætervulgares cultus suis vicibus peragere debebant. Vid. Ulpian. *in Olynthiac.* II. & *Aphob.* I. Atque primum distributi sunt Athenienses in Συμμορίας Nausinico Prætore circa annum tertium Olympiadis centesimæ. Antea ex instituto Solonis, qui τῆς λειτουργίας oneri ferendo impares erant, ex lege τῆς ἀντιδόσεως remedium quærebant: erat autem ἀντίδοσις, bonorum commutatio, quæ fiebat hoc modo: Si quis eorum, qui obeundis publicis muneribus designatus erat, se locupletiorem aliquem, qui munere vacaret, ostendere potuit, excusabatur. Quod si alter designatus ditiorem esse se negaret, permutabant inter se facultates. Is porro, qui alterum citaverat, ejus ædes obsignabat, ne quid inde exportaretur. Tum juramentum præstabant hujusmodi verbis: Αποφαίνω τὴν ὀσίαν τὴν ἐμαυτοῦ ὀρθῶς καὶ δικαίως, πλὴν τῶν ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς ἀργυρείοις, ὅσα καὶ νόμοι ἀτελῆ πεποιήκασι. *Indicabo facultates meas recte & juste, exceptis iis quæ in argenti fodinis sunt, quas immunitate lex donavit.* Porro indicium facultatum faciebant intra tres, ex quo juraverant, dies: id dicebatur Ἀπόφασις. Nec penitus exolevit hic mos post institutas Nausinico Archonte Συμμορίας, sed tum si quis e trecentis sumtus tolerare non posset, excusabatur, si quem se ditiorem vacantem ostendisset. Vid. Demosthenes *in Leptin.* & *Phænip.* Denique hæc tota lis dicta est Διαδικασία, quæ tamen vox ad alias causas aliquando extenditur, & idem sonat quod ἀμφισβήτησις, aut κρίσις, ut nos docet Hesychius, quanquam a Suida restringitur ad τοὺς Χορηγούς. Fiebat hæc Διαδικασία, si contenderent qui ad Trierarchi munus designabantur apud Strategum, isque judices litigantibus dabat, ut qui rerum omnium bellicarum curam gereret: alii apud alios contendisse videntur.

Munera publica alia ad pacem, alia ad bellum pertinebant. Pacis quidem sunt χορηγία, γυμνασιαρχία, & ἑστίασις. Belli vero, τριηραρχία, & εἰσφορά.

Χορηγοὶ sumtibus in Actores, Cantores, Saltatores, & Musicos, quotiescumque publica festa & solennia celebrandi se obtulisset occasio, erogandis præerant. Leg. Lysias *Orat. de Muneribus*, Plutarchus *de prudentia Atheniensium*. In Lenæo, festo Bacchi, inquilini erant Χορηγοί, & hinc licebat peregrinis in choro saltare, quod alio tempore non nisi civibus concedi potuit. Vid. Aristophanis Scholiastes *in Plutum*.

Γυμνασίαρχοι oleum atque istiusmodi alia, quæ luctatoribus aliisque gymnastis necessaria erant, curabant, juxta Ulpianum *in Leptin.* Atque hi a quaque tribu constituebantur.

Ἑστιάτορες τῶν φυλῶν in publicis festis toti suæ tribui convivium apparabant, ex Demosth. *Midiana* & *Leptiniana*. Ad quod munus sorte eligebantur, exceptis qui libere id suscipiebant, secundum Pollucem. Et quidem inquilini & peregrini suos habebant Ἑστιάτορας, a quibus excipiebantur conviviis.

Τριήραρχοι omnia, quæ ad classem instruendam necessaria erant, debebant curare, (ut scribit Plutarch. *loco cit.*) navesque construere, ad quod opus interdum plures, interdum pauciores, pro ratione facultatum contribuisse videntur.

Εἰσφέροντες Reipublicæ pecuniam, pro facultatibus suis, militibus persolvenda stipendia, ut & aliis in casibus, suppeditare necesse habebant, ex Lysiæ *Orat. de Muneribus*.

Præter hæc, in casibus extraordinariis, si quando solita subsidia non sufficerent, sicuti diuturnorum ancipitumque bellorum temporibus, ditiores e civibus generoso animo præter illa, quæ ab ipsis exigebantur, quæque, ne solverent, evitare non poterant, pro ratione facultatum suarum publicis necessitatibus subvenire soliti erant. Atque hi a Polluce ἐπιδίδοντες ἐπιδόσεις, εἰσφέροντες ἑκόντες, ἐθελονταὶ, &c. nuncupantur.

Fuerunt & alii, non quidem proprie magistratus, hoc tamen loco, quia publica peragebant negotia, neutiquam omittendi.

Ex eorum genere erant Σύνδικοι, sive *Oratores*, qui a populo, ut causam de lege aliqua ferenda, vel abroganda, agerent, creabantur, de quibus alio loco locutus sum. Atque hi quamvis erant diversi ab iis qui sequuntur, tamen aliquando Ῥήτορες, & Συνήγοροι dicti fuisse videntur, & operæ pretium habuisse τὸ συνηγορικόν. Hinc, ne munus publicæ utilitatis causa inventum in quæstum privatum verteretur, statutum est, ut nemini liceret bis a populo Syndicum designari. Vid. Demosthenes & Ulpianus *in Leptin.*

Ῥήτορες numero decem erant, atque sorte eligebantur, ut publicas causas coram Senatu agerent, & pro singulis, quibus operam dabant, causis drachmam e publico accipiebant ærario. Nonnumquam & Συνήγοροι vocati fuerunt, eorumque merces τὸ Συνηγορικὸν dicta, juxta Aristoph. Scholiastem *in Vespas*. Aristophanes *Vespis pag.* 464. *Edit. Amstelod.*

Αὐτὸς δὲ φέρει τὸ συνηγορικὸν, δραχμήν. —

Ille autem fert patrocinii pretium, drachmam. —

Atque hi Rhetores non ante quadragesimum annum, (ut docet Aristophanis Interpres *ad Nubes*) vel (ut aliis videtur) ad tricesimum admitti solebant ad orandum coram Populo, aut Senatu. Neque officium illud exsequebantur, antequam habito examine compertum esset, eos fuisse pios erga parentes, fortes in bello, prudentes in rebus suis administrandis, nec prodigos, aut impudicos. Cujus examinis capita infra inter leges descripta invenies.

Πρέσβεις Legati erant populi suffragiis ad agendum cum exteris Regnis vel Rebuspublicis electi. Hi nonnunquam plena potestate omnia, prout maxime conducere ad Reipublicæ salutem honoremque existimabant, peragendi instructi mittebantur, quo in casu Πρέσβεις Αὐτοκράτορες, vel, ut hodie vulgo vocantur, *Plenipotentiarii* dicebantur, neque domum reduces rerum gestarum ratio-

nem reddere tenebantur; verum enim vero limitibus coercita eorum vulgo poteſtas erat, & examini ſubjici poterant, ſi mandata tranſgreſſi aliquod aliud, præterquam id, cujus ergo miſſi eſſent, vel alia, quam præſcripta ipſis, ratione quadam confeciſſent negotium. Legationis tempore certam pecuniam ex ærario accipiebant, quæ an ſemper fuerit eadem haud liquet: Ariſtophanis ætate binæ drachmæ dabantur in ſingulos dies: ſic enim ille in *Acharnenſibus Act.* I. *Scen.* II.

> Επέμψαθ' ἡμᾶς ὡς βασιλέα τὸν μέγαν,
> Μισθὸν φέροντας δύο δραχμὰς τῆς ἡμέρας
> Επ' Εὐθυμένους Αρχοντος. ——

> *Miſiſtis nos ad regem maximum,*
> *Mercedem diurnam ferentes duas drachmas*
> *Euthymene Archonte.* ——

Si fidem operamque ſuam redditis rationibus populo probaſſent, publico convivio a Senatu excipiebantur in Prytaneo. Demoſthenes & Ulpianus *Orat. de falſa legat.* Qui male obierat legationem, mulctabatur. Thucydides Scholiaſtes *lib.* VI. At qui nec a Populo, nec a Senatu creatus legationem ſuſcepit atque obivit, morte puniebatur. Demoſthenes *loc. cit.*

Πρέσβεις vulgo comitabatur Κῆρυξ, ſive *Præco*; imo nonnunquam & ipſe Κήρυκες Legatorum munere fungebantur, (veluti obſervat Sigonius) præcipue primis temporibus, cum nulli præter hos Legati crearentur, hique ſacri & inviolabiles haberentur, non ideo tantum, quia a Mercurio ſuam originem ducerent, ejuſque in ſervitio occuparentur, verum quia publici conciliatores eſſent, ſine quorum ope de omni inter hoſtes commercio & ſpe reconciliationis plane actum eſſet. Atque hinc Euſtathius *ad Iliad.* α. *pag.* 183. *Edit Baſil.* obſervat, Ulyſſem, cum in itineribus ſuis exploratores miſiſſet, qui, in quam regionem & ad quem populum venti atque maria pertuliſſent, inquirerent, ſemper ipſis Κήρυκα comitem adjunxiſſe, cujus præſentia eos ab omni injuria ſecuros, in omnibus orbis partibus, in quas eos fortuna deferret, exceptis Læſtrygonum, Cyclopum, aliarumque iſtiuſmodi ferarum gentium regionibus maxime barbaris, quæque omnem humanitatem exuerant, præſtabat.

Γραμματεῖς, *Scribæ*, varii erant, qui diverſis magiſtratibus inſerviebant: de quibus in genere nihil aliud obſervo, quam quod lege cautum erat, ne quis δὶς ὑπογραμματεύῃ τῇ αὐτῇ ἀρχῇ, *eidem magiſtratui bis eſſet ſcriba*: qua lege fraudibus occurſum videtur. Porro erat quoddam peculiare Scribarum officium, ut nos docent Harpocration & Suidas. Tres nempe ſorte eligebantur, qui publica decreta, tabulas, & leges cuſtodirent, deſcriberent, & recitarent. Horum unus in populi concione creabatur, qui tum populo, tum ſenatui recitabat: cæteri duo in ſenatu, quorum alter leges, alter literas & decreta publica cuſtodiebat. Vid. Pollux *lib.* VIII. Quælibet autem Prytanea ſuum Scribam eligebat, qui cum diebus triginta integris miniſtraſſet, officium depoſuit, ejuſque rationem reddidit. Lyſias *in Nicom.* Id ſolum addam, Syracuſis quidem Scribas magno honore habitos fuiſſe, juxta Ulpianum *in Leptinianam*; ſed Athenis ignominioſum erat eorum munus, ἁπλῆς ὑπηρεσία, *vile miniſterium*, ſecundum Libanium *Argumento Orat. Demoſthen. de falſa legat.* & ad id plerumque aſſumebant publicos miniſtros, quos Græci δημοσίους, teſte Harpocratione, Juriſconſulti Latini *vulgares*, & Gloſſæ *calones* vocant. Hi autem erant e ſervis, & bello captis,

A qu, ut utiliores fierent dominis ſuis, litteras edocti fuiſſent, ex Ulpiano *in Olynthiac.* II. Talis erat Nicomachus ille, adverſus quem Lyſiæ *Oratio* ſcripta eſt.

Præter ſupra memoratos Magiſtratus & Præfectos, plures alii erant, ut Πρυτάνεις, Πρόεδροι, Verum de hiſce, ut & de iis, qui bellicis ac ſacris muneribus fungebantur, ſuo loco acturus ſum.

CAP. XIV.

De Concilio Amphictyonum.

B QUandoquidem proximo loco de Athenienſium Conciliis Foriſque judicialibus acturus ſum, non poſſum non celebris illius Amphictyonum conſeſſus mentionem facere, qui licet Athenis non haberetur, nec illi urbi peculiaris & proprius eſſet, ad Athenienſes tamen, & reliquos fere omnes Græcos, pertinebat.

Concilium hoc primo inſtitutum fuiſſe, nomenque ſuum traxiſſe ab Amphictyone Deucalionis filio, vulgaris opinio eſt. Vid. Pauſanias *Phocicis*, Suidas, &c. Verum, Argivorum Regem Acriſium, primum illi originem dediſse, legeſque ſecundum quas dirigeretur conſtituiſse, Strabo *Georg.*
C *lib.* IX. exiſtimat. Atque hoc in caſu nomen illi indidiſsent Αμφικτίονες, quandoquidem circumjacentium regionem incolæ in iſtud conveniebant concilium, ex Suida. Atque horum Senatorum primum nomen *Amphictiones* fuiſse, quamvis ſequentibus ſæculis in *Amphictyones* mutatum ſit, apud Pauſaniam Androtion narrat. Prior tamen opinio ex iis confirmatur, quæ de loco, in quo hic conſeſsus ſit, Herodotus *lib.* VII. *cap.* CC. refert, ſcilicet, fuiſse ibi Templum Amphictyoni & Cereri Amphictyonidi ſacrum; quin & hanc deam ab Amphictyonibus cultam Strabo affirmat.

D Locus, in quem conveniebant, *Thermopylæ*, nonnunquam etiam *Pylæ*, dicebatur; quippe erat arcta atque anguſta quædam via, & quaſi porta vel introitus in regionem. Atque hinc factum, ut hi Senatores ſæpe Πυλαγόραι, ipſumque Concilium Πυλαία vocarentur. Leg. Herodotus, Heſychius, Suidas, Harpocration, Strabo, Pauſanias *Achaicis*. Sed vero hoc nomen ortum ſuum Pyladi Oreſtis amico, qui primus coram hoc Concilio criminis poſtulatus fuit, utpote qui cædi Clytemneſtræ auxiliares manus præbuerat, debuiſse Sophoclis Scholiaſtes ſcribit. Nonnunquam Delphos ſe conferebant, ubi Apollinis Templi cura, ut & ludo-
E rum Pythiorum, qui eo loci celebrabantur, iis incumbebat, juxta Pauſaniam *Phocicis* & *Achaicis*, alioſque; Delphorum enim ſitus ad conveniendum commodiſſimus erat, quod ſcilicet, prout Geographi referunt, in media Græcia eſsent.

Secundum Pauſaniam ii, ex quibus hoc conſtabat Concilium, quique ab ipſo Amphictyone convocati, Ionum perſonam gerebant, quorum numero accenſebantur Athenienſes, Dolopes, Theſſali, Ænianes, Magnetes, Melii, Phthii, Dores, Phocenſes, & Locrenſes, qui proxime montem Cnemin habitabant, eamque ob cauſam Epicne-
F midii vocabantur. Harpocration etiam & Suidas duodecim enumerant nationes, ex quibus hoc Concilium compoſitum fuit, nimirum Iones, Dores, Perrhæbios, Bœotos, Magnetos, Achæos, Phthios, Melios, Dolopes, Ænianes, Delphicos, Phocenſes. Undecim tantum ſupputat, & in Achæorum, Ænianum, Delphicorum, Dolopumque locum hos tres duntaxat, vide Theſsalos, Oetæos, Locrenſes, ſubſtituit Æſchines *Orat.* Περὶ παραπρεσβ.

Poſt hæc, Philippi Macedonum Regis, atque

patris Alexandri Magni, temporibus, cum Delphicum templum diripuissent spoliassentque Phocenses, Amphictionum decreto a reliquis Græcis in eos, ut in sacrilegam impiamque nationem, impetus factus, & post decennale bellum jus inter Amphictyones sedendi illis ablatum, quin & simul etiam illorum sociis Lacedæmoniis, qui Dorum pars erant, quibusque, eo nomine, antea hoc in Concilio sua sedes fuerat; atque in illorum locum substituti fuerunt Macedones, qui ob egregie bello Phocensi navatam operam in hoc Concilium admissi sunt. Verum post elapsos annos fere sexaginta octo, cum Galli, duce Brenno, horrendam stragem per Græciam ederent, omniaque, in quæ incurrebant, vastarent diriperentque, nec sacris nec profanis parcerent, barbaroque & sacrilego furore Delphicum spoliarent templum, tam strenue se gesserunt & tantopere reliquis Græcis eo in prælio præcelluerunt Phocenses, ut commissum antea crimen suum sic satis expiasse viderentur, pristinoque suo juri dignitatique redditi fuerint. Vid. Pausan. *Phocicis*.

Regnante Augusto Cæsare aliam mutationem Amphictyones subierunt; postquam enim Antonium navali apud Actium pugna devicisset hic Imperator, novem in hujus memoriam victoriæ civitatem condidit, Nicopolimque appellavit, ejusque incolas in huncce consessum admitti desiderans, ejus ergo, Magnesii, Melienses, Phthii, & Ænianes, quibus in id usque tempus distincta erant suffragia, Thessalis ut annumerarentur jussit, interdixitque, ne alios, ipsorum gesturos personam, præterquam eos, qui omnibus communes essent, mitterent; præterea jus suffragii, quod ad has nationes, & Dolopes spectabat, (populum, cujus longe ante eversus status, exstinctumque nomen fuerant) Nicopolitis dari voluit. Leg. idem *ibidem*.

Qui sub Augusti Tiberiique Imperio floruit, Strabo hoc, ut & Achæorum illud generale Concilium, sub hoc tempus dissolutum esse refert; Pausanias vero, qui complures post hocce tempus annos sub Antonino Pio vixit, integrum id suo tempore remansisse, atque numero Amphictyones tum triginta fuisse, & a sequentibus nationibus, nempe Nicopolitis, Macedonibus, Thessalis, Bœotis, (qui vetustioribus temporibus Æoles dicebantur, partemque quandam Thessaliæ inhabitabant) Phocensibus, Delphicis, Locrensibus, qui Ozolæ dicuntur, iisque, qui Eubœæ ex adverso siti erant, Doribus Atheniensibus, & Eubœis, missos fuisse testatur.

Singulis annis bis tantum ad hanc concionem statis temporibus conveniebant, primo, ineunte vere, secundo, tempore autumnali, juxta Strabonem *loc. cit.* ea tamen lege, nisi occasio quæpiam emergens eos, ut convenirent, adigeret. Hocce in conventu suo publicas lites dirimere simultatesque, quæ Græciæ civitatibus inter se invicem intercederent, cum alia eas inter se conciliandi via non suppeteret, componere ipsis propositum erat. Solenne illis erat, antequam negotia tractarent, bovem in minimas partes dissectum Apollini Delphico simul immolare, quo sacrificandi ritu Græcarum urbium unionem & concordiam significabant. Horum sententiæ ubique summa cum veneratione recipiebantur agnoscebanturque, atque sancte servabantur, semperque Græci adversus eos, qui illas rejicerent, tanquam adversus communes hostes, vires suas conjungebant.

Vicinarum civitatum conventus, ad quem, ut in commune bonum consulerent, conveniebant, vulgo Αμφικτυονία videtur vocatus fuisse, atque præter celebrem hunc conventum, de quo jam modo locutus sum, alterius cujusdam meminit Strabo *Georg. lib.* VIII. qui in templo Neptuni Trœzene habitus fuit, & in quo septem sequentium Rerumpublicarum, nempe Hermiones, Epidauri, Æginæ, Athenarum, Prasiorum, Naupliorum, & Orchomenorum Bœotiæ, delegati interesse solebant.

CAP. XVII.

De Εκκλησίαις *vel publicis Concionibus Atheniensium.*

Εκκλησία conventus erat populi secundum legem, ubi de Reipublicæ commodo consilium inibat, congregati. Huic concioni aderant omnes cujuscumque conditionis cives, ut alibi observatum, quotquot autem ἄτιμοι, sive *infamia notati*, servi, peregrini, fœminæ, & minorennes, arcebantur. Tamen Cecropis ætate fœminæ ut publicis consiliis, ita concionibus etiam interfuerunt; unde in certamine Minervæ & Neptuni de præsidio Athenarum, cum id populo ipsi referretur, Minerva, fœminarum suffragiis adjuta; vicisse dicitur. Quam rem eleganter descripsit Varro apud Augustinum *De Civitate Dei lib.* XVIII. *cap.* IX. *Isto oraculo Cecrops accepto, cives omnes utriusque sexus (mos enim tunc in eisdem locis erat, ut fœminæ publicis consultationibus interessent) ad ferendum suffragium convocavit: consulta igitur multitudine, mares pro Neptuno, fœminæ pro Minerva tulere sententias: & quia una plus est inventa fœminarum, Minerva vicit. Tunc Neptunus iratus marinis fluctibus exæstuantibus terras Atheniensium populatus est, quoniam spargere latius quaslibet aquas difficile dæmonibus non est. Cujus ut iracundia placaretur, triplici supplicio dicit idem Auctor ab Atheniensibus affectas esse mulieres: ut nulla ulterius ferrent suffragia: ut nullus nascentium maternum nomen acciperet: ne quis eas* Αθηναίας *vocaret*. Duplex is fuit, prior Κυρία, Σύγκλητος alter vocabatur.

Κυρίαι dicebantur ἀπὸ τοῦ κυρεῖν τὰ ψηφίσματα, quia in iis populus Senatus decreta confirmabat, faciebatque rata; vel potius, quod ἡμέραις κυρίαις, vel ὡρισμένοις, καὶ νομίμοις, *diebus statis*, & *lege constitutis*, habebantur. Vid. Suidas, Aristoph. Schol. *Acharn.*

Quater hi conventus habebantur triginta quinque dierum spatio, hocque illud tempus erat, quo singulæ Πρυτανεῖαι, sive *Prytanum Collegia*, Senatui præerant. Primi conventus negotiorum erat magistratus approbare, vel reprobare, actiones Εἰσαγγελίας dictas agnoscere, &, quæ in commune bonum proponebantur, audire, ut & istiusmodi bonorum, quæ in commodum Reipublicæ ærario addicta essent, catalogum inspicere, præter varia adhuc alia. In secundo, & publicis & privatis personis prospiciebatur; atque unicuique aliquid petere, vel judicium suum de alterutris ferre licitum erat. In tertio, exterarum Rerumpublicarum legati audiebantur. Quartus in religione rebusque ad divinum cultum spectantibus totus occupabatur. Vid. Pollux *lib.* VIII. *cap.* VIII. Quo tempore, ut videtur, Prytanes, quos oportebat θύειν ἑκάστοτε κοινῇ, *sacrificare semper & ubique in communi*, populo renunciabant, utrum litassent, necne. Cujus renunciationis solennia verba non erit a re præsenti alienum ex Demosth. *Procœm.* LXIII. apponere: Καὶ δίκαιον, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, καὶ καλὸν, καὶ σπουδαῖον, ὅπερ ὑμεῖν εἰώθατε, καὶ ἡμᾶς προνοεῖν, ὅπως τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς ἕξει.

ἡ μὲν οὖν ἡμετέρα γέγονεν ἐπιμέλεια ὑμῖν εἰς δέον· καὶ γὰρ ἐθύσαμεν τῷ Διὶ τῷ Σωτῆρι, καὶ τῇ Ἀθηνᾷ, καὶ τῇ Νίκῃ, καὶ γέγονε καλὰ καὶ σωτήρια ταῦθ' ὑμῖν τὰ ἱερά. Ἐθύσαμεν δὲ καὶ τῇ Πειθοῖ, καὶ τῇ Μητρὶ τῶν θεῶν, καὶ τῷ Ἀπόλλωνι, καὶ ἐκαλλιερήσαμεν καὶ ταῦτα. Ἦν δ' ὑμῖν καὶ τὰ τοῖς ἄλλοις θεοῖς τυθέντα ἱερὰ ἀσφαλῆ, καὶ βέβαια, καὶ καλά, καὶ σωτήρια. Δέχεσθαι οὖν παρὰ τῶν θεῶν διδόντων τἀγαθά. *Et æquum, o viri Athenienses, & honestum, & præclarum est, quod vos facere soletis, ejus nobis etiam esse studium, ut res divinæ pie ac religiose curentur: ac nostra quidem curatio vobis opportune cecidit: etenim sacrificavimus Jovi Servatori, & Minervæ, & Victoriæ, eaque sacra & pulchra & salutaria vobis fuerunt. Sacrificavimus quoque Suadelæ, & Matri deorum, & Apollini, quibus & ipsis litavimus. Fuerunt nobis etiam reliquis diis facta sacra, & tuta, & certa, & præclara, & salutaria. Accipite igitur a diis ea bona, quæ largiuntur.* Prima concio undecimo Prytaniæ die, secunda vigesimo, tertia trigesimo, quarta trigesimo tertio, habebatur. Sunt, qui secundum menses supputent, singulisque mensibus tres conciones habitas fuisse referant, nempe primo, decimo, & trigesimo, vel decimo, vigesimo, & trigesimo diebus. Leg. Ulpian. *in Demosth.* Aristoph. Schol. Sed vero prima computatio magis convenire cum consuetudine priscorum Atheniensium videtur; apud quos decem Πρυτανεῖαι erant, scilicet pro numero suarum tribuum, quæ singulæ triginta quinque dies, intra quos quater solebant convenire, imperabant. Dehinc, harum tribuum numerus cum duabus novis auctus esset, duodecim etiam Πρυτανεῖαι fuerunt, singulæque singulos imperarunt menses; atque hac ratione Ulpianus *Orat. de falsa Legat.* recte fortean computaverit.

Σύγκλητοι Ἐκκλησίαι ita dicebantur ἀπὸ τοῦ συγκαλεῖν, quia populus ad conventum convocabatur, contra vero in Κυρίαις sua sponte, a magistratibus nulla ratione admoniti, congregabantur, veluti Ulpianus observat in *Orat. de falsa Legat.* Qui populum convocabant, Στρατηγοὶ vulgo, vel Πολέμαρχοι, vel eorum nomine Κήρυκες erant, quandoquidem subitum aliquod, inexspectatum, ancepsque bellum ut plurimum extraordinariis hisce conventibus occasionem præbebat; nonnunquam etiam id faciebant Prytanes, si id juberet Senatus, ut vulgo fieri solebat, si quando civilia quæpiam negotia, quæ ad Στρατηγοὺς non pertinebant, citius, quam in Κυρίαις fieri posset, expediri postularent.

Κατεκκλησίαι, veluti Pollux, vel Κατακλήσεις, ut Ammonius, vel Κατακλησίαι, ut eas vocat Hesychius, conciones erant, quæ super nonnullis magni momenti rebus habebantur, ad quas non tantum eos convocabant cives, qui in urbe habitabant, sed omnes, qui in agris vel qui in navibus, tum temporis in portu in anchoris consistentibus, degebant. Videtur autem præco non semel, sed bis terve populum ante concionem vocasse, ut omnes mature adessent; nam in Aristophanis *Concionatricibus pag. 686. Edit. Amstelod.* tempus esse dicitur eundi ad concionem, quod præco secunda vice calasset:

> Ὥρα βαδίζειν, ὡς ὁ κήρυξ ἀρτίως,
> Ἡμῶν προσιόντων, δεύτερον κεκόκκυκεν.
>
> *Hora eundi, præco enim modo,*
> *Nobis procedentibus, secunda vice clamavit.*

Varia erant, in quibus Ἐκκλησίαι habebantur, loca, sicuti primo;

Ἀγορά, sive *Forum*, ibique non tantum Athenienses, sed & plurimæ aliæ urbes, publicos suos conventus celebrabant, quia vulgo spatiosum admodum erat. Atque hinc factum, ut ipsi illi conventus, sive conciones, Ἀγοραὶ appellati fuerint, & *pro concione verba facere* ἀγορεύειν significarit, veluti observat Harpocration.

Πνὺξ locus prope arcem fuit, ita dictus διὰ τὸ πεπυκνῶσθαι τοῖς λίθοις, ἢ ταῖς καθέδραις, ἢ διὰ τὸ πεπυκνῶσθαι ἐν αὐτῇ τὰς βουλάς, *quia lapidibus, vel lapideis sedibus refertus erat, vel quia in concionibus, quæ ibi habebantur, senatores ob frequentiam hominum premebantur*, atque hinc apud Comœdiographos πνυκίτης pro urgente & premente multitudine sumitur, secundum Aristoph. Schol. *Acharn. Equit.* &c. Nullam aliam ob rem, præterquam ob mediocritatem ædificiorum, eorumque apparatum, notatu dignus fuit, quare & ejusmodi sæculis, quæ elegantiam & splendorem affectabant, priscæ simplicitatis monumentum remansit, juxta Pollucem *lib.* VIII. *cap.* VIII.

Deinceps Bacchi Theatrum solitus, in quo conciones habebantur, locus fuit, ex Demosthen. *Midiana.* Sed vel tunc Pnyx non omnino negligebatur; legi enim adversum erat, si alicui corona decerneretur, vel ulli magistratus eligerentur ullo alio in loco, veluti Pollux, vel saltem Στρατηγοί, uti Hesychius refert.

Ordinariæ conciones in supra memoratis locis habebantur, verum, qui extraordinariis in casibus celebrabantur cœtus, nullo certo & fixo loco adstricti erant; quippe nonnunquam in Piræeo habiti fuerunt; ubi forum quoddam erat, Ἱπποδάμεια ἀγορὰ vocatum, Munychia, vel alius quidam locus, qui capiendo populo par esset.

Magistratus, quibus concionum cura & administratio commissa, Prytanes, Epistatæ, & Proedri erant.

Nonnunquam populum convocabant Prytanes, semperque, antequam convenirent, Πρόγραμμα aliquod istiusmodi loco affigebant, ad quem celebris erat hominum concursus, eoque materiam, de qua sequenti concione consulendum esset, proponebant, ut scilicet unicuique de ea deliberandi, antequam judicium ferret, tempus suppeteret. Vide Pollux *lib.* VIII. *cap.* VIII.

Πρόεδροι a primis, quos in concionibus occupabant, locis vocabantur. Quandiu decem tantum Atheniensium tribus fuerunt, novem numero Proedri erant, iique sorte legebantur ex novem tribubus, quæ per id tempus a Prytanum munere obeundo immunes erant. Eorum officium erat populo eas res, de quibus acturi essent, proponere, easque eo in conventu expedire, ut censet Ulpianus *in Timocrat.* quo peracto magistratu suo abibant. Novam legem latam fuisse memorat Æschines *in Timarchum*, qua jubetur, ut in singulis concionibus una tribus sortito ducatur, quæ προεδρεύῃ (*præsideat*) circa suggestum, ut leges & Rempub. tueatur; nempe impediendo, ut verisimile est, oratores, aliosve, si quis concionem habere apud populum vellet, cui fas non erat, aut de quibus fas non erat, aliudve quid ageret receptis moribus adversum. Denique Proedris adesse in concione solebant Νομοφύλακες, qui intercedebant, ne populo suffragia ferendi potestas daretur, si quid proponeretur Reipub. minus salutare. Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX. Τοῖς δὲ Προέδροις ἐν ἐκκλησίᾳ συγκαθίζουσι Νομοφύλακες, ὅσα διακωλύοντες ἐπιχειροτονεῖν, ὅσα μὴ συμφέρει.

Ἐπιστάτης, concionis præses, ex Proedris sorte creabatur; præcipua muneris ipsius pars in eo videtur constitisse, quod populo libertatem sua ferendi suffragia (quod illi facere, antequam ipse tesseram dedisset, non licebat) concederet. Leg. Har-

Harpocration, Demosthenes *Androtiana*, Æschines *in Ctesiphontem*.

Quod si populus in conciones venire cunctaretur, summam navabant operam magistratus, ut ipsum eo compellerent; omnes claudebant portas, ea duntaxat excepta, quæ transeunda, si in concionem venire vellent, erat; curabant, ut quidquid venum expositum esset, e foro auferretur, ne scilicet aliquid impedimento esset, quo minus præsentem se sisteret populus; atque hoc si non sufficeret, Logistæ (quorum hoc negotium erat) funem capiebant minio illitum, quo instructos duos τοξότας in Forum mittebant, horumque alter ab hac, alter ab opposita parte collocati, omnes, quos ibi loci offendebant, persequebantur, atque jam dicto fune, quoscumque assequi poterant, notabant, cunctisque illis certa quædam mulcta imponebatur, veluti Aristophanis Scholiastes *ad Acharn. Act.* I. *Scen.* I. observat:

Οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ λαλῦσι, κἄνω καὶ κάτω
Τὸ χοινίον φεύγυσι τὸ μεμιλτωμένον.

Hi vero in foro loquuntur, & sursum ac deorsum
Funem fugiunt minio illitum.

Denique ut excitarent populum concionibus mature adesse, obolum dabant celeriter venientibus, auctore Callistrato Parnyte; postea triobolum dari jussit Agyrrhius: atque hujus quidem gratia pauperiores civium in concionem festinabant: unde Aristophanis jocus in *Pluto Act.* I. *Scen.* II.

KAP. Ἐκκλησία δ' ὐχὶ διὰ τοῦτον γίγνεται;
CAR. *Concio autem nonne propter hunc fit?*

Sero autem venientes nihil accipiebant, ut ex ejusdem *Concionatricibus pag.* 704. *Edit. Amstelod.* colligere licet:

ΒΛΕ. Ἀτὰρ πόθεν ἥκεις ἐτεόν; ΧΡ. Ἐξ ἐκκλησίας.
ΒΛΕ. Ἤδη λέλυται γὰρ; ΧΡ. Νὴ Δί' ὄρθριον μὲν ὖν.
Καὶ δῆτα πολὺν ἡ μίλτος, ὦ Ζεῦ φίλτατε,
Γέλων παρέσχεν, ἣν προσέῤῥαινον κύκλῳ.
ΒΛΕ. Τριώβολον δῆτ' ἔλαβες; ΧΡ. Εἰ γὰρ ὤφελον·
Ἀλλ' ὕστερος νῦν ἦλθον, ὥστ' αἰσχύνομαι
Μὰ τὸν Δί', ὐδὲν ἄλλον ἢ τὸν θύλακον.

BL. *At unde venis, quæso?* CHR. *E concione.*
BL. *Jamne dimissa est?* CHR. *Per Jovem & quidem diluculo:*
Et certe plurimum rubrica, o Jupiter dilectissime,
Risum præbuit, quam undique adsperserant.
BL. *Triobolum vero accepisti?* CHR. *Utinam vero!*
Sed tardior jam veni, unde erubesco
Per Jovem, nihil aliud quam panarium (ferens, idque vacuum.)

Quod si turbida quædam procella, vel subita tempestas, quam Διοσημείαν ex Aristoph. Schol. *ibid.* vocabant, ingrueret, vel omen aliquod inauspicatum apparuisset, e vestigio in alium diem differebatur concio. Sed si omnia consueto se haberent more, hunc in modum negotium peragebatur.

Primo, locum, ad quem convocati erant, occisis porcellis lustrabant, quos, ut in istiusmodi lustrationibus fieri solebat, in orbem per hujus loci extrema circumferebant; in exteriori ejus parte nulli homini consistere licitum erat, quia hæc loca pro profanis & pollutis habebantur, ineptisque adeo, in quibus tanti momenti negotium, quod ad salutem & incolumitatem Reipublicæ maxime conduceret, perageretur; hoc autem ex Aristophane *Acharn. Act.* I. *Scen.* II. discimus, apud quem publicus Præco populum monebat, ut intra κάθαρμα consisteret, ita enim sacrificia appellabant, quæ expiationis ergo offerebantur:

Πάριθ', ὡς ἂν ἐντὸς ἦτε τῦ καθάρματος.
Procedite, ut intra lustratum sitis locum.

Quamquam alii καθάρσια vocant *piaculare sacrum*, & καθάρματα *recrementa, sordesque*. Ammonius: *Καθάρσια καὶ καθάρματα διαφέρει· καθάρσια μὲν γὰρ λέγονται τὰ ἱερὰ, καὶ τὰ ἄλλα οἷς καθαίρονται· καθάρματα δὲ, τὰ μετὰ τὸ καθαρθῆναι ἀποῤῥιπτύμενα. Καθάρσια & καθάρματα differunt: καθάρσια enim dicuntur sacra, aliaque quibus sordes eluuntur: καθάρματα vero, ea, quæ postquam purgata sunt, projiciuntur.* Sed hanc distinctionem haud perpetuam esse e *loco* jam *citato* evincitur; quo forte respexit Hesychius: *Κάθαρμα, τὸ χοιρίδιον, ᾧ τὴν ἑςίαν ἐκάθαιρον ἐν ταῖς ἐκτροπίαις· ὁ δὲ ἐπιτελῶν δημοσίως, περιςίαρχος ἐλέγετο. Κάθαρμα, porcellus, quo domum lustrabant in eluvionibus: qui vero hoc munus publice obibat, περιςίαρχος* (quasi circitor) *dicebatur.*

Qui lustrationis munus obibat, Καθαρτὴς vocabatur, ut & Περιςίαρχος a περίςια, alio καθαρμάτων nomine, juxta Aristoph. Scholiastem *ibid.* & *Concionatr.* Suidam, Harpocrationem, etiam Ἐςίαρχος, secundum Pollucem.

Finitis hisce ritibus expiatoriis, solennes pro salute Reipublicæ & prospera consiliorum ausorumque ejus fortuna preces publicas concipiebat Præco, ex Demosth. *in Timocrat.* Inter priscos enim Gentiles omnia magna pietatis religionisque specie peragebantur; atque tantopere Deos res humanas curare existimabant, ut nullum unquam, quod alicujus momenti esset, negotium, præsertim quod rem spectaret publicam, absque implorata prius ipsorum ope & auxilio, susciperent.

Diras deinde exsecrationes horrendasque adversum eos fundebat preces, qui aliquid in ista concione molirentur, quod Reipublicæ detrimento cederet, Deosque imprecabatur, ut & ipse ejusque tota familia memoratu dignum divinæ vindictæ exemplum exhiberent. Vid. Demosth. περὶ Παραπρεσβείας.

Tum Præco, Proedris jubentibus, recitavit προβύλευμα: id erat senatusconsultum, secundum quod rogandus & in suffragia mittendus erat populus. Recitato probuleumate jussit Præco in medium consulere qui vellet; nec tamen id simplici præconio factum; primo enim rogabat, *Τίς ἀγορεύειν βύλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων; Quis major quinquagenario orationem habere vult?* Dein, cum seniores quæ vellent, proposuissent, secunda vice clamavit, *Λέγειν τῶν Ἀθηναίων τὸν βυλόμενον οἷς ἔξεστι, Licere cuivis Atheniensium, cui id leges permitterent, orationem habere.* Quippe, sicuti a ratione alienum existimabant, ut ullius hominis dignitas ætasve (nisi tamen trigesimum nondum attigisset annum) impedimento ipsi esset, quo minus id, quod in commune Reipublicæ bonum animo concepisset, pronunciaret, ita etiam ab altera parte indecorum omnino esse, nec juvenes decere censebatur, ut suam opinionem, antequam eorum audiissent sententiam, quos & ætas & experientia ad judicandum idoneos magis aptosque reddiderant, proferrent.

Sed sapienti Legislatori haud expedire visum, ut unicuique, nullo habito discrimine, sententiam suam ferre licitum esset; eos enim, qui horrendi cujuspam criminis, impietatis, profanatorum sacrorum, vel luxuriose institutæ vitæ rei essent peracti, qui signa sua dereliquissent, vel magno Reipublicæ ære obruti essent, ab omni in istiusmodi deliberationibus gerenda re arcebat, ex Demosthene *in Aristogit.* Æschine *in Ctesiphontem*; vix

enim fieri posse videbatur, ut ii, qui vitam nefariam & flagitiosam egissent, vel quorum de suis fortunis spes jam esset profligata, aliquid, quod ad pacem incolumitatemque Reipublicæ conduceret, peracturi essent, sed potius perturbationem atque eversionem Reipublicæ molituros existimabant, quo scilicet hac ratione e spoliis proborum honestorumque hominum se ipsos ditarent, inhonestisque voluptatibus suis, absque fræno legum pœnæque metu, libere indulgere possent. Cui ergo aures commodare non dignabantur, Prytanes silentium imperabant. Quare apud Aristophanis *Concionatrices pag.*692. *Edit. Amstelod.* ubi mulieres finguntur concionem agere, Praxagora, quæ Prytanis munus gerebat, mulieri male sana effutienti silentium indicit:

ΠΡ. *Σὺ μὲν βάδιζε, καὶ κάθησ᾽· οὐδὲν γὰρ εἶ.*
PR. *Tu quidem vade, & sede*; mulier *enim nihili es.*

Qui nolebant silere, e suggesto deturbabantur a lictoribus, quos *τοξότας* vocabant: hinc Aristophanes in *Acharnensibus Act.*1. *Scen.* II.

—— ΠΡ. *Οἱ τοξόται.*
ΑΜΦ. *Ὦ Τριπτόλεμε καὶ Κελεὲ περιόψεσθέ με;*
ΔΙΚ. *Ὦ 'νδρες Πρυτάνεις ἀδικεῖτε τὴν ἐκκλησίαν,*
Τὸν ἄνδρ᾽ ἀπάγοντες, ὅστις ἡμῖν ἤθελε
Σπονδὰς ποιῆσαι, καὶ κρεμάσαι τὰς ἀσπίδας.

—— PR. *Sagittarii*, (vel *Lictores.*)
AMPH. *O Triptoleme & Celee mene contemnetis?*
DIC. *O viri Prytanes injuriam facitis concioni,*
Hunc virum abducentes, qui nobiscum volebat
Fædera pangere, ac suspendere clypeos.

Ubi Scholiastes: *Ὦ τοξόται· τοῦτο φησὶν εἷς τῶν Πρυτανέων, κελεύων ἐκβαλεῖν τὸν Ἀμφίθεον ὡς ὑβριστήν.* *O Lictores: hoc dicit unus Prytanum, jubens ejicere Amphitheum tanquam convitiatorem.*

Compositis jam disceptationibus, mandato Epistatæ, vel, ut alii referunt, Proedrorum, populum rogabat Præco, *Ecquid ratum facere decretum vellent?* permittebatque, ut suffragia sua ferrent, atque adeo, ut id vel confirmarent, vel rejicerent, hocque *ἐπιψηφίζειν τὸ ψήφισμα*, vel *διδόναι διαχειροτονίαν τῷ δήμῳ* vocabant.

Suffragia sua vulgo levatis sursum manibus ferebant, ideoque *χειροτονίαν* hoc nuncupabant; atque *χειροτονεῖν statuere* aliquid, vel *ratum facere*, *ἀποχειροτονεῖν* vero *abrogare* significat. Atque hic quidem vulgaris suffragia ferendi mos erat; sed nonnullis in occasionibus, veluti præsertim cum magistratus a munere suo, quod male illud gessissent, removebantur, secreto suffragia sua ferebant, ne scilicet eorum, qui accusabantur, potentia & dignitas ipsos cohiberet, & cur adversum mentem ac voluntatem suam agerent, caussa esset. Id fiebat calculos mittendo in cados, qui in concionis loco stabant: hos autem cados & calculos suppeditare tenebantur Prytanes: *Τοὺς Πρυτάνεις ἔδει τοὺς καδίσκους καὶ τὴν ψῆφον διδόναι προσιόντι τῷ δήμῳ*. Ante calculorum usum, suffragia fabis dabant: *Πρὸ γὰρ εὑρέσεως τῶν ψήφων κυάμοις ἐχρῶντο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις*. Suidas.

Simulac populus suffragia sua tulisset, Proedri, summa cum cura examinato suffragiorum numero, decretum vel ratum, vel abolitum pronunciabant, nempe prout major pars id approbasset, vel rejecisset. Denique observandum, id lege cautum fuisse, ne Prytanes populum eadem de re bis in suffragia mitterent. Vid. Oratio Niciæ apud Thucyd. *lib.* VI. Peracto negotio concionem dimittebant Prytanes, sicuti apud Aristophanem *Archarnens. Act.*1. *Scen.*IV. videre licet:

Οἱ γὰρ Πρυτάνεις λύουσι τὴν ἐκκλησίαν.
Prytanes enim dimittunt concionem.

Qui concionem Atheniensium graphice descriptam videre cupit, adeat Aristophanis *Θεσμοφοριαζούσας pag.*783. *Edit. Aurel. Allobrog.*

CAP. XVIII.

De Quingentorum Senatu.

Tota potestas & rerum gerendarum cura ex instituto Solonis penes populum fuit, ejusdemque singulare jus erat provocationes, quæ fiebant a foris judicum, audire, leges antiquas abrogare, novasque ferre, mutationes introducere, quas ex usu Reipublicæ fore judicabant, & (ut verbo dicam) omnia negotia, vel publica, vel privata, extera, aut domestica, civilia, militaria, vel religionem spectantia, ab eo administrabantur.

Verum, quandoquidem tanti momenti res, absque ulla ulteriori cura, inconstantis ac imprudentis multitudinis arbitrio administrationique permittere periculosum foret, ita ut quis solerti acutoque ingenio præditus verborum lenociniis ac caulis speciosis populo imponeret, illique auctor esset, ut quidpiam, quod rebus suis adversaretur & quod in perniciem Reipublicæ cederet, moliretur; itaque ut hisce malis obviam iret Legislator, ad conservationem Reipublicæ omnino necessarium duxit, ut supremum institueretur Concilium, ex istiusmodi constans viris, qui optimæ fidei & existimationis in urbe censerentur, quorum munus foret omnes causas, quæ coram populo proponerentur, cognoscere, & videre, ne quid, quod non exacte examinatum ante esset, ad generalem Concionem deferretur. Vid. Plutarchus in *Solone*. Sub idem tempus aliud Concilium instituit, aut saltem ordinavit, Solon, Areopagiticum scilicet, quod, quamvis priori ordine & potestate inferius, tamen dignitate & existimatione præcellebat, atque inde *ἡ ἄνω Βουλή*, *Concilium superius*, vocabatur; huic inspiciendas custodiendasque leges dabat; quippe Rempublicam duobus hisce Conciliis, quasi anchoris, firmatam minus obnoxiam turbis fore existimabat, minusque metuendum, ne istiusmodi hominibus, quibus satis ad moliendum sceleratæ audaciæ, satis etiam ad populum in propriam ipsius perniciem pelliciendum solertiæ eloquentiæque esset, prædæ cederet. Idem *ibid.*

Cum primo hoc Concilium institueretur, e quadringentis Senatoribus, singulis centenis e singulis tribubus electis, consistebat, quippe tempore Solonis quatuor duntaxat numero tribus fuerunt. Idem *ibid.*

Sortibus creabantur, in quibus educendis utebantur fabis, qua de re eos *Βουλευτὰς ἀπὸ κυάμου*, *Senatores fabaceos*, & Senatum *Βουλὴν ἀπὸ κυάμου*, *Senatum fabaceum* quasi dicas, vocat Thucydides. Modus eos eligendi hic erat; Certo quodam die ante Hecatombæonis mensis initium, uniuscujusque tribus præses omnia eorum exhibebat nomina, qui in ipsius degebant ditione, qui huic dignitati pares erant, eamque ambiebant. Hæc vero æneis tabellis, quæ *πινάκια* vocabantur, ex Harpocratione, insculpebantur, & in vas conjiciebantur eum in finem eo loci positum; idem fabarum numerus, quarum centum albæ, reliquæ vero omnes nigræ, in vas aliud ingerebatur. Tunc singula Candidatorum educebantur nomina, ut & fabæ, iique,

quorum nomina simul cum albis fabis prodibant, in Senatum adsciscebantur. Leg. Sigonius & Emmius *de Republ. Athen.* & ubique in hac parte hujus libri.

Elapsis fere octoginta sex post conditam a Solone Rempublicam annis, cum tribuum quatuor numerum ad decem usque auxisset Clisthenes, Senatui etiam centuria accessit, quæ prioribus addita, ex quingentis ut constaret effecit, atque ex eo tempore Βουλὴ τῶν πεντακοσίων *Senatus quingentorum* appellatus est.

Postea novæ duæ tribus in honorem Antigoni, ejusque filii Demetrii, a quibus nomina sua receperunt, prioribus sunt additæ, atque tunc Senatorum numero alterius centuriæ accessio facta est, juxta Stephan. Byzant. *de Urbibus & Populis*; quippe in ambabus hisce postremis mutationibus, ut e singulis tribubus quinquaginta in Senatum allegerentur, imperatum fuit. Modum electionis quod attinet, idem ille perpetuo mansit, hac tamen cum exceptione, ut loco centum albarum fabarum, quæ a singulis educebantur tribubus, nunc quinquaginta tantum pro Senatorum numero usurparent.

Post electos Senatores, eos magistratus designare aggrediebantur, qui Senatui præessent, quos Πρυτάνεις vocabant. Hunc in modum hi eligebantur; in unam urnam cum novem nigris fabis nomina tribuum, in aliam vero alba unica faba, conjiciebantur; tribus, cujus nomen simul cum alba faba forte fortuna educebatur, prima præerat, reliquæ autem ex ordine, quo ex urna eductæ fuerant; suis enim vicibus singulæ tribus præerant, & propterea annus Atticus juxta tribuum numerum in decem divisus erat partes, quæ singulæ diebus triginta quinque constabant; quatuor tamen primæ partes triginta sex continebant, ut scilicet ea ratione lunaris annus plenus redderetur, qui secundum ipsorum computum trecentorum cum quinquaginta quatuor dierum erat, ut videre est apud Harpocrat. Alii vero hosce supernumerarios quatuor dies creandis magistratibus impendi fuisse solitos existimant, & per omne hocce tempus nullos omnino Atheniensibus magistratus fuisse, prout censet Liban. *Argumento in Androtianam*; quare illos ἀνάρχους ἡμέρας & ἀρχαιρεσίους appellabant. Posthæc, cum jam ad duodenarium numerum excrevissent tribus, integrum mensem unaquæque Senatui præerat, veluti e Polluce *lib.* VIII. *cap.* IX. docemur. Tempus, quo unumquodque Prytanum Collegium suo munere fungebatur, Πρυτανεία dictum fuit, eoque toto ab omnibus aliis publicis officiis peragendis immunes erant. Idem *ibid. cap. ult.*

Hi porro quinquaginta Prytanes non simul triginta quinque dies imperabant, ne ex tanto numero confusio & tumultus oriretur: quælibet ergo Prytaneia in quinque dierum hebdomadas distribuebatur, & secundum has hebdomadas Prytanes quinquaginta in quinque decurias distributi sunt, ut decem singularum decuriarum viri singulas hebdomadas imperarent, quo tempore Πρόεδροι dicti sunt: hi autem Proedri sortiebantur inter se regna septem suæ hebdomadis dierum, quolibet enim die unus cæteris præsidebat: sic fiebat, ut e decem singularum hebdomadum Proedris tres superessent, qui suum diem non imperabant.

Is autem e Proedris, qui diem imperabat, Ἐπιστάτης dicebatur. Ei committebant sigillum publicum, acropoleως etiam & publici ærarii claves: ideo lege cautum, ne quis bis fieret Epistata, aut ultra unius diei spatium eum honorem retineret, ne tanta opportunitate tyrannidis ad spem elevaretur. Vid. Ulpianus *in Androtianam*.

Sed alii perhibentur fuisse Proedri a modo dictis diversi: nam quotiescumque habebatur Senatus, Epistata legebat novem Proedros, videl. unum e singulis tribubus, excepta illa, ex qua erant eo tempore Prytanes: atque hi ea vice Senatui præsidebant, nam Πρόεδροι dicti sunt ἀπὸ τοῦ προεδρεύειν. Julius Pollux: Ὅταν οἱ Πρυτάνεις τὸν δῆμον, ἢ τὴν βουλὴν συνάγωσιν, ὁ Ἐπιστάτης ἐξ ἑκάστης φυλῆς (sic enim legendum cum Petito pro βουλῆς) Πρόεδρον ἕνα κληροῖ, λόνον τὴν πρυτανεύουσαν ἀφεὶς. Eadem fere in Suida reperias.

Aliquid tamen notatu dignum in electione Senatorum restat; quippe præter eos, qui e vestigio in Senatum admittebantur, Subcenturiatos eligebant, qui, si casu quopiam Senatores ob male gestum munus magistratu moverentur, vel ante muneris sui egressum mortem obirent, absque ullo ulteriori negotio in eorum locum sufficerentur; hique illis Ἐπιλαχόντες dicebantur, & exæquabant Senatorum numerum. Vid. Harpocratio.

Prytanum auctoritas præcipue consistebat in convocatione Senatus, qui, ut plurimum, quotidie semel, (exceptis tantum diebus festis) sæpius autem, si id exigeret occasio, conveniebat. Et ut ad omnes, qui aliquid, quod ad Rempublicam spectaret, proponere cuperent, audiendos parati essent, in quemdam prope Senaculum locum, quem *Prytaneum* vocabant, se conferre erant soliti, ibique sacrificia offerebant, & communem celebrabant conventum. Leg. Pausanias. Senatores, quoties Senatum ingrediebantur, sacra faciebant Iovi Βουλαίῳ & Minervæ Βουλαίᾳ, sic dictis a *consilio* præbendo, quorum sacellum ibi fuisse docet Antiphon *de Choreuta*, ut prospera ipsis consilia inspirare dignarentur: atque hoc dicebant εἰσιτήρια ἱεροποιεῖν, ut tradit Ulpianus.

Quod si quis aliquid consideratione dignum proposuisset, tabellis id insculpebant, ut scilicet omnes Senatores, de quibus proximo conventu agendum esset, scire possent; atque tum unusquisque, postquam Prytanes vel Epistatæ subjectam proposuissent materiam, opinionem mentemque suam aperiendi libertate gaudebat, suasque vel pro ea, vel adversus eam rationes proferebat. Atque hoc quidem stantes peragere erant soliti; ubique enim apud veteres Auctores observare licet, neminem, cujuscumque demum ordinis dignitatisve foret, sedentem loqui sustinuisse, & propterea, ubicumque apud Poetas Heros aliquis orationem habere fingitur, semper surrexisse dicitur. Sic Homerus *Iliad.* α. *vers.* 58. ait:

Τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

Hosce vero, postquam surrexisset, allocutus est pedibus celer Achilles.

Ovidius quoque alicubi (ne plura exempla congerendo molestus sim) hujus moris meminit:

Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax.

Postquam omnes suam dixissent sententiam, negotium, quod in decretum abiturum esset, ab aliquo ex Prytanibus, vel aliis Senatoribus, perscribebatur, & alta voce in Prytaneo legebatur, secundum Demosth. *Orat. in Ctesiphont.* & *in Neæram*; quo facto, Senatores, data ab Epistatis vel Prytanibus venia, ad suffragia colligenda progrediebantur, idque secreto, conjectis in urnam eo loci eum in finem appositam fabis. Duplices hæ fabæ erant, nigræ & albæ, & si priorum numerus major repertus esset, res proposita rejiciebatur, si posteriores superarent, in decretum abibat, ex Ulpiano *in Aristocrat.* quod Ψήφισμα vel Προβούλευμα ideo vocabant, quoniam in Senatu eo

ſine approbaretur, ut poſtea coram concione populi proponi poſſet, atque adeo a populo ulterius ratum fieri, abſque eo enim ſi foret, nec legis vicem obtinere, neque ulla vi obligatoria poſt elapſum illum annum, quo tempore Senatores & omnes fere magiſtratus ſuo munere abire erant ſoliti, pollere poterat. Nam lege cautum fuit, ne ſenatuſconſulta ultra annum valerent. Ο *νόμος δ' ἐπέτεια κελεύει τὰ τῆς βελῆς εἶναι ψηφίσματα.*

Hujus Concilii magna erat poteſtas, illique omnis Reipublicæ cura incumbebat; cum enim populo ex inſtituto Solonis ſuprema poteſtas eſſet conceſſa, omniſque illi tam privatarum quam publicarum rerum gerendarum commiſſa cura, Senatorum præcipuum munus erat intra debitos limites illum coercere, omnes cauſas, antequam ad ipſum referrentur, cognoſcere, & id omnino operam dare, ne aliquid coram eo proponeretur, præter id, quod, matura habita deliberatione, publico bono inſervire comperiſſent. Atque præter hanc Conventus curam, multæ aliæ res erant, quæ ſub cognitionem hujus Fori cadebant, veluti a magiſtratibus munere ſuo abeuntibus reddendæ rationes, juxta Pollucem *lib.* VIII. *cap.* VIII. pauperumque cura, qui publicis ex ærario ſumtibus alebantur, ex Harpocratione. Eorum erat publicis carceribus cuſtodes aſſignare, & eos, qui iſtiuſmodi inſimulabantur criminum, quæ nulla lege prohibebantur, ſecundum Pollucem, examinare & punire, claſſis curam gerere, novi milites ut conſcriberentur operam dare, ſicut docent Ariſtophanes *Avibus* & Libanius *Argumento in Androtianam*, cum aliis plurimis gravioribus negotiis.

Quoniam vero magni momenti hæc munera eſſent, nemo ad ea admittebatur, antequam accuratam *δοκιμασίαν*, ſive *examen*, quo in omnem ejus anteactam vitam inquirebatur, ſubiiſſet, & cum fide & laude eam inſtituiſſe eſſet compertus, alioquin ab illis arcebatur. Vid. Æſchines *in Timarch.*

Et, quo arctius eos obſtrictos tenerent, ſolenne ab ipſis exigebatur jurisjurandum, cujus ſequens fere formula; Bonum publicum ut promoverent, in omnibus conſiliis ſuis operam ſe daturos; nihil, quod legibus contrarium eſſet, ſe ſuaſuros; in quæcumque allecti ſorte eſſent fora, jus ſe dicturos; (nonnulla enim fora judicialia judicibus e Senatu electis inſtruebantur) neminem Athenienſem, qui tres vades ejuſdem, qua ipſemet, conditionis dare poterat, ſe in vinculis detenturos, iis tantum exceptis, qui emiſſent vel collegiſſent publicos reditus, vel vades ſe pro iis ſtitiſſent, & Reipublicæ, quæ debebant, non perſolverent, quique eamdem prodere molirentur. Sed hoc tantum (interpretante Demoſthene *in Timocrat.* & *Ariſtocrat.*) de reis ante ipſorum damnationem intelligendum, quippe in vincula poſt latam adverſus eos ſententiam ſi ipſos conjicerent, infringere legem haud cenſebantur. Re vera tamen nihil gravius poterat hic Senatus, quam ut mulcta quingentarum drachmarum imponerent: quando ea non erat par crimini, reos tradebant *τῷ δικαστηρίῳ*, *foro judiciali*, in eam cognitionem deſignato. Vid. Demoſthenes *in Euerg.* & *Mneſibulum*. Quos autem ſic tradebat Senatus, Theſmothetæ in judicium introducebant. Leg. Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX. Denique poſt exactos triginta Tyrannos, jurabant ſe legem *ἀμνηστίας* obſervaturos, qua omnibus indemnitas præſtabatur. Porro Senatus hic reddundis rationibus ſuæ adminiſtrationis erat obnoxius; ideoque ne paucorum ſcelere damnarentur, ſevere in ſuos animadvertebant.

Quod ſi Senatorem quiſpiam jusjurandum ſuum temeraſſet, aliquid injuſte agens, vel alia ratione ſe gerens, quam ordinem ipſius dignitatemque deceret, a reliquis ſociis ejiciebatur, & in ejus locum *ἀντιλαχόντων* quis ſubſtituebatur. Hoc autem *ἐκφυλλοφορῆσαι* nuncupabant, a *φύλλοις*, ſive *foliis*, quibus in ferendis ſuffragiis utebantur, pari ratione, qua in decernendo *Oſtraciſmo ὄστρακα*, ſive *teſtæ*, a populo adhibebantur. Sed hic mos non admodum antiquuus fuit, indeque ortus, quod Xenotimus quiſpiam magiſtratum gerens mutatis fabis (quæ in id uſque tempus in uſu fuerant) ſuffragia corrupiſſe compertus eſſet. Leg. Pollux *lib.* VIII. *cap.* V. Harpocration, Etymologus, Suidas. Licebat tamen *τοὺς ἐκφυλλοφορηθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ καταδέχεσθαι*, *in judices allegere eos qui Senatu moti fuiſſent*, ut docent Græcorum *Commentarii*. Atque hinc colligi poteſt levioribus interdum cauſis e Senatu motos fuiſſe, neque enim fas eſſet homines publica ignominia affectos in judicum numerum allegere.

Ex adverſo autem, qui juſte & integre vitam ſuam tranſegiſſent, eorum merces pecunia ex publico ærario deſumta erat, juxta Demoſth. *in Timocratem*. Quilibet Senator indies accepit drachmam. Heſychius: *Βελῆς λαχεῖν, τὸ λαχεῖν βελευτὴν, καὶ δυαχμὴν τῆς ἡμέρας λαχεῖν*. Quod ſi vero quædam naves bellicæ ſub eorum imperio conſtructæ eſſent, in publica ſua concione honorem coronæ iis decernebat populus; ſin minus, ne iſtiuſmodi jus ambirent lex prohibebat, utpote qui Reipublicæ non providiſſent, cujus incolumitas utilitaſque a nulla re magis, quam a robore & navium numero dependeret, juxta eumdem in *Androtiana*. Quod poſt Salaminiam victoriam conſtitutum fuiſſe videtur: tunc enim primum Athenienſes rei navali ſtrenue operam dabant.

CAP. XIX.

De Senatu & Foro Areopagitico.

HUjus Senatus nomen deſumtum eſt a loco, in quem convenire ſolebat; erat enim collis non longe ab arce diſtans, Ἀρειόπαγος, vel Ἄρειος πάγος, juxta Herodotum *lib.* VIII. hoc eſt, *Martius collis*, a *Marte*, belli & ſanguinis Deo, dictus, quandoquidem omnes voluntariæ cædes ad hoc Forum referebantur, ex Suida; vel, prout Fabulæ narrant, ab accuſatione in *Martem* lata, qui primus in hoc cædis reus peractus fuit, ſecundum Pauſaniam, Ariſtidem *Panathen.* Suidam; vel denique quia Amazones, quas Poetæ *Martis* filias fuiſſe fingunt, hic loci, cum Athenas obſiderent, caſtra ſua ſunt metatæ, ſacrificiaque belli Deo obtulerunt. Vid. Æſchylus *Eumenidibus*, Auctor *Etymologici*.

Quando hoc primum inſtitutum fuerit Forum, incertum eſt; nonnulli illud ad Cecropis, primi Athenarum conditoris, uſque tempora referunt; alii ſub Rege Cranao initium cepiſſe autumant; denique alii multo recentius faciunt, & Solonis demum tempore ortum eſſe volunt. Huic autem opinioni quamvis optimæ fidei Auctores (ut Plutarchus in *Solone* & Cicero *de Offic. lib.* I.) faveant, attamen eidem adverſatur Ariſtoteles *Polit. lib.* II. ut & Solonis quæpiam lex ab ipſo Plutarcho citata, in qua judiciorum hoc in Foro, antequam aliam Reipublicæ formam induxiſſet Solon, latorum mentio fit. Probatu tamen maxime facile videtur, Senatum Areopagiticum primum inſtitutum fuiſſe diu ante Solonis tempora, ſed ab eo continuatum, in ordinem redactum, auctumque, quin & ſuperiorem factum

Ephetis alio a Dracone instituto Foro, majorique potestate, auctoritate, amplioribusque privilegiis, quam unquam antea gravisus erat, donatum. Vid. Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX.

De numero eorum, ex quibus venerandum hoc Concilium erat compositum, omnes non consentiunt; a nonnullis enim ad novem restringitur, ab aliis ad triginta & unum, ab aliis etiam ad quinquaginta unum, quin & a nonnullis ad plures extenditur. Ex quinquaginta & uno constitisse narrat Maximus, *πλὴν ἐξ εὐπατριδῶν καὶ πλούτῳ καὶ βίῳ σώφρονι διαφερόντων, præter eos e nobilibus, qui divitiis & temperanti vita præcellerent*; quibus verbis novem Archontes, qui perpetuum quasi seminarium magnæ hujus Concionis essent, quique, variis suis muneribus postquam perfuncti essent, singulis annis in eam transibant, designare videtur. Leg. Plutarchus in *Solone* & *Pericle*. Tamen nonnullis visum est, non omnes novem Archontes, sed solum Thesmothetas in Areopagitarum Concilium quotannis cooptatos fuisse. Vid. Libanius in *Androtianæ Argumento*. Atque hæc ratio fuit, quare eorum numerus non semper fuerit idem, sed vel major, vel minor, prout hi forte per longius vel brevius temporis spatium in Senatu remanebant. Quapropter cum in hoc Foro damnatus esset Socrates, (quemadmodum ex natura criminis ipsius apparet) ducentos octoginta & unum adversus ipsum suffragia tulisse, præter eos, qui ipsum suffragiis suis absolverent, reperimus. Atque in antiqua Inscriptione in columna arcis, quæ Athenis est, in memoriam Rufi Festi, Græciæ Proconsulis, erecta, ex trecentis Senatus Areopagiticus constare dicitur.

Non omnes, qui munus Archontis obierant, in hunc allegebantur Senatum, sed illiusmodi duntaxat, qui in officio suo recte se gessissent; quin & ne quidem illi, antequam gesti muneris rationem Logistis reddidissent, eorumque approbationem, post inquisitionem in vitam ipsorum institutam, essent nacti; quæ quidem inquisitio non tantum mera (ut ita loquar) erat ceremonia aut consuetudo; sed severum admodum, rigidum, & peculiare examen. Vid. Plutarch. in *Pericle*, Pollux *lib.* VIII. *cap.* X. Demosth. *in Timocrat*. Hisce peractis post oblata nonnulla Limnis, Athenis loco, qui Baccho dedicatus erat, sacrificia statis diebus admittebantur, juxta Demosthenem *in Neæram*. Hunc in modum ex Solonis hæc dirigebantur instituto, quod per plura sæcula exacte & ad amussim observatum fuit; sed inclinata jam Atheniensium magnitudine simul cum aliis compluribus præclaris & utilibus institutis, vel omnino omissum abrogatumque, vel, quod eodem redit, neglectum est, & in desuetudinem abiit. Atque tum temporis, non tantum Archontes, sed & alii, dissolutæ vitæ, & mediocris fortunæ, æque ac summæ dignitatis, severæque virtutis homines, quin & ipsi peregrini in hoc Concilium adsciti sunt, veluti ex multis, quæ a doctissimo Meursio proferuntur, exemplis, præcipue autem Rufi Festi, cujus, tanquam ejus Concionis membri, in supra dicta Inscriptione mentio fit, apparet.

Hoc Forum *τῶν ἐν τοῖς Ἕλλησι δικαστηρίων τιμιώτατον καὶ ἁγιώτατον, totius Græciæ honoratissimum sanctissimumque tribunal*, fuisse narrat Aristides; & si æquitatem omnium decretorum judiciorumque ab illis latorum, morum integritatem, sapiens prudensque vitæ institutum, eximiam dignitatem, provinciamque, quam in Republica sustinebant, consideremus, haud abs ratione meritove hoc charactere illud ab Aristide insignitum esse liquebit. Quod si quis in Oenopolio vel publica domo sedisse compertus esset, sufficiens hæc, cur inter Archontes non admitteretur, ratio erat, juxta Athenæum *Deipnosophist. lib.* XIV. quin etiam, quamvis munere suo per omnem vitam vulgo fungi essent soliti, si tamen Senatorum quispiam aliquid, quod bonis moribus adversaretur, admisisse convictus esset, omni gratia omnique favore procul habito, statim ordine movebatur. Nec profecto vitam innocue omnino integreque instituisse satis erat, sed & alia præter hæc ab iis exigebantur, gestus, verba, & actiones debebant esse rite composita, seria, graviaque, ultra quam ab alio quocumque (etiam summæ virtutis) viro exspectari posset. In Concione ridere levitatis non condonandæ erat, ex Æschine *in Timarch* Comœdiam scribere peculiari legis præcepto omnibus interdictum erat, juxta Plutarch. *de Gloria Athenienf.*

Imo tanta reverentia, tanta veneratione erga solennem hanc gravemque Concionem omnes, qui in ea sederent, affecti erant, ut Isocrates *Areopagitica* narret, suo tempore, cum jam a primæva illa virtute degenerassent, quamvis alioquin inconditis essent moribus, cum in hunc tamen Senatum semel allecti essent, e vestigio illis improbis propensionibus valedixisse, & se ad istius leges moresque componere, *ἢ ταῖς αὐτῶν κακίαις ἐμμένειν, quam in perversa illa sua vivendi ratione perseverare*, potius duxisse. Atque tam exacte justa, nullique addicta parti, erant eorum judicia, ut Demosthenes *Aristocratea* ad sua usque tempora ne unam quidem ipsorum decisionem repertam fuisse dicat, de qua querendi ullam rationem vel accusator vel defensor haberet. Atque hoc per omnem Græciam tantopere innotuerat, ut vel exteri, quandocunque aliquæ inter ipsos lites controversiæque obortæ essent, lubentes eas ipsorum judicio submitterent; Messenios præsertim, ante prima ipsorum cum Spartanis bella, studiose quæsivisse, ut ipsorum controversia ad Areopagitas referretur, ambæque partes in ipsorum sententia acquiescerent, narrat Pausanias *Messeniacis*.

Hoc forum de vita & morte primum judicasse referunt; (vid. Etymolog. *Voc.* Ἄρειος πάγος) posterioribusque sæculis plurimæ causæ capitales iis dijudicandæ exhibitæ fuerunt; ad hosce adducebantur omnes incendiarii, omnesque, qui regionem suam dereliquissent, quos non minori severitate, quam eos, qui proditionis rei peracti essent & convicti, prosequi solebant, utrosque enim mulctabant morte. Leg. Lycurgus *in Leocratem*. Præterea & qui alicujus vitæ insidias struxerant, sive illæ successissent, sive non; ipsum enim propositum animusque aliquem occidendi haud minorem, quam mortis, pœnam mereri existimabatur; sunt autem alii, qui hasce causas coram Tribunali Palladii examinatas fuisse autumant. Vid. Harpocration, Suidas. Quidquid sit, hoc saltem certum est, omnia vulnera malo animo inflicta, omnia voluntaria homicidia, præsertim ea, quæ veneno perpetrabantur, sub hujus Fori cognitionem cecidisse. Leg. Demosth. *in Aristocrat.* Pollux *lib.* VIII. *cap.* X. aliique. Ab Areopagitis ad populum non licuisse provocare volunt nonnulli; alii vero (inter quos Meursius) in contraria versantur opinione, affirmantque, non tantum sententias ipsorum in dubium vocare licitum fuisse, &c, si id necessum esset, a concione populi aboleri, juxta Dinarchum *Orat. in Aristogit.*, verum etiam ipsosmet, ubi debitos moderationis limites in infligendis pœnis excessissent, rationem Logistis reddere necesse habuisse, ex Demosthene *in Neæram*, Æschine *in Ctesiphontem*. Idem alibi nobis narrat Auctor, huic foro potestatem fuisse sententiam cujusdam Concionis irritam faciendi,

si populus aliquem criminis cujusdam reum, qui meruisset pœnam, secundum Demosthenem *pro Corona*, absolvisset, ut & ipsius ex manibus eos insontes liberandi, qui quodam præjudicio, vel causa non bene perspecta, a populo damnati essent. In ambabus hisce opinionibus veri quid fortean reperitur, si nempe unam de Areopagi prima origine, alteram vero, cum ejus a Pericle imminuta esset potentia, intelligas.

Magna ipsorum in Republica potentia erat; ex instituto enim Solonis inspectio & custodia legum iis demandata, ex Plutarcho in *Solone*. Publica pecunia eorum arbitrio administrabatur, juxta eumdem in *Themistocle*. Ad eos universæ, quæ in urbe erat, juventutis pertinebat cura, ipsisque tutores & curatores constituere, secundum Æschinem Philosophum in *Axiocho*, ac cavere ne contra illorum dignitatem fortunasve educarentur, eorum munus erat, ex Isocrate *Areopagitica*. Nec tantum juventuti erant præpositi, sed in omnium ætatum omnisque sexus homines eorum se extendebat potestas; qui incondite viverent, vel aliqua impietate vel malis moribus tenerentur, eos pro criminum suorum meritis puniebant; eosque, qui virtute & proba vivendi ratione præcellerent, remunerandi potestate gaudebant. Hunc in finem cum Gynæconomis per omnes publicos circumibant cœtus, veluti nuptias, solennia sacrificia, quæ convivio quodam ut plurimum finiebantur, ut scilicet operam darent, quo omnia decore sobrieque peragerentur. Vid. Athenæus *Deipnosoph. lib.* VI. Sub cognitionem ipsorum in primis cadebat socordia, iisque (atque hoc Solonis peculiare institutum fuisse videtur) erat potestas concessa & cura demandata severe in singulorum vivendi rationem inquirendi, ut &, quibus mediis se in ea, in qua locati essent, statione sustentarent, examinandi, ut nempe illis, qui illegitimis artibus, imposturis, fraudibusque, furtis, & rapinis quæstum facerent, nullus locus relinqueretur. Leg. Plutarch. in *Solone*, Valerius Max. Præterea res, quæ ad religionem spectarent, blasphemia in Deos, sacrorum mysteriorum contemtus, omne genus impietatis, novorum Deorum consecratio, templorum altariumque exstructio, novarum in divinum cultum ceremoniarum introductio, ad hujus judicium Fori referebantur; qua de re unius cognitionem Dei in Ægypto edoctus Plato opinionem suam præ metu, ne ejus rationem coram Areopagitis reddere adigeretur, dissimulare necesse habuit, juxta Justinum Martyrem; quin & D. Paulus apud eos accusatus est, utpote *qui peregrinos annunciasset Deos, cum Jesum & ἀνάςασιν*, sive *resurrectionem, prædicaret, Act. Apostol.* XVII. 18. 19. Atque hæc præcipua negotia erant, in quibus hic Senatus occupabatur, raro enim publicis se rebus ingerebant, præterquam, si magnum aliquod immineret periculum, atque hisce in casibus ad eos vulgo, utpote ad extremum tutissimumque suum asylum, confugiebat Respublica. Vid. *Argument. Orat. Androt.*

In Areopagum ter singulis mensibus, vigesimo septimo, vigesimo octavo, & vigesimo nono diebus, conveniebant, secundum Pollucem *lib.* VIII. *cap* X. Quod si vero aliquid accideret, quod moram non pateretur, in Βασιλικὴν Στοὰν, sive *Porticum Regiam*, vulgo se conferebant, eamque circumdabant fune, ne scilicet ab eo confluente multitudine premerentur, quod & in aliis Foris fieri consueverat. Leg. Demost. *Orat.* I. *in Aristogit.*

In ipsorum judiciis duo notatu præcipue digna reperiuntur; primum est, eos sub dio sedisse, juxta Pollucem *loc. cit.* atque hic mos in omnibus Foris, coram quibus causæ de homicidio ageban- A tur, obtinuit; partim, quia actorem & reum istiusmodi in casibus sub eodem versari tecto leges non permittebant, partim vero, ne judices, qui sancti habebantur, profanorum hominum consortio polluerentur, qui enim tam atro & exsecrando facinore tenerentur, pro profanis pollutisque existimati sunt, ex Antiphon. *Orat. de cæde Herodis*. Secundo omnes causas audiebant dijudicabantque noctu & in tenebris, ne scilicet, cum nec accusatorem, nec defensorem vidissent, ab alterutro, ne ab æquo abducerentur corrumperenturve, periculum subirent, juxta Lucian. *Hermotimo*. Quanti enim momenti fuerit reos vidisse, B exemplo est Phryne meretrix, quæ impietatis accusata, cum jam in eo esset ut damnaretur, nudatis extemplo papillis, ob formæ elegantiam fecundis judicum calculis absoluta est. Vid. Plutarchus in *Hyperide*, Athenæus *lib.* XIII. & qui eum sequitur Eustathius.

Actiones de homicidio ad Areopagum referebat Βασιλεὺς, cui instar judicis inter eos, deposita corona, quæ muneris insigne erat, sedere licitum fuit, secundum Pollucem.

En tibi morem, qui apud eos in cognoscendis causis obtinuit; Congregato Foro, forasque amandato populo, in varios se dividebant consessus, C quibus singulis suæ causæ audiendæ & diversimode dijudicandæ, si tanta negotiorum ingrueret multitudo, ut sigillatim in ea inquirendo totus Senatus par non esset, assignatæ erant: atque hoc sorte peragebatur, eum scilicet in finem, ne, cum omnes in Forum, antequam constitutum esset, quænam causæ ad ipsos essent referendæ, venirent, eorum quispiam, ne muneribus corrumperetur, periculum subire necesse haberet. Vid. Lucianus *bis Accusato*.

Antequam causas examinare inciperent, solennia juramenta super testiculis hirci, arietis, tau- D rique per Σεμνὰς Θεὰς, sive *Furias*, pronunciabant accusator & defensor. In casu homicidii accusator se defuncto cognatione junctum esse, (nemini enim, nisi genere proximo, ad minimum consobrino, homicidam jure persequi licebat) reumque criminis causam mortis illius fuisse jurabat, reus vero se ab illo crimine, cujus insimulabatur, purum esse jurejurando affirmabat. Diris imprecationibus juramenta sua confirmabant ambo, optantes, ut, si pejerarent, ipsimet cum domo sua totaque familia penitus delerentur, divinaque eradicarentur vindicta, juxta Demosthen. *in Aristocrat.* Dinarchum *in Demosthen.* E Lysiam *in Theomnestum*, Pollucem *lib.* VIII. *cap.* X. quam tam horrendam certamque existimabant, ut nullam iis pœnam lex infligeret, qui hoc in casu perjurii rei essent, ad superius tribunal eos quasi deferentes.

Dehinc ambo adversarii duobus argenteis scabellis insidebant; in sede ὕβρεως, seu *injuriæ*, accusator, reus in sede ἀναιδείας, seu *impudentiæ*, (vel ἀναιτίας, seu *innocentiæ*, ut emendat Adrianus Junius) collocabatur; atque his duabus Deabus altaria, & deinde templa in Areopago erecta sunt. Leg. Pausanias, Cicero *de Legibus lib.* II. Hoc in loco tres quæstiones, quæ ab Æschylo in F *Eumenidibus* τρία παλαίσματα, sive *luctationes*, vocantur, reo proponebat accusator, & ad eas singulas reus distincte respondere debebat. Prima erat, Εἰ κατέκτονας, *An occidisti*? ad hanc respondebat ἔκτονα, vel οὐκ ἔκτονα, *occidi*, vel *non occidi*. Secunda, Ὅπως κατέκτονας, *Quomodo occidisti?* Tertia, Τίνος βουλεύμασι κατέκτονας, *Cujus consiliis occidisti*?

Deinde ambo causam suam agebant, reoque se defendere duabus licebat orationibus, quarum

A prima ad finem perducta fuga sibi consulere, & in voluntarium proficisci exsilium, si causæ suæ non fideret, concessum ipsi erat; quo jure si uteretur, omnia ejus bona addicebantur ærario, & a Πωληταῖς venum exponebantur. Vid. Demosthenes *in Aristocrat.* Pollux *lib.* VIII. Primis temporibus ambo pro se ipsis dicebant, juxta Sextum Empiricum *adversus Mathemat. lib.* II. insequentibus vero ætatibus alios, qui causam suam agerent, consulere licitum fuit. Sed quicumque demum loqueretur, meram veritatem proferre debebat, nec ulla præfatione, vel epilogo uti, & ab omnibus ornamentis figurisque Rhetorices, vel aliis quibuscumque judicum favorem sibi conciliandi, affectusve
B movendi viis abstinere, ut videre est apud Aristotelem *Rhetoric. lib.* I. Lucianum *Anacharside*, Demosthenem, Quintilianum, aliosque innumeros.

Audita utraque parte, quod si reus examen subire sustineret, ad ferendam sententiam progrediebantur, atque id quidem summa cum gravitate altoque fiebat silentio; hinc Ἀρεοπαγίτε σιωπηλότερος, *Areopagita taciturnior*, & Ἀρεοπαγίτε στεγανώτερος, *Areopagita tectior*, in provebium abierunt; licet cæteroquin alii hoc ab eorum prudentia & severa gravitate derivent, qua de re Ἀρεοπα-
C γίτης vulgo pro gravi, majestate conspicuo, severoque viro sumitur; alii autem ab eximia illa cura, quam, ut omnia celarentur, quæ in suo Senatu peragebantur, adhibebant, atque hoc innuit Juvenalis *Sat.* IX. cum dicit:

Ergo occulta reges, ut Curia Martis Athenis.

Sententiam ferendi ratio hæc erat; Duæ in Foro collocatæ erant urnæ, quarum altera ænea, a loco ὁ ἔμπροσθεν, *anterior*, vocabatur; κύριος, *rata*, quia in eam conjecta suffragia justam accusationem pronunciabant; etiam θανάτε, *mortis*,
D quoniam reum morte mulctandum decernebant. Altera urna lignea erat; atque post priorem collocabatur; in eam illi, qui reum absolvebant, sua conjiciebant suffragia; qua de causa ὁ ὕστερος, vel ὁ ὄπισθεν, *posterior*, ὁ ἄκυρος, *irrita*, & ὁ ἐλέε, *misericordiæ*, appellabatur, prout observat Aristoph. Schol. *in Vesp.* & *Equit.*

Postea vero cum imperio suo civitatem subjecissent triginta Tyranni, imperarunt iis, ut apertius & palam magis sua suffragia ferrent, calculosque suos in duas conjicerent tabulas, quarum altera suffragia, quæ reum absolverent, altera ea, quæ damnarent, continebat, eum nempe in finem,
E ut, quodnam quisque tulisset suffragium, & quo in rei commodum causamque animo esset affectus, sciri posset, juxta Lysiam *in Agorat.*

Præter ea crimina, quæ sub eorum cognitionem peculiariter cadebant, alia nonnulla ad eos referebantur, in quibus eorum sententia non erat peremtoria, ab iis enim ad id Forum, ad quod proprie pertinebant, observante Sigonio, provocare licebat.

Senatores Areopagitæ ob præstita officia nunquam donabantur coronas, quippe eas illis gerere neutiquam permissum erat, ex Æschine *in Ctesiphontem*; sed de publico quodammodo alebantur,
F accipiebantque id, quod Κρέας vocabant, secundum Hesychium in Κρέας; atque eamdem illorum mercedem, quæ aliis nonnullis judicibus forte assignata erat, tres nempe pro singulis, quas dijudicabant, causis obolos fuisse, ex Luciano in *bis Accusato*, observavit Meursius. Denique tenebantur Areopagitæ rerum a se gestarum rationem apud Logistas referre, ut docet Æschines *in Ctesiphontem*. Idque quotannis factum fuisse conjicit Petitus *Commentario in Leges Atticas*.

Integra iis sua servabatur auctoritas usque ad Periclis tempora, qui, cum in ipsorum admitti numerum, utpote qui nunquam Archontis gessit munus, nequiret, omnes suas vires atque omnem industriam adversus eos intendit, & cum Reipublicæ maximam gratiam sibi conciliasset, opitulante Ephialte, adeo conturbavit eorum Senatum, ut plurimæ causæ atque negotia, quæ antea coram iis examinabantur, ab eorum cognitione removerentur, juxta Plutarchum in *Pericle*. Ab hoc deinde tempore, excusso, quod iis impositum fuerat, maximam partem jugo, ab prisca virtute manifesto degenerare occœperunt, brevique laxas omni licentiæ generi permiserunt habenas Athenienses, secundum Isocratem *Areopagitica*, quapropter a Plutarcho fero & effræni equo, qui excusso equite non amplius regi continerique potest, comparantur. Eadem vitia, iidem inconditi mores, qui inter cives obtinebant, per gradus etiam inter ipsos Areopagitas se ingerere incipiebant; quapropter Demetrius, ex Phalereorum oriundus familia, cum ab iis, tanquam dissolutam qui vitam viveret, correptus esset, aperte ipsis edixit, si civitatem reformare iis animus foret, domi exordiundum esse, quippe vel inter ipsosmet istiusmodi reperiri complures omnino, qui haud melius, imo nequius, ac ipse, vitam instituerent, & (quod sane crimen erat venia minus dignum omnibus iis, quæ ipse admiserat) complures etiam, qui alienas uxores ad nequitiam adducerent, atque semetipsos muneribus corrumpendos præberent. Leg. Athenæus Δειπνοσοφ.

CAP. XX.

De aliis quibusdam Foris.

CUm Solon in animo haberet æquam omnibus suis civibus libertatem concedere, maxime huic instituto conducere judicavit, si a populo judicia redderentur; ita enim futurum, ut pauperiores divitum injuriis minime essent obnoxii. Quamobrem a magistratuum sententia ad judices provocationem dabat, adeo ut Novemviri, qui ad id tempus summis judiciis præfuissent, paucas admodum controversias finirent, & fere nihil aliud agerent, præterquam quod, cognita lite, eam præstituto tempore ad judices detulerint.

Judices porro erant quilibet cives, sine ullo census discrimine; cum ipsi etiam Θῆτες, sive infima plebs, Solonis lege ad publicas conciones & judicia reddenda admitterentur, modo tamen essent triginta annos nati, (Pollux *lib.* VIII. *cap.* X.) famæque integræ, nec ignominia affecti, & inter ærarios relati. Id tamen mirum forte videatur, quod tradunt Græcorum *Commentarii*, fas fuisse in judices allegere eos, qui e Senatu moti fuissent: sed videntur levioribus de causis e Senatu ejecti fuisse, quam quæ judicis officio rite obeundo inidoneos reddunt, ut suo loco jam dictum est. Nunquam enim licitum erat in judices recipere, qui publica infamia notati fuissent.

Quod ad Tribunalia spectat, ea decem erant Athenis præter Areopagum, in quibus judices e populo creati judicia reddebant: horum quatuor ἐπὶ τῶν φονικῶν πραγμάτων, *ad audiendas causas de sanguine*; cætera sex ἐπὶ τῶν δημοτικῶν, *ad civiles controversias determinandas* constituebantur. Hæc autem decem Tribunalia, prout nos docet Scholiastes Aristophanis *in Plutum*, his litteris erant inscripta, Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ζ, Η, Θ, Ι, Κ, singulis Tribunalibus singulas litteras sortitis, ex quibus nomina illis dabantur, ut unum diceretur Ἄλφα, aliud Βῆτα, atque sic deinceps. Athenien-

ses ergo, qui vellent reddendis judiciis vacare, nomina sua dabant inscripta tabellæ, adscripto una patris & pagi sui nomine: dein qui rei hujus curam gerebant, his tabellis singulis alteram, prout sors obtigerat, addebant, quæ aliqua decem prædictarum litterarum notabatur: atque ita fiebat, ut prout quisque hanc aut illam litteram sortitus esset, ita huic aut illi Foro judex destinaretur. Tum ille litteram suam Fori totius, ad quod mittebatur, Præconi ostendebat, atque ab eo accipiebat tabellam, in qua suum Fori nomen descriptum erat, itemque virgam cum eodem Fori nomine; his instructus judicandi potestatem adipiscebatur. Quod si quis nullam habens litteram, inter judices sedisset, is mulctabatur *διαφόρως*, id est, ut videtur, *varie:* quippe diversis in Foris diversæ mulctæ pro loci cujusque dignitate irrogatæ fuisse videntur. Illud hic addendum; Tribunalia non modo fuisse propriis, & litterarum quibus inscripta erant, verum etiam colorum quorumdam nominibus nota, qui cum litteris inductis ipsis fuere: hinc Forum *βατραχιοῦν*, *φοινικοῦν*, &c. Judicis insigne erat *τὸ σκῆπτρον*, a veterrimis usque sæculis: unde sanctitatem quamdam ipsi inesse credebant, & jurantes, ejus mentione facta, fidem dictis addebant. Homerus *Iliad. α. vers.* 233.

> *Αλλ' ἐκ τοι ἐρέω, καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι,*
> *Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν ὔποτε φύλλα καὶ ὄζυς*
> *Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσι λέλοιπεν,*
> *Οὐδ' ἀναθηλήσει· περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε*
> *Φύλλα τε καὶ φλοιόν· νῦν αὖτέ μιν υἷες Αχαιῶν*
> *Εν παλάμῃς φορέουσι δικάσπολοι, οἵ τε θέμιστας*
> *Πρὸς Διὸς εἰρύαται.* ——
>
> *Sed tibi edico, atque adeo magnum jusjurandum juro,*
> *Næ per hoc sceptrum, quod quidem nunquam folia & ramos*
> *Producet, postquam primo truncum in montibus reliquit,*
> *Neque repullulabit: (circa enim ipsum ferrum delibravit*
> *Foliaque & corticem) nunc autem ipsum filii Achivorum*
> *In manibus portant judices, quique lege sancita*
> *A Jove tuentur.* ——

Regum & virorum illustrium sceptra clavis argenteis & aureis insignia plerumque erant. Idem Poeta *Iliad. α. vers.* 245.

> —— *ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γαίῃ*
> *Χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον.* ——
>
> —— *sceptrum autem projecit in terram*
> *Aureis clavis transfixum.* ——

Finita igitur cognitione, cui habendæ destinabantur, judices Athenienses, de quibus paulo ante diximus, sceptra sua singuli reddebant, quod erat depositi officii signum. Dein accipiebant *μισθὸν δικαστικὸν*, sive laboris sui præmium, ex pecunia publica solutum: id autem interdum erat obolus pro singulis litibus, interdum triobolum, & alio quidem tempore plus, alio minus: namque, ut recte observavit Aristophanis Scholiastes ex Aristotele *de Repub.* judicum mercedem modo auxerunt, modo minuerunt Demagogi: ideoque lege quadam vetitum fuit, ne quis duobus in foris eodem die judicium redderet, quod avaritiam arguebat. Vid. Demosthenes & Ulpianus *in Timocrat.* Aliquando præmium illud absolute *τὸ δικαστικὸν* dictum. Hesychius: *Δικαστικὸν, Αριστοφάνης ἐν Ωραις τριώβολον φησὶν εἶναι· ὐ μὲν τοι ἑστήκει, ἀλλ' ἄλλοτε*

A *ἄλλως ἐδίδοτο. Δικαστικὸν, Aristophanes in Horis tres obolos ait esse: non quidem fixum fuit, sed multipliciter dabatur.* Denique, si quis judicum muneribus corruptus fuisse deprehendebatur, mulctari solebat. Vid. Thucyd. Scholiastes *lib.* VI.

Επὶ Παλλαδίῳ Forum, regnante Demophoonte, Thesei filio, hac occasione fuit institutum; cum nonnulli Argivi, duce Diomede, vel, ut alii ajunt, Agamemnone, noctu ad littora Atticæ appulsi essent, in portu Phalero e navibus descenderunt, atque, hostilem rati regionem esse, ad eam diripiendam spoliandamque se contulerunt. E vestigio Athenienses arma arripientes, & B in unum se corpus, duce Demophoonte, conjungentes, aggressores magno cum illorum detrimento repulerunt, magnumque ipsorum numerum occiderunt, reliquosque, ad naves suas fuga se ut proriperent, adegerunt; sed cum sub ortum diei Acamas Demophoontis frater inter mortuorum cadavera Palladium, sive Minervæ statuam Troja advectam, reperisset, eos, quos occiderant, amicos suos confœderatosque fuisse experiebatur; quamobrem Athenienses, consulto prius Oraculo, honesta eos sepultura in ipso, in quo occubuerant, loco prosecuti sunt, Deæque consecrarunt statuam, templum in ejus honorem extruxerunt, C instituerunt que Forum, in quo de non voluntaria cæde accusati judicabantur. Primus in eo cædis postulatus est ipse Demophoon, qui, dum e memorato jam prælio rediret, subito equi sui circumactu e suis aliquem subditis occiderat. Alii vero narrant, Agamemnonem ob amissos suos milites ira percitum, & ob festinam nimis in eos incursionem Demophoonti infensum, litem hanc quinquaginta Atheniensibus, totidemque Argivis, dirimendam exhibuisse, eosque *Εφέτας* dictos, *ὡς τὸ παρ' ἀμφοτέρων ἐφεθῆναι αὐτοῖς τὰ τῆς κρίσεως, quia ab ambobus causa iis dijudicanda commissa esset.*

Postea exclusi fuerunt Argivi, Ephetarumque D numerus ad quinquaginta unum reductus a Dracone, qui primus eos instituisse a nonnullis perhibetur; attamen verosimilius alii, eum illos direxisse atque reformasse, eorum potestatem auxisse, multis insignibus privilegiis honorasse, & Senatu Areopagitico superiorem reddidisse referunt. Hoc modo usque ad tempora perstiterunt Solonis, a quo eorum infracta imminutaque est potentia, eorumque auctoritas refrænata, causæ, quas ante cognoscebant, ab eorum judicio & cognitione remotæ, eæque tantum, quæ ad homicidium, & fortuitam cædem, quin, ut nonnulli volunt, et- E iam conspirationem in vitam civium, quæ, antequam effectum sortita esset, indicata & palam facta erat, pertinebant, iis relictæ sunt.

Quinquaginta ex iis electione creabantur, e singulis tribubus electis quinque, impar vero ille unicus sorte legebatur; omnes bonæ notæ, probæque vitæ, & severorum morum, spectatæque gravitatis erant, in eorum enim numerum nemo, nisi qui annos natus esset quinquaginta, admitti poterat. Iidem in Delphinio olim judicabant, ut & cæteris Tribunalibus, in quibus cognitio cædis permissa. Vid. Harpocration *Voc. Εφέται*, Pollux *lib.* VIII. *cap.* X. Et a nonnullis putantur in Areo- F pago etiam jus dedisse: siquidem Pollux eos vult in *πέντε δικαστηρίοις* (*quinque foris*) causas de sanguine audivisse; & præter Areopagum quatuor solum Tribunalia memorantur quæ de sanguine cognoscebant.

Ad hoc Forum causas referebat *Βασιλεὺς*, atque eas agendi mos in nonnullis haud absimilis erat consuetudini, quæ in Areopago obtinebat; ambæ enim partes, Actor, & Defensor, ea, quæ proferebant, solennibus juramentis ac imprecationibus

A bus confirmare cogebantur, & tunc, postquam suas egissent partes oratores, ad ferendam sententiam judices se conferebant. Vid. Pausanias, Harpocration, Suidas, Pollux *lib.* VIII. cap. X.

Ἐπὶ Δελφινίῳ Forum erat in Templo Apollinis Delphinii & Dianæ Delphiniæ. Ad ejus cognitionem omnes illæ referebantur cædes, quas se perpetrasse confitebantur rei, sed eas permittentibus legibus admissas esse evincere conabantur, sicuti, ubi sui conservandi gratia facta esset, vel in casu adulterii, unicuique enim adulterum in ipso deprehensum facto occidere licitum erat. Leg. Plutarch. in *Solone*. Primus in hoc Foro judicatus est Theseus; hic enim in suo Athenas versus itinere latrones, qui vias inter Trœzenen Athenasque infestaverant, deinde etiam Pallantis filios, qui adversus ipsum rebellarant, occiderat. Vid. Pollux *loc. cit.* Pausanias.

Ἐπὶ Πρυτανείῳ Forum erat, quod homicidia, rebus vita sensuve destitutis, veluti lapidibus, ferro, ligno, quæ acciderant, cognoscebat; hæc enim, si alicui casu quodam mortis causa fuissent, vel a manu ignota fuissent emissa, vel ab aliquo, qui aufugisset, hoc in loco judicio subjiciebantur, & e ditione Athenarum a φυλοβασιλεῦσι, sive *tribuum regibus*, ejici jubebantur. Hoc Forum ejusdem, ac Erechtheus, antiquitatis fuit, atque in eo primum examini subjecta narratur securis, qua unus e Sacerdotibus Jovis bovem, (animal iis temporibus sacrum omnino habitum) qui libum quoddam consecratum comederat, occidisse, & e vestigio post factam cædem fuga sibi consuluisse dicitur. Leg. iidem, & Ælianus *Var. Hist. lib.* VIII. cap. III. Harpocration. In hoc etiam loco publica celebrabantur convivia, atque sacra lampas, quæ perpetuo igne ardebat, a viduis, quæ jam annos & voluptates matrimonii superarant, matrique Deorum sacræ erant, servabatur, atque illa lampas, ut in *Numæ Vita* refert Plutarchus, Tyranno regnante Aristione, exstincta fuit; iidem hic ritus, ædem obtinebant cerimoniæ, quæ Romæ circa ignem Vestalem, quem ad illius exemplar institutum fuisse, ut & alium sacrum ejusdem naturæ ignem apud Delphicos, idem Auctor narrat.

Ἐν Φρεαττοῖ, Ἐν Φρεάττυ, ad littus maris in Piræeo situm erat Forum, nomenque illi inditum ἀπὸ τῦ φρέατος, quandoquidem *in puteo* erat conditum, & propterea illud ἐν φρεάτει vocat Pollux, vel, ut verisimilius est, ab Heroe Phreuto denominatum fuit. In hoc Foro istiusmodi audiebantur causæ, quæ ad eos pertinebant, qui e patria sua ob commissum homicidium aufugissent, vel qui ob cædem non voluntariam profugi postmodum voluntario & deliberato animo quempiam occidissent. Primus hic judicatus est Teucer; qui, narrante Lycophrone, a patre Telamone e Salamine in exsilium proficisci jussus erat, quod scilicet in occidendo Ajace auxiliares ipsum manus præbuisse, quamvis immerito, suspicaretur. In littus descendere, quin vel anchoram jacere, neutiquam accusato licitum erat, sed in navi suam agebat causam; quod si reus comperiretur, ventis fluctibusque committebatur, vel, ut alii volunt, debitas pœnas luebat; quod si vero innocens, posterioris criminis absolvebatur, & ob prius (ut vulgo fieri solebat) exsilio duodecim mensium mulctabatur. Vid. Demosthenes *in Aristocrat.* Harpocration, Pollux *loc. cit.* Hesychius.

Sed hæc sufficiant de Foris, ad quæ crimina capitalia spectabant: jam superest ut hujusmodi Fora referam, quibus cura rerum civilium commissa erat.

CAP. XXI.

De quibusdam aliis foris, illorumque judicii formulis, &c.

ΠΑραβυστον (prout ex nomine colligere est) obscuræ notæ & existimationis Forum erat, ad quod rerum infimi momenti, quarum pretium unam drachmam non excedebat, cognitio pertinebat, vel quia situm erat ἐν ἀφανεῖ τόπῳ πόλεως, *in obscura parte urbis.* Duo hujusce nominis
B Fora exstitisse tradit Pollux, quorum alterum Παράβυστον μεῖζον, alterum Παράβυστον μέσον dicebatur. Viri, qui adstabant ut judices in Parabysto medio, erant undecim Senatores, οἱ Ἕνδεκα *Undecim* dicti; ideoque expungendum est hoc Forum e numero decem Tribunalium, ad quæ sorte capiebantur judices e populo. Ejus itaque loco reponam,

Τὸ Καινὸν, *Novum Forum*, cujus meminit Aristophanes *Vespis pag.* 430. *Edit. Amstelod.*

——ὁ δ' αὐτῷ τυμπάνῳ
Αἴξας, ἐδίκαζεν ἐς τὸ Καινὸν ἐμπεσών.

C ——*ille autem cum tympano*
Assurgens, judicabat in Novum (Forum) *progressus.*

Ubi Interpres: Τόπος ἐν τῷ δικαστηρίῳ ὅτω λεγόμενος· εἰσὶ δὲ Παράβυστος, Καινός, Τρίγωνος, Μέσος (scil. μέσος Παράβυστος.) *Locus in foro judiciali sic dictus: sunt autem Parabystus, Novus, Triangularis, Medius.* Vid. Pausanias *Atticis*, Harpocratio, Suidas, &c.

Τρίγωνον, sic vocatum, quia triangulare erat, ut ex iisdem Auctoribus patet.

Τὸ ἐπὶ Λύκῳ, ab Heroe Lyco, cujus templum
D ibi erectum, nomen habuit. Ejusdem viri statuæ in omnibus Foris visebantur, quæ faciem lupinam referebant; idcirco Λύκυ δεκὰς sycophantas denotat, & τὰς δωροδοκῦντας, qui justitiam muneribus venderent, qui deni, id est, turmatim, illa loca adibant, vel quod improbi isti nebulones frequentarent τὰ δέκα δικαστήρια, *decem tribunalia.* Leg. Aristoph. Scholiastes *in Vespas*, Zenobius, Harpocratio, Pollux, Suidas, &c.

Τὸ Μητίχυ, a quodam Metricho architecto, cujus cura ædificatum est, nomen accepit.

Horum omnium Fororum judices sacratissimo jurejurando per patria numina, Apollinem puta,
E Cererem, ac Jovem Regem, obstringebantur, se judicia æqua legibusque consona laturos, quando cognitio esset de rebus, quæ lege statuebantur: sin vero lex nihil præciperet, justissime ex conscientiis. Hujusmodi autem juramentum, ut & aliud judicibus Heliææ impositum, peragebatur in loco flumini Ilisso contermino dicto *Ardetto* ab Heroe ejusdem nominis, qui obortæ seditionis partes decertantes conciliavit, illasque eo adduxit, ut sua pacta mutuo sacramento hoc in loco firmarent; quapropter impii profligatique pejeratores Ἀρδηττοὶ vocabantur. Leg. Etymologus, Pollux, Suidas, Hesychius, Harpocration.

F Ex omnibus tribunalibus, quæ civilia tractabant, Ἡλιαία longe maximum ac celeberrimum erat; sic autem vocatum ἀπὸ τῦ ἁλίζεσθαι, a populo se invicem premente, juxta Ulpianum *in Demosthenem;* vel potius ἀπὸ τῦ ἡλίυ, quia erat locus apertus solique expositus, secundum Aristoph. Scholiastem *in Nubes*, *Equites*, *Vespas*, ac Suidam.

Hoc Forum judicibus ad minimum quinquaginta, sed vulgo ducentis aut quingentis constabat,

qui ex plebe sortibus creabantur; quando graviores lites incidebant, judices ex aliis foris accersebantur: interdum mille, cum duo; interdum mille & quingenti, cum tria; interdum duo millia, cum quatuor fora coibant in unum. Atque hinc apparet, non Heliæam modo, verum etiam cætera tribunalia aliquando quingentos judices habuisse. Vid. Pollux *lib.* VIII. cap. X. Steph. Byzantinus *Voc.* Ἡλιαία, Harpocratio.

Res politicæ maximi momenti ac ponderis sub illorum judicum cognitionem cadebant, quibus non licebat sententiam ferre, nisi prius sacro-sanctum jusjurandum deposuissent, cujus formula hæc erat, ut nobis a Demosthene *Orat. in Timocratem* traditur: *Ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων καὶ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων. Καὶ τύραννον οὐ ψηφιοῦμαι εἶναι, οὐδὲ ὀλιγαρχίαν· οὐδὲ ἐάν τις καταλύῃ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, ἢ λέγῃ, ἢ ἐπιψηφίζῃ παρὰ ταῦτα, οὐ πείσομαι· οὐδὲ τῶν χρεῶν τῶν ἰδίων ἀποκοπάς, οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν τῆς Ἀθηναίων, οὐδ' οἰκιῶν, οὐδὲ τοὺς φεύγοντας κατάξω, οὐδὲ ὧν θάνατος κατέγνωσται, οὐδὲ τοὺς μένοντας ἐξελῶ παρὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους, καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων καὶ τῆς βουλῆς· οὔτ' αὐτὸς ἐγώ, οὔτ' ἄλλον οὐδένα ἐάσω, οὐδὲ ἀρχὴν καταστήσω, ὥστε ἄρχειν ὑπεύθυνον ὄντα ἑτέρας ἀρχῆς, καὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων, καὶ τοῦ ἱερομνήμονος, καὶ ὅσοι μετὰ τῶν ἐννέα ἀρχόντων κυαμεύονται ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ, καὶ κήρυκος, καὶ πρεσβείας, καὶ συνέδρων· οὐδὲ δὶς αὐτὴν τὴν ἀρχὴν τὸν αὐτὸν ἄνδρα, οὐδὲ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ· οὐδὲ δῶρα δέξομαι τῆς Ἡλιάσεως ἕνεκα οὔτ' αὐτὸς ἐγώ, οὔτ' ἄλλος ἐμοί, οὔτ' ἄλλοι εἰδότος ἐμοῦ, οὐ τέχνῃ, οὔτε μηχανῇ οὐδεμιᾷ, καὶ γέγονα οὐκ ἔλαττον ἢ τριάκοντα ἔτη, καὶ ἀκροάσομαι τοῦ τε κατηγόρου καὶ τοῦ ἀπολογουμένου ὁμοίως ἀμφοῖν, καὶ διαψηφιοῦμαι περὶ αὐτοῦ οὗ ἂν ἡ δίωξις. Ἐπόμνυμι Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα, καὶ ἐπαρᾶται ἐξώλειαν ἑαυτῷ καὶ οἰκίᾳ τῇ ἑαυτοῦ, εἴ τι τούτων παραβαίνοι· εὐορκοῦντι δὲ καλὰ πολλὰ κἀγαθὰ εἶναι.* *Pronunciabo secundum leges & decreta populi Atheniensis & senatus quingentorum. Tyrannidem vero, aut paucorum dominatum, mea sententia non comprobabo: neque si quis populi Atheniensis libertatem oppresserit, aut quidquam contra hæc dixerit, aut decreverit, concedam: neque novas tabulas privatim, neque agrorum Atheniensium divisionem, neque ædium, neque exsules revocabo, neque capitis damnatos, neque eos, qui manent, expellam contra leges receptas & decreta populi Atheniensis & senatus: neque ipse ego, neque alium sinam, neque magistratum creabo, ut is imperet, antequam de alio gesto magistratu rationes retulerit, sive sit novemvir, sive pontifex, sive quicumque cum novemviris eodem die creantur, sive præco, sive legatus, sive assessor: neque bis eumdem magistratum eumdem virum, neque binos magistratus eumdem gerere sinam eodem anno: nec accipiam munera propter Heliæam, vel ipse ego, vel quisquam alius mihi, vel alii me conscio, non fraude, non machinatione ulla, & natus sum annos non minus quam triginta, & audiam tum accusatorem tum reum æquo animo ambos, & sententiam de eo feram quod est in controversia positum. Adjuro Jovem, Neptunum, Cererem, & ipse mihi exitium imprecor & familiæ meæ, si quid horum neglexero & violaro: sin bona fide præstitero, præclara mihi & bona multa eveniant.*

Præter illa decem publica fora mox memorata, Athenis alia fuerunt inferioris notæ, in quibus peculiares magistratus aut Διαιτηταὶ vel Τεσσαράκοντα in causas ad illorum singulorum officia spectantes inquirebant; cujus generis erant Forum Cynosargis, Odeum, Thesei Templum, Bucoleum, & quædam alia.

Modus, quo jura dabant, is fuit. Primum actor adversarii sui nomen deferebat ad magistratum, cujus erat dicam illam in judicium introducere (εἰσάγειν.) Tum magistratus cognitionem de allata causa instituit, quam ἀνάκρισιν vocant Grammatici, eamque definiunt ἐξέτασιν ὑφ' ἑκάστης ἀρχῆς γινομένην πρὸ τῶν δικῶν, περὶ τῶν συντεινόντων εἰς τὸν ἀγῶνα· ἐξετάζουσι γὰρ εἰ ὅλως εἰσάγειν χρή. Hic ergo quærebat, an ea causa ad se pertineret? an esset digna quæ coram judicibus expenderetur? Tum permissu magistratus actor adversarium citabat, ut coram magistratu compareret: idque dictum κλητεύειν Ulpiano *in Demosthenis Orat. de Corona*, & fiebat aliquando per apparitores, quos vocabant κλήτορας, vel κλητῆρας, juxta Aristophanis Scholiastem *ad Aves*: interdum ipse actor adversarium in jus citabat, non tamen sine advocatis testibus, quos etiam κλητῆρας appellabant, & κλήτορας. Vid. Ulpianus *loc. cit.* Harpocration, Suidas. Cujus moris exemplum habemus apud Aristophanis *Vespas pag.* 502. *Edit. Amstelod.*

—— προσκαλοῦμαί σ', ὅστις εἶ,
Πρὸς τοὺς Ἀγορανόμους βλάβης τῶν φορτίων,
Κλητῆρ' ἔχουσα Χαιρεφῶντα τουτονί.

—— in jus te voco, quicumque es,
Coram Ædilibus ob damnum mercium,
Antestatum habens Chærephontem hunc.

Formula in jus vocandi ab apparitoribus usitata hujusmodi erat: Κατηγορῶ τὸν δεῖνα τοῦδε, καὶ προσκαλοῦμαι τοῦτον διὰ τὸν δεῖνος εἰς τὴν Ἀρχὴν τήνδε. Formula autem ab ipso actore pronunciata, quando ipse convocatis testibus adversarium citabat, his verbis concipiebatur: Προσκαλοῦμαι τὸν δεῖνα τοῦδε ἀδικήματος πρὸς τὴν Ἀρχὴν τήνδε, κλητῆρα ἔχων τὸν δεῖνα. Ulpianus *in Midianam*. Nam lege cautum est, ut τοῦ κλήτορος nomen, sive is testis, sive apparitor esset, adscriberetur citationis formulæ, ut is testimonium præberet. Denique cum fœmina vocabatur in jus, una virum ejus citabant, hac forma: Τὴν δεῖνα καὶ τὸν κύριον. Fœminæ enim maritorum juri subjectæ sunt.

Quod si reus nollet se sistere, vi ducebatur, ut e Terentii *Phormione Act.* V. *Scen.* VII. constat:

DE. *In jus eamus.* PH. *In jus? huc, si quid lubet.*
DE. *Assequere, ac retine, dum ego huc servos evoco.*
CH. *Enim solu' nequeo: accurre huc.* PH. *Una injuria est*
Tecum. CH. *Lege agito ergo.* PH. *Altera est tecum, Chreme.*
DE. *Rape hunc.*

Paulo post idem Demipho ait:

—— ni sequitur, pugnos in ventrem ingere,
Vel oculum exclude. ——

Interdum qui in jus vocabatur, non statim sequi debebat, sed aliquot post diebus coram magistratu comparere. Qui dies erant in formula vocationis præstituti. Aristophanes *Avibus pag.* 572. *Edit. Amstelod.* hunc morem expressit:

ΕΠ. Καλοῦμαι Πεισθέταιρον ὕβρεως
Εἰς τὸν Μουνυχιῶνα μῆνα.

EX. *In jus provoco Pisthetærum ob injuriam illatam*
In Munychionem (Januarium) *mensem.*

Cum ergo actor & reus coram magistratu comparuissent, hic interrogabat actorem, an testes & testimonia haberet in promptu, an aliquo evocato ipsi opus esset, ne scil. imparatus ad accusandum in judicium veniret: atque hæc erat se-

cunda ἀνάκρισις, cui actor adesse sub infamiæ pœna tenebatur. Quod si omnia parata non haberet, juratus postulavit dari sibi tempus, quod ὑπόμνυσθαι dicebant, & eam excusationem ὑπωμοσίαν. Vid. Demosthenes *in Olympiod.* & *in Midiam*, Ulpianus *in Midianam*, & Isæus *de Philoctemonis hæreditate.* Eadem excusatio reo concessa fuisse dicitur, ut actio differretur, ejus jurejurando interposito. Idem reus alia exceptione utebatur, quæ παραγραφὴ, vel παραμαρτυρία, dicta est: qua nempe testibus adductis probavit non esse eam δίκην εἰσαγώγιμον, sive actionem quæ legitime in forum introduci posset: Quod. scil. prius pœnas dedisset, vel accusatus legitime absolutus fuisset; Quod injuria ante quinquennium illata fuisset, nam post quinquennium actio non dabatur: Quod lis coram testibus conciliata fuisset, quælibet enim adversariorum pactiones, coram testibus voluntarie initæ, ratæ habebantur, modo non essent contra leges: Denique legitima exceptio erat, quod is magistratus non haberet ejus rei cognitionem. Huic παραγραφῇ sua responsa testibus firmata opponere solebat actor: utramque, tum actoris, tum rei, contestationem hanc vocabant διαμαρτυρίαν. Vid. Pollux *lib.* VIII. cap. VI. Harpocration *Voc.* Διαμαρτυρία. Quod si reus nulla exceptione interposita judicio experiri vellet, εὐθυδικεῖν dicebatur, atque judicium illud εὐθυδικία. Tum utraque pars juramentum præstitit: actore jurante, ἀληθῆ κατηγορεῖν, *se juste reum accusare*, addebat præterea in actionibus publicis, se nullis muneribus, aut promissis induci velle, ut ab actione desisteret: reus jurabat, ἀληθῆ ἀπολογήσασθαι, *se justam defensionem facturum*, vel μὴ ἀδικεῖν, *non fecisse injuriam.* Et quidem actoris jusjurandum προωμοσία, rei autem ἀντωμοσία, (quam & ἀντιγραφὴν esse quidam putant) & utraque διωμοσία dictæ sunt. Hæc autem juramenta scripta in tabellis, unaque cum testimoniis, cæterisque, quæ ad actionem spectabant, libellis, vasi fictili, aut æneo, quod ἐχῖνον vocabant, inclusa, judicibus tradebant. Leg. Pollux, Harpocration, Suidas, Aristophanis Scholiastes *ad Vespas.*

Circa id tempus magistratus judices eligebant sortibus jactis, qui ἡμέρᾳ κυρίᾳ, sive *die statuto*, in forum conveniebant, & loca sua subibant, postquam publicos præco omnes negotii vacuos foras exire denunciasset his verbis, Μετάστητε ἔξω, id est, *Exite foras.* Deinde ad arcendam multitudinem, ne illos premeret obrueretque, jussu Senatorum foro funis circumducebatur, atque lictores fores custodiebant dictas κιγκλίδας, quæ coincidunt cum Romanorum foribus cancellatis, secundum Pollucem *lib.* VIII. cap. X. Sed ne quis judicum abesset, publice his verbis promulgabatur: Εἴ τις θύρασιν Ἡλιαστὴς, εἰσίτω, *Si quis judicum foris est, ingrediatur:* si enim quis advenisset postquam causa examinari cœpisset, nunquam admittebatur, existimantes illum minime idoneum sententiæ de lite ferendæ, qui, quod ambæ partes afferre pro sua causa potuissent, non audiisset, ex Aristophane ejusque Scholiaste *in Vespas.*

Dein magistratus causam judicibus exponebant, iisque potestatem dirimendi conferebant; qui mos dicebatur εἰσάγειν τὴν δίκην εἰς τὸ δικαστήριον, *adducere causam in judicium*, causa ipsa δίκη εἰσαγώγιμος, *causa adducenda*, qui vero illam proponebat, εἰσαγωγεὺς dicebatur. Legibus enim Atheniensibus statutum erat, ut peculiares quædam causæ ad certos magistratus deferrentur, quibus quidem illas examinare, non vero dirimere, licitum erat; si autem tanti momenti forent, quas in foro audire congruum videretur, ad judices hunc in finem constitutos die definito illas referre tenebantur, hoc autem vocabatur ἡγεμονία δικαστηρίων.

Extemplo libellus accusatorius publico in foro a præcone vel a scriba legebatur, in quo causæ accusationis, ut & injuria accepta, ejusque modus, & damnum accusatori illatum ordine describebantur; quæ singula capita a judicibus exscribebantur, ut videre est apud Demosthenem.

Si reus non se stitisset, absque mora sententia in eum ferebatur, & insuper mille drachmas mulctabatur, idque dicebatur ἐξ ἐρήμης καταδικασθῆναι & ἐρήμην ὀφλισκάνειν. Sin intra decem dierum spatium coram judice apparuisset, postquam liquido demonstrasset se morbo aut alio insolito urgenteque casu detentum fuisse, prior sententia abrogabatur, qua de re δίκη μὴ οὖσα nuncupabatur. Deinde examen ad bimestre de novo resumebatur, res dicta ἀντίληξις, & actio ἀντιλαχεῖν δίκην: sin vero causam tempore statuto dirimendam neglexisset, prius judicium ratum manebat, & executioni mandabatur in rei detrimentum, & præterea notabatur infamia. Porro ex dictis constat, cur tanta cura erat adhibendi testes, eorumque nomina tabellæ accusatoriæ adscribendi, quando aliquem in jus vocabant. At si quis adversarium falso diceret in jus a se vocatum fuisse, neque habebat κλήτορας, qui citationi adfuerunt, ei actio intendebatur, quam Grammatici vocant γραφὴν ψευδοκλητείας. Leg. Ulpianus *in Demosthenem*, Pollux *lib.* VIII. cap. VI.

Antequam examen aggrederentur, ambæ partes certam pecuniæ summam dictam Πρυτανεῖα in manus illius judicis, qui illarum causam fori matriculæ inserebat, deponere tenebantur, quæ nisi solveretur, causa ex matricula illico expungebatur, nec ulterius progredi per illum judicem licitum erat. Si causa controversa pretium centum, imo mille, drachmarum æquabat, tres drachmas deponebant; sin vero mille excedebat, nec ultra decem mille procedebat, triginta deponebant, quæ post litem diremptam inter judices dividebantur, & qui a causa exciderat, extra alios sumptus solvendos adversæ partis nummos restituere tenebatur, ex Polluce, & Harpocratione.

Παρακαταβολὴ dicebatur pecuniæ summa deposita ab illis, qui apud Rempublicam pro bonis fisco addictis, aut quæ fiscus sibi vendicabat, aut quæ privati homines pro hæredibus puellis reposcebant, intercedebant; priores quintam, posteriores vero decimam partem bonorum, de quibus lis erat, tradebant. Vid. Petitus *de Legibus Atticis.*

Παράστασις erat drachma in causis privatis & parvi momenti, quæ a διαιτηταῖς dirimi solebant, deposita, secundum mox allegatos.

Ἐπωβελία mulcta dicebatur illis irrogata, qui accusationem in adversarios illatam demonstrare non valebant; sic autem nominata est, quia sextam partem pretii illius rei, de qua litigabant, persolvere solebant, ab ὀβολὸς, quia ex singulis drachmis unum obolum, qui drachmæ sexta pars erat, tradere cogebantur, ut videre est apud eosdem. In omnibus causis forensibus, paucis exceptis, ante examen susceptum quædam ex superius memoratis summis deponebantur.

Dein testes sistebantur, & si quis eorum in foro comparere recusaret, ab apparitore dicto κλητῆρι citabatur, atque si testimonium dicere nollet, tria ipsi proponebantur, nimirum ut factum jurejurando firmaret; aut illud ejuraret, hoc est, denegaret se illius conscium esse; aut denique mulctam mille drachmarum persolveret; cui mulcta imponebatur ob juramentum denegatum, aut qui juramentum diceret ex metu, ἐκκλητεύεσθαι, qui

vero tantum accersitus juramentum sponte deposuisset, κλητεύεσθαι dicebatur. Juramentum ad altare summa cum solennitate peragebatur, quem in finem omnibus in foris altaria erigebantur.

Testes erant viri bonæ famæ, quorumque nihil intererat, nemini enim in propria sua causa jurare licebat; & qui ob pravos mores a suis privilegiis exciderant, erantque ἄτιμοι aut jure civitatis privati, minime existimabantur fide digni; servis non indulgebatur, ut in rebus publicis se immiscerent, idcirco nec testes agere, nisi prius equuleo probati, nec causas in foro dicere ipsis concedebatur. Vid. Petitus *de Legibus Atticis*. Inquilinis tamen & libertis non esse interdictum testimonium probabile est, eo excepto, quod in διαμαρτυρίᾳ dabatur, in iis actionibus, quas vocant ἀπροστασίου δίκας, ut tradunt Grammatici ex Hyperide.

Duo genera testimoniorum distinguuntur; quorum prius dicitur μαρτυρία, cum qui juramentum dicebat, testis oculatus erat: posterius vero ἐκμαρτυρία, cum jurator testimonium a tertio acceperat, qui fuerat facti oculatus testis, sed tunc temporis aut defunctus, aut in peregrinatione, aut morbo detentus, aut alia urgente necessitate impeditus, quominus comparare potuisset; nam exceptis illis casibus testimonia absentium non valebant apud judices. Porro testes tabulis inscriptum testimonium dabant: idque lege sanctum, ne quis testimonium corrumperet, aut mutaret, utque adversus testem facilius institui posset actio falsi testimonii: tamen differebant illæ tabulæ, quibus testes certo proposito ad tribunal accedentes testimonia sua domi inscripserant, a tabulis eorum, qui forte fortuna judiciis interfuerunt: nam illæ exasciatæ atque expolitæ, hæ autem e cera compositæ erant, ut postea mutari possent, si quid testi in mentem venerat, quod adscribi aut deleri debebat. Leg. Harpocratio & Pollux.

Juratis testibus, & accusatore ad tribunalis sinistram, reo vero ad dextram collocatis, (ex Aristot. in *Problem*) ambo orationem pro sua causa dicebant, utplurimum ab oratoribus concinnatam; cujus moris Antipho Rhamnusius auctor censetur, juxta eumdem *Rhetoric. lib.* I. cap. XXXIII. Aliquando si postularent, iis σύνηγοροι seu *patroni*, qui pro illis perorarent, a judicibus concedebantur, quod dicebatur ἐπὶ μισθῷ συνηγορεῖν: id est, *pro mercede causas agere*, secundum Clem. Alexandr.

Et ne prolixiore oratione judices tædio afficerentur & ab aliis negotiis agendis impedirentur, certum temporis spatium ipsis demensum erat, dictum διαμεμετρημένη ἡμέρα Harpocrationi, quod mensurabatur κλεψύδρᾳ, a nostra diversa in eo, quod pro arena aqua adhibebatur, & ut omni fraudi doloque obviam iretur, constitutus fuit præfectus, qui aquam utrinque æqualiter infundebat, idcirco nuncupatus Ἐφύδωρ sive Ἐφ' ὕδωρ. Clepsydra elapsa, diutius dicere non permittebantur, quapropter maxime cavebant, ne unius aquæ guttæ jacturam facerent, & dum leges ab iis citatæ legerentur, aut si quod aliud negotium interveniret, jubebant ut clepsydra sisteretur, juxta Demosthenem. Sed si quis perorasset, antequam tempus definitum effluxisset, ei licebat partem aquæ residuam cuivis alteri, qui indigeret, tradere; ad quem morem alludit Orator his verbis, Τῷ ὕδατι τῷ ἐμῷ λαλείτω, id est, *Peroret donec meæ aquæ reliquum effluxerit*.

Postquam ambæ partes perorassent, Præco publicus jussu magistratus, qui tum temporis in foro præsidis officio fungebatur, judices ad sententiam dicendam hortabatur; atque his casibus, quibus lege cautum erat & pœnæ statutæ, (qui dicebantur ἀγῶνες ἀτίμητοι) simplex sententia, qua accusatus declarabatur reus aut insons, sufficiebat; sed in hujusmodi casibus, de quibus leges silebant, quique nuncupabantur ἀγῶνες τιμητοί, duplex sententia ferebatur, si accusatus peragebatur reus, qua definiebatur pœnæ genus crimini congruum, secundum Harpocrationem. Antequam vero sententia ferretur, damnatus rogabatur, quid damni adversæ parti a se illatum esse, quantamque compensationem ex æquo jure eidem tribuere existimaret, & accusatoris ratio una cum libello accusatorio, quæ mox in manus judicum deposuerat, accurate perpendebantur; denique circumstantiis utrinque rite & æque ponderatis, extrema sententia ferebatur. Nec non in causis criminalibus, quibus leges mortem non irrogabant, judices damnatis pœnas proponebant. Quem morem eleganter illustravit Cicero *de Oratore lib.* I. de Socrate agens: *Ergo ille quoque damnatus est: neque solum primis sententiis, quibus tantum statuebant judices, damnarent, an absolverent; sed etiam illis, quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis, si fraus capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio: ex sententia, cum judicibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi æstimationem commeruisse se maxime confiteretur: quod cum interrogatus Socrates esset respondit, sese meruisse ut amplissimis honoribus & præmiis decoraretur, ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice præberetur; qui honos apud Græcos maximus habetur. Cujus responso sic judices exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent.*

Antiquitus albis aut nigris conchis dictis χοιρίναις aut calculis dictis ψήφοις sententia ferri solebat; cujus moris meminit Ovidius *Metam. lib.* XV. *fab.* I.

Mos erat Antiquis, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa.

Deinceps σπονδύλοι sive *globulorum æneorum* usus obtinuit, quos abrogatos exceperunt κύαμοι, seu *fabæ*; duplices erant, albæ & nigræ, illæ integræ, quibus absolvebatur, hæ vero perforatæ, quibus damnabatur reus. Vid. Pollux, Hesychius, Harpocratio, Aristoph. Scholiastes in *Ran.* & *Vesp.*

Qua de causa apud Aristophanem in *Equit.* judices, qui munera accipiebant pro causis agendis indeque victum parabant, nominantur κυαμοτρῶγες, hoc est, *fabarum edaces*; & λευκὴ ψῆφος proverbio dicitur eodem sensu, quo αἲξ οὐρανία, Amaltheæ capra; prædicabatur enim de iis, quæ larga emolumenta afferunt, & unde vivunt eorum domini. Leg. Hesychius, & Eustathius *ad Iliad.* γ.

Hasce fabas judices ex ara sumebant, easque in duas urnas, vocatas κάδους aut καδίσκους, & in medium positas, tribusque digitis, nimirum indice, medio, & pollice, prehensas, ne plures una singulis vicibus intruderentur, injiciebant. Reliqui eorum ritus fere coincidunt cum illis, quæ (ut jam descripsi) in foro Areopagitico obtinebant, exceptis causis privatis, in quibus quatuor urnæ (prout Sigonius ex Demosthene *Orat. in Macart.* tradit) in foro ponebantur. Cur autem hoc institutum fuerit, referri potest ad numerum litigantium; si enim plures duobus de hæreditate contendissent, singuli singulis urnis gaudebant, in quas, qui judicium ferebant, fabas injiciebant, & qui maximum numerum sortiebatur, victor censebatur; quod Sigonius videtur non animadvertisse.

Postquam omnium suffragia lata forent, ne quis a suffragio dicendo ex studio abstineret, Præco in foro hæc verba edicebat, Εἴ τις ἄψηφος, ἀν-

ςάϑω, *Si quis suffragium non tulerit, surgat*, ac ferat.

Tunc urnæ aperiebantur, atque suffragia numerabantur coram Senatoribus, qui adstabant manu virgam tenentes, quam fabis imponebant, dum numerarentur, ne quis ex dolo aut errore aliquam omitteret, aut bis numeraret. Si numerus nigrarum fabarum major foret, reus damnabatur, & in signum damnationis judices oblongam lineam ducebant, unde apud Aristophanem ejusque Scholiastem *in Ran.* & *Vesp.* ἅπασι τιμᾷν μακρὰν idem est ac omnes damnare; econtra si albæ fabæ nigris plures, imo tantum pares essent, brevis linea in argumentum absolutionis ducebatur. Clementia enim legum Atheniensium cautum erat, ut si causa videretur ambigua, severitas & rigor legum misericordiæ ac benignitati cederent; illudque in omnibus foris Atheniensium observatum fuisse videtur. Euripides, ut plures alios taceam, hujus moris meminit variis in locis, ut in *Electra vers.* 1265.

Ἴσαι δέ σ' ἐκσώζουσι μὴ θανεῖν δίκῃ
Ψῆφοι τεθεῖσαι· Λοξίας γὰρ αἰτίαν
Εἰς αὐτὸν οἴσει, μητέρος χρήσας φόνον·
Καὶ τοῖσι λοιποῖς ὅδε νόμος τεθήσεται,
Νικᾷν ἴσαις ψήφοισι τὸν φεύγοντ' ἀεί.

Paria vero te servabunt, ne judicio damnatus *moriaris,*
Suffragia a judicibus *lata: Phœbus enim culpam*
In seipsum transferet, qui matris cædem oraculo tibi *suaserit:*
Et reliquis hæc lex feretur,
Ut reus in judicio *paribus suffragiis semper vincat.*

Et rursus in *Iphig. Taur. vers.* 1469.

Γνώμης δικαίας, οὕνεκ' ἐξέσωσά σε,
Καὶ πρίν γ' Ἀρείοις ἐν πάγοις ψήφους ἴσας
Κρίνασ', Ὀρέστα, καὶ νόμισμ' εἰς ταυτό γε
Νικᾷν, ἰσήρεις ὅστις ἂν ψήφους λάβῃ.

Suffragio justo, ob quod servavi te,
Et prius in Areopago suffragia paria
Judicans tibi dedi, *o Orestes, & eadem lege* volo,
Ut vincat, quisquis paria suffragia habuerit.

Accusator διώκων, causa δίωξις, reusque φεύγων vocabantur. Libellus accusatorius ante evictionem dicebatur αἰτία, post evictionem vero ἔλεγχος, & post damnationem ἀδίκημα. Dum causa non erat decisa, in publico loco exponebatur tabellæ insculpta, nec non nomen rei, & appendebatur statuis heroum cognomine ἐπωνύμων, quo nullus locus in tota civitate frequentior; illud appellabatur ἐκκεῖσθαι, secundum Demosth. ejusque Schol. *in Midiam*: videturque hunc in finem intentum fuisse, ut quotquot aliquid judicibus notum facere vellent, causa probe cognita se in foro sisterent.

Si reus criminis capitalis teneretur, manibus τῶν Ἕνδεκα tradebatur, ut delicti pœnam debitam lueret: si autem mulcta pecuniaria ipsi irrogabatur, ταμίαι τοῦ θεοῦ illam solvendam curabant, sed si reus non solvendo erat, illum proscribebant ac perpetuo carcere damnabant. Vid. Demosth. *in Androt.* Cornel. Nepos in *Miltiade*.

Econtra si accusator adversarium injuria accusasset falsaque testimonia in ipsum produxisset, in quibusdam locis vi legis tenebatur eamdem pœnam subire, quam illud crimen, cujus insontem falso insimulaverat, merebatur, Athenis vero solummodo mulcta ei imponebatur. Tum qui pejerarat, & alter qui subornarat, in jus abripiebantur; in priorem lis intentabatur nuncupata ψευδομαρτυρία, in posteriorem vero dica κακοτεχνίας inscribebatur. Sed de his ac de pœnis, quæ hujusmodi reis infligebantur, alibi plura afferam.

Judicio finito, judices templum Lyci petebant, ubi ῥάβδους, id est, *virgas* aut *sceptra*, muneris insignia reponebant, accipiebantque pro mercede laborum a quibusdam præfectis dictis κωλακρέταις nummum quemdam, qui ab initio fuit obolus tantum, deinde ad duo, præterea ad tres, tandemque ad drachmam, quæ sex obolos conficiebat, excrevit, ut nos docent Aristoph. Scholiast. *in Ran.* & *Vesp* Hesychius, Suidas, Pollux. Etsi autem hujusmodi merces magnos sumptus inferre minime videretur, nihilominus Atheniensium indoles turbulenta, quique de suo jure ne quid minimum cedere nesciebant, in causa fuit tot litium, ut illorum exiguorum nummorum exsolutione ærarium publicum sensim exhauriretur, iidemque Reipublicæ oneri fuerint, quod sæpius ab Aristophane in *Ran.* ibidemque ab ejus Scholiaste animadversum; ille enim Poeta Comicus ansam arripuit ubique carpendi ac exprobrandi illam rixosam litigiosamque indolem, quæ apud eos adeo increverat, ut quivis urbis angulus infestaretur integris examinibus illorum tumultuosorum tenebrionum, qui nihil aliud agebant, nisi quod fabellas consuerent, & in viros bonæ famæ existimationisque liticulas moverent; ii dicebantur συκοφάνται, qui utplurimum audiunt falsi testes, sed proprius sumuntur pro vitiligatoribus, cum ea vox deducatur ἀπὸ τοῦ τὰ σῦκα φαίνειν, hoc est, *ab accusando illos qui ficus exportabant*; nam apud priscos Athenienses cum illud fructus genus primo inventum fuit aut tempore famis & inopia annonæ, interdictum fuit, ne ficus extra Atticam efferrentur, & quia illa lex in posterum nunquam expresse abrogata fuerit, quod redeunte copia annonæ inutile censebatur, inde plures maligni ac perditi nebulones ansam arripuerunt illos accusandi, quos ipsam litteram legis transgredientes deprehendebant, & abhinc omnes delatores insuti sunt infami nomine Sycophantarum. Alii dicunt lege aliqua punitos fuisse qui ficus clepserint; & inde delatores dictos συκοφάντας. Suidas: Τὸ γὰρ παλαιὸν τίμια παρ' Ἀθηναίοις ἦν τὰ σῦκα, καὶ εἴ τις διεβλήθη κλέπτων σῦκα, ἐκολάζετο. Leg. Suidas, Aristoph. Scholiastes in *Plut. Equit.* &c.

CAP. XXII.

De Quadraginta Viris & Arbitris.

Οἱ Τεσσαράκοντα dicuntur Quadraginta Viri, qui comitia in singulis pagis stato tempore agebant, & sub eorum cognitionem cadebant omnes liticulæ de nummis, cum nimirum decem drachmas summa non excedebat; pariter (prout Demosthenes *Orat. in Pantæn.* refert) actiones verberum & pulsationis ad eosdem deferebantur. Pollux testatur a prima institutione triginta non plures fuisse; sed Hesychius econtra asserit judices illos, qui dicuntur οἱ τριάκοντα, mulctas irrogasse iis, qui a publico consessu aberant.

Διαιτηταὶ, seu *Arbitri*, duplices erant.

I. Κληρωτοὶ, qui quadraginta quatuor viros, sexagenarios, (ut Pollux) vel quinquagenarios, (ut Suidas contendit) ex singulis tribubus forte electos conficiebant, omnes controversias circa nummos, quorum summa decem drachmas excedebat, cognoscebant. Horum numerus erat XLIV. e singulis tribubus, sive in universum (cum decem essent tribus) CCCCXL. Ulpian. *in Midianam.* Judicia reddebant in locis publicis, & verisimile est singulas tribus locum certum habuisse, in quo Arbitri sui causas au-

diebant. Eorundem ſententia non cenſebatur decretoria; ſi enim alterutra partium litigantium injuriam accepiſſe exiſtimaſſet, ad ſuperiora fora provocare ei fas erat, ut notat Demoſthenes *Orat. in Aphobum.* Ab initio quaſvis cauſas, quæ decem drachmas ſuperabant, audiebant, antequam ad alia tribunalia eas deferre liceret, ſecundum Pollucem ac Ulpianum. Judicium ferebant nullo juramento adhibito;ſed in cæteris eadem methodo cum aliorum fororum judicibus inſiſtebant; unam a reo accipiebant drachmam, quæ παράστασις & διάστασις appellabatur, alteram vero ab actore, cum eum jusjurandum rogabant, quod ἀντωμοσίαν vocabant. Tenebantur autem ſedere ad occaſum uſque ſolis, nec ultra: quare ſi is, qui fugiebat, arbitrio ſe non ſiſteret ad hanc horam, præſenti tunc litem addicebant. Ulpianus *in Midianam.* Munere gaudebant per annum integrum, quo elapſo rationes reddebant, & ſi pateret illos aut judicium dicere noluiſſe, vel corruptos fuiſſe, infamia notabantur. Vid. Demoſthenes, Ulpian. *in Midianam*, Petitus *Miſcell. l.* VIII. Iis ſubjiciebantur quidam Præfecti nuncupati Εἰσαγωγεῖς, quorum officii erat εἰσάγειν τὰς δίκας, hoc eſt, *cauſas accipere & in forum adducere*, quæ ſub cognitionem Διαιτητῶν cadebant. Leg. Pollux. Cum litigantes ab arbitris ad judices provocabant, arbitri litis inſtrumenta & teſtimonia reponebant in vaſe quodam æneo, vel figulino, quod ἐχῖνον dixerunt; idque obſignabant, ne qua ſubripi poſſent, donec reſignarentur in manus judicum. Harpocration, Scholiaſtes *in Veſpas Ariſtophanis.*

II. Διαλλακτήριοι, vel κατ' ἐπιτροπὴν Διαιτηταὶ, id eſt, *Compromiſſarii*, dicebantur arbitri, quos ambæ partes ad litem inter ipſos obortam dirimendam eligebant; & hos cuivis per legem licebat poſtulare, ſed per eamdem, quidquid definirent, ratum habere tenebantur, nec ulli fas erat ad aliud tribunal provocare; idcirco ſanctiori jurisjurandi vinculo obſtringebantur fore ut judicium æquum ferrent. Vid. Demoſthenes.

Judicium Διαιτητῶν δίαιτα & ἐπιτροπὴ, cauſamque ad eos deferre δίαιταν ἐπιτρέψαι dicebatur, juxta Pollucem.

CAP. XXIII.

De publicis judiciis, actionibus, &c.

JUdiciorum apud Athenienſes duo erant genera, nimirum δημοτικὰ & ἰδιωτικὰ, ſive *publica & privata*; priora ſpectabant ad hujuſmodi crimina, quibus in Rempublicam peccatum erat, dicebanturque κατηγορίαι: poſteriora vero quaſvis lites inter privatos homines obortas complectebantur, & nomine δίκαι veniebant. Vid. Iſocrates Nec quoad ſolam materiam a ſe invicem differebant, ſed & quoad totam formulam atque adminiſtrationem, præſertim hac in re, quia in actionibus privatis nemini, niſi parti, quæ injuriam acceperat, aut alicui ex ſuis proximis conſanguineis, reum perſequi fas erat; econtra quoad publica judicia attinet, lex omnibus civibus præcipiebat injuriæ Reipublicæ illatæ vindices ſe gerere, utpote qui reum ad condignam pœnam adducere tenerentur, juxta Plutarchum in *Solone.*

Publica judicia hæc erant.

I. Γραφὴ dica dicitur, quæ iis inſcribebatur, qui peragebantur rei ſequentibus criminibus, ut videre eſt apud Pollucem *l.* VIII. *c.* VI. & Sigonium *de Athenienſ. Repub.*

Φόνος, *cædes.*

Τραῦμα ἐκ προνοίας, *vulnus ex malitia illatum.*

Πυρκαϊὰ, *urbis incendium.*

Φαρμακον, *venenum.*

Βουλεύσις, *conſpiratio* in vitam alicujus, aut crimen cuſtodum publici ærarii, qui tabulis publicis nomina illorum inſcribebant, qui in ære publico minime erant, vel imputabant alicui debitum, quod prius ſolverat. Leg. Harpocratio.

Ἱεροσυλία, *ſacrilegium.*

Ἀσέβεια, *impietas.*

Προδοσία, *proditio.*

Ἑταίρησις, *impudicitia.*

Μοιχεία, *ſcortatio.* Convicti hujus criminis mulctabantur. Thucyd. Scholiaſtes *l.* VI.

Ἀγάμιον, *cœlibatus.*

Ἀστρατεία, *neglecta militia.* Convicti infamia notabantur.

Λειποστράτιον, *deſerta militia.* Convicti mulctabantur. Scholiaſtes Thucyd. *loc. cit.*

Λειποτάξιον, *deſerti ordinis* crimen dicebatur, cum quis ſub peditatu nomen dare recuſaret, & deinde in equitatu militaret; quod Solonis legibus tantum crimen, quantum militia deſerta, cenſebatur; imo gravius; nam convicti erant infames.

Δειλία, *ignavia.* Convicti erant infames.

Λειποναύτιον, *claſſis deſertæ* crimen.

Ἀναυμάχιον, mulcta, quæ irrogabatur iis, qui in expeditione navali ſegnius ſe geſſiſſent, nec cum hoſte depugnaſſent. Convicti erant infames, ipſi cum liberis. Suidas.

Τὸ ῥῖψαι τὴν ἀσπίδα, *abjicere parmulam.* Convicti erant infames.

Ψευδεγγραφὴ, ψευδογραφὴ, vel ψευδὴς ἐγγραφὴ, erat judicium in eos, qui quemquam tanquam debitorem falſo accuſaſſent, ac in jus vocaſſent, quod Harpocratio vocat ψευδοκλητείαν, etſi illud videatur crimen illius, qui in fraudem deſerti vadimonii incidit, juxta Pollucem. Sed quomodo tum diſtinguitur a βουλεύσις, quam ſupra memoravi? Sunt qui dicant, ψευδεγγραφὴν reſpicere eos, qui pecuniam nunquam debitam imputabant, βουλεύσιν eos ſolos, qui imputabant debita prius ſoluta. Audi Suidam: Ψευδὴς ἐγγραφὴ, τοῦτο ὄνομα δίκης· ζητήσειε δ' ἄν τις, τίνι διαφέρει ψευδεγγραφὴ βουλεύσεως, ἃ γὰρ διαφέροντα τίθεσιν ὁ Λυκοῦργος· τάχα ἂν ψευδεγγραφῆς μὲν ἐλάγχανον οἱ μὴ ὀφείλοντες μὲν, ἐγγραφέντες δὲ ψευδῶς. Βουλεύσεως δὲ, οἱ πάλαι μὲν ὠφληκότες, ἀποδόντες δὲ, καὶ αὖθις κατ' ἐπιβουλὴν ψευδῶς ἐγγραφέντες. Hujus culpæ convicti mulctabantur.

Συκοφαντία, *calumnia* aut *falſa accuſatio.* Mulcta puniebatur hujus criminis convictus. At ψευδομαρτυρία eſt falſi teſtimonii dictio, cujus ter convicti erant infames.

Δῶρα, vel δωροδοκία, cum munera accipiebantur ad aliquod publicum negotium adminiſtrandum, aut ad jus pervertendum; nec ſolum acceptor, ſed & oblator munerum, dignus cenſebatur, qui mulctaretur & in jus vocaretur; accuſatio in utrumque lata appellabatur δεκασμός. Eadem dica in cauſis ad jus civitatis ſpectantibus peculiari nomine effertur δωροξενία. Corruptionis convicti maximo infamiæ genere notabantur, & ſolvebant decuplum accepti muneris. Quod ſi actor quintam partem ſuffragiorum non tuliſſet, mille drachmis mulctabatur, & minimum infamiæ genus ſubibat.

Ψευδοκλητεία, *falſa provocatio.* Ea convictus incurrebat infamiam.

Ὕβρις, *contumelia* in civem ingenuum, qui verberibus aut vinculis excipiebatur in morem mancipiorum. Convictus mulctam ſolvebat. Scholiaſt. Thucyd. *l.* VI.

Ἀγράφιον, cum nomen alicujus ex publicis tabulis expungebatur, ære nondum ſoluto. Eodem

crimine tenebatur, si quis nomen inscribere neglexisset.

Ἀγραφον μέταλλον, cum fodina effodiebatur inscitiis publicis præfectis hunc in finem constitutis; nemini enim licebat metallum ex fodina eruere, nisi prius suum propositum præfectis mox memoratis notum fecisset, eo nimirum ut vigesima pars metalli Reipublicæ cederet.

Ἀλόγιον, in magistratus ferebatur, qui rationes reddere neglexerant.

Παρανόμων γραφὴ illis inscribebatur, qui novam legem inducebant antiquis & constitutis legibus adversantem.

Εὐθύνη erat actio in magistratus, legatos, aut alios præfectos, qui publicum ærarium in privatos usus diverterant, aut qui aliud facinus in suorum munerum exercitio perpetrarant. Quæ legatis inscribebatur, aliquando peculiari nomine *παραπρεσβεία* dicebatur.

Δοκιμασία erat actio, qua magistratuum aliorumque virorum, qui publica negotia gerebant, periculum fiebat.

Προβολὴ dica dicitur, quæ Reipublicæ malevolis ac iis, qui plebeculam ab officio abducebant, inscribebatur; nec non sycophantis & illis, qui in celebrando quodam festo tumultum concitarant, aut quid indecori, quodque diei solennitatem non decebat, admiserant.

Ἀπογραφὴ intelligitur actio, cum quis in jus vocatus pro debitis publicis arguebat accusationem falsi, una in medium proferens nummos, quos apud se habebat, & demonstrans media ac modum, quibus illos comparaverat. Suidas addit, *ἀπογραφὴν* sæpius sumi pro actionis genere in eos, qui mulctas ipsis irrogatas, antequam nona Prytania post latam sententiam effluxisset, nec solvissent, nec idoneum vadimonium Reipublicæ dare valerent.

Ἀπόφασις sæpius coincidit cum *ἀπογραφῇ*, ut nos docet Suidas; sed vulgo accipitur pro actione, qua reditus bonorum exhibebantur, quando eadem simul cum publicis muneribus permutabantur; cum enim quis munus onerosum ac sumptuosum declinaret illudque in alterum se ditiorem devolveret, ei, quem proposuerat, fas erat ipsum ad bonorum permutationem provocare, ut ad obeundum munus, quod recusarat, compelleretur.

II. *Φάσις* utplurimum intelligitur de quodam facinore occulto, quod detegebatur; sed proprius dicitur de actione in illos, qui frumentum ex Attica exportaverant, quique publicos reditus profuderant ac in proprios usus converterant, aut sibi arrogarant prædia aliave bona ad Rempublicam ex æquo spectantia. Præterea usurpatur de actione in pupillorum curatores, qui illorum ædibus ac prædiis elocandis vel non prospexerant vel illa viliori pretio elocarant.

III. *Ἔνδειξις* dicitur de illis, qui aliquid agendum susceperant, aut aliquod munus, a quo obeundo vi legis exciderant, ambiverant, ex. gr. si quis civitate privatus, aut ære publico obrutus, munera in Republica ambibat, aut causas in foro dicere audebat. Necnon extenditur ad eos, qui crimina, quorum insimulabantur, sine ullo examine fatebantur.

IV. *Ἀπαγωγὴ* dicebatur, cum reus in ipso facto deprehensus ad magistratum adducebatur. Si accusatori non fas esset illum coram magistratu sistere, magistratum ad domum, ubi reus delitescebat aut confugerat, deducere solebat; illud autem vocabatur *ἐφηγεῖσθαι*, actio vero *ἐφήγησις*.

V. *Ἀνδρολήψιον*, aut *ἀνδροληψία*, actio dicitur in illos, qui homicidas sub patrocinio exceperant, qua defuncti affinibus fas erat tres homines ex civitate vel domo, quo confugerat reus, apprehendere, donec se dedidisset, aut pro cæde alio modo satisfecisset.

VI. *Εἰσαγγελίας* tria erant genera. Prima ad gravia & publica delicta spectabat, quibus Respublica in discrimen adducebatur; hujusmodi actio non ad quoddam forum judiciale, sed immediate ad Senatum Quingentorum, aut conventum populi deferebatur, referentibus Thesmothetis prima cujusque Prytanias stata concione, ubi reus severam pœnam subibat, dum accusator nihil periclitabatur, etsi accusationem probare nequiret, excepto hoc casu, cum ne quidem quinta suffragiorum parte gauderet, tunc enim mille drachmis mulctabatur. Secunda erat actio *κακώσεως*, de qua alio loco differam; deferebatur autem ad Archontem, cui accusator libellum accusatorium tradebat, sed ullæ mulctæ minime obnoxius erat, quamvis sententia in illum lata esset. Tertia erat actio in *διαιτητὰς*, *arbitros*; ferebatur autem ab illis, qui injuriam a *διαιτηταῖς* se accepisse putabant, quorumque libertas & civitatis jus in discrimen adducebantur, si accusationem demonstrare non valerent. Observetur autem, in omnibus prædictis accusationibus, exceptis solis *εἰσαγγελίαις*, pœna mox memorata una cum mulcta mille drachmarum accusatori irrogabatur, nisi quintam suffragiorum partem haberet.

CAP. XXIV.

De privatis judiciis, actionibus, &c.

A*Δικίου δίκη*, actio propter quamlibet injuriam, *ὄνομα δίκης κατὰ τῶν ὁποσοῦν ἀδικούντων*, *Etymologici* Auctor. Mulcta convicto irrogabatur, quam si non solverit intra nonam Prytaniam, duplo tenebatur. Harpocration.

Κακηγορίας δίκη erat actio injuriarum propter maledictum, qua reus quingentis drachmis mulctabatur.

Αἰκίας δίκη erat actio verberum, quo in casu nulla pœna legibus censita erat, sed judices in damnum accusatori illatum inquisitione facta reum ad idoneam restitutionem compellebant.

Βιαίων aut *βίας δίκη* est actio de fœmina vitiata, aut de vi in virum illata.

Βλάβης δίκη dicebatur actio delicti in eos, qui aliena bona, prædia, domus, vestes, &c. damno effecerant.

Κακώσεως δίκη, *γραφὴ*, aut *εἰσαγγελία*, erat actio uxorum in viros, parentum in liberos, pupillorumque in curatores, pro injuria accepta.

Ἀποπομπῆς δίκη dicitur de marito, qui conjugi libellum divortii dederat. Econtra cum uxor conjugem deseruerat, actio vocabatur *ἀπολείψεως δίκη*.

Κλοπῆς δίκη furibus inscribebatur. Demosthenes *in Timocratem* narrat, si quis interdiu præter quinquaginta drachmas furatus esset, actionem in illum ad forum Undecim deferri solitam esse. Alias si furtum nocte admissum fuisset, reum in ipso facto deprehensum occidere aut persequi, ac, si se dedere nollet, eum vulnerare fas erat, indeque ad tribunal Undecim traducendus, apud quos *ἀπαγωγῆς* actio dabatur, reo autem vadimonium dare non licebat, sed illico ad mortem damnabatur. Præterea si quis aliquid infimi pretii ex Lyceo, Academia, Cynosarge, alioque Gymnasio, aut præter decem drachmas ex portubus furtim rapuisset, morte plectebatur. Tandem qui privato judicio convictus furti teneretur, cui injuriam intulerat, restitutionem faciebat solvendo duplo majus quam quod subduxerat, nec illa pœna idoneum piacu-

lum pro delicto cenſebatur; illum enim ſpatio quinque dierum noctiumque in vinculis detinere judicibus fas erat, vinctumque omnium conſpectui in publicum traducere. Andocides *de Myſteriis* docet, furti convictos infamia notatios fuiſſe.

Παρακαταθήκης δίκη erat actio in eos, qui depoſitum reddere recuſabant.

Χρέους δίκη erat actio inter debitores ac fœneratores.

Συμβολαίου δίκη inſcribebatur illis, qui conventa pactaque præſtare nollent. Ad hanc proxime accedit *συνθηκῶν δίκη*, niſi quod poſterior intelligatur de privatis pactis circa nummos mutuo datos, hæreditatum diviſionem, ac τῶν *διαιτητῶν* arbitrationes; prior vero extendebatur ad publica negotia, quæ inter Reſpublicas Regnaque tranſigebantur, ut & ad pacta privata. Sunt qui hanc diſtinctionem reſpuunt.

Εἰς δατητῶν αἵρεσιν δίκη erat actio in illos, qui dividendis bonis aut facultatibus, quorum alii participes eſſe debebant, conſentire nolebant.

Διαδικασίας δίκη, cum is, cui publicum aliquod miniſterium (*λειτουργία*) impoſitum erat, ab eo ſe excuſabat, & ditiorem aliquem ad id obeundum citabat; prout ſupra dictum eſt. Verum interdum ſumitur ſenſu generaliori pro quavis lite in judicium ducta, & idem valet, quod *κρίσις*, aut *ἀμφισβήτησις*. Nam *διαδικασία ἐστὶ ὄνομα δίκης περὶ χρημάτων, ἢ περὶ κτημάτων.* Ulpianus *in Timocrat.*

Επιδικασίας δίκη intelligitur de filiabus, quæ bonorum paternorum ſolæ hæredes ſuperſtites erant, quæque proximis conſanguineis nubere lege tenebantur. Hæc fuit occaſio actionis, quæ a cognatis inferebatur, quorum ſinguli proximam cognationem cum hærede ſibi tribuebant. Virgo, de qua inter cognatos lis erat, *ἐπίδικος* dicebatur. *Επίκληρος* intelligitur filia, quæ cum fratribus legitimis careret, paterna bona jure hæreditario ſola conſequebatur. *Επίπροικος* vero, cui fratres erant, quæque una cum illis patrimonii particeps erat.

Αμφισβήτησις dicebatur actio, qua quis jus in bona cujuſdam viri defuncti ſub nomine filii ſive ex natura ſive ex adoptione obtendebat.

Παρακαταβολὴ inferebatur a cognatis defuncti, qua jus in illius bona vi cognationis aut legationis ſibi vendicabant. Sic vocabatur *ἀπὸ τοῦ παρακαταβάλλειν*, quia accuſator hæreditatis decimam partem, ſi cauſa foret privata, ſin vero de publicis bonis lis eſſet, quintam tantum deponebat: illam autem mulctam incurrebat, ſi lite excideret.

Αντιγραφὴ erat actio de cognatione, qua quis huic aut illi familiæ affinitatem ſibi vendicabat, idcirco eadem cum *παρακαταβολῇ* eſſe videtur.

Διαμαρτυρία eſt genus litis, qua defunctus hæredem conſtituiſſe arguebatur, quaque petitio hæreditatis bonorumque poſſeſſionis a propinquis ſummovebatur.

Επίσκηψις audiebat inſtantia litis, qua *διαμαρτυρία* falſa atque temere aſſerta evincebatur.

Ενεπίσκεμμα intelligebatur, cum quis partem alienorum bonorum, quæ fiſco addicta aut ad haſtam locata erant, ſibi tribuebat.

Σίτου δίκη dicebatur de marito, qui uxori libellum divortii dederat; lege enim cautum erat, ut dotem ipſi reſtitueret, aut ſi illud declinaret, pro ſingulis libris obolos novem quovis menſe eidem ſolveret; quorum utrumvis niſi exſolveret, actio in ipſum ferebatur in Odeo a ſuæ conjugis *ἐπιτρόπῳ* ſeu *curatore*, cujus cura ad victum annuum uxori ſubminiſtrandum adigebatur.

Μισθώσεως οἴκου, &c. *δίκη*, non raro dicta *φάσις*, erat actio in curatores, qui res ſuorum pupillorum negligebant, & aut domos bonave viliori pretio elocabant, aut nullam uſuram ex iis percipiebant. Cum domus conducenda foret, januæ aut alteri domus parti inſcribi ſolebat, ut Roux colligit ex his verbis Terrentii *Heautontim Act.* 1. *Scen.* 1.

> —— *inſcripſi illico*
> *Ædes mercede.* ——

Επιτροπῆς δίκη erat actio in curatores, qui pupillos bonis defraudarant. Intra ſpatium quinque annorum a pupilli majoritate inſcribi debebat, alias non valebat.

Ενοικίου δίκη intelligitur, cum quis in domum quamdam jus ſibi vendicans actionem in illum, qui eam habitabat, ferebat, ejuſque uſuram ab eo poſtulabat. Si de prædio lis eſſet, actio nuncupabatur *χωρίου δίκη*, aut *καρποῦ δίκη*, quia fructus illius prædii exigebantur. Si accuſator adverſarium in utravis lite viciſſet, alteram actionem illi inſcribebat, qua domum aut prædium tanquam partem ſuorum bonorum ſibi vendicabat, qua de cauſa appellata eſt *οὐσίας δίκη*. Quibus peractis, ſi poſſeſſor legitimo hæredi bona reddere pervicaciter recuſaret, tertia actio, quæ vocata eſt *ἐξούλης δίκη*, ab *ἐξέλλω ejicio*, in eum inferebatur; quod actor eſſet *ἐξελλόμενος, καὶ ἐξειργόμενος, καὶ κωλυόμενος*, quo minus poſſeſſiones ſuas adiret: nam *ἐξούλη* eſt actio *ἐξειργομένου κατὰ τοῦ ἐξείργοντος*, & dicitur de quavis actione, qua quis reſtitui petit ad ſuum, a quo *ἐξέλλεται*, *ejectus eſt*. *Δίδωσιν ὁ νόμος δικάζεσθαι ἐξούλης, καὶ περὶ ἀνδραπόδου, καὶ παντὸς οὗ φησί τις αὐτῷ μετεῖναι.* Suidas.

Βεβαιώσεως δίκη erat actio, qua emptor venditorem ad pacta præſtanda adigebat, quæ prius dato arrhabone contracta fuiſſent.

Εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν δίκη dicebatur actio, qua inquiſitio fiebat de re quadam concelata, ex. gr. de rebus furto ſubductis.

Εξαιρέσεως δίκη inſcribebatur ingenuo civi, qui ſervum in libertatem aſſerere moliebatur invito hero.

Απροστασίου δίκη ferebatur in advenas, qui patronum eligere negligebant; quo de more alibi egimus.

Αποστασίου δίκη ab hero vel patrono clientibus, cujuſmodi liberti, qui officia debita præſtare nollent, inſcribebatur.

Αφορμῆς δίκη dicebatur de nummis trapezitis concreditis, quibus antiquiores Athenienſes *ἀφορμῆς*, recentiores vero *ἐνθήκης* nomen tribuebant.

Αφεσις erat actio, qua quis obæratus de parte debiti remittenda apud populum inſtabat, obtendens ſe ſolvendo minime parem eſſe.

Ψευδομαρτυριῶν δίκη erat in falſos teſtes.

Κακοτεχνιῶν δίκη inſcribebatur illis, qui falſos teſtes ſubjecerant.

Λειπομαρτυρίου δίκη ferrebatur in eos, qui promiſſum teſtimonium præſtare non poterant.

Variæ aliæ actiones occurrunt apud veteres Scriptores, quarum quaſdam alibi tractavi, reliquarum vero nomina omnibus ita nota ſunt, ut inutile duxerim illas ſigillatim exponere; quales erant *βολίτου δίκη*, *ἀγεωργίας δίκη*, &c. Vid. Heſychius, Harpocration, Suidas, Pollux, Ulpianus *in Demoſthenem*, Sigonius *de Repub. Athen.* & Rouxæus in *Arch. Att.* iidemque in his capitibus ſunt conſulendi.

CAP.

CAP. XXV.

De pœnis ac remunerationibus apud Athenienses.

Usitatissimæ & notissimæ pœnæ, quibus rei Athenis plectebantur, hæ fuere.

Ζημία, quæ etsi latiori ac generaliori sensu pro quavis pœna sæpius usurpetur, nihilominus strictiori significatione non raro sumitur pro mulcta pecuniaria, quæ reo pro ratione delicti irrogabatur.

Ἀτιμία, *ignominia* vel *infamia* dicitur, qua reus ab omni munere, causis in foro dicendis, aut suffragio in publicis conventibus ferendo excidebat, necnon quibusvis privilegiis liberi civis, quæ ei jus in Republica administranda conferebant, exuebatur. Ex his sceleratis (ut tradit Aristophanis Scholiastes *in Ranas*) quoslibet triremibus damnabant, cui servituti captos in bello addicere solebant, prout scribit Plutarchus in *Lysandro*. Porro tria genera ἀτιμίας numerantur. 1. Quando vir infamis bona sua possidebat, certis tamen privilegiis, quæ reliqui cives habebant, arcebatur: ut si quis Tyranno dominium exercente jussus sit exire ex urbe, aut prohibitus concionem habere ad populum, navigare ad Ioniam, aliamve certam regionem. 2. Cum omni civitatis jure, tam sacro, quam profano, excidit, & bonorum publicationem patiebatur: quales erant, qui inter ærarios publicos relati fuerant, donec nomina sua expunxerint. 3. Demum infamiam passi ὁλόκληρον ἠτιμῶντο, qui quamvis in bonis suis essent, tamen omni civitatis jure, sacro pariter ac profano, excidebant, itemque eorum liberi, & posteri: quod genus infamiæ luebant furti, perjurii, aliorumque gravium criminum convicti. Andocides *de Mysteriis*.

Δουλεία, *servitus*, erat pœna, qua reus in servitutem redigebatur. Nemini, nisi ἀτίμοις seu *infamia notatis*, inquilinis, ac libertis infligebatur; una enim ex Solonis legibus cautum erat, ne quis ingenuus civis in morem servi exciperetur.

Στίγματα nulli præterquam servis aut profligatissimis reis raro inurebantur; de qua pœna superius plura dixi.

Στήλη erat (ut vox ipsa sonat) columna, in qua rei crimen majusculis litteris inscriptum legebatur. Qui derisioni ac conviciis omnium hunc in modum exponebantur, vocati sunt στηλῖται. Unde στηλιτευτικὸς λόγος usurpatur pro quavis invectiva, aut oratione, qua quis traducebatur.

Δεσμὸς erat pœna carceris vel vinculorum. Carcer leniore nomine dicebatur οἴκημα, sive *domus*; Athenienses enim quidquid durum erat meliori ac suaviori appellatione mitigare atque minuere solebant, ex. gr. scortum ipsis erat ἑταίρα, *amasia*; taxationes nuncupabantur *census*; milites præsidiarii, *custodes*; illudque primo a Solone inventum, qui redemptionem populi a debitis σεισάχθειαν, id est, *excussionem jugi*, vocari voluit, refert Plutarchus in *ejus Vita*. Athenis triplex carceris genus fuisse scribit Plato *de Leg. lib.* x. Primus erat foro vicinus, in quem debitores aliique conjiciebantur, ne aufugerent. Secundus vocabatur σωφρονιστήριον, id est, *ergastulum*. Tertius situs erat in loco deserto ac solitario, in quo compingebantur capite plectendi. Unus ex eorumdem carceribus appellabatur νομοφυλάκιον, & porta, qua rei ad supplicium educebantur, Χαρώνειον a Charone inferorum portitore dicebatur. Ad carceris fores erecta erat imago Mercurii, illius loci numinis tutelaris, quod vocabatur στροφαῖος, ab στροφεὺς, hoc est, *cardo*.

Vinculorum varia erant genera, quorum notatu maxime digna hæc sunt.

Κύφων, collare vulgo ligneum, sic denominatum a κύπτω, *incurvo*, quia rei caput incurvabat. Illud pœnæ genus dicitur κυφωνισμὸς, unde res aut personæ, a quibus damnum infertur, non raro κύφωνες nuncupantur, juxta Aristoph. Scholiast. *in Plutum*. Item Hesychius: Κύφων ἐπὶ πάντων δισχερῶν καὶ ὀλεθρίων. Ab aliis vero dicitur χλοιὸς, vel χλοιὸν, aut χολοιὸς, a κλείω, *claudo*, quia rei collum eo includebatur. Quidam inter Grammaticos referunt collum, manus, & pedes una in illo constricta fuisse, idcirco verosimilius est idem fuisse ac ξύλον πεντεσύριγγον, hoc est, *lignum quinque foraminum*, quod a Polluce memoratur, videturque proxime ad pœnam accedere, quæ in militia obtinet, cum rei collum pedesque una vinciuntur. Aristophanes illud vocat ξύλον τετρημένον, ut nos docet ejus Scholiastes ad hæc verba *Lysistr. pag.* 862. *Edit. Amstelod.*

> —— τὰς δ' Ἀμαζόνας σκόπει,
> Ἃς Μίκων ἔγραψεν ἐφ' ἵππων μαχομένας τοῖς ἀνδράσιν.
> Ἀλλὰ τούτων χρῆν ἁπασῶν ἐς τετρημένον ξύλον
> Ἐγκαθαρμόσαι λαβόντας τουτονὶ τὸν αὐχένα.
> —— *Amazonas autem adspice,*
> *Quas Micon pinxit super equos pugnantes cum viris.*
> *Sed harum oportet omnium ad perforatum lignum*
> *Adaptare, postquam comprehenderint, hanc cervicem.*

Πανσικάπη, machina erat rotunda, cui collum inferebatur, ut manus ori admoveri non possent.

Χοῖνιξ erat cippus, quo pedes vel crura constringebantur, ut discimus ex Aristoph. in *Pluto Act.* II. *Scen.* I. ubi de impudente ac protervo servo loquens hæc habet:

> —— αἱ κνῆμαι δέ σου βοῶσιν
> Ἰοὺ ἰού τὰς χοίνικας καὶ τὰς πέδας ποθοῦσαι.
> —— *crura autem tua clamant*
> *Heu, heu: compedes & pedicas exposcentia.*

Huic pœnæ non multum absimilis fuisse videtur ποδοκάκη, ποδοκάκκη, aut ποδοστράβη, aliquando dictum ξύλον, a ligno, ex quo conficiebatur, secundum Aristoph. Scholiast. *in Equites*. Verum in hoc distinguuntur ποδοκάκκη & ποδοστράβη, quod posterior sit genus tormenti, quo pedes vincti torquebantur: ποδοκάκκη autem sit simplex δεσμὸς τῶν ποδῶν, *pedum vinculum*, sine membrorum luxatione, aut extensione. Non ausim tamen affirmare, quod hæc differentia perpetuo observata sit. Vid. Ulpian. *in Timocrateam*, Hesychius, Suidas.

Σανὶς erat lignum, cui sons alligabatur, quemadmodum videre est apud eundem Comicum in *Tesmoph. pag.* 804. *Edit. Amstelod.*

> —— δῆσον αὐτὸν εἰσάγων,
> Ὦ τοξότ', ἐν τῇ σανίδι. ——
> —— *liga ipsum, cum introduxeris,*
> *O lictor, asseri.* ——

Et paulo post *ibid. pag.* 806.

> —— γυμνὸν ἀποδύσαντά με
> Κέλευε πρὸς τῇ σανίδι δεῖν τὸν τοξότην.
> —— *nudum exuentem me*
> *Jube ad asserem ligare lictorem.*

Præter illa, quæ memoravimus, pœnarum genera, plura alia apud Auctores reperiuntur, quæ

ſingula recenſere & tedium crearet & inutile foret.

Φυγὺ erat perpetuum exilium, quo ſons omnibus bonis ſuis exuebatur, quæ ad haſtam locata divendebantur, & ex patria ſine ſpe reditus expellebatur, niſi ab illo magiſtratu, qui eum in exilium pepulerat, domum revocatus; quod ſæpiſſime contingebat. In hoc autem differebat φυγὴ ab ὀςρακισμῷ, quod eo reus exilio decem annorum tantum damnabatur, quibus elapſis domum repetere ac bonis, quæ tandiu intacta ſervabantur, iterum frui, exulibus licebat, juxta Ariſtophan. Scholiaſt. *in Equit.* & *Veſp.* Inſtitutus fuit non tam in pœnam rei, quam ut leniretur & ſedaretur invidorum hominum inſania, qui viris virtute atque heroicis factis inſignibus deprimendis operam dabant, & ut illa infamiæ nota ipſis inuſta illorum malevolorum livor partim pelleretur. Hipparchum Cholargium, Tyranno cognomini cognatum, hanc pœnam primum ſubiiſſe narrat Plutarchus. Euſtathius vero *ad Iliad.* I. ab antiquoribus ſæculis, imo a Theſei temporibus, illud repetit, quem ex Theophraſto ac Pauſania primum illa pœna plexum fuiſſe tradit. Heraclides *lib. de Republ.* oſtraciſmi inventorem Hippiam Tyrannum Piſiſtrati filium contendit. Photius *Excerptis ex Ptolem. Hephæſt. lib* VI. ad quemdam Achillem Lyconis filium illud inventum refert, Ælianus vero *Var. Hiſt. lib.* XIV. *cap.* XXIV. ad Cliſthenem, quem illa pœna primum affectum fuiſſe præterea *ibid.* afferit. Nemini, niſi præclaris viris, infligebatur; Demetrius Phalereus (ut tradit Plutarchus) ſolos divites illa pœna damnatos fuiſſe probare conatur, quo argumento utitur ad Ariſtidis opulentiam demonſtrandam, (quem amplis facultatibus gavisum fuiſſe vult, etſi plerique Scriptores in contrariam ſententiam abeant) quia, inquit ille, oſtraciſmo in exilium pulſus fuit. Scriptor vero noſter aliter ſentit, nec immerito, quia viri, fama, genere, divitiis, eloquentia cæteros antecellentes, & vulgi invidiæ objecti, oſtraciſmo obnoxii erant, ita ut ipſe Damon Periclis præcepto per eundem exilio damnatus fuit, quia ingenio præter ominum vulgus pollere videbatur. In poſterum cum abjecti, obſcuri, ac profligati nebulones huic judicio ſubjicerentur, ab illo omnino deſueverunt; Hyperbolus enim oſtraciſmi ſanctione ultimus in exilium abiit. Iſte Hyperbolus erat malæ famæ tenebrio, qui omnibus Comœdographis contemporaneis materiam pro ſatyricis invectivis ſubminiſtrabat; quidquid autem de ſe ipſo diceretur, non curabat, & ut fama, ita infamia non tangebatur; nemo illum amore nec exiſtimatione proſequebatur, ſed illo pro neceſſario inſtrumento populus frequentiſſime utebatur ad viros auctoritate ac fama præclaros defamandos & conviciandos. Cauſa ſui exilii hæc fuit: Alcibiades, Nicias, & Phæax tunc temporis varias factiones fovebant, quarum ſingulæ imperium in civitatem exercentes invidiam inferiorum civium incurrebant, qui ſuadente Hyperbolo in quorumdam illorum exilio decernendo acres ſe geſſerunt. Cum Alcibiades periculum, in quo verſabantur, cognoviſſet, conſilia vel cum Nicia, vel cum Phæace (non enim inter Scriptores convenit uter fuerit) communicavit, atque res ita diſpoſuit, ut diverſis factionibus confœderatis oſtraciſmus in Hyperbolum incautum caderet. Idcirco populus illud ægre ferens, quaſi injuria ei illata fuiſſet, hujuſmodi judicium omnino abrogavit. Ut paucis dicam, oſtraciſmus hunc in morem peragebatur. Singuli acceptum ὄςρακον, ſeu *teſtam*, deferebant in certum mercatus locum ligneis cancellis circumſeptum, qui decem portis juxta numerum decem tribuum patebant, illarum enim unaquæ per portam ſibi propriam intrabat. His peractis, Archontes teſtas in toto numerabant, ſi enim pauciores ſex millibus forent, oſtraciſmus irritus erat; deinde ſingulorum nominibus ſepoſitis, illum, cujus nomen in majore teſtarum parte inſcriptum reperiebatur, exilio decem annorum ſalvis ejus bonis damnabant. Vid. Plutarchus in *Ariſtide*, *Alcibiade*, *Nicia*, & *Themiſtocle*. Hoc pœnæ genus non raro dicitur κεραμεικὴ μάςιξ, a κέραμος, quia ὄςρακα erant teſtæ argillaceæ, quibus populus ſuffragia ferebat, ex Heſychio in *Voc.* Οςρακον. Idem mos obtinebat Argis, Megaræ, ac Mileti, ſecundum Ariſtoph. Scholiaſt. in *Equites*; præterea Syracuſanorum πεταλισμὸς tertio anno octuageſimæ ſextæ Olympiadis eumdem in finem inſtitutuss fuit; ſed ab oſtraciſmo in hoc differebat, quod exilium hoc judicio ſancitum ad quintum annum tantum durabat, & pro ὀςράκοις in ſuffragiis ferendis πέταλα ſeu *folia*, utplurimum oleæ, adhibebant, ut nos docet Diodorus *lib.* XI.

Θάνατος, ſive *mors*, ſontibus inferebatur variis modis, quorum hi præcipui.

Ξίφος, quo reus obtruncabatur.

Βρόχος, quo ſontis gula laqueo frangebatur in morem Turcarum, aut ipſe ſuſpendebatur, prout apud noſtrates obtinet; quod autem illud pœnæ genus antiquiſſimum ut & probroſiſſimum fuerit, patet ex Homero, apud quem Ulyſſes & Telemachus illos, qui Penelopes nobilius procis manus auxiliares præbuerant vulgari morte plectentes inducuntur; ſed ancillas, quæ eorum libidini paruerant, ſuoſque heros ludibrio ac deſpicatui habuerant, ut graviori crimine reas ſuſpendi jubent; cujus pœnæ modus apud eumdem Poetam *Odyſſ.* χ. *verſ.* 465. his verbis deſcribitur:

— καὶ πεῖσμα νεὸς κυανοπρώροιο
Κίονος ἐξάψας μεγάλης, περίβαλλε θόλοιο
Υψόσ' ἐπεντανύσας, μή τις ποσὶν οὖδας ἵκηται.
Ως δ' ὅτ' ἂν ἢ κίχλαι τανυσίπτεροι ἠὲ πέλειαι
Ερκει ἐνιπλήξωσι, τὸ θ' ἑστήκει ἐνὶ θάμνῳ,
Αὖλιν ἐσιέμεναι, συγερὸς δ' ὑπεδέξατο κοῖτος.
Ως αἵ γ' ἑξείης κεφαλὰς ἔχον, ἀμφὶ δὲ πάσαις
Δειρῇσιν βρόχοι ἦσαν, ὅπως οἴκτιςα θάνοιεν.
Ησπαιρον δὲ πόδεσσι μίνυνθά περ, οὔτι μάλα δήν.

— & funem navis cæruleam proram habentis
Ex columna cum ſuſpendiſſet magna, circumjecit tholo
Alte cum extendiſſet, ne qua pedibus ſolum tangeret.
Sicut autem quando vel turdi pandis alis vel columbæ
In ſepto ſeſe conquaſſant, quod ſtat in frutice to,
Caſtra intrantes, odioſum autem ſuſceptum eſt cubile:
Sic hæ ordine capita habebant, circum vero omnia
Colla laquei erant, ut miſerrime morerentur.
Tremebant autem pedibus paululum, nec multum diu.

Φάρμακον, *venenum*, cujus varia erant genera; maxime vero uſurpabant ſuccum κωνείυ, *cicutæ*, non multum abſimilis herbæ Anglice dictæ *hemlock*, quæ ob ſummam frigiditatem venenoſa eſt, cujuſque hauſtu enecatus eſt Socrates, ut canit Perſius *Sat.* IV. *verſ.* I.

Rem populi tractas, barbatum hoc crede Magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutæ.

Κρημνὸς, *præcipitium*, unde reus præceps detrudebatur.

Τύμπανα, vel τύπανα, erant fuſtes lignei, qui-

bus malefactores ad mortem uſque cædebantur, (ut nos docent Ariſtoph. Scholiaſtes *in Plutum*, Suidas, Heſychius, Etymologus, Pollux & ubique in capite) ſuſpenſique alligabantur palo, qui vocabatur τύμπανον, ideoque τυμπανίζεται a Suida & Etymologo exponitur κρέμαται, & ἐτυμπανίσθησαν ἐκρεμάσθησαν ab Heſychio; vanum enim ac ridiculum videtur illud patibuli genus fuiſſe inde colligere; nec magis probatur eorum ſententia, qui exiſtimant illud fuiſſe tormenti genus, quo reus diſtendebatur tympani inſtar, quod a Græcis nuncupatur τύμπανον, idemque fuiſſe ac Romanæ fidiculæ, quæ erant funiculi, quibus ſontes ſuper tormento diſtendebantur; videntur autem Græcorum χοίνοις, qui in ſupplicio χοινισμῷ dicto adhibebantur, non abſimiles fuiſſe.

Σταυρὸς, *crux*, (cujus Thucydides *lib.* I. meminit) in uſu fuit apud Græcos, ſed multo frequentiore Romæ: conſtabat ex duobus lignis ſeſe tranſverſim ſcindentibus, figuram autem litteræ T referebat, teſte Luciano in δίκῃ φωνηέντων, niſi quod crucis tranſverſum lignum paululum infra cacumen recti ligni infixum hærebat. Reus vibiæ ſuſpendebatur, eique pedes clavis affigebantur, manus vero varæ.

Βάραθρον erat foſſa profunda ad tribum Hippothoontida pertinens, in quam damnati præcipitabantur; aliquando dicitur ὄρυγμα, unde carnifex nomen accepit ὁ ἐπὶ τῷ ὀρύγματι. Erat tenebroſus fœtidusque locus, cujus introitu infixi erant aculei acuminati, quorum aciem nemo damnatorum effugere poterat, alii vero fundo impacti erant aculei, quibus ſontes infixi miſere cruciabantur, juxta Ariſtophanem in *Pluto* ejuſque Scholiaſtem. A profunditate & capacitate natum eſt proverbium de avaro aut lurcone, quorum appetitus nunquam ſatiatur; cujuſmodi apud Latinos ille Barathro, de quo Lucretius *lib.* III.

Aufer ab hinc lachrymas, Barathro, & compeſce querelas.

Et Horatius *lib.* I. *ſat.* II.

Mendici, mimæ, barathrones, hoc genus omne.

Huic loco non abſimilis fuit Lacedæmonum καιάδαρ, in quem Ariſtomenes Meſſenius dejectus mirum in modum mortem effugit, ut refert Pauſanias in *Meſſeniacis*.

Λιθοβολία, ſive *lapidatio*, vulgare erat ſupplicium, quo apud antiquiores Græcos, qui in ipſo adulterio deprehendebantur, plecti ſolebant, prout nos docet Homerus *Iliad.* γ. *verſ.* 57. ubi Hector inducitur Paridem his verbis alloquens:

Λαΐνον ἕσσο χιτῶνα, κακῶν ἕνεχ' ὅσσα ἔοργας.

Lapideam indutus fuiſſes tunicam, ob mala, quotquot patraſti.

Varia alia erant ſuppliciorum genera, quæ pro certis criminibus ſontibus infligebantur; ex quibus quædam ſuo loco tractabo.

Ut a legibus ſeveræ pœnæ in reos decernebantur quibus cæteri homines a malis moribus, flagitiis, & turpibus inhoneſtiſque moliminibus abſterrerentur; ita ampla præmia illis, qui demeruerant, conferebantur, quo alii ad virtutem & honeſta facta, necnon ad glorioſa facinora accenderentur; ab utriuſque æqua juſtaque retributione ſalutem Reipublicæ imprimis pendere exiſtimabat Solon, ſecundum Ciceronem *Epiſt. ad M. Brutum.* Præter enim publica præmia atque munera, ad quæ inferioris ordinis hominibus promoveri ſperare licebat in Hegine Democratico, ſi unquam præclare geſtis de populo bene meriti fuiſſent, varia alia erant præmia, quibus donabantur condigni, inter quæ eminent ſequentia.

Προεδρία, id eſt, privilegium in ſpectaculis, ludis, conviviis, aut publicis concionibus primum locum occupandi, atque advenientibus, qui hoc honore inſigniti fuere, cæteri aſſurgentes loco cedebant, ſecundum Ariſtoph. in *Equitibus*, ejuſque Scholiaſtem, & Suidam.

Εἰκὼν intelligitur præmium, cum cujuſdam viri imago aut ſtatua in arce, foro, aliiſve locis publicis erigebatur, ut nos docent Demoſth. *de falſa Legat.* aliique. Hujuſmodi autem virtutis monumenta Athenis plura exſtitiſſe quam ulla alia in toto terrarum orbe civitate, cuivis illorum accuratam deſcriptionem apud Pauſaniam attente legenti omnino patebit.

Στέφανοι, *coronæ*, aut populi ſuffragio in publicis concionibus, aut a Senatoribus in Senatu, aut a contribulibus in ſua tribu, aut a δημόταις in ſuo δήμῳ (*pago*) donabantur. Verum ne ipſi populo alibi quam in concione, aut Senatoribus quam in ſenaculo, coronam dare licuit; idque veteri quadam lege, cujus ratio erat, ut qui eum honorem obtinebant, ἀγαπῶσιν ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τιμώμενοι ὑπὸ δήμου, *contenti eſſent ſuæ civitatis opinione*: ideo vetitum erat tam Populo & Senatui, quam contribulibus & pagi ejuſdem incolis, in theatro & ludis publicis, quibus ingens ex univerſa Græcia multitudo intereſſe ſolebat, cuiquam coronam decernere, & ſi quis præco datam a ſua tribu coronam tunc publice renunciaret, ignominia notabatur. Tamen hoſpitales coronæ civibus Athenienſibus ab exteris civitatibus donabantur in theatro & ludis, ſi id ſciviſſet populus Athenienſis, cui ſupplicare tenebantur iſtarum civitatum legati: quo tempore corona donandi examen ſubibant, & vitæ ſuæ, an honeſte & temperanter acta eſſet, rationes reddebant. Hæc autem corona Minervæ ſacra erat, quæ vero a civibus ſuis dabantur, domi aſſervatæ ſunt, poſteris ſuis monumentum, quo ad patriæ & avorum virtutem imitandam excitarentur. Vid Æſchines *in Cteſiphontem*. Sed de illis, quia pleraque iis, qui in bello præclare ſe geſſerant, conferebantur, ut & de aliis præmiis militaribus, alio loco dicam.

Ἀτέλεια erat immunitas ab omnibus publicis muniis, vectigalibus, ac tributis, niſi illa excipias, quæ in bellis gerendis inſumebantur, a quibus nemo liber erat; cui adjicere poſſis pecuniam inſtruendis triremibus deſtinatam, a qua nemo erat immunis, exceptis Novemviris. Etſi illud præmium rariſſime collatum fuerit, attamen non deſunt exempla, præſertim Harmodii & Ariſtogitonis familiarum, quæ pluribus ſæculis illo honore gaviſæ ſunt. Vid. Demoſthenes *Orat. in Leptinem*, ejuſque Interpres.

Σιτία, παρασιτία, σίτησις ἐν Πρυτανείῳ, erat alimentum, quod iis, qui de Republica bene meriti erant, ex Prytaneo ſuppeditabatur; quales ſpeciatim erant qui publicas legiones cum laude obiiſſent. Porro veteri lege cautum a Solone, (ut in *ejus Vita* memorat Plutarchus) ne quis in Prytaneo ſæpius pranderet. Tamen poſtea mutata fuiſſe hæc lex videtur: nam multi ἀείσιτοι fuerunt, ut Julii Pollucis vocabulo utar; iſque honos interdum hæredes ſequebatur, quod Demoſthenis meritis tributum fuiſſe legimus, cujus cognati in Prytaneum admiſſi ſunt Gorgia Archonte. Vid. Plutarchus in *Demoſthene*. Quinetiam fœminis a claris viris oriundis id conceſſum eſt; ut ab exemplo Polycrites Ariſtidis neptis colligi poteſt. Plutarchus in *Ariſtide*. Porro maximum fuiſſe hunc honorem docet Cicero *lib.* I. *de Oratore*: *Cum*

(inquit) *interrogatus Socrates esset, respondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus & præmiis decoraretur, & ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice præberetur, qui honos apud Græcos maximus habetur.* Illud præmium integris familiis pro majorum præclare gestis conferebatur, exemplo sint familiæ Hippocratis, Harmodii, & Aristogitonis. Cibus, quo vulgo alebantur, erat placentæ aut farciminis genus dictum μᾶζα, nisi quod diebus festis panis ipsis subministrabatur; quo instituto Heroas Homericos imitatum fuisse Solonem ex Athenæo discimus *Deipnosoph. lib.* IV. Σόλων δὲ τοῖς ἐν Πρυτανείῳ σιτουμένοις μᾶζαν παρέχειν κελεύει, ἄρτον δὲ ταῖς ἑορταῖς παρατιθέναι. μιμούμενος τὸν Ὅμηρον, καὶ γὰρ ἐκεῖνος τοὺς ἀριστέας συνάγων πρὸς τὸν Ἀγαμέμνονα, Φύρετο δ' ἄλφιτα, φησίν. *Solon autem iis, qui in Prytaneo alebantur, placentam præbere jubet, panem vero diebus festis apponere: imitans Homerum, etenim is proceres congregans apud Agamemnonem,* Commiscebatque farinam, *inquit.* Leg. Demosthenes *loc. cit.* Pollux *lib.* IX. *cap.* V. Præter alia alimenta, decima pars intestinorum victimarum iisdem dicata erat, quam si quis persolvere omisisset, judicio Prytanum tenebatur, ut nos docet Aristophanes in *Equit. Act.* I. *Scen.* III.

> Καί σε φανῶ τοῖς Πρυτάνεσιν,
> Ἀδεκατεύτους τῶν Θεῶν ἱερὰς ἔχοντα κοιλίας.
> *Ac te referam Prytanibus,*
> *Non decimatos Deorum sacros habentem ventriculos.*

Id vero prætermitti non debet, quod ii præcipue publica cura protegendi, & ab injuriis vindicandi esse putabantur, quibus honos aliquis a civitate collatus fuisset: nam tradente Demosthene in *Midiana:* Ἐάν τινα τούτων, οἷς ἂν ἡ πόλις τινὰ ἄδειαν, ἢ στεφανηφορίαν, ἢ τινα τιμὴν δῷ, ὑβρίσῃ τις, ἢ πατάξῃ, ἢ κακῶς εἴπῃ, ἄτιμος ἔσω. *Si quis aliquem eorum, quibus civitas aliquam immunitatem, aut coronæ ferendæ jus, aut alium honorem concesserit, contumelia affecerit, aut pulsaverit, aut maledixerit, ignominiosus sit.* Ista enim totius civitatis esse injuria existimabatur. Multo plura addi possent de præmiis, quæ illis defunctis, qui pro Republica præclare se gesserant, in celebrandis funeribus & in illorum memoria religiose servanda, conferri solebant; sed de his alio loco dicam; unum tantum addam, non solum parentes, sed & posteros, suæ virtutis fructus percepisse; si enim illorum liberi paupertate premerentur, ex publico ærario utplurimum ipsis abunde provisum est; ex. grat. Aristidis ambæ filiæ marito elocatæ sunt ex Prytaneo, dote trecentarum drachmarum iis a civitate assignata. Nec mirum videri debet, (ait Auctor noster) si populus Atheniensis eorum, qui in urbe degebant, curam habuerit; cum enim audiissent Aristogitonis neptim in insula Lemno pauperculam jacere, & ob paupertatem fore ut marito careret, illam Athenas accersitam viro genere insigni elocarunt amplaque dote ornarunt. Cujus liberalitatis & humanitatis (inquit idem) civitas Athenæ hoc ipso sæculo varia dedit specimina, qua de causa in magna existimatione & admiratione merito habetur. Denique id notari dignum, quod quamdiu prisca Atheniensium virtus, morumque simplicitas mansit, multo difficilior erat honorum & præmiorum publicorum aditus; adeo ut, cum Milthiades Marathonia victoria Græciam a Barbaris conservasset, coronam obtinere non potuit; verum cum id honoris peteret, respondit ei quidam e turba, *Solum coronatum iri, quando solus vinceret.* Sed Aristophanis ætate mutata est rerum facies, sic enim ille sui temporis ambitionem perstringit *Equitibus Act.* I. *Scen.* III.

> —— καὶ στρατηγὸς οὐδ' ἂν εἷς
> Τῶν πρὸ τοῦ σίτησιν ᾔτησ', ἐρόμενος Κλεαίνετον·
> Νῦν δ' ἐὰν μὴ προεδρίαν φέρωσι, καὶ τὰ σιτία,
> Οὐ μαχεῖσθαί φασιν. ——
> —— *& ducum ne quidem unus*
> *Veterum victum petiit, orato Cleæneto:*
> *Nunc autem nisi primas sedes accipiant, atque cibaria,*
> *Non pugnaturos ajunt.* ——

Postea tempore Demetrii Poliorcetæ, & Demetrii Phalerei, quam facilis erat ad maximos honores ascendere, ex eorum historiis notissimum est. Vid Plutarch. in *Aristide*.

CAP. XXVI.

De Legibus Atheniensium.

JAmdiu a Tullio observatum est, maximam partem artium & inventorum, quæ vitæ humanæ moderandæ necessario desiderantur, originem debere Atheniensibus, a quibus ad cæteros Græ-manarunt, indeque ad alias remotas regiones in commodum generis humani pervenerunt. Sed ex omnibus inventis, quæ Atheniensibus tribuuntur, nullum hominibus magis proficuum existimatur institutione legum, quæ (ut Ælianus *lib.* III. *c.* XXXVIII & alii referunt) Athenis natæ sunt, quamvis alii Zaleuco Locrensi, aut Minoi Cretæ Regi, eum honorem tribuant. Vid. Clemens Alexandrinus *Strom. lib. pag.* 309. Cætera fere ingeniosa inventa humanæ vitæ tantum subsidia sunt, inventio vero legum est fundamentum civilis regiminis omnisque societatis inter homines ineundæ; iis enim magistratus edocetur rationem regiminis, populus vero obsequii; iisdem magistratuum auctoritas in populum asseritur, & populus securus manet ab arbitraria potestate injustisque magistratuum postulatis, ut & a fraude, vi & oppressione aliorum in alios.

Poetæ fabulantur Cererem usum legum Athenienses primam docuisse, in cujus beneficii memoriam instituta festa dicta Θεσμοφόρια, in quibus illa Dea colebatur sub nomine Θεσμοφόρου, cui optime respondet Latinum nomen *Legiferæ* apud Virgilium *Æneid. lib.* IV. *vers.* 57.

> —— *mactant lectas de more bidentes*
> *Legiferæ Cereri.* ——

Inde autem nata de Cereris legislatione videri possit opinio, quod illa fruges & agrorum culturam invenisse dicatur. Hinc cum in divisione agrorum jurgia orirentur, illa legibus datis hominum animos conciliavit & violentiam repressit: atque hujus instituti exemplo ducti homines cætera vitæ necessaria distribuere, & alia jura condere cœpisse putandi sunt.

Quædam ex legibus Triptolemi huic Deæ gratioli exstant, ac de illis alio in loco disserui. Sed Poetarum fabulis ac figmentis prætermissis, hoc unum certum liquidumque videtur, nimirum Athenienses legibus obsecundasse ante dissolutam eorum Monarchiam, prout collegi potest ex iis, quæ Plutarchus de Theseo refert, ubi legere est, Theseum, deposita suprema majestate, & forma Reipublicæ Athenis constituta, leges in novo regimine omnino custodiendas esse sanxisse, illudque pro magno privilegio habuisse.

Post Thesei tempora Draco, qui munus Ar-

chontis gerebat primo anno XXXIX. Olympiadis, Athenienſibus primus leges tulit, quas proprie dici θεσμοὺς, & nullam aliam ob cauſam quam ob immodicam ſeveritatem inſignes fuiſſe tradit Ælianus *Var. Hiſt. lib.* VIII. *cap.* X. iis enim quodvis leviſſimum delictum morte plectebatur, & qui pomum furatus erat, tam ſeverum judicium ſubibat, quam patriæ proditor. Sed hujuſmodi rigor non diu viguit, populo enim intolerabile jugum videbatur; quapropter etſi non penitus abrogatæ, nihilominus tacito conſenſu neglectæ ſunt.

Tandem Solon, qui Draconem excepit, illas omnes leges, exceptis iis, quæ de cæde ſancitæ ſunt, quæque dicuntur φονικοὶ νόμοι, abrogavit, acceptaque a populo poteſtate mutationes, quas vellet, inferendi, Rempublicam in novam formam compoſuit, ac multas proficuaſque & præſtantiſſimas leges tulit, quæ, ut a Draconis θεσμοῖς diſtinguerentur, vocatæ fuerunt νόμοι. Ne autem magiſtratu connivente leges ſuæ in neglectum adducerentur, prout acciderat legibus prædeceſſoris, Senatum ad illas cuſtodiendas ſolenni jurejurando obſtrinxit, ſinguloſque Theſmothetas eo adduxit, ut, ſi quis eorum quoddam ex ſuis ſtatutis violaſſet, Apollini Delphico ſtatuam auream ejuſdem cum corpore ſuo craſſitiei ſe dicaturum voveret, populumque ad illas præſtandas per ſpatium centum annorum obligavit. Vid. Plutarchus in *Solone*, Diogenes Laertius, Ælianus *loc. cit.*

Sed quidquid providerat Solon, ab exlegum & ambitioſorum hominum moliminibus ſuas leges tueri non valuit; brevi enim tempore elapſo Piſiſtratus populi gratiam adeo iniit, ut Democratia, quam Solon inſtituerat, abrogata ſupremam majeſtatem conſequeretur, quam filiis tranſmiſit, qui per aliquot annos eam ſervarunt; & quamvis ipſum Piſiſtratum, ejuſque filios patre defuncto, Solonis legibus utcumque paruiſſe ſcribat Plutarchus in *Solone*, nihilominus ejuſdem ſtatutis morem gerebant non ulla vi legum obligatoria, ſed potius videntur illa habuiſſe pro ſanis ac proficuis conſiliis, a quibus recedebant quandocumque ipſorum commodo aut propoſito adverſari illas deprehenderent.

Piſiſtrati familia ex Attica pulſa, Solonis legum inſtaurationem ſuſcepit Cliſthenes, atque plures novas leges tulit, juxta Herodotum, Plutarchum in *Pericle*, Iſocratem *Areopagitica*, quæ viguerunt uſque ad belli Peloponneſiaci tempora, cum regiminis forma primo a quadringentis Viris, & deinde a triginta Tyrannis immutata eſt. Illis turbis pacatis, antiquæ leges inſtauratæ ſunt Archonte Euclide, aliæque ſancitæ ſuadentibus Diocle, Ariſtophonte, cæteriſque viris in civitate principibus. Tandem Demetrius Phalereus, accepto a Macedonibus ſummo Athenarum imperio, plurimas novas ſed præſtantiſſimas & non contemnendas leges conſtituit, ex Plutarcho in *Ariſtide*. Hi præcipui Athenienſium legislatores, antequam Romanum jugum ſubiiſſent, eſſe videntur; duo alii, nimirum Thales, & Æſchylus, a nullo vetere Scriptore, præter Suidam, memorantur.

Præter recenſitas leges, plures aliæ ſuffragiis populi latæ ſunt Athenis nata occaſione ac urgente neceſſitate; tacebo enim ψηφίσματα τῆς βουλῆς, id eſt, *ſenatusconſulta*, quia pro conſtitutis atque fixis legibus minime habebantur, ſed ſimpliciter pro edictis, quæ cum majore auctoritate quam Senatus placito, cujus poteſtas ad annum tantum durabat, non ſancitæ fuiſſent, quo elapſo omnem vim legis mittebant. Leges ferendi ratio hæc uit: Cum quis aliquid excogitaſſet, quod in com-

A modum Reipublicæ verſurum iri exiſtimabat, illud primo Prytanibus exponebat, qui erant certi Præfecti ad omnia conſilia, quæ ad Rempublicam ſpectabant, audienda conſtituti; deinde convocato Senatui illud proponebant Prytanes, quod poſt maturam deliberationem reſpuebatur, ſi inutile aut damnoſum, ſin vero proficuum cenſeretur, admittebatur, tuncque dicebatur προβούλευμα. Quibus peractis Prytanes tabellæ inſcribebant quod pro lege ſanciendum erat; tempus autem, quo populus in publicam concionem ad illud dirimendum conveniret, vocabatur πρόγραμμα. Haud tamen Prytanes, quæ fuiſſent a ſe approba-

B ta, populo ſtatim proponebant, ſed reſervabant ad id uſque tempus, quo leges in quæſtionem vocari ex veteri more ſolebant: quod vocabant ἐπιχειροτονίαν νόμων, quæ paulo poſt deſcribetur.

Nulla lex cœtui proponi licebat, niſi prius tabellæ inſcripta & aliquot dierum ſpatio ob oculos omnium ſtatuis Heroum, qui nuncupabantur ἐπώνυμοι, affixa fuiſſet, ut, quid proximo conventu in medium proferendum eſſet, omnes cives legere ac de illo judicium maturius ferre poſſent. Concione congregata decretum legebatur, de quo aut qualibet ejus clauſula mentem aperire cuivis

C fas erat; ſi autem poſt debitum examen populus illud incommodum pronunciaret, rejiciebatur, ſin vero approbaretur, abibat in ψήφισμα vel νόμον, quæ (ut nos docent Demoſthenes ejuſque Enarrator Ulpianus *in Leptinem* alibique) eadem erant quoad vim obligatoriam, ſed in hoc diverſa, quod νόμος generalis æternaque lex eſſet, ψήφισμα vero ad tempus, locum, cæteraſque circumſtantias peculiarius reſpiciebat. Verum leges ferendi ratio paulo poſt accuratius tradenda eſt.

Nemo niſi magna cum cautela & antiquiorum legum ſtatutorumque perfecta cognitione quid novi in medium proferre vix ſuſtinebat, quia in ma-

D gnum diſcrimen adducebatur, ſi, quod propoſuiſſet, cum populi moribus ac genio non conveniret. Eudemus Cydathenienſis hac de cauſa vitam amiſiſſe populique furori immolatus fuiſſe refertur. Hujuſmodi ſeveritati non multum abſimile Zaleuci Locrenſis legislatoris ſtatutum, quo ſancitum eſt, ut, qui novam legem ferendam aut antiquam abrogandam proponere vellet, laqueo ob collum alligato in cœtum veniret, tuncque argumenta adduceret, quibus aſſertum firmaret, quæ ſi probarentur, quod in medium protulerat, ratum habebatur; ſecus, illico ad ſupplicium rapiebatur. Nihilominus Athenienſes in quem-

E quam tanto rigore uti minime ſoliti erant, niſi neceſſitate urgente, cum levis plebecula inſolito furore ac impetu abriperetur, ut Eudemo obtigit; verum enimvero, ſi quis legem, quæ Reipublicæ damno foret, conſtituiſſet, illum in jus vocare & ad examen adducere intra anni ſpatium fas erat, ſed ſi illum diutius ſiviſſent, a lege ſecurus erat. Cauſa autem dicta παρανομίας γραφὴ ob tranſgreſſam legem eidem inſcribi licebat, præſertim ob iſtas rationes; 1. Si ſuum conſilium debito tempore notum facere neglexiſſet. 2. Si verbis ambiguis atque doloſis illud propoſuiſſet. 3. Si quid legi-

F bus antiquis ac ſtatutis contrarium in medium protuliſſet; idcirco ſi quam veterum legum iis, quæ proponere ſtatuerant, adverſantem deprehendiſſent, illud ſemper caverunt, ut ante omnia abrogaretur. Nomen illius, qui accuſabatur, quod legem rogaret παράνομον, vel ἀνεπιτήδειον, ad Theſmothetas deferebatur, qui ipſum in judicium vocabant. Pollux: Θεσμοθέται εἰσάγουσι τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς, καὶ εἴ τις μὴ ἐπιτήδειον νόμον γράψειε. *Theſmothetæ adducunt legum perperam latarum actiones, & ſi quis inutilem legem*

tulerit. Quamquam non omnes hujusmodi actiones apud Thesmothetas scriptæ videntur, verum pro ratione legis, in quam offensum esset, modo ad Archontem, modo ad Thesmothetas, modo ad reliquos (ut videtur) Novemvirorum deferebantur: singuli enim variis de criminibus cognitionem habebant, ut suo loco dictum est. Hinc dica Ctesiphonti ab Æschine scripta ad Chærondam Archontem delata est, cum is Demosthenem præter leges (ut pertendit Æschines) donasset. Quod si accusatus a judicibus condemnaretur, mulcta ipsi imponebatur (ut videtur) pro criminis gravitate: quam si non posset solvere, infamia notabatur. Et qui ter fuisset παρανόμων damnatus, B adeoque concionibus arcebatur: unde Antiphanes Sappho:

Πῶς; γὰ γένοιτ' ἂν, ὦ πάτερ.....
Ῥήτωρ ἄφωνος, ἢν μὴ ἁλῷ τρὶς παρανόμων,

Quomodo igitur contigerit, o pater.....
Delator mutus, nisi damnatus fuero ter legum perperam latarum.

Quod si accusator causa caderet, mulctabatur mille drachmis Demosthenes *Timocratea*: Ἐμοὶ δ' ἐν χιλίαις ὑπὲρ ὑμῶν ὁ κίνδυνος. *Ego vestra causa de mille* (drachmis) *pericliter*. Ubi Ulpianus: C Φησὶ γὰρ, ὅτι ἐὰν ἡττηθῶ, ὡς συκοφάντης παρέξω τὰς χιλίας. *Dicit enim, quod si succubuero, ut calumniator mille* (drachmas) *solvam*. Denique quamvis post annum elapsum non erat pœnæ obnoxius qui iniquam legem rogasset, tamen in judicium vocandus erat, ut legis suæ rationem redderet, ne quid inde Respublica detrimenti caperet. Argumentum Orationis *in Leptinem*: Ἐγράψατο μὲν πρότερον Βαθιππος Λεπτίνην, ὃς ἀπέθανε πρὶν εἰσελθεῖν τὴν γραφήν· κἆτα διετρίβη χρόνος, καὶ γέγονε Λεπτίνης ἀνεύθυνος· νόμος γὰρ ἦν τὸν γράψαντα νόμον ἢ ψήφισμα μετ' ἐνιαυτὸν μὴ εἶναι ὑπεύθυνον· ὅμως ἐπειδὴ καὶ ἔτι κατὰ τὸν νόμον ἐξῆν ποιεῖσθαι τὰς κατηγορίας, κἂν οἱ γράψαντες ἔξω κινδύνων ὦσι. *Primum quidem accusavit Bathippus Leptinem, qui mortuus est antequam causa in foro ageretur: & postea tritum est tempus, & Leptines factus indemnis: lex enim erat, ut auctor legis vel decreti post annum esset indemnis: tamen quoniam & sic ex lege licebat accusare, tametsi auctores legis indemnes essent*. Vid. iidem. Sed quia illa cautela adhibita impedire non poterat, quin novæ leges antiquis contrariæ sæpius sancirentur, statutum est, ut Thesmothetæ quotannis leges diligenter perlegerent, & si alteram alteri contrariam deprehenderent, populo proponebant, qui hoc in casu eadem methodo insistebant, ita ut altera legum irrita haberetur. Cæterum nemini fas erat aliquam legem abrogandam moliri, nisi novam in antiquæ locum substituendam proponeret.

Sed quia immutatis tempore aliisque circumstantiis immutari solent res ac statuta, quæ prius utilia, imo necessaria censebantur, nunc scena rerum immutata, nullius usus, imo incommoda noxiaque fiunt; a Solone decretum est, ut leges singulis annis accurate reviderentur ac perpenderentur, & si quæ statui rerum præsenti adversa deprehenderetur, abrogaretur, quod vocabatur ἐπιχειροτονία τῶν νόμων, ab elevatione manuum, quæ in suffragiis ferendis usuveniebat. Ecce morem, quo peragebatur: Die undecimo mensis Hecatombæonis, quando Prytanes primam statam concionem celebrabant, precibus juxta modum solitum coram concione a Præcone solenniter habitis, leges perlegebantur hoc ordine, primo quæ ad Senatum spectabant, deinde quæ ad A populum, postea ad novem Archontes, & sic de cæteris magistratibus. Quibus peractis, quæstio instituebatur, an leges jam sancitæ sufficerent Reipublicæ, necne, & si illas corrigi necessum duceretur, examen ad diem quartum mensis Metagitnionis differebatur, quo die ultima stata concio juxta primum ordinem Prytanum habebatur, prout leges in prima repetitæ fuerant. Cæterum θεσμοὶ aut *leges* ad hæc spectantes summo cum rigore servabantur, Prytanesque ac Proedri, si quid omissum deprehenderetur, severe plectebantur: in hoc enim θεσμὸς & νόμος differunt, quod θεσμός ἐςι νόμος πῶς δεῖ νομοθετεῖν. Vid. Libanius *in Argum. Leptineæ*. Primo die Metagitnionis alia concio congregabatur, in qua Proedri rem controversam populo proferebant, qui controversiam ipsemet non dirimebat, sed Nomothetas in suum locum subrogabat; hisque Nomothetis præscribi solebat tempus, pro legum examinandarum numero & difficultate, intra quod oporteret eos δοκιμάζειν καὶ κυροῦν τοὺς νόμους, ἢ ἀποχειροτονεῖν καὶ ἀποδοκιμάζειν, *comprobare ac confirmare leges, aut abrogare atque rejicere*: item quinque Oratores dicti Σύνδικοι, qui antiquas leges nomine populi defenderent, constituebantur. Porro grave erat crimen si Prytanes concionem celebrare neglexissent, ideoque mille drachmis mulctabantur: at si habita concione Proedri non retulerint legem ad populum, quadraginta solvebant: Ὅτι βαρύτερόν ἐστιν ὅλως τὸ μὴ συνάξαι τὸν δῆμον εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ μὴ ὑποβάλλειν. *Gravius est concionem omnino non habere, quam de hac vel illa re non referre*. Prytanum & Proedrorum nomina, qui sic deliquissent, jus erat cuivis ad Thesmothetas deferre: Thesmothetæ delatos in judicium Heliacum rapiebant, quod si secus fecissent, in Senatum Areopagiticum non poterant cooptari. Id ex lege constat: Καὶ ἐνδείξεις αὐτῶν εἶναι πρὸς Θεσμοθέτας· οἱ δὲ Θεσμοθέται τοὺς ἐνδειχθέντας εἰσαγόντων εἰς τὸ δικαστήριον κατὰ τὸν νόμον, ἢ μὴ ἀνιόντων εἰς Ἄρειον πάγον. Nomothetæ, auditis quæ Oratores pro legis antiquæ defensione in medium adduxerant, sententiam ferebant, quæ sequenti concione a populo rata habebatur. Tum lex auctoritate populi munita inscribi solebat parieti in regia porticu, ab omnibus conspicienda. Leg. iidem.

Solonis exemplo cæteri Atheniensium legislatores leges suas scripto mandarunt; qua in re a Lycurgo aliarumque Græciæ civitatum legislatoribus recedebant, qui leges mentibus civium quam tabellis, ubi in neglectum ac oblivionem adduci possent, inscribere tutius duxerunt, ut Plutarchus nos docet in *Vita Numæ Pompilii*: Πυρὶ μὲν οὐκ ἔδοσαν τὸν νεκρὸν, αὐτοῦ κωλύσαντος, ὡς λέγεται· δύο δὲ ποιησάμενοι λιθίνας σορὰς, ὑπὸ τὸν Ἰάνοκλον ἔθηκαν, τὴν μὲν ἑτέραν ἔχουσαν τὸ σῶμα, τὴν δὲ ἑτέραν τὰς ἱερὰς βίβλους, ἃς ἐγράψατο μὲν αὐτὸς, ὥσπερ οἱ τῶν Ἑλλήνων νομοθέται τοὺς κύρβεις· ἐκδιδάξας δὲ τοὺς ἱερεῖς ἔτι ζῶν τὰ γεγραμμένα, καὶ πάντων ἕξιν τε καὶ γνώμην ἐνεργασάμενος αὐτοῖς, ἐκέλευσε τὰς ἱερὰς βίβλους συνθαφῆναι μετὰ τοῦ σώματος, ὡς οὐ καλῶς ἐν ἀψύχοις γράμμασι φρουρουμένων τῶν ἀπορρήτων. *Cadaver quidem non cremaverunt, ipso* (Numa) *probibente, ut fertur: verum duas arcas lapideas fecerunt, atque sub Janiculo posuerunt, unam quidem continentem* ejus *corpus, alteram vero sacros libros, quos ipse scripserat, sicut Græcorum legislatores* tabulas, quas κύρβεις vocant; *cumque edocuisset pontifices, dum viveret, quæ iis expressa erant, omniumque arte & sensu eos imbuisset, jussit sacros illos libros una cum corpore humari, quasi non bene* esset *mortuis litteris committi arcana*.

Ante litterarum inventionem quibusdam in locis A leges decantari solebant, ut memoriæ penitius infigerentur; qui mos, secundum Aristotelem *Probl. sect.* x. *cap.* xxix. suo tempore apud Agathyrsos gentem Scythiæ vicinam obtinebat, qua de causa ipsemet opinatur Musicæ leges, quibus cantus numerique moderantur, dictas fuisse νόμους. Idem *sect.* xix. *Problem.* xxviii. Διὰ τί νόμοι καλῶνται, ὃς ᾄδουσιν; ἢ ὅτι πρὶν ἐπίστασθαι γράμματα, ᾖδον τοὺς νόμους, ὅπως μὴ ἐπιλάθωνται, ὥσπερ ἐν Ἀγαθύρσοις ἔτι εἰώθασι. *Quare νόμοι appellantur, quos canunt? quam quod, priusquam* homines *litteras scirent, leges cantarent, ne eas oblivioni traderent, prout apud Agathyrsos adhuc* B *mos est*. Simili instituto Moses, paulo antequam moreretur, canticum a Deo jussus conscripsit, utque ab Israelitis disceretur operam dedit, in æternam divinæ legis & providentiæ memoriam *Deuteronom.* xxxi. Et veteres Pythagorei, ut narrat M. Tullius, carminibus præcepta sua tradebant, unde Romanorum priscorum morem natum existimat, quo virorum illustrium laudes incultis carminibus in conviviis canebant. Quinetiam credibile est, communem fuisse omnibus fere gentibus morem, ut ea versibus mandarent, quæ memoriæ tenaciter servari vellent: atque hinc, si C Straboni *Geograph. lib.* i. *p.* 18. fides habenda sit, omnia Veterum scripta metris inclusa edebantur, nec nisi post aliquod tempus orationis solutæ usus aliquis fuit.

Sed aliud sentiebat Solon, qui tutius existimavit si leges litteris mandarentur, scil. quia integræ & incorruptæ servarentur, econtra vero aliorum legislatorum statuta ore tenus tantum tradita, vel incuria & oblivione, vel astutia ac nequitia omnino perire possent, aut perpetuis machinationibus atque mutationibus plane inutiles Reipublicæ redderentur, imo hominum perfidorum ac ambitiosorum moliminibus promovendis abunde inser- D virent. Quamobrem optime cavisse dicitur hic legislator, ne populo fieret injuria, expressa lege jubens, ἀγράφῳ νόμῳ τὰς ἀρχὰς μὴ χρῆσθαι μηδὲ περὶ ἑνός, *ut magistratus de nulla re secundum legem non scriptam jus dicerent*. Andocides *de Mysteriis*. Plutarchus refert Solonem leges suas scripsisse in tabellis ligneis, quæ vocabantur ἄξονες, & ita componebantur, ut in orbem convolutæ in oblongis capsis reponi possent, quarum nonnullas sua ætate adhuc exstitisse & in Prytaneo Athenis servatas esse ipsemet tradit; easdem autem fuisse ac κύρβεις asserit Aristoteles. Sed alii autumant E illas tabulas dici κύρβεις, in quibus leges de sacrificiis sacrisque ritibus insculpebantur, cæteræ vero nuncupabantur ἄξονες, teste Plutarcho in *Solone*. Econtra Apollodorus, apud Aristophanis Scholiastem *in Nubes* & *Aves*, contendit κύρβεις fuisse lapideas & denotasse quaslibet tabulas, in quibus leges aut publica edicta describebantur, ut & nomen accepisse παρὰ τὸ κεκορυφῶσθαι εἰς ὕψος, quia in altum tollebantur, vel a Corybantibus earumdem inventoribus, prout Theopompus in *Tract. de Pietate* scribit. Aristoteles *Tract. de Republ. Atheniensium*, cui accinit Pollux *lib.* viii. *cap.* x. illas tabulas fuisse triangulares addit, Pollux vero *loco* mox *cit.* ἄξονες quadratas æneasque fuisse ulterius tradit. Tandem Ammonius *lib. de differ. voc.* (ne pluribus molestiam Lectori afferam) illas tabulas ita distinguit, ut ἄξονες quadratæ fuerint, ac leges civiles continuerint, κύρβεις vero triangulares, in quibus leges sacræ inscriptæ erant. Illarum numerum dicere non possem, quia nullus Veterum de illo quidquam tradidit. In Arce primo, sed deinde in Prytaneo servabantur, ut cuivis illa consulere nata occasione liceret, secundum Pollucem *ibid.* etsi alii sentiant earumdem apographa tantum huc delata fuisse, dum autographum Solonis manu descriptum in Arce servabatur. Inde leges distinctas fuisse in τοὺς κάτωθεν & τοὺς ἄνωθεν νόμους, quarum priores in Prytaneo; quod civitatis pars inferior erat, posteriores vero in Arce aut superiore civitate asservatas fuisse, opinatur Pollux. Iterum alii existimant τὸν κάτωθεν νόμον apud Demosthenem, qui illam distinctionem adhibet, nihil aliud præter inferiorem tabulæ partem denotasse; sed si ita foret, procul dubio numerum tabularum notasset, ut ipsimet aliisque idem facere alias solenne est, nec unquam sivisset nos hærere in dubio quænam tabularum foret; rursus accidere posset, ut pars tabellæ inferior contineret primam legis partem, quæ improprie diceretur τὸ κάτωθεν, quia illud vocabulum aliquid infimum extremumque præ se ferre videtur; unica enim tabella non ita ampla, ut totam legem capere posset, quemadmodum discimus ex Plutarcho in *Solone*, ubi octava lex in decima octava tabula inscripta fuisse legitur. Per τὸν κάτωθεν νόμον nihil aliud intellexisse Demosthenem præter legem inferius aut deinceps in eadem Oratione ab illo citatam contendit Petitus. Alii illud interpretantur de inferiori linea, quia leges dicuntur scriptæ fuisse βουστροφηδὸν, id est, Pausania interprete in *Eliacis*, quando secunda linea inverso ordine describebatur, initio facto a prima, juxta morem aratoris, dum aratrum invertit,

ΕΚ ΔΙΟΣ ΑΡ-
ΧΩΜΕΣΘΑ·

Legem ex tabellis eradere aut aliquid in illa immutare nemini fas erat, & ad majorem cautelam quidam viri a munere appellati Γραμματεῖς præfecti erant, qui leges ab omni corruptela integras servarent, &, sicut eorum nomen sonat, antiquas exscriberent, novas vero tabellis inscriberent; a Senatu autem eligebantur, variaque præmia in majorem muneris gloriam ipsis conferebantur, de quibus suo loco. Denique leges in Porticu regia parieti inscriptæ, (quod paulo ante dictum est) & omnibus exposita sunt, ut legi possent. Hoc autem non est solitum fieri ante exactos triginta Tyrannos. Andocides *de Mysteriis*. Hæc sufficiant de legibus Atheniensium in genere. De legibus eorum particularibus Tractatum accuratissimum nobis dedit Petitus, quem hic subjungere lubet.

DE DEORUM CULTU, SACRIS ÆDIBUS. DIEBUS FESTIS, ET LUDIS.

TITULUS I.

ά. ΘΕΟΥΣ καρποῖς ἀγάλλειν.

β'. Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ατθίδα νεμομένοις κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον, Θεὺς τιμᾷν ϗ Ηρωας ἐγχωρίυς ἐν κοινῷ ἑμποινίμοις νόμοις πατρίοις, ἰδίᾳ κατὰ δύναμιν σὺν εὐφημίᾳ ϗ ἀρχαῖς καρπῶν πελάνοις ἐπετείυς.

γ'. Πρόβατον, ϗ δραχμὴν, ἐν ἀντὶ μεδίμνυ.

δ'. Τὰ ἔκκριτα ἱερεῖα.

έ. Τὺς ἐκ θυσίας ἰόντας φέρειν ἐξ αὐτῆς τῆς θυσίας τοῖς οἰκείοις.

ϛ'. Τὰ ὑπολειπόμενα τῆς θυσίας τὺς ἱερέας λαμβάνειν.

ζ. Τὸ ἀλόντα θακεύοντα ἐν τῷ τεμένει τῦ Απόλλωνος ἑαυτὸν αἰτιάσασθαι, ϗ θνήσκειν.

ή. Τοῖς ξένοις ϗ τοῖς δύλοις ἐλθεῖν ἐξεῖναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ϗ θεασαμένυς ϗ ἱκετεύσοντας εἰσιέναι.

ό. Τοῖς δευτεροπότμοις μὴ ἐξεῖναι εἰσιέναι εἰς τὸ ἱερὸν Σεμνῶν θεῶν.

ί. Τὺς ἱκέτας εἶναι ἀσφαλεῖς.

ιά. Απάντων τῶν Αθηναίων ἀγόντων ἱερομηνίαν μήτ' ἰδίᾳ, μήτε κοινῇ μηδὲν ἀλλήλυς ἀδικεῖν ἐν τύτῳ τῷ χρόνῳ, μηδὲ χρηματίζειν, ὅ, τι ἂν μὴ περὶ τῆς ἑορτῆς ᾖ.

ιβ'. Εν τῷ τῶν Παναθηναίων ἀγῶνι μὴ ἐξεῖναι τῷ βαπτὸν ἔχοντι ἱμάτιον θεωρεῖν.

ιγ'. Καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα Παναθηναίων τὰ τῦ Ομήρυ ἔπη ῥαψῳδεῖσθαι.

ιδ'. Τὺς μετοίκυς ἐν ταῖς πομπαῖς αὐτὺς μὲν σκάφας φέρειν· τὰς δὲ θυγατέρας αὐτῶν ὑδρεῖα ϗ σκιάδεια.

ιέ. Μηδένα ξένον μύειν.

ιϛ'. Τὸν ἐξειπόντα τὰ Μυστήρια τεθνάναι.

ιζ'. Εν οἷς τις ἱματίοις μυηθείη, εἰς ταῖν θεαῖν ταῦτα ἀνατιθέναι.

ιή. Επὶ ζεύγυς μὴ ἀπεῖναι γυναῖκα Ελευσῖνάδε· εἰ δέ τις φωραθείη, ἀποτίνειν δραχμὰς ἑξακισχιλίας.

ιθ'. Μὴ τιθέναι ἱκετηρίαν τοῖς Μυστηρίοις.

A 1. DEOS *frugibus venerantor*. Triptolemi lex, e Porphyrio περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Vid. *Archæologiæ* hujus *lib.* II. *cap. de sacrificiis*.

2. *Lex esto antiquissima æternæque auctoritatis in Attica, venerandos esse Deos atque Heroas patrios & indigenas publice secundum patrias sanctiones, privatim vero bonis verbis, frugumque primitiis, libis annuis, pro facultatum modulo.* Draconis lex apud Porphyr. περὶ ἀποχ. Observa, Athenis non licuisse Deos peregrinos colere, antequam essent ab Areopagi Concilio adsciti.

3. *Drachma in ovem, octodecim in medimnum.* Lex Solonis, qua modum statuere sumptibus sa-
B cris intendit. Plutarchus *Solone*.

4. *Eximiæ hostiæ*. Plutarchus *Solone*, loquitur de victimis, quas perfectas & eximias seligebant. Vide *cap. de sacrificiis lib.* II.

5. *Qui sacra fecerunt, aliud e victimis domum referunto*. Aristoph. Schol. *Pluto*. Vide *lib.* II. *cap.* IV.

6. *Reliqua ex sacris victimis cedunto sacerdotibus*. Aristoph. Schol. *Vesp.* Vide *lib.* II. *cap.* III.

7. *Qui in æde Apollinis ventrem exoneraverit, se ipsum in judicio deferto, eique capital esto.* Pisistrati lex, cum statueret Apollini in Pythio tem-
C plum, in quo Athenienses se exonerare solebant in contemptum Tyranni. Vaticana Proverbiorum Appendix *Cent.* I. Prov. LXXXII. Suidas, Hesychius.

8. *Peregrinis servisque fas esto publica Atheniensis populi templa adire, vel videndi causa, ibidemque supplicibus sedere:* Demosthenes *Orat. in Neæram*.

9. *Redeuntibus postliminio ab hostibus fas non esto sacellum Eumenidum adire*. Hesychius, Phavorinus. Vide *lib.* II. *cap.* IV.

10. *Supplices sacrosancti sunto*. Lex vetusta. Aristoph. Schol. *Equit.*

D 11. *Die populo Atheniensium festo ne cuiquam, sive privatim, sive publice injuria fiat, neve habetor concio de aliis rebus, quam iis, quæ ad festorum religionem pertinent*. Lex jubet ut sacra Diis rite fierent, non avocato ad alias curas τῶν ἑορταζόντων animo. Demosthenes *in Timocratem*.

12. *Nefas esto in veste tincta Panathenæorum pompam ludosque spectare*. Lucianus in *Nigrino*.

13. *Panathenæis majoribus rhapsodi Homeri carmina recitanto*. Lycurgus *in Leocratem*, Ælian. *Var. Hist. lib.* VIII. *cap.* II. Vide *lib.* II. in *festis*.

14. *Inquilini in pompa ligones ferunto: eorumque filiæ hydrias & umbellas*. Harpocration *Voc.*
E Σκαφηφόροι.

15. *Peregrinum Mysteriis ne initiato*. Aristoph. Schol. *Pluto*. Vide *lib.* II. *cap. de Festis* in Ελευσίνια.

16. *Qui Mysteria vulgarit, ei capital esto*. Sopater in *divisione Quæstionis*. Vide *ibid.*

17. *Initiati, qua tunc essent amicti veste, Deabus consecranto*. Aristoph. Schol. *Pluto*. Vide *ibid.*

18. *Fœmina bigis ad sacra Eleusinia ne vehitor: si quæ secus faxit, mulcta drachmarum sex mille irrogator*. Plutarchus *Lycurgo Rhetore*. Vide *ibid.*

19. *Libellum supplicem Mysteriorum diebus ne offerto*. Andocides ἐν τῷ περὶ μυστηρίων. Vide *ibid.*

κ'. Μηδενὸς τοῖς Μυστηρίοις ἐπιλαμβάνεσθαι.

κά. Τὴν βουλὴν τῇ ὑστεραίᾳ τῶν Μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ.

κβ'. Κατ' ἔτος τελεῖν τὰ Θεσμοφόρια.

κγ'. Ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις λύεσθαι τοὺς δεσμώτας.

κδ'. Εὐήγορος εἶπεν, ὅταν ἡ πομπὴ ᾖ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ, καὶ οἱ Κωμῳδοὶ, καὶ οἱ Τραγῳδοὶ, καὶ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ, καὶ οἱ Τραγῳδοὶ, καὶ οἱ Κωμῳδοὶ, καὶ τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ, καὶ οἱ παῖδες, καὶ ὁ Κῶμος, καὶ οἱ Κωμῳδοὶ, καὶ οἱ Τραγῳδοὶ, καὶ Θαργηλιῶν τῇ πομπῇ, καὶ τῷ ἀγῶνι μήτε ἐξεῖναι, μήτε ἐνεχυράσαι, μήτε λαμβάνειν ἕτερον ἑτέρου, μηδὲ τῶν ὑπερημέρων ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις. ἐὰν δὲ τί τούτων τὶς παραβαίνῃ, ὑπόδικος ἔστω τῷ παθόντι, καὶ προβολαὶ κατ' αὐτοῦ ἔστωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐν Διονύσου, ὡς ἀδικοῦντος καθ' ἃ περὶ τῶν ἄλλων ἀδικούντων γέγραπται.

κέ. Τοὺς Πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου τῇ ὑστεραίᾳ ἐν Πανδίοις, ἐν δὲ ταύτῃ χρηματίζειν πρῶτον μὲν περὶ ἱερῶν, ἔπειτα τὰς προβολὰς παραδιδότωσαν τὰς γεγενημένας ἕνεκα τῆς πομπῆς, ἢ τῶν ἀγώνων τῶν ἐν τοῖς Διονυσίοις, ὅσαι ἂν μὴ ἐκτετισμέναι ὦσιν.

κς'. Μηδενὸς τοῖς Διονυσίοις ἐπιλαμβάνεσθαι.

κζ'. Δημοσίᾳ μηδένα ἀποκτιννύναι πρὶν ἂν εἰς Δῆλον ἀφίκηται τὸ πλοῖον, καὶ πάλιν δεῦρο.

κή. Ἀλῴοις ἱερεῖα μὴ θύειν.

κθ'. Τῷ Ὀλύμπια νικήσαντι δραχμὰς πεντακοσίας δίδοσθαι.

λ'. Τῷ Ἴσθμια νικήσαντι δραχμὰς ἑκατὸν δίδοσθαι.

λά. Τὸν Τραγικὸν Χορὸν συνίστασθαι ἐκ πεντεκαίδεκα.

λβ'. Τὰς Τραγῳδίας τῶν ποιητῶν, Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου, τὸν Γραμματέα τῆς πόλεως παραναγινώσκειν, τοῖς ὑποκρινομένοις οὐκ ἐξεῖναι αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι.

λγ'. Τὸν περὶ τῶν Κωμῳδῶν ἀγῶνα τοῖς χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ, καὶ τὸν νικήσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι.

λδ'. Μὴ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τριάκοντα ἔτη γεγονότα.

λέ. Τὸν Ἄρχοντα μὴ φανερῶς κωμῳδεῖν.

λς'. Μὴ κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος.

λζ'. Τὴν Μουσικὴν κατ' εἴδη ἑαυτῆς διαιρεῖσθαι, καὶ οὐκ ἐξεῖναι ἄλλῳ εἰς ἄλλο καταχρῆσθαι μέλους εἶδος.

λή. Εὐκοσμίαν ἔχειν ἐν τοῖς θεάτροις, τὸν Ἄρχοντα τοῖς ὑπηρέταις ἐξείργειν τὸν μὴ πείθοντα εἰπεῖν, οὐδ' ὅπως ἐπείθη, ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν.

λθ'. Τοῦ Ποσειδῶνος ἀγῶνα ποιεῖν ἐν Πειραιεῖ, κυκλίων χορῶν οὐκ ἔλαττον τριῶν. δίδοσθαι μὲν τοῖς νικῶσιν οὐκ ἔλαττον δέκα μνᾶς. τοῖς δὲ δευτέροις, ὀκ-

A 20. *Nemini Mysteriorum diebus manum injicito*. Demosthenes *in Midiam*. Vide *ibid.*

21. *Postridie Mysteriorum Senatus in Eleusinio habetor*. Solonis lex. Andocid. περὶ τῶν μυστηρίων. *ibid.*

22. *Quotannis Thesmophoria celebrantor*. Theocriti Schol. *Idyll.* IV. Vide *lib.* II. in Θεσμοφόρια.

23. *Thesmophoriis nexi vinculis solvuntor*. Sopater *de divisione quæstionis*. Vide *ibid.*

24. *Cum pompa Libero ducitur in Piræeo, agunt Comœdi, & Tragœdi, item Lenæa pompa, & agentibus Tragœdis, atque Comœdis: Astycorum quoque Liberalium pompa, saltante puerorum choro,*
B *dum fit Comus, aguntque Comœdi, & Tragœdi: Thargeliorum item pompa & certamine: neque quidquam alterius capito, neque pœnam pro mora exigito ab eo, qui judicatum non solverit. Qui secus faxit, accusator a læso, & probolæ adversus eum dantor apud populum, pro concione in Bacchi, sirempse lege, qui adversus alios, qui festi religionem temerarint*. Demosthenes *in Midiam*. Vide *lib.* II. in Διονύσια, Ἀνθεστήρια, &c.

25. *Prytanes concionem in Bacchi cogunto, Pandiis, postridie Dionysiorum, & de sacris primum referunto, probolæ deinde dantor de injuriis illatis, pompæ vel ludorum Dionysiacorum causa, de quibus*
C *transactum non fuerit*. Demosthenes *in Midiam*.

26. *Nemini diebus Liberalium festis manum injicito*. Idem *ibid.*

27. *Deliorum festos dies, dum Delum itur, ac reditur, damnatorum suppliciis ne funestato*. Xenophon Ἀπομνημ. *lib.* IV. Plato *Phædone*. Vide *lib.* II. *cap.* IX.

28. *Alois victimam ne mactato*. Demosthenes *in Neæram*. Vide *lib.* II. in *Festis*.

29. *Olympionicis quingentæ de publico drachmæ dantor*. Plutarch. *Solone*. Vide *lib.* II. *cap.* XXI.

D 30. *Isthmionicis centum de publico drachmæ dantor*. Idem *ibid.*

31. *Tragicorum Chorus e quindecim personis constituitor*. Pollux *lib.* IV. *cap.* XV.

32. *Æschyli, Sophoclis, & Euripidis Tragœdias, urbis Scriba publice prælegito. Histriones eas ne agunto*. Plutarchus *Lycurgo*. Lex in honorem Triumviratus hujus Tragici lata.

33. *Comœdi Anthesteriis fabulas docento atque committunto in theatro. Victorem civitate donato*. Plutarchus *Lycurgo*. Vide *lib.* II. in Ἀνθεστήρια.

34. *Histrio fabulam ne agito annorum triginta minor*. Aristoph. Schol. *Nub.* ubi tradit alios quadra-
E ginta annos ponere pro triginta.

35. *Magistratui in Comœdia convicium palam ne facito*. Idem *in eandem fabulam*.

36. *Nemini in Comœdia expresso nomine convicium facito*. Hermogenes *de statibus*. Vide *ibid.*

37. *Musica in sua genera distribuitor, eaque ne invicem permutantor*. Vetus lex, quæ postea in desuetudinem abiit, qua Musica distributa erat in suas species, quas non licebat temere confundere, qui secus fecisset a peritis artis, qui judices ad hanc rem erant constituti, puniebatur. Plato *lib.* III. *de Legibus*.

F 38. *Spectatores sine rixa in theatro sedento, qui secus fecerit, Archontis jussu ab apparitoribus submovetor, ni paret, mulctator*. Demosthenes ejusque Scholiastes in *Midiana*. Lex agit de festo Dionysiorum, in quo Archon ludis præfuit, aliis in festis videtur aliis magistratibus commissa hæc eadem auctoritas, quibus nempe ludorum cura injuncta, ut Rex in Lenæis & Anthesteriis, &c.

39. *Neptuno ludi celebrantor in Piræeo choris tribus ad minimum ἐγκυκλίοις saltantibus. Decem minæ victori præmium esto. Octo ei, qui secundas. Sex*

τῶ. ἓξ δὲ τοῖς τρίτοις κειθεῖσι.

μ'. Αλεκτρυόνας ἀγωνίζεσθαι δημοσίᾳ ἐν τῷ θεάτρῳ μιᾶς ἡμέρας τῦ ἔτυς.

μα'. Ταῖς Νυμηνίαις θύειν.

A *vero ei, qui tertias obtinuerit*. Lex a Lycurgo Rhetore lata, ut tradit in *ejus Vita* Plutarchus.

47. *Galli gallinacei publice committuntur in theatro, uno quotannis die*. Ælian. *Var. Hist. lib.* II. *cap.* XXVIII. Vide *lib.* II. in Ἀλεκτρυόνων ἀγών.

41. *Mensium Kalendis sacra facito*. Vide *lib.* II. in Νυμηνία.

De Sacrorum Ministris.

TITULUS II.

α'. ΕΠιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλεύοντα τῶν τε ἀρχόντων, ὅπως αὖ καθιστῶνται κ) τὺς Παρασίτυς ἐκ τῶν δήμων αἵρωνται, κατὰ τὰ γεγραμμένα. τὺς δὲ Παρασίτυς ἐκ τῆς βυκολίας ἐκλέγειν ἐκ τοῦ μέρους τῦ ἑαυτῶν ἕκασον ἑκτέα κειθῶν δαινύσθαι τὺς ὄντας. Αθηναίυς ἐν τῷ ἱερῷ κτ̀ τὰ πάτρια· τὸν δὲ ἑκτέα παρέχειν εἰς τὰ ἀρχεῖα τῷ Απόλλωνι τὺς Αχαρνέων Παρασίτυς ἀπὸ τῆς ἐκλογῆς τῶν κειθῶν.

β'. Θύειν τῷ Απόλλωνι τοὺς Αχαρνέων Παρασίτυς.

γ'. Επιμελεῖσθαι δὲ τὸν Βασιλέα τὸν ἀεὶ βασιλεύοντα καὶ τοὺς Παρασίτους, οὓς αὖ ἐκ τῶν δήμων προαίρωνται, κ) τοὺς γέροντας, κ) τὰς γυναῖκας τὰς πρωτοπόσεις.

δ'. Τὰ δὲ ἐπιμήνια θυέτω ὁ Ιερεὺς μετὰ τῶν Παρασίτων. Οἱ δὲ Παράσιτοι ἕνα τῶν ἐκ τῶν νόθων καὶ τῶν τούτων παίδων κατὰ πάτρια· ὃς δ' αὖ μὴ θέλῃ παρασιτεῖν, εἰσαγέτω καὶ περὶ τύτων εἰς τὸ δικαςήριον.

ε'. Καὶ τὼ Κήρυκε ἐκ τοῦ γένους τῶν Κηρύκων τῦ τῆς Μυςηριώτιδος, τύτυς δὲ παρασιτεῖν ἐν τῷ Δηλίῳ ἐνιαυτόν.

ς'. Τοῖν δὲ βοοῖν τοῖν ἡγεμόνοιν τοῖν ἐξαιρυμένοιν, τὸ μὲν τρίτον μέρος εἰς τὸν ἀγῶνα, τὰ δὲ δύο μέρη, τὸ μὲν ἕτερον τῷ Ιερεῖ, τὸ δὲ τοῖς Παρασίτοις.

ζ'. Εἰς τὴν ἐπισκευὴν τοῦ νεῶ, τοῦ ἀρχείυ, κ) τῦ παρασιτίου, κ) τῆς οἰκίας τῆς ἱερᾶς, διδόναι τὸ ἀργύριον, ὁπόσυ αὖ οἱ τῶν Ιερέων ἐπισκευάσαι μισθώσωσιν.

η'. Θαλλοφόρυς τῇ Αθηνᾷ τὺς καλὺς γέροντας ἐκλέγεσθαι.

θ'. Τὴν γυναῖκα τῦ Βασιλέως ἀςὴν εἶναι, κ) μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρὶ, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν.

ι'. Τὺς Ιερεῖς ϗ τὰς ἱερείας ὑπευθύνυς εἶναι, οὐ μόνον ἰδίᾳ, ἀλλὰ κοινῇ τὰ γένη.

ια'. Μηδένα Ιερωσύνην ὐθενὸς Θεῶν κληρῦσθαι, ὐκ ὄντα καθαρὸν τὸ σῶμα.

ιβ'. Επειδὴ Αγνῦντι θυσία ἐςι τῷ λεῷ.

B 1. REx e Novemviris unus, *ut Parasitos constituant, & e singulis secundum leges eligant populis, curato. Parasiti singuli sine dolo malo seponunto bectеum bordei e parte quisque sua. Atheniensеs epulo in templo excipiunto secundum patrium morem. Acharnensium Parasiti ex illo, quod collegerunt, bordei bectеum Apollini in apotbecis reponunto*. Athen. *Deipnosoph. lib.* VI. Vide *lib.* II. *cap.* III.

2. *Parasiti Atheniensium sacra Apollini faciunto*. Idem *eodem libro*.

3. *Rex, quisquis is erit, cum Parasitis, quos e singulis antea elegerint populis, cum senibus item, atque fœminis univiris, curato*. Idem *ibid.*

C 4. *Sacerdos cum Parasitis menstrua sacra facito. Parasiti de notbis aut notborum liberis unum eligunto secundum morem patrium: si parasitari detrectat, in jus vocanto*.

5. *Duo Ceryces sunto e genere Cerycum Mysticorum, iidemque annum in Delio templo Parasiti sunto*. Idem *ibid.*

6. *Duorum boum præcidaneorum eximiorum tertia pars in certamen, reliquarum duarum una Sacerdoti, altera Parasitis cedunto*. Idem *ibid.* Lex inscripta columnæ in Anaceo.

D 7. *Ad sacra tecta templi, apotbecæ, parasitii, & ædis sacræ, tantum argenti dator, quanto faciendum opus locaverint Sacerdotes, quibus id commissum est*. Athen. *lib.* IV. Pollux *lib.* VI. *cap.* VII.

8. *Senes Minervæ oleæ ramum Panathenæis gestantes forma florenti eliguntor*. Xenophon *Sympos.* Vide *lib.* II. in Παναθήναια.

9. *Rex in uxorem civem Atticam virginem ducito*. Demosthenes *in Neæram*. Vide *lib.* I. *cap.* XII.

10. *Sacerdotes privatim singuli, totæque gentes & familiæ, sacerdotii sui rationem reddunto*. Æschin. *in Ctesiphont.* Vide *lib.* II. *cap.* III.

11. *Nullius Deorum Sacerdos sorte legitor, qui castus non sit*. Æschin. *in Timarch.* Vide *ibid.*

12. *Cum apud Agnusios sacrificium ab iis fiat*.

LIBER PRIMUS

De Legibus.

TITULUS I.

ΕΠΙΧΕΙΡΟΤΟΝΙΑ ΝΟΜΩΝ.

ΕΠὶ δὲ τῆς πρώτης Πρυτανείας τῇ ἑνδεκάτῃ, ἐν τῷ δήμῳ, ἐπειδὰν εὔξηται, ὁ κῆρυξ ἐπιχειροτονίαν ποιεῖν τῶν νόμων, πρῶτον μὲν περὶ τῶν βυλευτικῶν, δεύτερον δὲ περὶ τῶν κοινῶν, εἶτα οἳ κεῖνται τοῖς ἐννέα ἄρχυσιν, εἶτα τῶν ἄλλων ἀρχῶν. Η δ' ἐπιχειροτονία ἔςω ἡ προτέρα ὅτῳ δοκῦσιν ἄρχειν οἱ νόμοι οἱ βυλευτικοὶ, ἡ δ' ὕςερα ὅτῳ μὴ δοκῦσιν, εἶτα τῶν κοινῶν κατὰ ταῦτα. τὴν δ' ἐπιχειροτονίαν εἶναι τῶν

E LEGUM RECENSIO.

UNdecimo *primæ Prytanias die, pro concione, post vota voce præconis peracta, leges ordine recensentor, primum eæ, quæ sunt de Senatu: deinde de Republica: tum de Novemviris: demum de reliquis magistratibus. Primumque sciscitor, an satis sit legum de Senatu: deinde, an non sit satis: atque ita deinceps de legibus, quæ Rempublicam spectant. Concio babetor secundum leges, quæ obtinent, ad re-*

νόμων κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους. ἐὰν δέ τινες τῶν νόμων τῶν κειμένων ἀποχειροτονηθῶσι, τοὺς Πρυτάνεις, ἐφ᾽ ὧν αὖ ἡ ἐπιχειροτονία γένηται, ποιεῖν περὶ τῶν ἀποχειροτονηθέντων τὴν τελευταίαν τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν. Τοὺς δὲ Προέδρους, ὅταν τύχωσι προεδρεύοντες ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, χρηματίζειν ἐπάναγκες πρῶτον μετὰ τὰ ἱερὰ περὶ τῶν Νομοθετῶν, καθ᾽ ὅ τι καθεδοῦνται, καὶ περὶ τοῦ ἀργυρίου ὁπόθεν τοῖς Νομοθέταις ἔσται. Τοὺς δὲ Νομοθέτας εἶναι ἐκ τῶν ὀμωμοκότων τὸν Ηλιαστικὸν ὅρκον. ἐὰν δ᾽ οἱ Πρυτάνεις μὴ ποιῶσι κατὰ τὰ γεγραμμένα τὴν ἐκκλησίαν, ἢ οἱ Πρόεδροι μὴ χρηματίσωσι κατὰ τὰ γεγραμμένα, ὀφείλει τῶν μὲν Πρυτανέων ἕκαστον χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Αθηνᾷ, τῶν δὲ Προέδρων ἕκαστος ὀφειλέτω τετταράκοντα δραχμὰς ἱερὰς τῇ Αθηνᾷ, καὶ ἔνδειξις αὐτῶν ἔστω πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας, καθάπερ ἐάν τις ἄρχῃ ὀφείλων τῷ δημοσίῳ. Οἱ δὲ Θεσμοθέται τοὺς ἐνδειχθέντας εἰσαγόντων εἰς τὸ δεσμωτήριον κατὰ τὸν νόμον, ἢ μὴ ἀνιόντων εἰς Αρειοπάγον, ὡς καταλύοντες τὴν ἐπανόρθωσιν τῶν νόμων. Πρὸ δὲ τῆς ἐκκλησίας ὁ βουλόμενος Αθηναίων νομοθετεῖν ἐκτιθέτω πρόσθεν τῶν Επωνύμων γράψας τοὺς νόμους, οὓς ἂν τιθῇ, ὅπως ἂν πρὸς τὸ πλῆθος τῶν ἐκτεθέντων νόμων ψηφίσηται ὁ δῆμος περὶ τοῦ χρόνου τοῖς Νομοθέταις. Ο δὲ τιθεὶς τὸν καινὸν νόμον ἀναγράψας εἰς λεύκωμα ἐκτιθέτω πρόσθεν τῶν Επωνύμων ὁσημέραι, ἕως ἂν ἐκκλησία γένηται. αἱρεῖσθαι δὲ καὶ τοὺς συναπολογησομένους τῶν δήμων τοῖς νόμοις, οἳ ἂν ἐν τοῖς Νομοθέταις λύωνται πέντε ἄνδρες ἐξ Αθηναίων ἁπάντων τῇ ἑνδεκάτῃ τοῦ Εκατομβαιῶνος μηνός.

censendas leges. Si quæ autem leges, quæ obtinent, improbantur, Prytanes, qui huic legum recensioni præsunt, ultimam trium concionum habento de improbatis legibus. Proedris, quibus concioni huic præesse sortito contigerit, omnino referunto, post relationem primam, quæ est de rebus sacris, de Nomothetis, de quibus scilicet legibus sententiam sint laturi, & unde stips illis suppetet. Nomothetæ autem de iis sunto, qui Heliasticum jusjurandum jurarunt. Si vero Prytanes concionem non habeant, aut Proedri non referant, secundum has leges, Prytanum quisque mille drachmis Minervæ sacris, Proedrorum vero singuli quadraginta drachmis, Minervæ item sacris, mulctantor. Eorum nomina apud Thesmothetas deferuntor, quemadmodum eorum, quia ærarii cum sint, tamen magistratum gerunt. Si vero Thesmothetæ delatos in judicium non rapiant, ex hac lege, in Senatum Areopagiticum ne cooptantor, ut qui legum emendationem perverterint. Ante concionem quisquis Atheniensium legem ferre voluerit, proponat scriptis ad Eponymorum statuas leges, quas rogaturus est, ut pro numero propositarum legum populus decernat de tempore, quod Nomothetis erit præscribendum. Qui vero novam legem fert, in album describito, & proponito quotidie ad Eponymorum statuas, donec concio habeatur. Eliguntor autem ex universo Atheniensium populo, die Hecatombæonis undecimo, viri quinque, qui patroni futuri sint legum, quæ a Nomothetis abrogandæ erunt. Demosthenes *Timocratea*. Vide *lib.* I. *cap.* XXV.

ΨΗΦΙΣΜΑ.

ΕΔοξε τῷ δήμῳ. Τισάμενος εἶπε. Πολιτεύεσθαι Αθηναίους κατὰ τὰ πάτρια. Νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος, καὶ μέτροις, καὶ σταθμοῖς, χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς, οἷσπερ ἐχρώμεθα ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ. Οπόσων δ᾽ ἂν προσδέοι, οἱ δὲ ᾑρημένοι Νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς, ἀναγραφόντων ἐν σανίσι, καὶ ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς Επωνύμους, σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ, καὶ παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνί, τοὺς δὲ παραδιδομένους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλή, καὶ οἱ Νομοθέται οἱ πεντακόσιοι, οὓς οἱ δημόται εἵλοντο, ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν. ἐξεῖναι δὲ καὶ ἰδιώτῃ τῷ βουλομένῳ, εἰσιόντι εἰς τὴν βουλὴν βουλεύειν ὅ, τι ἂν ἀγαθὸν ἔχῃ περὶ τῶν νόμων. ἐπειδὰν δὲ τεθῶσιν οἱ νόμοι, ἐπιμελείσθω ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Αρείου πάγου τῶν νόμων, ὅπως ἂν αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται. Τοὺς δὲ κυρουμένους τῶν νόμων ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖχον, ἵναπερ πρότερον ἀνεγράφησαν σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ.

Εάν τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον, τὰς γραφὰς εἶναι κατ᾽ αὐτοῦ.

Τὸν γράψαντα νόμον μετ᾽ ἐνιαυτὸν μὴ εἶναι ὑπεύθυνον τιμωρίᾳ, ὅμως δὲ ἐξεῖναι ποιεῖσθαι τὰς κατηγορίας.

Τῶν δὲ νόμων τῶν κειμένων μὴ ἐξεῖναι λῦσαι μηδένα, ἐὰν μὴ ἐν Νομοθέταις, τότε δ᾽ ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ, τῶν Αθηναίων λύειν ἕτερόν τι τιθέντι ἀνθ᾽ ὅτου ἂν λύῃ, διαχειροτονίαν δὲ ποιεῖν τοὺς Προέδρους περὶ τούτων τῶν νόμων, πρῶτον μὲν περὶ τοῦ κειμένου, εἰ δοκεῖ ἐπιτήδειος εἶναι τῷ δήμῳ τῶν Αθηναίων, ἢ οὔ. Οπότερον δ᾽ ἂν χειροτονήσωσιν οἱ Νομοθέται, τοῦτον κύριον εἶναι, ἐναντίον δὲ νόμον μὴ ἐξεῖναι τιθέναι τῶν νόμων τῶν κειμένων μηδενί, ἐὰν δέ τις λύσας τινὰ τῶν νόμων τῶν κειμένων, ἕτερον ἀντιτιθῇ μὴ ἐπιτήδειον τῷ Αθηναίων δήμῳ, ἢ ἐναντίον τῶν κειμένων, τῷ τὰς γραφὰς εἶναι κατ᾽ αὐτοῦ κατὰ τὸν νόμον, ὃς κεῖται, ἐάν τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον.

DECRETUM.

POpulus scivit. Tisamenus scripsit. Athenienses Rempublicam secundum patria instituta geranto. Legibus autem Solonis, & mensuris, & ponderibus utuntor, ut & Draconis sanctionibus, quibus etiam olim usi sumus. Si quibus vero opus fuerit legibus, eas electi a Senatu Nomothetæ in tabella describunto, & ad Eponymorum statuas proponunto, ut a quovis legi possint: eodemque hoc mense magistratibus in manus danto: datas prius Senatus Quingentorum, & Nomothetæ, quos populares elegerint, jurati approbanto. Cuivis privato Senatum adire liceto, & quod sibi bonum videtur de illis legibus consulere. Ubi latæ erunt leges, Senatus Areopagiticus provideto, ut magistratus latis legibus utantur. Latæ leges in pariete describuntor, ubi prius sunt descriptæ, ut a quovis legi possint. Lex lata post assertam a Thrasybulo libertatem. Andocides *de Mysteriis*.

Damnosam legem ne rogato, qui secus faxit, dica ei scribitor. Demosthenes *in Timocratem*. Vide *ibid.*

Qui legem tulit etiam elapso a lege lata anno, accusari jus esto, indemnis tamen idem esto.

Legum nullam antiquare liceto, nisi apud Nomothetas: apud illos cuivis Atheniensium, cui libuerit, antiquare liceto, si modo alteram legem rogarit vicem illius, quam esse censet antiquandam. Proedri autem, quid de his legibus fieri velint, jubeant, in suffragia mittunto. Et primum quidem de lege, quæ jam obtinet, an utilis videatur populo Atheniensium, necne: deinde de lege, quæ rogatur. Quarum autem legum alterutram sciverint Nomothetæ, ea rata esto. Legem vero contrariam alicui legum, quæ jam obtinent, rogare ne liceto. Si quis vero legem jam latam antiquans, alteram ejus vicem rogarit, quæ utilis non sit Atheniensium populo, aut contraria sit alicui earum, quæ jam obtinent, ei dicam scribito secundum legem, quæ lata est adversus eum, qui damnosam legem rogaverit. Demosthen. *ibid.* & *Leptin.*

Τὸν λέγοντά τινα νόμον, καὶ μὴ ἀντεισφέροντα, κολάζεσθαι.

Τοὺς Θεσμοθέτας καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν διορθοῦν ἐν τῷ δημοσίῳ τοὺς νόμους, ἀκριβῶς ἐξετάσαντας, καὶ σκεψαμένους, εἴ τις ἀναγέγραπται νόμος ἐναντίος ἑτέρῳ νόμῳ, ἢ ἄκυρος ἐν τοῖς κυρίοις, ἢ εἴπου εἰσὶ νόμοι πλείους ἑνὸς ἀναγεγραμμένοι περὶ ἑκάστης πράξεως. Κἂν τι τοιοῦτον εὑρίσκωσιν, ἀναγεγραφότας ἐν σανίσιν ἐκτιθέναι πρόσθεν τῶν Ἐπωνύμων. Τοὺς δὲ Πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν, ἐπιγράφοντας Νομοθέτας, τὸν δὲ Ἐπιστάτην τῶν Προέδρων διαχειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ, καὶ τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τοὺς δὲ καταλιπεῖν.

A *Qui legem promulgat, nec rogat, in eum animadvertitor.* Ulpian. *in Leptin.*

Thesmothetæ quotannis in publico tabulario convenientes in leges inquirunto, & cum cura vidento, utrum lex alteri contraria obtineat, aut quæ rata non sit, aut plures sint scriptæ una eademque de re. Quod si quam hujusmodi deprehenderint, descriptam in tabella ad Eponymorum statuas proponunto. Prytanes concionem babento, & Nomothetas designanto, Proedrorum vero Epistates populum in suffragia mittito de legibus, quæ vel abrogandæ, vel ratæ babendæ sunt. Æschin. *in Ctesiphontem.*

* *Legem de privo bomine ne rogato, sed de omnibus Atheniensibus, nisi id videatur sex mille civibus suffragia clam ferentibus.* Andocides *de Mysteriis.* Æneas Gazæus in *Theophrast.* Solonis lex.

Ei, qui in judicio commentitiam legem laudarit, capital esto. Demosthenes *Orat.* II. *in Aristogitonem.*

Legum sua ab anno, quo Euclides Archon fuit, auctoritas esto. Andocides *de Mysteriis.* Euclides Archon erat paulo post exactos triginta Tyrannos. Ea causa lex hæc lata est, ne propter ea quæ præcessere, judicia redderentur secundum leges. Volebant cives veterum ἀμνηστίαν agere, ut inter se omnes conciliarentur, odiaque & metus deponerent.

Dixit Diocles, leges ante Euclidem libera Repub. eodemque Euclide Archonte latæ, ac in tabulas relatæ, ratæ sunto. Quæ vero post Euclidis præturam scriptæ sunt, & in posterum ferentur, ratæ sunto ab eo die, quo unaquaque earum lata est, præterquam si cui adscriptum sit tempus, a quo debet incipere. Iis vero, quæ jam obtinent, Scriba Senatus intra triginta dies inscribito. In posterum quicunque Scriba erit, adscribito statim, legem ratam esse ab eo die, quo lata est. Demosthenes *in Timocrat.* Solonis legibus, quæ ab ipso centum in annos sanciebantur, hac lege perpetua additur auctoritas.

* *Quatuor istæ leges a Pottero sunt additæ.*

De Senatusconsultis & Plebiscitis.

TITULUS II.

α'. Ἐπέτεια τὰ τῆς βουλῆς εἶναι ψηφίσματα.

β'. Ἀπροβούλευτον ψήφισμα μὴ εἰσιέναι ἐν τῷ δήμῳ.

γ'. Μὴ καθελεῖν τὸ πινάκιον, ἐν ᾧ τὸ ψήφισμα γεγραμμένον ἐτύγχανεν.

δ'. Ψήφισμα δὲ μηδὲν μήτε βουλῆς, μήτε δήμου, μήτε νόμου, κυριώτερον εἶναι.

ε'. Μηδένα ψευδῆ γράφειν ἐν τοῖς δημοσίοις ψηφίσμασι.

B 1. *Senatusconsulta in annum tantum jus faciunto.* Demosthenes *in Aristocrat.* Vide *lib.* I. *cap.* XVIII.

2. *Sine Senatus præjudicio populus nulla de re rogator.* Solonis lex, Plutarch. *Solone.* Vide *ibid.*

3. *Tabulam, in qua incisum est psephisma, ne revellito.* Plutarch. *Pericle.*

4. *Nullius phephismatis major, quam Senatus, aut populi, aut legum, auctoritas esto.* Demosthenes *Timocratea.*

5. *In scribendis psephismatis ab omni mendacio caveto.* Æschines *in Ctesiphontem.*

De Civibus aboriginibus & adscititiis.

TITULUS III.

α'. Τοῖς πολίταις τὰ ἴσα εἶναι.

β'. Τοὺς Εὐπατρίδας γινώσκειν τὰ θεῖα, καὶ παρέχειν Ἄρχοντας, καὶ νόμων διδασκάλους εἶναι, καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἐξηγητάς.

γ'. Τοὺς Θῆτας μὴ ἄρχειν οὐδεμίαν ἀρχήν.

δ'. Τοὺς Θῆτας συνεκκλησιάζειν καὶ δικάζειν.

ε'. Κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν, καὶ τοὺς Ἄρχοντας ἐξ Ἀθηναίων πάντων αἱρεῖσθαι.

ϛ'. Πᾶσι τὰ ἴσα εἶναι.

ζ'. Μὴ γενέσθαι πολίτας, πλὴν τοὺς φεύγοντας ἀειφυγίᾳ τὴν ἑαυτῶν, ἢ πανεστίους Ἀθήναζε μετοικιζομένους ἐπὶ τέχνῃ.

C 1. *Omnibus civibus jus idem esto.* Thesei lex, e Plutarcho.

2. *Patricii sacerdotia, atque magistratus obeunto. Legum, rerumque sanctarum atque divinarum interpretes sunto.* Thesei lex, e Plutarcho. Vide *lib.* I. *cap.* III.

3. *Proletarii nullum magistratum gerunto.* Solonis lex, e Plutarcho. Vide *lib.* I. *cap.* IV.

4. *Proletarii in concione suffragia sua ferunto, & inter judices leguntor.* Ejusdem *ibid.*

5. *Ad Rempublicam quivis civis accedito, magistratusque nullo discrimine ex omnibus Atheniensibus eliguntor.* Aristidis lex, e Plutarcho. Vide D *ibid. cap.* XI.

6. *Omnes pari jure sunto.* Thesei lex, e Plutarcho. Vide *lib.* I. *cap.* III.

7. *Ii soli, qui perpetuum in exsilium patria pulsi sunt, aut tota cum familia Athenas commigrarunt artis exercendæ causa, jure civitatis donantor.* Solonis lex, e Plutarcho. Vide *lib.* I. *cap.* IX.

ή. Τὸν φύσει δοῦλον γενόμενον μὴ μετέχειν τῆς πολιτείας.

θ' Τοὺς δὲ ἀλλοδαπῆς Ἀθήνησι κατοικεῖν ἐθέλοντας εἰς πολίτας ἐνταῦθα χρόνον ὀλίγον διατρίψαντας ἐγγράφεσθαι.

ί. Μὴ ἐξεῖναι ποιήσασθαι Ἀθηναῖον, ὃν ἂν μὴ δι' ἀνδραγαθίαν εἰς τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων ἄξιον ᾖ γενέσθαι πολίτην· ἐπεὶ ἐπειδὰν πεισθῇ ὁ δῆμος, καὶ δῷ τὴν δωρεὰν, μὴ κυρίαν γενέσθαι τὴν ποίησιν, ἐὰν μὴ τῇ ψήφῳ εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν ὑπερεξακισχίλιοι Ἀθηναῖοι ψηφίσωνται κρύβδην ψηφιζόμενοι· τοὺς δὲ Πρυτάνεις τιθέναι τοὺς καδίσκους, καὶ τὴν ψῆφον διδόναι τῷ δήμῳ προσιόντι, πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι, καὶ τὰ γέρα ἀναιρεῖν· ὅσους δὲ ὁ δῆμος ποιήσεται ὁ Ἀθηναίων πολίτας, μὴ ἐξεῖναι αὐτοῖς τῶν ἐννέα Ἀρχόντων γενέσθαι, μηδὲ ἱερωσύνης μηδεμιᾶς μετασχεῖν· τοῖς δ' ἐκ τούτων ἐξεῖναι, ἐὰν ὦσιν ἐκ γυναικὸς ἀστῆς καὶ ἐγγυητῆς κατὰ τὸν νόμον.

ιά. Ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ Ἀθηναίων Παρανόμων γραφὴν κατὰ τοῦ δημοποιήτου γράφειν, ὡς οὐκ ἄξιος ἐστὶ τῆς δωρεᾶς, ἀλλὰ παρὰ τοὺς νόμους Ἀθηναῖος γέγονε.

ιβ' Γενέσθαι ζήτησιν πάντων τῶν ἐγγεγραμμένων τοῖς ληξιαρχικοῖς γραμματείοις, εἴτε γνήσιοι πολῖται εἰσὶν, εἴτε μή· τοὺς δὲ μὴ γεγονότας ἐξ ἀστοῦ καὶ ἐξ ἀστῆς ἐξαλείφεσθαι· διαψηφίζεσθαι δὲ περὶ πάντων τοὺς δημότας, καὶ τοὺς μὲν ἀποψηφισθέντας καὶ ἐμμείναντας τῇ ψήφῳ τῶν δημοτῶν, ἐξαληλίφθαι, καὶ εἶναι μετοίκους· τοὺς δὲ βουλομένους, ἔφεσιν εἰς δικαστὰς δεδόσθαι, κἂν μὲν ἁλῶσι, καὶ παρὰ τῷ δικαστηρίῳ πεπρᾶσθαι, ἐὰν δὲ ἀποφύγωσιν, εἶναι πολίτας.

ιγ'. Ἐξεῖναι Ἀθηναίων τῷ βουλομένῳ λαβόντι τὰ αὐτοῦ ἀπιέναι ὅπη ἂν βούληται.

8. *Vernis jus civitatis ne danto*. Dio Chrysostomus *Orat.* xv.

9. *Advenæ, qui Athenas habitandi ergo commigrarunt, intra breve tempus in cives cooptantor*. Aristoph. Schol. *Ranis*. Vide *ibid.*

10. *Atheniensium civitate nemo, nisi de ea bene meritus, donator. Donum populi ratum non esto, nisi sequenti concione plus quam sex mille Athenienses latis clanculum suffragiis id sciverint. Prytanes cados destituunto, & accedenti populo calculos danto, antequam peregrini, de quibus agitur, ad populum accedant, & clypeos offerant. Adscititii autem isti cives ne Novemviratum sortiuntor, aut Sacerdotium ullum. Id tamen jus esto ejus liberis, matre cive, & secundum leges desponsata, natis*. Lex lata post victum ad Platæas Mardonium. Demosthen. *Orat. in Neæram.* Vide *ibid.*

11. *Atheniensium cuivis jus esto adscititium civem in jus vocare & accusare, quod propter meritum legesque jus civitatis consecutus sit*. Demosthen. *ibid.* Vide *ibid.*

12. *Quæstio de omnibus in civium albo inscriptis habetor, utrum vere cives sint, necne. Qui utraque parente cive nati non erunt, ex albo expunguntor. Populares de suis popularibus judicium ferunto. A popularibus damnati peregrinitatis, neque ad judices provocantes, expunguntor, & in censum inquilinorum referuntor. Provocatio a popularibus ad judices dator. Damnati a judicibus venduntor, si secundum illos pronunciarint, aves censentor*. Argument. Demosthen. πρὸς Εὐβουλίδην ἐφέσεως, lata Archia Prætore.

13. *Atheniensium cuivis quocumque voluerit cum omnibus suis bonis commigrare liceto*. Plato *Critone*.

De liberis legitimis, nothis, adoptivis, & patria potestate.

TITULUS IV.

ά. Μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν Ἀθηναίων γεγονότας.

β' Νόθον εἶναι τὸν μὴ ἐξ ἀστῆς γεγονότα.

γ'. Μηδὲ νόθῳ μηδὲ νόθῃ ἀγχιστείαν εἶναι μεθ' ἱερῶν μήτ' ὁσίων ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος.

δ'. Ὅταν τις ὢν ἄπαις, κύριος τῶν ἑαυτοῦ, ποιήσεται υἱὸν, ταῦτα κύρια εἶναι.

έ. Τὸν ζῶντα ποιεῖσθαι παῖδα.

ς'. Τῷ ποιηθέντι οὐκ ἐξεῖναι ἐπανιέναι, ἐὰν μὴ υἱὸν καταλίπῃ γνήσιον.

ζ. Τοὺς γονέας θέσθαι τοὔνομα ἐξ ἀρχῆς, καὶ πάλιν ἐξαλεῖψαι, ἐὰν βούλωνται.

ή. Ἐὰν τέ τινα φύσει γεγονότα εἰσαγάγῃ τὶς, ἐάν τε ποιητὸν ἐπιτιθέναι πίστιν κατὰ τῶν ἱερῶν, ἡ μὲν ἐξ ἀστῆς εἰσάγειν καὶ γεγονότα ὀρθῶς, καὶ τὸν ὑπάρχοντα φύσει, καὶ τὸν ποιητόν.

θ'. Τὸ ἱερεῖον μὴ μεῖον εἰσάγειν ὡρισμένου σταθμοῦ. αἶγα, μὲν, πεντήκοντα μνῶν, δύο δὲ πρόβατα τεσσαράκοντα καὶ ὀκτὼ μνῶν.

1. *Utroque parente cive Atheniensi nati soli cives sunto*. Lex Periclis, e Plutarcho. Vid. *lib.* I. *cap.* IX.

2. *Qui matre cive natus non erit, nothus esto*. Aristophontis Rhetoris lex. Carystio Ἱστορικῶν ὑπομνημάτων *lib.* III.

3. *Notho, nothæve, cognationis jus nullum esto, ne quidem in iis, quæ sive sacra, sive publica, spectant. Secundum hanc legem judicia redduntor ab Euclidis prætura*. Demosthen. *ad Macartatum*.

4. *Si quem orbus, rerum suarum dominus, adoptaverit, ea adoptio rata esto*. Demosthen. *ad Leocharem*.

5. *Vivus liberos adoptato*. Vivus pro sano & sapienti poni videtur. Libanius *Argumento Orat. Demosthenis ad Leocharem*.

6. *Adoptatus in familiam suam naturalem ne redito, nisi relicto in adoptiva familia filio legitimo*. Isæus *de hæred. Philoctemonis*. & Harpocratio. Solonis lex. Vide *lib.* IV. *cap.* XV.

7. *Patres liberis, quæcumque libuerit, nomina imponunto, aut etiam aliis mutanto*. Demosthen. *Orat.* πρὸς Βοιωτὸν περὶ ὀνόματος. Vide *lib.* IV. *cap.* XIV.

8. *Si quis aliquem in* Φρατόρων *album referat, sive legitimum, sive adoptivum, jurejurando caveto, eum, sive legitimus sit, sive adoptivus, cive natum, & legitime adoptatum esse*. Isæus *de hæred. Apollodori*. Vide lib. I. cap. IX.

9. *Hostias immolanto intra legitimum pondus; capram quidem quinquaginta minarum pondo, duas vero oves pondo quadraginta octo minarum*.

A

Ο ΤΩΝ ΕΦΗΒΩΝ ΟΡΚΟΣ.

Οὐ καταισχυνῶ τὰ ὅπλα τὰ ἱερὰ, οὐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην ὅτῳ ἂν στοιχήσω. Αμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων, καὶ μόνος, καὶ μετὰ πολλῶν, καὶ τὴν πατρίδα οὐκ ἐλάττω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ ἀρείω, πλεύσω δὲ κατὰ γῆς, καὶ καταρώσω, ὁπόσην ἂν παραδέξωμαι, καὶ εὐηκοήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων ἐμφρόνως, καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι, καὶ οὓς τινας ἂν ἄλλους τὸ πλῆθος ἱδρύσηται ὁμοφρόνως, καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς, ἢ μὴ πείθηται οὐκ ἐπιτρέψω. Αμυνῶ δὲ καὶ μόνος καὶ μετὰ πάντων, καὶ ἱερὰ τὰ πάτρια τιμήσω, ἵστορες Θεοὶ, Αγραυλοὶ, Ενυάλιος, Αρης, Ζεὺς, Θηλὼ, B Ηγεμόνη.

Υπερμαχεῖν ἄχρι θανάτου τῆς θρεψαμένης.

Οροις χρήσασθαι τῆς Αττικῆς, πυροῖς, κριθαῖς, ἀμπέλοις, ἐλαίαις.

Τοὺς γονέας κυρίους εἶναι ἀποκηρῦξαι.

Μὴ ἐξεῖναι θυγατέρας πωλεῖν, μήτ' ἀδελφὰς, πλὴν ἂν μὴ λάβῃ παρθένον ἀνδρὶ συγγεγενημένην.

Τοὺς παῖδας διδάσκεσθαι πρῶτον νεῖν τε καὶ γράμματα· καὶ τοὺς μὲν ὑποδεέστερον πράττοντας, ἔπειτα περὶ τὰς γεωργίας καὶ τὰς ἐμπορίας καὶ τὴν τέχνην. τοὺς δὲ βίον ἱκανὸν κεκτημένους περί τε μουσικὴν, καὶ ἱππικὴν, καὶ τὰ γυμνάσια, καὶ τὰ κυνηγέσια, καὶ τὴν φιλοσοφίαν διατρίβειν. C

Ο τοὺς γονέας τύπτων, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν καὶ τὰ ἐπιτήδεια, ἄτιμος ἔστω.

Εαν δὲ τὶς ἀπαχθῇ τῶν γονέων κακώσεως ἡλωκὼς εἰσιὼν ὅποι μὴ χρὴ, δησάντων αὐτὸν οἱ ἕνδεκα, καὶ εἰσαγόντων αὐτὸν εἰς τὴν Ηλιαίαν, κατηγορείτω δὲ ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστιν. Εαν δὲ ἁλῷ, τιμάτω ἡ Ηλιαία ὅτι χρὴ παθεῖν αὐτὸν ἢ ἀποτίσαι. ἐὰν δὲ ἀργυρίου τιμηθῇ, δεδέσθω τέως ἂν ἐκτίσῃ. D

Υἱῷ τρέφειν τὸν πατέρα μὴ διδαξάμενον τέχνην ἐπανάγκες μὴ εἶναι.

Μηδὲ τοῖς ἐξ ἑταίρας γενομένους ἐπανάγκες εἶναι τοὺς πατέρας τρέφειν.

Υπὲρ τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν πίστιν δοῦναι, ἐάν τις τεθνεῶτι ἐπικαλῶν δικάζηται τῷ κληρονόμῳ. τοὺς γονεῖς τιμᾶν. E

Εαν τις γονέας μὴ θεραπεύῃ, τούτῳ δίκην τε ἐπιτιθέναι, καὶ οὐκ ἐᾶν ἄρχειν τοῦτον.

Υἱῷ τὸν πατέρα ὑπὸ νόσων ἢ γήρως διατιθέμενον αἰσχρῶς ἐξεῖναι παρανοίας γράφεσθαι. παρανοίας δὲ ἑλόντι τὸν πατέρα ἐξεῖναι καὶ δῆσαι.

JUSJURANDUM EPHEBORUM.

Non dehonestabo hæc sacra arma: neque deseram protostaten, quisquis ille sit, quem in versu meo excipiam. Pro aris & focis dimicabo, sive solus, sive cum aliis multis. Patriam libens non relinquam in deteriore, sed potius in meliore statu. Navigabo ad terram, eamque colam, quantulacumque illa sit, quæ habenda mihi tradetur. Obtemperabo iis, qui judicia reddent prudenter. Parebo legibus, quæ obtinent, cæterisque omnibus, quas populus unanimi consensu feret. Quod si quis leges abrogare velit, populo non sciscente, minime feram. Vindicabo autem, sive solus, sive cum aliis omnibus. Patria sacra colam, testes Dii sunto, Agrauli, Enyalius, Mars, Jupiter, Nutritia Terra, Diana. Stobæus, Pollux, Plutarchus *Alcibiade*, & Ulpianus *in Demosthen.* περὶ παραπρεσβείας.

Ad mortem usque pro nutritia terra dimicabo.

Fines agri Attici statuam, frumentum, hordeum, vites, oleas.

Parentibus liberos abdicare jus esto. Demosthen. *Orat. ad Bœotum.* Vide *lib.* IV. *cap.* XV.

Filiam aut sororem vendere nemini jus esto, nisi in ea adhuc virgine mœchum deprehenderit. Solonis lex, e Plutarcho.

Pueri natare & literas primum docentor. Tenuiores deinde ruri opus facere, aut peregre ad mercatum ire, aut artem exercere: honestiores vero in musicis, in re equestri, in gymnicis, ad venandum, in philosophia instituuntor. Solonis lex.

Si quis parentes pulsaverit, aut non aluerit, aut tectum ad habitandum cæteraque necessaria non præbuerit, ignominiosus esto. Solonis lex, e Diogene Laertio, & Æschine *in Timarchum.* Vide *lib.* IV. *cap.* XV.

Si quis damnatus malæ parentum tractationis, & deprehendatur ingredi loca, quibus arcetur, undecim viri capitales eum vinciunto, & in judicium apud Heliæam rapiunto: quicumque voluerit, cui licet, accusato. Heliæa ei convicto pœnam vel mulctam irrogato. Si mulcta irrogata fuerit, quousque eam solverit, in vinculis esto. Solonis lex, e Demosthene *Orat. in Timocratem.* Vide *ibid.*

Filius, quem pater artem non docuerit, ad eum exhibendum ne cogitor. Solonis lex, e Plutarcho. Vide *ibid.*

Nothi patres alere ne coguntor. Solonis lex, e Plutarcho. Vide *ibid.*

Filius pro patre jusjurandum dato, si quis mortuum criminatus, cum hærede agat. Honorato parentes. Demosthen. *ad Callippum.*

Si quis parentes non honorarit, dica illi scribitor, neque magistratum gerito. Xenophon Απομνημονευμάτων *lib.* II.

Filio jus esto patri tanquam desipienti ob morbum vel senectutem dicam scribere; desipere convictum in vinculis habeto. Xenophon Απομνημονευμάτων *lib.* I. Vide *lib.* IV. *cap.* XV.

De Inquilinis.

TITULUS V.

F

Τῶν μετοίκων ἕκαστον ἕνα τῶν ἀστῶν νέμειν προστάτην, καὶ δι' αὐτοῦ τό τε μετοίκιον τίθεσθαι κατ' ἔτος, καὶ τὰ ἄλλα διοικεῖσθαι.

Απροστασίου δίκη.

Μὴ ἐξεῖναι διαμαρτυρεῖν τοῖς ξένοις ἐπὶ ταῖς γραφαῖς ταῖς τοῦ Απροστασίου.

Inquilinorum singuli unum de civibus patronum eligunto: per illum quotannis tributum pendunto, cæteraque alia administranto. Vide *lib.* I. *cap.* X.

Actio propter non adoptatum patronum, aut *tributum non præstitum.* Vide *ibid.*

Peregrinis testimonii dictio non esto in actionibus Απροστασίου *ad exceptionem.*

Τὰς τῆς ξενίας γραφθέντας ἐν τῷ οἰκήματι πρὸ τῆς κρίσεως μένειν, καὶ μὴ ἐξεῖναι ἐγγυητὰς καταστῆσαι. κἂν μὲν ἁλῶσι, καὶ παρὰ τῷ δικαστηρίῳ πεπρᾶσθαι.

Τοὺς ἀποφυγόντας ξενίας ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ πάλιν γράψασθαι δωροξενίας.

A *Peregrinitatis accusati in vincula, antequam judicium reddatur, conjiciuntor. Fidejussores dare iis jus non esto. Convicti apud judices venduntor.* Demosthen. *in Timocratem*. Vide *lib.* I. *cap.* IX.

Absolutum judicio peregrinitatis jus esto cuicumque libuerit accusare corrupti muneribus judicii. Hyperides *in Aristagoram*. Vide *ibid.*

De Servis & Libertis.

TITULUS VI.

Ἄν τις τύπτῃ τὸν ἀλλότριον δοῦλον, γραφὰς εἶναι αἰκίας κατὰ τοῦ τύπτοντος.

Μηδενὶ ἐξεῖναι Ἀθηναίων, μηδὲ τῶν οἰκούντων Ἀθήνησιν, ἐλεύθερον σῶμα πρίασθαι ἐπὶ δουλείᾳ ἐκ τῶν ἁλισκομένων, ἄνευ τῆς τοῦ προτέρου δεσπότου γνώμης.

Ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ ἀφαιρεῖσθαι εἰς ἐλευθερίαν, καὶ κατεγγυῆσαι τὸν ἀγόμενον εἰς δουλείαν πρὸς τῷ Πολεμάρχῳ.

Ἐὰν μή τις δικαίως εἰς ἐλευθερίαν ἀφέλεσθαί τινα, τὸ ἥμισυ τοῦ τιμήματος ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ.

Τοῖς δούλοις ἐξεῖναι πρᾶσιν αἰτεῖσθαι, καὶ δεσπότην μεταβάλλειν ἐπιεικέστερον.

Τοῖς δούλοις ἐξεῖναι ἑαυτοὺς ἐλευθερῶσαι, ἀργύριον καταβαλλόντας τῷ δεσπότῃ.

Μὴ οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν Κήρυκα.

Τοὺς ἀπελευθερωθέντας μὴ ἀφίστασθαί τι ὑπὸ τῶν ἀπελευθερωσάντων, μήτε ἕτερον ἐπιγράφεσθαι προστάτην, καὶ ἃ κελεύουσιν οἱ νόμοι ποιεῖν.

Ἀποστασίου γραφὰς εἶναι κατὰ τῶν ἀπελευθερωθέντων τοῖς ἀπελευθερώσασιν, ἐὰν ἀφιστῶνταί τι ἀπ' αὐτῶν, ἢ ἕτερον ἐπιγράφωνται προστάτην, καὶ ἃ κελεύουσιν οἱ νόμοι, μὴ ποιῶσι· καὶ τοὺς μὲν ἁλόντας δούλους εἶναι· τοὺς δὲ νικήσαντας, τελέως ἤδη ἐλευθέρους.

Ἐξεῖναι ἐπὶ ταῖς γραφαῖς ταῖς τοῦ Ἀποστασίου διαμαρτυρεῖν τῷ βουλομένῳ ὁμοίως τῶν ξένων καὶ τῶν ἐπιχωρίων.

Τοῦ λυσαμένου ἐκ τῶν πολεμίων εἶναι τὸν λυθέντα, εἰ μὴ ἀποδιδῷ λύτρα.

Μὴ ἐξεῖναι ἀργὸν τρέφειν οἰκέτην.

B *Si quis alienum servum pulsarit, adversus eum lege injuriarum agito.* Xenophon *de Athen.Repub.* Vide *lib.* I. *cap.* X.

Atheniensium civium, aut inquilinorum, nullus captivum, qui liber fuerit, in servitutem vendito, absque prioris domini consensu. Lycurgi Oratoris lex e Plutarcho.

Cuivis jus esto alium liberali asserere causa manu, seque pro illo fidejussorem dare apud Polemarchum, Æschines *in Timarchum*.

Si quis per injuriam alterius servum liberali causa manu asseruerit ærario semissem æstimationis pendito. Argument. Demosthen. *in Theocrinem*.

C *Servis jus esto dominos iniquos adigere, ut se vendant humanioribus.* Plutarch. *de superstitione*.

Servis jus esto libertatem consequi, numerata domino pecunia pro capite. Dion Chrysost. *Orat.* XV.

Servos liberos in theatro ne renunciato: Præco, qui renunciarit, ignominiosus esto. Æschines *in Ctesiphontem*.

Liberti eos, a quibus manumissi sunt, colunto: neminem alium patronum adoptanto: eaque, quæ legibus imperantur, iis præstanto. E Grammaticis colligitur hæc lex.

D *Actio* Ἀποστασίου *patronis esto adversus libertos, qui patronos non coluerint, aut alios adoptaverint, eaque, quæ legibus imperantur, non præstiterint: convicti liberti in servitutem revocantor: si secundum libertos pronunciatum fuerit, perfecte liberi sunto.* Et Grammaticis.

Cui libuerit, sive peregrino, sive civi, testimonii dictio esto in actionibus Ἀποστασίου *ad exceptionem.* Ex Hyperide apud Harpocrat.

Redemtus ex hostibus illius esto, qui redemit, nisi redimias ipse persolverit. Demosthenes *ad Nicostratum*.

Servum otiosum ne alito. Ulpian. *in Medianam*.

LIBER TERTIUS.

De Senatu Quingentorum & Concione.

TITULUS I.

Δὶς οὐκ ἐξεῖναι γενέσθαι αὐτὸν τὸν Ἐπιστάτην.

E *Nemini bis esse Epistatæ liceto.* Pollux *l.* VIII. *cap.* IX. Vide *lib.* I. *cap.* XVIII.

Ὁ ΒΟΥΛΕΥΤΙΚΟΣ ΟΡΚΟΣ.

JUSJURANDUM SENATUS.

Τὰ βέλτιστα βουλεύειν τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων.

Κατὰ τοὺς νόμους βουλεύσειν.

Οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα, ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθίστῃ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας, πλὴν ἐάν τις ἐπὶ

Optima quæque consulam Atheniensi populo. Juramenti primum caput e Demosthene *adversus Neæram*. Secundum e Xenophontis Ἀπομνημονευμάτων *lib.* I. Tertium e Demosthenis *Timocratea*. Quartum e Philochoro. Quintum ex Andocide *de Mysteriis*.

Secundum leges consulam.

Neminem vinciam, qui vades dederit tres ejusdem census, nisi quis ad urbem prodendam, aut popula-

προδοσίᾳ τῆς πόλεως, ἢ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου συνιὼν ἁλῷ, ἢ τέλος πριάμενος, ἢ ἐγγυσάμενος, ἢ ἐκλέγων, μὴ καταβάλῃ.

Καθεδεῖσθαι ἐν τῷ γράμματι, ᾧ λάχωσι.

Καὶ οὐ δέξομαι ἔνδειξιν οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων πλὴν τῶν φευγόντων.

Φῶκος εἶπεν. Ὅπως ἂν ἡ βουλὴ ἄγῃ τὰ Ἀπατούρια μετὰ τῶν ἄλλων Ἀθηναίων κατὰ τὰ πάτρια. Ἐψηφίσθαι τῇ βουλῇ ἀφεῖσθαι τοὺς βουλευτὰς τὰς ἡμέρας, ὥσπερ καὶ αἱ ἄλλαι βουλαὶ διαφίενται ὑπὸ τῆς ἡμέρας, ἧς οἱ Προτένθαι ἄγουσι πέντε ἡμέρας.

Τὸν κήρυκα εὔξασθαι μετ' εὐφημίας πολλῆς, καὶ οὕτως τὸ βουλεύεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων παραδιδόναι.

Τὸν κήρυκα τοῖς θεοῖς εὔχεσθαι, εἴ τις δῶρα λαμβάνων μετὰ ταῦτα λέγῃ καὶ γινώσκῃ περὶ τῶν πραγμάτων, ἐξώλη ποιεῖν αὐτὸν, καὶ γένος, καὶ οἰκίαν.

Πρῶτον μὲν τὸν πρεσβύτατον τῶν Ἀθηναίων σωφρόνως ἐπὶ τὸ βῆμα παρελθόντα τὰ βέλτιστα τῇ πόλει συμβουλεύειν. δεύτερον δ' ἤδη καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν τὸν βουλόμενον καθ' ἡλικίαν.

ΚΗΡΥΓΜΑ.

Τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων.

Λέγειν τῶν ἄλλων Ἀθηναίων τὸν βουλόμενον, οἷς ἔξεστι.

Καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν ἀποκληροῦν φυλὴν ἐπὶ τὸ βῆμα, ἥτις προεδρεύσει, καὶ καθῆσθαι τοὺς φυλέτας βοηθοῦντας τοῖς νόμοις καὶ τῇ δημοκρατίᾳ.

Τοὺς Πρυτάνεις μὴ ἀναψηφίσαι.

Οὐκ ἐξεῖναι τῇ βουλῇ Ἀθηναίων δῆσαι οὐδένα, ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθίστῃ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας, πλὴν ἐάν τις ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς πόλεως, ἢ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου συνιὼν ἁλῷ, ἢ τέλος πριάμενος, ἢ ἐγγυησάμενος, ἢ ἐκλέγων, μὴ καταβάλῃ.

Τὴν βουλὴν κυρίαν εἶναι ζημιοῦν πεντακοσίαις.

Τὴν βουλὴν τῶν Πεντακοσίων ποιεῖσθαι τριήρεις καινάς.

Τὴν βουλὴν τὴν ποιήσασαν τὰς τριήρεις αἰτεῖν τὴν δωρεάν. τὴν μὴ ποιήσασαν τὰς τριήρεις μὴ αἰτεῖν δωρεάν.

Τὴν βουλὴν τοὺς Πεντακοσίους ὑπεύθυνον εἶναι.

Ἐὰν ἀξίως ἡ βουλὴ δοκῇ βουλεῦσαι δωρεᾶς, διδόναι τὸν δῆμον τὴν δωρεὰν αὐτῇ.

A *rem statum evertendum conspirarit; aut emtor vectigalium, aut sponsor, aut coactor, pecuniam non numerarit.*

Assidebo eo ordine, quem litteræ sors attribuerit.

Neminem, nisi exsulum, deferri ducive sinam, præteritorum causa.

Phocus dixit: Senatus Apaturiorum festum agitet cum aliis Atheniensibus secundum instituta patria. Senatores ferientur tot diebus, per quot reliquæ curiæ vacant, quinque nempe diebus ab eo, quem Protenthæ celebrant. Ex Athenæo. Vide festa in Ἀπατούρια.

Præco omnia fausta apprecator, & in medium
B *consulere jubeto.* Dinarchus *in Aristogitonem*. Vide *lib.* I. *cap.* XVII.

Præco diris devoveto, si quis muneribus acceptis pro concione verba faciat, & ad Rempublicam accedat, ut hunc Dii cum gente & familia male perdant. Ibid.

Primi Atheniensium seniores, decenter suggesto adscenso, optima quæque populo Atheniensium consulunto. Deinde & alii ordine, quibus libuerit, pro ætatis ratione. Solonis lex. Æschines *in Ctesiph.*

PRÆCONIUM.

C *Quis major quinquagenario orationem ad populum habere vult?* Æschines *in Ctesiphontem.*

Quis aliorum Atheniensium, quibus licet, orationem habere vult.

Singulis concionibus sortito ducitor tribus, quæ præsideat circa suggestum, & leges atque Rempublicam tueatur. Æschines *in Timarchum.*

Prytanes populum iterum de eadem re in suffragium ne mittunto. Niciæ Orat. apud Thucyd. *lib.* VI.

Senatui Atheniensium civem vincire jus non esto, si vades dederit tres ejusdem census: nisi quis ad ur-
D *bem prodendam, aut popularem statum evertendum conspirarit: aut emtor vectigalium, aut sponsor, aut coactor, pecuniam non numerarit.* Demosthenes *Timocrat.* Vide *lib.* I. *cap.* XVIII.

Senatui jus esto mulctare drachmis quingentis. Demosthen. *in Euerg. & Mnesibul.* Vide *ibid.*

Senatus Quingentorum naves novas ædificato. Demosthenes *Androtiana*, & in *ejus Argumento* Libanius, *ibidem*que Ulpianus.

Senatus, qui naves ædificavit, munus petito: si secus fecerit, munus ne petito. Iidem *ibid.*

Quingentorum Senatus reddundis rationibus obnoxius esto. Æschines *in Ctesiphontem.*

Si bene Rempublicam gesserit Senatus, meritum illi populus muneris honorem habeto. Demosthen. Ulpianusque *Androtiana.*

De Magistratibus.

TITULUS II.

Τοὺς εὐπόρους τὰς ἀρχὰς ἁπάσας ἄρχειν.

Κυάμοις τὰς ἀρχὰς αἱρέεσθαι.

Ἐπὶ τῷ δυοῖν πινακίοιν τὸν ἕνα κληροῦσθαι, θάνατος ζημία.

Τὸν δῆμον Ἀρχόντων καταστάσεως κύριον εἶναι.

Δὶς μὴ ἀρχὴν τὴν αὐτὴν ἄρχειν τὸν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ. μηδὲ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ.

Τὰς χειροτονητὰς ἀρχὰς ἁπάσας, καὶ τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων, καὶ πάντας ὅσοι διαχειρίζουσι

E *Ii soli, quibus census est, magistratus gerunto.* Solonis lex, e Plutarcho. Vide *lib.* I. *cap.* XI.

Fabis magistratus sortiuntor. Lucianus.

Si quis duabus tabellis magistratum sit sortitus, capital esto. Demosthen. πρὸς Βοιωτὸν περὶ ὀνόματος.

Populus magistratus creato.

Idem eumdem magistratum eodem anno bis ne gerito. Neque item duos magistratus eodem anno. Ulpianus *in Demosthenis Timocrateam.*

Electi magistratus omnes, quotquot sunt, & præfecti publicorum operum, & omnes, qui Rempublicam gerunt,

τι τῶν τῆς πόλεως, πλέον ἢ τριάκονθ' ἡμέρας, καὶ ὅσοι λαμβάνουσιν ἡγεμονίας δικαστηρίων ἄρχειν δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ, καὶ λόγον, καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστὰς, καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχάς.

A

Εγγράφειν, ὅτι ἔλαβον τοῦτο τῶν τῆς πόλεως, τοῦτο ἀνήλωσα· ἢ ὅτι ἔλαβον οὐδὲν τῶν τῆς πόλεως, οὔτ' ἀνήλωσα.

Τὸν ὑπεύθυνον τὴν οὐσίαν μὴ καθιεροῦν, μηδὲ ἀνάθημα ἀναθεῖναι, μηδὲ ἐκποίητον γενέσθαι, μηδὲ διαθέσθαι τὰ ἑαυτοῦ.

Αρχὴν ὑπεύθυνον μὴ ἀποδημεῖν.

B

Εάν τις ὀφείλων ἄρχῃ τῷ δημοσίῳ, θάνατον ζημίαν εἶναι.

Εἴ τις ἐπιχειροίη τυραννεῖν, θάνατον ζημίαν εἶναι.

Ος ἂν ἄρξῃ ἐν τῇ πόλει τῆς δημοκρατίας καταλυθείσης, νηποινὶ τεθνάναι. καὶ τὸν ἀποκτείναντα ὅσιον εἶναι, καὶ τὰ χρήματα ἔχειν τοῦ ἀποθανόντος.

ΨΗΦΙΣΜΑ.

C

ΕΔοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, Αἴαντις ἐπρυτάνευε, Κλεογένης ἐγραμμάτευε, Βοηθὸς ἐπεστάτει, τάδε Δημόφαντος συνέγραψεν, ἄρχει χρόνος τοῦδε τοῦ ψηφίσματος. ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι λαχόντες τῷ κυάμῳ, ὅτε Κλεογένης πρῶτον ἐγραμμάτευεν, ἐάν τις δημοκρατίαν καταλύῃ τὴν Αθήνησιν, ἢ ἀρχὴν τινὰ ἄρξῃ καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας, πολέμιος ἔστω Αθηναίων, καὶ νηποινὶ τεθνάτω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ δημόσια ἔστω, καὶ τῆς Θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον. ὁ δὲ ἀποκτείνας τὸν ταῦτα ποιήσαντα, καὶ ὁ συμβουλεύσας, ὅσιος ἔστω καὶ εὐαγής, ὀμόσαι Αθηναίους ἅπαντας καθ' ἱερῶν τελείων, κατὰ φυλὰς καὶ κατὰ δήμους, ἀποκτείνειν τὸν ταῦτα ποιήσαντα.

D

ΟΡΚΟΣ.

ΚΤενῶ τῇ ἐμαυτοῦ χειρὶ, ἂν δυνατὸς ὦ, ὃς ἂν καταλύσῃ τὴν δημοκρατίαν τὴν Αθήνησι, καὶ ἐάν τις ἄρξῃ τὴν ἀρχὴν καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας τὸ λοιπόν· καὶ ἐάν τις τυραννεῖν ἐπαναστῇ, ἢ τὸν τύραννον συγκαταστήσῃ· καὶ ἐάν τις ἄλλος ἀποκτείνῃ, ὅσιον αὐτὸν νομιῶ εἶναι, καὶ πρὸς Θεῶν καὶ Δαιμόνων, ὡς πολέμιον κτείναντα τῶν Αθηναίων· καὶ τὰ κτήματα τοῦ ἀποθανόντος πάντα ἀποδόμενος ἀποδώσω τὰ ἡμίσεα τῷ ἀποκτείναντι, καὶ λόγῳ καὶ ψήφῳ, καὶ οὐκ ἀποστερήσω οὐδέν· ἐὰν δέ τις κτείνων τινὰ τούτων ἀποθάνῃ ἢ ἐπιχειρῶν, εὖ ποιήσω αὐτόν τε, καὶ τοὺς παῖδας τοὺς ἐκείνου, καθάπερ Αρμόδιόν τε καὶ Αριστογείτονα, καὶ τοὺς ἀπογόνους αὐτῶν.

E

Οπόσοι δὲ ὅρκοι ὀμώσονται Αθήνησιν, ἢ ἐν τῷ στρατοπέδῳ, ἢ ἄλλοθί που, ἐναντίοι τῷ δήμῳ τῶν Αθηναίων, λύω καὶ ἀφίημι.

Τὰς ἐκ τοῦ δήμου χειροτονίας ἐν τῇ βουλῇ μὴ ἐξόμνυσθαι.

Εάν τις ἀρχὴν ἐν συνεδρίῳ λοιδορῇ, ζημιοῦσθαι.

ΑΝΑΚΡΙΣΙΣ ΤΩΝ ΕΝΝΕΑ ΑΡΧΟΝΤΩΝ.

F

ΕΙ Αθηναῖοι εἰσὶν ἑκατέρωθεν ἐκ τριγονίας, καὶ τῶν δήμων πόθεν· καὶ Απόλλων ἐστὶν αὐτοῖς Πατρῷος, καὶ Ζεὺς Ερκεῖος.

Ὠ ἄνθρωπε, τίς ἦν σοὶ πατήρ; ἐμοί; ὁ δεῖνα. Οἰκεῖοι τίνες εἶναι μαρτυροῦσιν αὐτῷ; πάνυ γε· πρῶτον μέν γε ὁ δεῖνα ἀνεψιοί· εἶτα οἱ δεῖνα ἀνεψιαδοῦς· εἶτα ὁ δεῖνα, οἷς ἠρία ταῦτα· εἶτα Απόλλωνος Πατρῴου καὶ Διὸς Ερκείου γεννῆται· εἶτα φράτορες· εἶτα οἱ δημόται, πολλάκις αὐτὸν δεδοκιμάσθαι καὶ ἀρχὰς

gerunt, ultra dies triginta, quique judiciis præsunt, a judicibus approbantor: & probati magistratum gerunto: magistratu abdicato, ejus gesti apud scribam & logistas rationes referunto, quemadmodum & alii magistratus. Æschines *in Ctesiphontem.*

Rationes ita referuntor: hoc de publico accepi, hoc expendi: vel nihil de publico accepi, nihil expendi. Idem *ibid.*

Magistratus referendis rationibus obnoxius de suis bonis nihil quidquam diis consecrato, aut appendito. Neque adoptator, neque testamentum facito. Idem *ibid.*

Magistratus, prinsquam rationes retulerit, corona ne donator. Idem *ibid.*

Si quis ærarius magistratum gerat, capital esto. Demosthenes *Leptinea.*

Si quis tyrannidem affectarit, capital esto. Plutarchus *Solone.*

Qui magistratum gesserit everso Reipublicæ statu, eum impune occidito: qui occiderit, purus a cæde esto, ejusque bona illi cedunto. Andocides *de Mysteriis.*

PSEPHISMA.

PLacuit Senatui, populoque Atheniensium: Ajantis tribus imperabat, Cleogenes erat scriba: Boetbus præerat: Demophantus psephisma scripsit. Incipit tempus hujus psephismatis, ex quo Quingentorum Senatu sorte capto, Cleogenes primum scriba erat. Si quis Atheniensium Remp. evertat, aut ea eversa magistratum gerat. Atheniensium hostis esto, impuneque occiditor, bona ejus publicantor, subducta eorum parte decima Minervæ sacra. Is, qui occiderit, aut occidendi consilium dederit, purus a cæde esto: Athenienses omnes, in sua quisque tribu & populo, inter sacra jurant se occisuros, qui hæc patrare sustineat. Andocides *ibid.*

JUSJURANDUM.

OCcidam mea ipsius manu, si possim, eum, qui everterit Remp. Atheniensium, aut ea eversa magistratum gesserit in posterum: & si quis tyrannidem invadat ipse, aut alteri adstruat, eumque quis alius occiderit, is mihi purus erit a cæde apud Deos & Dæmonas, ut qui populi Atheniensium hostem occiderit: bonaque occisi restituam, ita ut semissis eorum cedat illi, qui occidit, me auctore & suffragante, neque quidquam subducam: si quis autem, dum occidit, aut aggreditur illos, pereat, honores ei tribuam, quales Harmodio & Aristogitoni, eorumque posteris. Lycurgus *in Leocratem.*

Quæcumque autem juramenta concipientur Athenis, aut in castris, aut ubicumque sit, contraria Atheniensium populo, irrita habeo & remitto.

Munus a populo mandatum apud Senatum ne ejurato. Æschines *de falsa Legat.*

Si quis magistratui forum agenti maledixerit, mulcta ei irrogator. Lysias *pro Milite.*

EXAMEN NOVEMVIRORUM.

AN ab abavis utrinque cives essent Athenienses, & ex quo populo: an illis esset Apollo Patrius, & Jupiter Herceus, necne. Pollux *l.* VIII. c. IX. Vide *l.* I. c. XII.

Heus tu, quis tibi pater est? Mihine? Ille. Quinam de cognatione testimonium illi dicunt? Multi; primum quidem hi patrueles: deinde hi patruelum filii: deinde hi, quibus sepulchri jus cum illo commune est: deinde Apollinis Patrii & Jovis Hercei cognati: deinde phratores: deinde populares, qui

ἄρξαι, καὶ αὐτοῦ διεψηφισμένοι φαίνονται.

Ὦ ἄνθρωπε, τίς ἦν σοι μήτηρ; ἐμοί; ἡ δεῖνα. οἰκεῖοι τίνες μαρτυροῦσιν αὐτῇ; πάνυ γε· πρῶτον μέν γε οἱ δεῖνα ἀνεψιοί· εἶτα οἱ δεῖνα ἀνεψιαδοῦς· εἶτα οἱ φράτερες τῶν οἰκείων αὐτῆς καὶ δημόται.

Εἰ τοὺς γονέας εὖ ποιοῦσι.
Εἰ ἐστρατεύοντο ὑπὲρ τῆς πατρίδος.
Εἰ τὸ τίμημά ἐστιν αὐτοῖς.
Εἰ ἀφελεῖς.

A illi sæpius suis suffragiis magistratus commiserunt, atque approbarunt.

Heus tu, quæ tibi mater est? Mihine? Hæc. Quinam de cognatione testimonium illi dicum? Multi: primum quidem hi patrueles: deinde hi patruelum filii: deinde phratores & populares cognatorum ejus.

An parentes honorarint, necne?
An pro patria militarint, necne?
An census sit illis, necne?
An integri corporis essent, necne?

ΟΡΚΟΣ ΤΩΝ ΕΝΝΕΑ ΑΡΧΟΝΤΩΝ.

Συμφυλάξειν τοὺς νόμους, ἢ χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀποτίσαι ἰσομέτρητον.

Τῷ Ἄρχοντι, ἂν μεθύων ληφθῇ, θάνατος ἔστω ἡ ζημία.

Ἐὰν Θεσμοθέτην, ἢ Ἄρχοντα ἐστεφανωμένον, ἢ τινα τούτων, οἷς ἂν ἡ πόλις τινὰ ἄδειαν, ἢ στεφανοφορίαν, ἢ τινὰ τιμὴν δῷ, ὑβρίζῃ τις, ἢ πατάξῃ, ἢ κακῶς εἴπῃ, ἄτιμος ἔστω καθάπαξ.

JUSJURANDUM NOVEMVIRORUM.

B *Leges observabo, si secus fecero, auream statuam meam æqui ponderis pendam.* Pollux *l.* VIII. c.X. Plutarchus in *Solone*, &c.

Si Archon vino madere deprehensus fuerit, capital esto. Laertius *Solone*.

Si quis Thesmothetam, aut Archontem coronatum, aut aliquem eorum, quibus civitas, aut immunitatem aliquam, aut coronam ferre, aut honorem aliquem concessit, contumelia affecerit, aut pulsaverit, aut maledixerit, ignominiosus esto. Demosthenes *Midiana*.

* *Regis uxor civis est, virgoque, ei nubito.* Lex hæc in columna lapidea juxta Bacchi aram ἐν λίμναις scripta, eaque cautum, ne quid in sacris præter ritus patrios fieret. Demosthenes *in Neæram*.

Τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν εἶναι ἐκ τῶν κατ' ἐνιαυτὸν Ἀρχόντων.

Τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν εἶναι ἐπίσκοπον πάντων, καὶ φύλακα τῶν νόμων.

Μηδένα ποιεῖν κωμῳδίας Ἀρεοπαγίτην.

Τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ἐγγράφειν πρὸς τοὺς λογιστὰς λόγον καὶ εὐθύνας διδόναι.

Τὸν στρατηγὸν παιδοποιεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ γῆν ἐντὸς ὅρων κεκτῆσθαι.

C *In Senatum Areopagiticum Novemviri cooptantor.* Plutarchus *Solone*, Libanius *Argumento Androtianæ*. Vide *l.* I. c. XIX.

Senatus Areopagi Rempubl. consilio suo cogito, legesque servato. Plutarchus *Solone*.

Nullus Areopagitarum comœdiam scribito. Plutarchus *de gloria Atheniensium*.

Senatus Areopagiticus apud logistas rationes suas referto. Æschines *in Ctesiphontem*.

Strategus liberos suscipito e legitimis nuptiis: agrumque intra fines Atticæ possideto. Dinarchus *in Demosthen.* Vide *l.* III. c.V.

ΟΡΚΟΣ ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ.

Δὶς ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὴν Μεγαρικὴν ἐμβάλλειν.

Τοὺς στρατηγοὺς δεινὰ ποιοῦντας, καὶ κατάγοντας τὰ πλοῖα τῶν συμμάχων, εἰσαγγέλλειν.

Μὴ ἐξεῖναι χειροτονηθέντα ὑπὸ τοῦ δήμου πλέον, ἢ ἅπαξ συνδικῆσαι.

Ἂν τις ἀστυνομήσῃ δίς.

Γνώμη τοῦ δήμου χειροτονεῖσθαι τὸν ταμίαν.

Μὴ πλείω πέντε ἐτῶν διέπειν τὸν χειροτονηθέντα ἐπὶ τὰ δημόσια χρήματα.

Νόμος περὶ τῶν ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένων.

Ὁ ἡγεμόνος νόμος περὶ τῶν ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένων.

Ἐάν τις, οὔτε βουλῆς, οὔτε δήμου, χειροτονήσαντος αὐτὸν, ᾤχετο πρεσβεύων, θάνατος ἡ ζημία ἔστω.

Ὑπογραμματεῦσαι οὐκ ἔξεστι δὶς τὸν αὐτὸν τῇ ἀρχῇ τῇ αὐτῇ.

* *Hæc lex a Pottero addita.*

JUSJURANDUM STRATEGORUM.

D *Bis quotannis in agrum Megarensem irrumpam.* Plutarchus *Pericle*.

Adversus strategos vexantes socios, aut eorum naves intercipientes, publica instituuntor judicia. Demosthenes περὶ τῶν Χερρονήσῳ.

Nemo, plusquam semel, syndicus a populo creator. Demosthen. *in Leptinem.* Vide *l.* I. c.XV.

Si quis semel atque iterum astynomus fuerit. Demosthen. *Prœem.* LXIV. Vide *ibid.* Illa verba pars sunt istius legis, quæ prohibuit astynomos bis fieri.

E *E populi sententia quæstores creantor.* Ulpianus *ad Androtionem*.

Quæstor ultra quinquennium non esto. Plutarch. *Lycurgo Oratore*.

Lex de quæstoribus theoricæ pecuniæ.

Lex hegemonis de quæstoribus theoricæ pecuniæ.

Si quis, neque a Senatu, neque a populo creatus, aliquo legatus eat, capital esto. Demosthenes *de falsa Legat.*

Semel tantum sub eodem magistratu scriba esto. Lysias *in Nicomachum.* Vide *l.* I. cap. XV.

De Oratoribus.

TITULUS III.

A

ΜΗ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τριάκοντα ἔτη γεγονότα.

NE quis annis triginta minor in Senatu, aut populo, orato. Vide l.I. cap.XV. Hæc de publicis Oratoribus intelligi solent, cum iis quæ sequuntur.

ΔΟΚΙΜΑΣΙΑ ΡΗΤΟΡΩΝ.

ΑΝ τὶς λέγῃ ἐν τῷ δήμῳ, τὸν πατέρα τύπτων, ἢ τὴν μητέρα, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν.

Εἰ τὰς στρατείας μὴ ἐστρατευμένος, ὅσαι ἂν αὐτῷ προσταχθῶσιν, ἢ τὴν ἀσπίδα ἀποβεβληκώς.

Εἰ πεπορνευμένος, ἢ ἡταιρηκώς.

B

Εἰ ὁ τὰ πατρῷα καταδηδοκὼς, ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται.

Ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα λέγῃ, δοκιμασίαν μὲν ἐπαγγειλάτω Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστιν· τοὺς δὲ δικαστὰς περὶ τούτων ἐν τῷ δικαστηρίῳ διαγινώσκειν.

Τὸν ῥήτορα παιδοποιεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ γῆν ἐντὸς ὅρων κεκτῆσθαι.

Τῶν ῥητόρων ἐὰν τὶς λέγῃ ἐν βουλῇ ἢ ἐν δήμῳ περὶ τῶν εἰσφερομένων, ἢ μὴ χωρὶς περὶ ἑκάστου, ἢ δὶς περὶ τοῦ αὐτοῦ ὁ αὐτὸς τοῖς αὐτοῖς, ὅτι ἢ λοιδορεῖται, ἢ κακῶς ἀγορεύει τινὰ, ἢ ὑποκρούει, ἢ χρηματιζόντων μεταξὺ ἀνηκέστως λέγῃ περὶ τῶν μὴ ἐπὶ τοῦ βήματος, ἢ παρακελεύηται, ἢ ἕλκῃ τὸν Ἐπιστάτην ἀφειμένης τῆς ἐκκλησίας ἢ τῆς βουλῆς, κυριευέτωσαν οἱ Πρόεδροι μέχρι πεντήκοντα δραχμῶν, εἶθ' ἕκαστον ἀδίκημα ἐπιγράφειν τοῖς πράκτορσιν. Ἐὰν δὲ πλέονος ἄξιός ἐστι ζημίας ἐπιβάλλοντος μέχρι πεντήκοντα δραχμῶν εἰσφερέτωσαν εἰς τὴν βουλὴν, ἢ εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, ὅταν διεξίωσι κλήσεις κρινάτωσαν. καὶ ἐὰν καταγνωσθῇ αὐτοῦ κρύβδην ψηφιζόντων τῶν βουλευτῶν, ἐγγραψάτωσαν οἱ Πρόεδροι τοῖς πράκτορσι τῶν παρανόμων.

DE ORATORUM VITA QUÆSTIO.

SI quis in populo oret, qui alterum parentum pulsarit, aut non aluerit, aut tectum ad habitandum non præbuerit. Æschines *in Timarchum*.

Si ad militiam vocatus non responderit, aut clypeum abjecerit.

Si scortetur, aut muliebria patiatur.

Si paternam, aut aliam quamvis ad se delatam hæreditatem, decoxerit.

Si, inquam, in populo oret nihilominus, illius nomen Atheniensium quivis, cui libuerit, & licuerit, deferto: judicesque ea de re judicium reddunto.

Orator liberos suscipito e legitimis nuptiis, agrumque intra fines Atticæ possideto. Dinarchus *in Demosthenem.*

C

Si quis Oratorum in Senatu, aut in populo, vel non seorsim de re proposita, vel bis de eadem re apud eosdem dixerit, sive conviciatus fuerit, sive maledixerit alicui, sive pede supploserit, vel inter decernenendum importune locutus fuerit de rebus alienis ab his, de quibus referebant Proedri, vel aliquem concitarit, vel Epistatam traxerit, dimissa concione, aut Senatu, ejus mulctandi potestas esto penes Proedros ad quinquaginta drachmæ exigendæ inscribuntor exactoribus hoc nomine. Quod si graviorem meruisse pœnam videbitur, irrogata mulcta ad quinquaginta drachmas usque, deferunto ad Senatum aut concionem, quæ prima habebitur. Ubi in jus vocatus fuerit, in Senatu judicanto. Quod si damnatus fuerit, clam suffragia ferentibus Senatoribus, Proedri mulctam exactoribus exigendam legum violatarum nomine inscribunto. Æschines *in Timarchum.*

De Muneribus & Honoribus.

TITULUS IV.

D

ΕΝιαυτὸν διαλιπόντα ἕκαστον λειτουργεῖν.

Ἐν ἐκκλησίᾳ τὸν Ἄρχοντα ἐπικληροῦν τοῖς χοροῖς τοὺς αὐλητάς.

Μὴ χορεύειν ξένον, ἢ χιλίας ἀποτίνειν τὸν χορηγόν.

Ξένον οὐκ ἔτι εἰσελθόντα εἰς τὸ θέατρον ἐξεῖναι προσκαλέσασθαι πρὸς τὸν Ἄρχοντα.

Ἄν τις χορηγὸς ἀγωνιζόμενον τὸν ξένον καλέσῃ μὲν πρὸς τὸν Ἄρχοντα, πεντήκοντα δραχμάς· ἐὰν δὲ καθίζεσθαι κελεύσῃ, χιλίας ἀποτίνειν.

E

Ἐξεῖναι τοὺς ἀτίμους ἀγωνιζομένους ἐπιλαμβάνεσθαι τῆς χειρὸς, καὶ ἐξάγειν ἐκ τῆς θυμέλης.

Τοὺς Τριηράρχους καλεῖσθαι ἐπὶ τὴν τριήρη συνεκκαίδεκα ἐκ τῶν ἐν τοῖς λόχοις συντελειῶν ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν εἰς τετταράκοντα, ἐπὶ ἴσον τῇ χορηγίᾳ χρώμενον.

Τοὺς Τριηράρχους αἱρεῖσθαι ἐπὶ τὴν τριήρη ἀπὸ τῆς οὐσίας κατὰ τίμησιν ἀπὸ ταλάντων δέκα· ἐὰν δὲ πλειόνων ἡ οὐσία ἀποτετιμημένη ᾖ χρημάτων, κατὰ

ALtero quoque anno munera obeunto. Demosthen. *Leptinea.*

Archontes pro concione tibicines choris sortito danto. Idem *Midiana.*

Hospes in choro ne saltato, si secus fecerit, choragus mille drachmis mulctator. Idem & Ulpianus *Midiana.*

Peregrinum, antequam ludis ipsis saltet, in jus apud Archontem vocare fas esto. Ulpianus *ibid.*

Si quis choragus saltantem in choro hospitem rapiat in jus ad Archontem, drachmis quinquaginta: si suo moveat loco, mille drachmis mulctator. Demosthenes & Ulpianus *ibid.*

Ignominiosos in choro saltantes de scena deturbare fas esto. Demosten. *ibid.*

Trierarchi seni deni ad instruendam unam triremem seponuntor e manipulorum contributionibus, manusque obeunto ab anno ætatis vicesimo quinto ad quadragesimum usque, sumptusque ex æquo faciunto. Demosthenes *de Corona.*

Trierarchi ad triremem instruendam deliguntor e facultatum censu, qui sit denum talentum: si major sit denis talentis, pro censu modo vel tres naves

A τὸν ἀναλογισμὸν ἕως τριῶν πλοίων, καὶ ὑπηρετικοῦ ἡ λειτουργία ἔσω. καὶ οἷς ἐλάττων εἰς συντέλειαν συναγομένοις εἰς τὰ δέκα τάλαντα.

Τοὺς Τριηράρχους τοὺς ἐκπλέοντας, καὶ τοὺς ἐπιμελητὰς ἐν ταῖς συμμορίαις, τοὺς ὀφείλοντας παραλαβεῖν τὰ σκεύη, καθ' ὧν αἱ συμμορίαι συνεπάχθησαν, καὶ εἰσπράττειν.

Τὸν ὀφείλοντα τὰ σκεύη τῇ πόλει, ἢ ἀποδιδόναι τὰ σκεύη, εἰ δὲ μὴ, ἐνέχυρα λήψεσθαι.

Τοὺς διαδόχους ἀπιέναι ἐπὶ τὰς ναῦς, ὅταν κατασταθῶσιν.

B Ἐάν τις μὴ διαδέξηται τὴν ναῦν ἐν τῷ χρόνῳ τῷ εἰρημένῳ, ἐπιτίμια εἶναι.

Τοὺς Τριηράρχους ὑπευθύνους εἶναι.

Καθ' ἕκαστον ἔτος ποιεῖν τὰς ἀντιδόσεις, τὸν εἰς λειτουργίαν τινὰ χειροτονούμενον ὑπεξελθεῖν ἐκ τοῦ συντάγματος, εἴ τινα ἑαυτοῦ πλουσιώτερον σχολάζοντα ἐπεδείκνυε, καὶ εἰ μὲν ὁ προβληθεὶς ὡμολόγει πλουσιώτερος εἶναι, εἰς τοὺς τριακοσίους ἀντικαθίστατο. εἰ δὲ ἠρνεῖτο, τὴν οὐσίαν ἀντεδίδοσαν.

Παρασημαίνειν τὰ οἰκήματα τοῦ προβληθέντος.

C Τοὺς ἀντιδόντας ἀλλήλοις, ὅταν ὀμόσαντες ἀποφαίνωσι τὴν οὐσίαν προσομνύειν, καὶ τόνδε τὸν ὅρκον· ἀποφαίνω τὴν οὐσίαν τὴν ἐμαυτοῦ ὀρθῶς καὶ δικαίως, πλὴν τῶν ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς ἀργυρείοις, ὅσα οἱ νόμοι ἀτελῆ πεποιήκασι. Τριῶν ἡμερῶν, ἀφ' ἧς ἂν ὀμόσῃ, διδόναι τὴν ἀπόφασιν.

Τῶν ἐν τοῖς ἔργοις μηδὲν ἀποφαίνειν.

cum scapha instruunto: eadem proportione observata, tot eorum, quorum census minor est talentis decem, una conferunto, quot simul dabunt censum decem talentorum. Demosthenes *de Corona.*

Trierarchi munus suum fungentes, & curatores classium, nomina eorum recipiunto, qui armamenta debent Reipublicæ, suntque ejusdem classis, atque ab iis armamenta repetunto. Idem *in Euergum* & *Mnesibulum.*

Qui armamenta debet Reipublicæ, ea reddito, aut pignus capito. Idem.

Designati Trierarchiæ successores ad naves obeunto, ubi designati fuerint. Idem *pro Polycle*

Si quis præfinito tempore navem non acceperit, mulctator. Idem.

Trierarchi muneris sui rationes referunto. Æschines *in Ctesiphontem.*

Quotannis ad facultatum permutationes provocanto. Sepositus ad obeunda munera classe sua excedito, si quem se locupletiorem vacantem ostenderit. Si is, qui designatus est, locupletiorem se esse fassus sit, in treceotos alterius loco refertor: si neget, facultates inter se permutanto. Solonis lex, e Demosten. *Leptin, Phænipp.* Vide *l.* I. cap. XV.

Ejus, qui ad facultatum permutationem provocatus est, ædes obsignantor.

Qui facultates inter se permutant, se indicaturos facultates suas juranto bis conceptis verbis: Indicabo facultates meas recte & juste, exceptis iis, quæ in argenti fodinis sunt, quas leges immunes faciunt. Intra tres, ex quo jurarunt, dies facultates suas indicanto.

Bonorum, quæ in fodinis sunt, nihil indicanto.

De Excusationibus munerum.

TITULUS V.

* *Duo munera simul ne obeunto.* Demosthenes *pro Polycle.*

Ἀτελῆ δὲ μηδένα εἶναι τριηραρχίας, πλὴν τῶν ἐννέα ἀρχόντων.

Τῶν εἰς τὸν πόλεμον πασῶν εἰσφορῶν μηδένα εἶναι ἀτελῆ.

* *Hæc lex a Pottero addita.*

D *Nemo, præter Novemviros, triremis instituendæ immunis esto.* Idem *Leptinea.*

Conferendæ in bellum pecuniæ nemo immunis esto. Idem cum Ulpiano *ibid.*

De Præmiis bene de Republica meritorum.

TITULUS VI.

Τὸν αὐτὸν μὴ παρασιτεῖν πολλάκις. ἐὰν δὲ ᾧ καθήκῃ μὴ βούληται, κολάζεσθαι.

E Τοῖς παρασιτουμένοις μάζαν παρέχειν, ἄρτον δὲ ταῖς ἑορταῖς προσπαρατιθέναι.

Ἐὰν μέν τινα ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων στεφανοῖ, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὸν στέφανον ἀναγορεύεσθαι· ἐὰν δὲ ἡ βουλὴ, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ· ἀλλαχόθι δὲ μὴ ἐξεῖναι.

Μὴ ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον ἐν τῷ θεάτρῳ, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα.

Μηδὲ ὑπὸ ἄλλου μηδενὸς ἀνακηρύττεσθαι στεφανούμενον, ἀπούσης βουλῆς, καὶ δήμου, καὶ φυλετῶν, καὶ δημοτῶν.

F Μὴ κηρύττεσθαι τὸν ἀλλότριον στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ, ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος. αὐτὸν δὲ τὸν στέφανον ἱερὸν εἶναι τῆς Ἀθηνᾶς.

Τὸν στεφανούμενον ξενικῷ στεφάνῳ τὸν λόγον ποιεῖσθαι, εἰς βίον ἀξιόχρεων, καὶ τρόπον σώφρονα.

Ὅπως ἂν πλουσιώτατοι λειτουργοῦσι. μηδένα ἀτελῆ

Idem epulum in Prytaneio sæpius ne præbetor: qui hunc honorem præterhabuerit, mulctator. Solonis lex, e Plutarcho. Vide *l.* I. c. XXV.

Convivantibus in Prytaneio maza, diebus vero festis panis apponitor. Athen. *l.* IV.

Qui corona a populo donantur, in concione donantor, qui a Senatu, itidem in Senatu, alibi vero jus non esto. Æschines *in Ctesiphontem.* Vide *ibid.*

Qui corona a tribulibus aut popularibus donantur, ne donantor in theatro, ludis; si secus factum, præco ignominiosus esto. Vide *ibid.*

A nemine alio quisquam corona donator, nisi in Senatu, aut in concione, aut inter tribules, aut inter populares. Vide *ibid.*

Nemo ab exteris civitatibus corona donator in theatro, ludis, nisi id sciverit populus. Corona Minervæ sacra esto. Vide *ibid.*

Qui corona donandus est hospitali, rationes vitæ honeste & temperanter actæ reddito. Vide *ibid.*

Ditissimi quique munera obeunto: nemo immunis

εἶναι, πλὴν τῶν ἀφ' Ἁρμοδίου, καὶ Ἀριστογείτονος, καὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων. μηδὲ τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι τῷ δήμῳ αἰτηθέντι διδόναι. Εἰ δὲ τὶς ἄλῳ αἰτῶν, ἄτιμον αὐτὸν εἶναι, καὶ γένος, καὶ οἰκίαν, καὶ ὑποκεῖσθαι γραφαῖς καὶ ἐνδείξεσιν. εἰ δὲ καὶ ἐν τούτοις ἁλῷ, ἔνοχον αὐτὸν εἶναι τοῖς αὐτοῖς, οἷσπερ οἱ δικάζοντες ὅταν ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ δικάζωσι.

A *esto, exceptis Harmodii & Aristogitonis posteris, itemque Novemviris. Neque in posterum populus petenti excusationem munerum concedito. Si quis petere convincatur, ignominiosus esto cum genere suo & familia: eumque, si quid, quod ignominioso non liceat, faciat, deferre cuivis jus esto. Convictus mulctator eadem pœna, qua ii, qui inter ærarios relati judices sedent.* Leptinis lex anno primo Olympiadis centesimæ sextæ scripta, anno sequente abrogata, orante Demosthene, cujus *Oratio in Leptinem* adeunda.

Τὰς δωρεὰς, ἃς ὁ δῆμος ἔδωκε, κυρίας εἶναι.

Τὰς δωρεὰς, ἃς ὁ δῆμος ἔδωκε, κυρίας εἶναι. τοὺς δὲ ἔχοντας κρίνεσθαι, ἵν' εἰ μὲν ἄξιοι, ἔχωσιν, εἰ δὲ ἀναξίως ἔχειν δοκοῖεν, ἐλεγχθέντες ἀφαιρεθῶσιν.

Dona populi rata sunto. Demosthenes. *Leptinea*.

B *Dona populi rata sonto: in eorum vitam, quibus concessa sunt, quæstio habetor. Dignis rata, indignis irrita sunto.* Argumentum Demosthen. *Leptin*.

De Gymnasiis.

TITULUS VII.

ΟΙ δὲ τῶν παίδων διδάσκαλοι ἀνοιγέτωσαν μὲν τὰ διδασκαλεῖα μὴ πρότερον ἡλίου ἀνιόντος, κλειέτωσαν δὲ πρὸ ἡλίου δύνοντος. καὶ μὴ ἐξέστω τοῖς ὑπὲρ τὴν τῶν παίδων ἡλικίαν οὖσιν εἰσιέναι, τῶν παίδων ἔνδον ὄντων, ἐὰν μὴ υἱὸς διδασκάλου, ἢ ἀδελφὸς, ἢ θυγατρὸς ἀνήρ. ἐὰν δὲ τὶς παρὰ ταῦτ' εἰσίῃ, θανάτῳ ζημιούσθω. καὶ οἱ Γυμνασιάρχαι τοῖς Ἑρμαίοις μὴ ἐάτωσαν συγκατιέναι μηδένα τῶν ἐν ἡλικίᾳ τρόπῳ μηδενί. ἐὰν δὲ ἐπιτρέπῃ, καὶ μὴ ἐξείργῃ τοῦ Γυμνασίου, ἔνοχος ἔστω ὁ Γυμνασιάρχης τῷ τῆς ἐλευθέρων φθορᾶς νόμῳ. οἱ δὲ Χορηγοὶ οἱ καθιστάμενοι ὑπὸ τοῦ δήμου ἔστωσαν τὴν ἡλικίαν ὑπὲρ τετταράκοντα ἔτη.

PUerorum præceptores ludum litterarium ne aperiunto ante orientem solem, claudunto vero ante occasum. Nemini liceto ætatem puerilem supergresso in ludum ingredi, quamdiu pueri in illo sunt, excepto filio præceptoris, aut e fratre nepote, aut genero. Si quis adversus hanc legem C *commiserit, & ingressus fuerit, morte luito. Gymnasiarchæ neminem provectiori ætate Mercurii festis diebus accedere ullo modo sinunto; si secus fecerit, neque Gymnasio expulerit, Gymnasiarcha lege de ingenuorum corruptela tenetor. Choragi a populo designati annis quadraginta majores sunto.* Æschines *in Timarchum*. Lege hac puerorum castitati consultum, præcipue in publicis festis; quæ in scholis observabant. Vide Ερμαια *l.* II.

Δοῦλον μὴ γυμνάζεσθαι, μηδὲ ξηραλοιφεῖν ἐν ταῖς παλαίστραις.

Servi se in palæstra neque exercento, neque unguento. Idem *ibid*.

De Medicis & Philosophis.

TITULUS VIII.

NE quis servus, neve quæ fœmina artem medicinam discito. Hyginus in *Fab.* CCLXXIV. Vide *lib.* IV cap. XIV. ubi de obstetricibus Græcis agitur, quarum ars medicinæ pars erat inter Veteres.

Ingenuæ fœminæ artem medicinam discunto. Vide *ibid*.

ΛΟγων τέχνην μὴ διδάσκειν.

Μηδένα φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ. εἰ δὲ μὴ, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν.

D *PHilosophiam ne quis doceto.* Xenophon. Ἀπομνημ. *l.* I. Lex a triginta Tyrannis lata, & illis exactis abrogata.

Nemo Philosophus scholam habeto, nisi Senatui populoque Atheniensi ita videatur: qui secus faxit, capital esto. Diogenes Laertius *Theophrasto*. Lex lata, ut videtur, circa annum tertium Olympiadis CXVIII. rogante Sophocle Suniensis Amphiclidæ filio, & haud diu post abrogata, ipsique Sophocli mulcta talentorum quinque irrogata est, accusante Philone.

LIBER QUARTUS.

De Judicibus.

TITULUS I.

ΠΕρὶ ἐκείνων, ὅσα αἱ ἀρχαὶ κρίνουσι, εἰς τὰ δικαστήριον ἐφέσεις εἶναι τοῖς βουλομένοις.

Ἐξεῖναι ἐν τῷ δικαστηρίῳ καταδέχεσθαι τοὺς ἐκφυλλοφορηθέντας.

Πάντας Ἀθηναίους λαχεῖν εἰς τὰ δικαστήρια.

E *A Magistratuum sententia ad judices provocanto.* Solonis lex, e Plutarcho. Vide *l.* I. c. XX.

Iis judices allegere eos, qui a Senatu moti sunt, fas esto. Vide *ibid.*

Athenienses in sua quisque fora sorte distribuuntor Solonis lex, e Demosthene *in Aristogit. a.* & Aristophanis Schol. *Pluto*.

ΟΡΚΟΣ ΗΛΙΑΣΤΩΝ.

A

ΨΗφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, καὶ τῆς βουλῆς τῶν Πεντακοσίων. καὶ τύραννον οὐ ψηφιοῦμαι εἶναι, οὐδὲ ὀλιγαρχίαν. οὐδὲ ἐάν τις καταλύῃ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων, ἢ λέγῃ, ἢ ἐπιψηφίζῃ παρὰ ταῦτα, οὐ πείσομαι· οὐδὲ τῶν χρεῶν τῶν ἰδίων ἀποκοπὰς, οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν τῆς Ἀθηναίων, οὐδ᾽ οἰκιῶν, οὐδὲ τοὺς φεύγοντας κατάξω, οὐδ᾽ ὧν θάνατος κατέγνωσαι, οὐδὲ τοὺς μένοντας ἐξελῶ παρὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους, καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, καὶ τῆς βουλῆς. Οὔτ᾽ αὐτὸς ἐγὼ, οὔτ᾽ ἄλλον οὐδένα ἐάσω, οὐδ᾽ ἀρχὴν καταστήσω, ὥστε ἄρχειν ὑπεύθυνον ὄντα ἑτέρας ἀρχῆς, καὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων, καὶ τοῦ ἱερομνήμονος, καὶ ὅσοι μετὰ τῶν ἐννέα ἀρχόντων κυαμεύονται ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ, καὶ κήρυκος, καὶ πρεσβείας, καὶ συνέδρων· οὐδὲ δὶς τὴν αὐτὴν ἀρχὴν τὸν αὐτὸν ἄνδρα, οὐδὲ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ. οὐδὲ δῶρα δέξομαι τῆς Ἡλιάσεως ἕνεκα, οὔτε αὐτὸς ἐγὼ, οὔτ᾽ ἄλλος ἐμοὶ, οὔτ᾽ ἄλλοι εἰδότος ἐμοῦ, οὔτε τέχνῃ, οὔτε μηχανῇ μηδεμίᾳ, καὶ γέγονα οὐκ ἔλαττον ἢ τριάκοντα ἔτη. καὶ ἀκροάσομαι τοῦ τε κατηγόρου, καὶ τοῦ ἀπολογουμένου ὁμοίως ἀμφοῖν, καὶ διαψηφιοῦμαι περὶ αὐτοῦ οὗ ἂν ἡ δίωξις. Ἐπόμνυμι Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα, καὶ ἐπαρῶμαι ἐξώλειαν ἐμαυτῷ, καὶ οἰκίᾳ τῇ ἐμαυτοῦ, εἴ τι τούτων παραβαίνοιμι· εὐορκοῦντι δὲ καλὰ πολλὰ κἀγαθὰ εἶναι.

B

C

Καὶ οὐ μνησικακήσω, οὐδὲ ἄλλο πείσομαι, ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους.

Τοῦ τε κατηγόρου, καὶ τοῦ ἀπολογουμένου ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι.

JUSJURANDUM HELIASTARUM.

SEntentia feram secundum leges, & populi Athe*niensis scita*, & *Quingentorum senatusconsulta*. *Tyrannum*, *aut paucorum dominatum meo calculo non approbabo*. *Neque*, *si quis popularem Atheniensium statum evertere conetur*, *aut dicat*, *aut decernat adversus hæc*, *assensum præbebo*: *neque novas tabulas fieri*, *aut agrum*, *domosque populi Atheniensis dividi patiar*. *Exsules non restituam*, *neque capitis damnatos*: *neque eos*, *qui urbem incolunt*, *ea pellam*, *adversus leges receptas*, & *populi Atheniensis scita*, *Senatusque consulta*. *Neque quemquam alium id aggredi sinam*. *Neminem magistratum gerere sinam*, *qui rationes alterius a se gesti magistratus non retulerit*, *sive sit e Novemviris*, *sive Hieromnemon*, *sive quis alius eorum*, *qui eodem cum Novemviris die magistratus sortiuntur*, *sive Præco*, *sive Legatus*, *sive Assessor*: *neque eumdem bis in eodem esse magistratu*, *aut duos magistratus gerere eodem anno*. *Munera non accipiam propterea quod judex in Heliæa sedeo*, *non ego ipse*, *neque alter mihi*, *neque ullus me conscio*, *nulla arte*, *nulla fraude*. *Non sum minor annis triginta*. *Utramque partem audiam*, *ex æquo sententiam feram de ea re*, *de qua instituta erit actio*, *Jovem*, *Neptunum*, *Cererem vindices testor*, *imprecorque exitium ipse mihi* & *familiæ meæ*, *si quid horum non observavero*: *si fidem contra datam libero*, *omnia prospera atque fausta*. Vide *l*. I. c. XXI.

Neque præteritorum in malum meminero, *neque alteri meminenti assensum præbebo*. Andocides *de Mysteriis*. Juramentum præstitum a judicibus, cum indemnitas omnibus erat concessa post exactos triginta Tyrannos.

Utramque partem ex æquo audito. Solonis lex, e Demosthene *de Corona*.

De in jus vocando.

TITULUS II.

TOν τῆς προσκλήσεως κλητῆρα ἐπιγράψασθαι.

Τοὺς ἐμπρόθεσμον δίκην ἔχοντας, εἶτα μὴ ἀπαντῶντας εἰς τὴν κυρίαν, ἐρήμην ἁλίσκεσθαι. τὸ δὲ τίμημα εἶναι χιλίας δραχμάς.

Τὴν μὴ οὖσαν ἀντιλαχεῖν ἐξεῖναι.

D

EJus nomen, qui adfuit cum in jus vocaretur ad*versarius*, *adscribito*. Demosthen. *Midiana*. Vide *l*. I. cap. XXI.

Cui status condictus dies est cum adversario, *nec iverit*, *Eremodicii damnator*, & *mille drachmis mulctator*. Idem *ibid*.

Restaurationem Eremodicii præstato. Idem *ibid*.

De Præparatoriis Judiciorum.

TITULUS III.

TOὺς Ἄρχοντας ἀνακρίνειν τοῖς συντείνουσι εἰς τὸν ἀγῶνα, καὶ τοὺς συντείνοντας εἰς τὸν ἀγῶνα ἀποκρίνειν.

Τὸν μέλλοντα κατηγορεῖν, ὄμνυσθαι ὑπὲρ τοῦ ἐπεξελθεῖν, εἰ πάντα ἕτοιμα ἔχει τὰ πρὸς τὸν ἀγῶνα, ἢ ὑπόμνυσθαι.

Τοὺς Ἄρχοντας καλεῖν εἰς τὸ δικαστήριον τοὺς συντείνοντας εἰς τὸν ἀγῶνα, καὶ εἰσάγειν εἰς τὸ δικαστήριον.

Τοὺς δικαστὰς ἀποκληροῦν εἰς τὸ δικάζεσθαι.

Τοὺς δικαστὰς μὴ δικάζειν δὶς ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ.

Δικάσω περὶ ὧν ἂν ἡ δίωξις ᾖ, καὶ περὶ μὲν ὧν νόμοι εἰσὶ, κατὰ τοὺς νόμους ψηφιοῦμαι, περὶ δὲ ὧν μὴ εἰσὶ γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ.

E

MAgistratus litigantes interroganto: litigantes *respondento*. Isæus *de Hæredit. Philoctemonis l*. I. c. XXI.

Actor jusjurandum dato, *se actionem prosecuturum*, *si parata omnia habeat ad judicium*: *sin minus*, *jurejurando sibi tempus dari postulato*. Demosthenes *in Midiam*.

Magistratus ad judicium admittunto litigantes, *iisque judices danto*. Demosthen. *in Olympiodorum*.

Judices e tribunalibus ad judicia reddenda sorte dantor. Demosthenes *in Aristogitonem Orat*. I.

Nemo judex eadem die duo reddito judicia. Demosthenes & Ulpianus *Timocratea*.

F

Jus dicam de iis, *de quibus actio est*: *atque sententiam feram secundum leges in iis*, *de quibus legibus cautum est*: *de quibus vero legibus cautum non est*, *quam justissime potero*. Judicum jusjurandum ex Polluce *lib*. VIII. cap. X.

De Judiciis.

TITULUS IV.

Τοὺς κρίνοντας γράφειν τὰ κεφάλαια ἕκαστον.

Διαγράφειν τὸν Ἄρχοντα τὴν τοῦ ἀμφισβητοῦντος, καὶ τῆς δίκης ἕνεκα ἀπόντων, ἀμφισβήτησιν.

Ἀπολογητέον.

A JUdicium singuli-actionis, de qua judicium reddunt, diversa capita in libello adnotanto. Hesychius *Voc.* Διὰ παντὸς κριτής. Vide *l.* I. c. XXI.

Magistratus nomen illius, qui litis causa abest peregre, ex albo cæterorum, qui de bonis alicujus controversiam alteri faciunt, expungito. Demosthenes *in Olympiodorum.*

Reus oratione se purgato. Plato *Socratis Apologia.*

Servus homo causam ne orato. Terentius *Phormione Act.* II. *Scen.* I.

Τὸν κήρυκα κηρύττειν, τῶν ψήφων ἡ τετρυπημένη ὅτῳ δοκεῖ ἀδικῆσαι ὁ δεῖνα, ἡ δὲ πλήρης ὅτῳ μή.

Τὸν φεύγοντα νικᾶν ἴσαις ψήφοις.

Τοὺς καδίσκους τιθέναι κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἀμφισβητούντων.

Τοὺς δικαστὰς προτιμᾶν τὴν τιμωρίαν· τὸν φεύγοντα ἀντιτιμῆσαι αὐτῷ, ὅτι τάδε εἰμὶ ἄξιος· λοιπὸν παρὰ τῷ δικαστῇ εἶναι τὴν κρίσιν τοῦ ἀνάγεσθαι, ἢ οὔ.

Ὁ ἥλιος ἐπὶ τῶν ὄρων ἡ ἐσχάτη ὥρα ἔστω.

Ἐάν τις συνίστηται ἢ συνδεκάζῃ τὴν Ἡλιαίαν, ἢ τῶν δικαστηρίων τι τῶν Ἀθήνησιν, ἢ τὴν βουλὴν ἐπὶ δωροδοκίᾳ, χρήματα διδοὺς, ἢ δεχόμενος, ἢ ἑταιρίαν συνιστῇ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου, ἢ συνήγορος ὢν λαμβάνει τὰ χρήματα ἐπὶ ταῖς δίκαις, ἢ ἰδίαις, ἢ δημοσίαις, τούτων εἶναι τὰς γραφὰς πρὸς τοὺς θεσμοθέτας.

Ὅσα ἄν τις ἑκὼν ἑτέρῳ ὁμολογήσῃ ἐναντίον μαρτύρων, ταῦτα κύρια εἶναι.

Μὴ συντίθεσθαι παρὰ τὸν νόμον.

Ὧν ἂν ἀφῇ καὶ ἀπαλλάξῃ τις, μηκέτι τὰς δίκας εἶναι.

Παραγράφεσθαι πρὸς τὸν ἀντίδικον τὴν δίκην, μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι.

Παραγράφεσθαι περὶ ὧν ἄν τις ἀφεὶς καὶ ἀπαλλάξας πάλιν δικάζηται.

Τοῖς ἀδικουμένοις τὰ πέντε ἔτη εἶναι εἰσπράττεσθαι.

Τὴν παραγραφὴν ἀντιλαγχάνειν περὶ ὧν οὐκ εἰσὶν εἰσαγωγεῖς.

Ὑπὲρ μὲν τῶν μὴ γενομένων ὅλως συμβολαίων Ἀθήνησι, μήδ' εἰς τὸ Ἀθηναίων ἐμπόριον παραγράφεσθαι.

B PRæco edicito, cui videtur N. injuste fecisse, perforatum calculum mittito: integrum vero, cui non videtur injuste fecisse. Æschines *in Timarchum.*

Paribus calculis secundum reum pronunciato.

Cados apponunto pro litigantium numero. Demosthenes *in Macartatum.*

Judices pœnas proponunto: reus quasi pœnam æstimato: judices de ea sententiam ferunto. Ulpian. *in Timocrateam,* Cicero l. I. *de Oratore.*

Sol occasus suprema tempestas esto. Stobæus *Sermone* I.

C *Si quis coierit, aut data vel accepta pecunia corruperit Heliæam, aut quodvis aliud Atheniensium forum, aut Senatum, aut cœtum fecerit ad evertendam Rempublicam, aut advocatus pecuniam acciplat litis causa, sive privatæ, sive publicæ, eorum nomina apud hesmothetas cuivis deferre jus esto.* Demosthenes *in Stephanum de falso Testamento* ά.

Quæcumque alter cum altero volens cum volente coram testibus pactus fuerit, rata sunto. Idem *in Phænippum.*

Adversus leges ne paciscitor. Aristot. *Rhet. lib.* I. cap. XXV.

Eorum, de quibus pacta conventa facta sunt, lites ne sunto. Demosthenes *in Pantænetum.*

Exceptionem interopponito actioni ad eludendum id, quod in intentionem condemnationemve deductum est. Idem *in Stephanum de falso Testamento* ά.

D *Litem inferenti de pacto convento exceptionem interopponito.* Idem *in Nausimachum.*

Intra quinquennium læsi dicam scribunto. Idem *pro Phormione.*

Exceptione utitor, si in jus vocetur ad magistratum, cujus ea non est jurisdictio. Idem *in Pantænetum.*

In jus vocatus apud magistratum Atheniensium propter contractus, qui neque omnino Athenis facti sunt, neque aliunde merces Athenas importare cavent, exceptione fori utitor. Idem *pro Phormione.*

De Arbitris.

TITULUS V.

Ἐὰν δέ τινες περὶ συμβολαίων ἰδίων πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητῶσι, καὶ βούλωνται διαιτητὴν ἑλέσθαι ὁντινοῦν, ἐξέστω αὐτοῖς αἱρεῖσθαι ὃν ἂν βούλωνται διαιτητὴν, ἐπειδὰν βούλωνται, κατὰ κοινὸν μενέτωσαν ἐν τοῖς ὑπὸ τούτου διαγνωσθεῖσι, καὶ μηκέτι καταφερέτωσαν ἀπὸ τούτου ἐφ' ἕτερον δικαστήριον ταῦτα τὰ ἐγκλήματα, ἀλλ' ἔστω τὰ κριθέντα ὑπὸ τοῦ διαιτητοῦ κύρια.

Τὸν διαιτητὴν ὀμόσαντα διαιτᾶν.

Τὸν διαιτητὴν μένειν ἄχρι τῆς ἑσπέρας· μὴ φα-

E SI litigatores de privatis contractibus in aliquem arbitrum compromittere voluerint; in quemcumque libuerit, compromittunto. *Arbitri compromissi sententiæ stanto, nec ad aliud judicium eunto. Sed arbitri compromissi sententia rata esto.* Demosthenes *Midiana.* Vide *l.* I. c. XXII.

Arbitri jurati sententiam dicunto. Idem πρὸς Κάλλιππον.

Arbitri ad solem occasum sedento: si reus non ad-

νόντος δὲ τοῦ φεύγοντος, καταδικάζειν τὴν καταδίκην.

Ἀπὸ τῶν κληρωτῶν διαιτητῶν ἐς ἕτερον ἐφεῖναι δικαστήριον.

A *fit, tunc præfenti actori litem addicunto.* Ulpianus *in Midianam.*

Ab arbitris fortito datis ad judices provocanto. Lucianus *Abdicato.*

De Jurejurando.

TITULUS VI.

Τρεῖς Θεοὺς ὀμνύναι, Ἱκέσιον, Καθάρσιον, Ἐξακεστήριον.

B PER *tres Deos juranto, per Supplicem, per Procuratorem, per Averruncatorem.* Pollux *lib.* VIII. c. XII. Hefychius *Voc.* Τρεῖς Θεοί. Vide *lib.* II. cap. VI.

De Teftibus.

TITULUS VII.

ΜῊ μαρτυρεῖν τοὺς ἀτίμους.

C IGnominiofi inteftabiles funto. Demofthenes *in Neæram.*

Servis teftimonii dictio ne efto. Terentius *Phormione Act.* II. *Scen.* I. Vide *cap. de Servis lib.* I.

Μὴ μαρτυρεῖν αὐτὸν, οὔτ' ἐπὶ ταῖς γραφαῖς, οὔτ' ἐν ταῖς εὐθύναις.

C *Nemo in re fua idoneus teftis efto, five in publico, five in privato judicio, five in referendis rationibus.* Demofthenes *in Stephanum de falfo Teft.* β'. Vide *l.* I. cap. XXI.

Τοῖν ἀντιδίκοιν ἐπάναγκες εἶναι ἀποκρίνασθαι τὸ ἐρωτώμενον· μαρτυρεῖν δὲ μή.

Adverfarii alter alterius interrogatis refpondere coguntor: teftimonium ne dicunto. Idem *ibid.*

Μὴ ἐπάναγκες εἶναι οἰκείους καταμαρτυρῆσαι ἂν τἀληθῆ.

Familiares teftimonium dicere in familiarem fuum inviti ne coguntor. Idem πρὸς Τιμόθεον.

Ἔστω δὲ καὶ ὑπόδικος τῶν ψευδομαρτυριῶν ὁ μαρτυρήσας αὐτοῦ τούτου, ὅτι μαρτυρεῖ παρὰ τὸν νόμον, καὶ ὁ προβαλλόμενος κατὰ ταῦτα.

Falfi teftimonii damnator, qui, præter quam legibus licet, teftimonium dixerit. In eum, qui hunc teftem advocaverit, firempfe lege agito. Idem *in Steph. de falfo Teft.* β.

Μαρτυρεῖν ἐν τῷ γραμματείῳ.

D *Scripto teftimonium dicito.* Idem *in Steph. de falfo Teft.* α.

Τοὺς μάρτυρας ὅρκον διομόσασθαι.

Teftes jurati teftimonium dicunto. Valerius Maximus *l.* II. *cap. de Majeftate.*

Ἃ ἂν εἰδῇ τις, ἢ οἷς ἂν παραγένηται πραττομένοις, ταῦτα μαρτυρεῖν ἐν γραμματείῳ γεγραμμένα.

Eorum, quibus interfuerunt dum fierent, & fieri viderunt, teftimonium fcripto dicunto. Demofthenes κατὰ Στεφαν. ψευδ. β'.

Ἀκοὴν εἶναι μαρτυρεῖν τεθνεῶτος, ἐκμαρτυρίαν δὲ ὑπερορίου καὶ ἀδυνάτου.

De re a mortuo accepta, aut peregre gefta, cui intereffe non potuerint, teftimonium auriti, non oculati, dicunto. Idem *ibid.*

Τιθέναι τῷ τὴν μαρτυρίαν λιπόντι τὴν δραχμὴν τῆς λιπομαρτυρίου.

Drachmam deponunto adverfus eum, qui teftimonium defugerit. Idem πρὸς Τιμόθεον.

Τὸν ἐκκλητευθέντα, ἢ μαρτυρεῖν, ἢ ἐξομόσασθαι, ἢ χιλίας δραχμὰς ἀποτίσαι τῷ δημοσίῳ.

E *In jus vocatus teftimonium, vel dato, vel ejurato, vel mille drachmis mulctator.* Harpocration, Suidas Demofthen. *ad Timotheum.*

Ἐξεῖναι τοῖς ἀντιδίκοις, ἂν βούλωνται, διαμαρτυρεῖν.

Litigantes, fi libuerit, διαμαρτυρίᾳ *utuntor.* Demofthenes *ad Leocharem.*

Ὁ μαρτυρήσας τὰ ψευδῆ, ὑπόδικος ἔστω τῶν ψευδομαρτυριῶν, καὶ ὁ προβαλλόμενος τῶν κακοτεχνιῶν.

Teftis, qui falfum dixerit, falfi teftimonii lege, qui vero produxerit, κακοτεχνιῶν *tenetor.* Idem *in Euergum* & *Mnefibulum.*

De re judicata & integri reftitutione.

TITULUS VIII.

ΟΣων δίκη πρότερον ἐγένετο, ἢ εὐθύνα, ἢ διαδικασία, περὶ τοῦ ἐν δικαστηρίῳ, ἢ ἰδία, ἢ δημοσία, ἢ τὸ δημόσιον ἀπέδοτο, μὴ εἰσάγειν περὶ τούτων εἰς τὸ δικαστήριον, μηδ' ἐπιψηφίζειν τῶν ἀρχόντων μηδένα, μηδὲ κατηγορεῖν ἐώντων, ἃ οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι.

F DE *quibus prius five privato five publico judicio a judicibus pronunciatum eft, aut populus fcitum fecit, de iis iterum judices magiftratus ne danto, neque in fuffragia mittunto, neque eorum, quæ leges non concedunt, accufare permittunto.* Demofthenes *Timocratea.*

Τὰς δίκας καὶ τὰς διαίτας, ὅσαι ἐγένοντο ἐπὶ τοῖς νόμοις ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει, κυρίας εἶναι. ὁπόσα δ' ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐπράχθη, ἢ δίκη ἐδικάσθη, ἢ ἰδία, ἢ δημοσίᾳ, ἄκυρα εἶναι.

Judicia arbitriave, quæcumque libera Republica ex legibus pronunciata, rata funto. Acta vero triginta Tyrannis rerum potientibus, & judicia, five privatim, five publice, reddita, refcinduntor. Idem *Timocratea.* Lex lata poft exactos triginta Tyrannos.

De Pœnis.

TITULUS IX.

α. Μηδὲν τίμημα ὑπάρχειν ἐπὶ κρίσει πλέον, ἢ ἕν, ὁπότερον αὐτὸ δικαστήριον, παθεῖν, ἢ ἀποτίσαι, ἀμφότερα δὲ, μὴ ἐξέστω.

β. Τῶν ἀκουσίων ἁμαρτημάτων οὐκ εἰσάγειν ἐστὶν, ἀλλὰ ἰδίᾳ λαβόντα διδάσκειν καὶ νουθετεῖν.

γ. Ἐξοστρακίζεσθαι τοὺς ὑπερέχοντας τὰ δέκα ἔτη.

δ. Μὴ ὑποδέχεσθαι τῶν φευγόντων οὐδένα, ἢ ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι τὸν ὑποδεχόμενον τοὺς φεύγοντας.

ε. Ἀποτείνειν δεκάβοιον.

ς. Μὴ πλείω εἶναι τριταίας τὴν κρίσιν.

ζ. Δεδέσθαι ἐν τῇ ποδοκάκῃ ἡμέρας δέκα τὸν πόδα, ἐὰν μὴ προτιμήσῃ ἡ Ἡλιαία.

η. Τὸν βουλεύσοντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον.

θ. Τῶν κακούργων τοὺς ὁμολογοῦντας ἄνευ κρίσεως κολάζειν.

ι. Ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ὀφείλειν, ἀφ' ἧς ἂν ὄφλῃ, ἐάν τε ἐγγεγραμμένος ᾖ, ἐάν τε μή.

ια. Μὴ ἐκτιθέντος δὲ τοῦ ὀφλήματος ἐπὶ τῆς ἐννάτης Πρυτανείας, διπλοῦν ἔσεσθαι τὸ ὄφλημα.

ιβ'. Τὸν ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ μὴ πολιτεύεσθαι.

ιγ. Τὸν ἐξελεγχθέντα ὀφείλοντα τῷ δήμῳ λέγειν ἐν τῷ δήμῳ παραδίδοσθαι τοῖς ἕνδεκα.

ιδ. Τὸν ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ, μέχρις ἂν ἐκτίσῃ, ἄτιμον εἶναι.

ιε. Εἴ τις ὀφείλων πρὸ τῆς ἐκτίσεως τελευτήσει, τοὺς παῖδας ἀποδιδόναι τὸ ὄφλημα· εἰ δὲ μὴ, καὶ αὐτοὺς ἀτίμους εἶναι, ἕως ἂν ἀποδῶσι.

ις. Ἀπαλείφειν τοὺς ἐγγεγραμμένους ἀπὸ τοῦ ὀφλήματος, καθ' ὅτι ἂν ἐκτίνῃ.

ιζ. Τὰ τρία τῆς οὐσίας μέρη τῷ ἰδιώτῃ, τῷ ἀπογράψαντι γίγνεσθαι.

ιη. Ἔνδειξιν εἶναι κατὰ τοῦ ὀφείλοντος καὶ μὴ ἐγγεγραμμένου.

ιθ. Τὸν οὐ δικαίως ἐγγεγραμμένον ἐξαλείφεσθαι, τὸν δ' οὐ δικαίως αὐτὸν ἐγγεγραφότα ἀντιγράφεσθαι.

κ. Ἐάν τις τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ μὴ ἐκτίσας τὸ ὄφλημα τῇ πόλει ἐξαλειφθῇ, εἶναι κατ' αὐτοῦ τὰς γραφὰς πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας τοῦ ἀγραφίου.

κα. Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι, πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου, ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν, ἢ ἐκ Πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ, ἢ σφαγαῖσιν, ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον, ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε.

κβ. Μηδὲ περὶ τῶν ἀτίμων ὅπως χρὴ ἐπιτίμους εἶναι, μηδὲ περὶ τῶν ὀφειλόντων τοῖς θεοῖς ἢ τῷ δημοσίῳ τῶν Ἀθηναίων περὶ ἀφέσεως τοῦ ὀφλήματος ἢ τάξεως, ἐὰν μὴ ψηφισαμένων Ἀθηναίων τὴν ἄδειαν πρῶτον μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις, τότε δ' ἐξεῖναι χρηματίζειν, καθ' ὅτι ἂν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δοκῇ. ἐὰν δέ τις ἱκετεύῃ ἐν τῇ βουλῇ, ἢ ἐν τῷ δήμῳ, περὶ ὧν δικαστήριον, ἢ βουλὴ, ἢ ὁ δῆμος κατέγνω, ἐὰν μὲν αὐτὸς ὄφλων ἱκετεύῃ πρὶν ἐκτίσαι, ἔνδειξιν εἶναι κατ' αὐτοῦ, καθάπερ ἐάν τις ὀφείλων τῷ δημοσίῳ ἡλιάζηται· ἐὰν

1. *Poena plures ne irrogantor, quamcumque instituerint judices, luendam, sive in corpore, sive in ære: utramque simul ne irroganto.* Demosthenes.

2. *Peccantes invite in jus ne rapiuntor, sed privatim officii admonentor.* Plato *Apologia Socratis.*

3. *Potentiores in exsilium decennale mittuntor.* Aristides apud Photium in *communi Apologia*, Plutarch. in *Pericle* Vide *lib.* I. *cap.* XXV.

4. *Exsulum nullum recipito, qui secus faxit in exsilium mittitor.* Demosthenes *in Polyclem.*

5. *Viginti drachmas pendito.* Pollux *lib.* IX. *cap.* VI.

6. *Plus sedecim chœnicibus litem ne æstimato.* Hesychius *Voc.* Τριταία.

7. *Decem dies in nervo habetor, nisi Heliæa in plures dies haberi jubeat.* Lysias *in Theomnestum Orat.* I.

8. *Idem in consultorem atque reum statuito.* Andocides *de Mysteriis.*

9. *In confitentes reos indicta causa animadvertunto.* Demosthenes *Timocratea.*

10. *Damnati mulctam debento ab ea die, qua illis irrogata est, sive in ærarios relati sint, sive non relati.* Idem *in Theocrinem.*

11. *Qui intra nonam Prytaneiam mulctam non solverit, duplione tenetor.* Libianus *Argumento Orat. in Aristogitonem.*

12. *Ærarius Rempublicam ne gerito.* Idem *Argumento Androtianæ.*

13. *Ærarius orationem ad populum habuisse convictus, ad undecimviros capitales abducitor.* Dinarchus *in Aristogit.*

14 *Ærarius, donec mulctam irrogatam solverit, ignominiosus esto.* Libanius *Argumento Orat. in Aristogit.*

15. *Si quis ærarius, antequam mulctam solverit, obierit, liberi eam solvunto: secus si faxint, ignominiosi sunto, donec solverint.* Ulpianus *Timocratea.*

16. *Ærariorum nomina expungito mulcta soluta.* Demosthenes *in Theocrinem.*

17. *Dodrans bonorum, quæ fisco cedunt, illius esto, qui detulerit.* Idem *ad Nicostratum.*

18. *Quivis ærarium inter illos non relatum deferto.* Idem *in Theocrinem.*

19. *Injuste inter ærarios relati nomen expungito, qui inscripserit, in ejus locum refertor.* Idem *in Aristogitonem Orat.* I.

20. *Si quis ærarius non soluta Reipublicæ mulcta ex albo ærariorum expunctus fuerit, postulator apud Thesmothetas ab eo, cui licet & libet, expuncti nominis.* Idem *in Theocrinem.*

21. *Infamia notati quotquot sunt ante Solonis præturam, integra famæ restituuntor, præterquam iis, qui ab Areopagitico Senatu, vel Ephetis, vel in Prytaneio, referente Rege, damnati cædis, aut latrocinii, aut affectati regni in exsilium iverunt, cum hæc lex promulgata.* Solonis lex, e Plutarcho.

22. *Relationem nemo facito de ignominiosis, ut famæ restituantur, neque de ærariis, ut expungantur, & dignitati reddantur pristinæ, nisi Athenienses sex millibus non pauciores, clanculum suffragia ferentibus, quibus libitum erit, scitum fecerint id licere: tunc relationem faciunto, quomodo Senatui populoque visum fuerit. Si quis apud Senatum aut populum supplicet de iis, de quibus judices, aut Senatus, aut populus sententiam tulerunt, si ipse quidem ærarius supplicet, antequam mulctam solverit, ejus nomen defertor, quemadmodum illius, qui ærarius cum sit, inter ju-*

δ' ἄλλος ὑπὲρ τοῦ ὠφληκότος ἱκετεύῃ, πρὶν ἐκτίσαι, δημοσία ἔςω αὐτοῦ ἡ οὐσία πᾶσα. ἐὰν δὲ τὶς τῶν προέδρων δῶ τινὶ τὴν ἐπιχειροτονίαν, ἢ αὐτῷ τῷ ὠφληκότι, ἢ ἄλλῳ ὑπὲρ ἐκείνου, πρὶν ἐκτίσαι, ἄτιμος ἔςω.

A dices lectus est: si quis vero alius pro ærario, antequam mulctam solvat, deprecetur, omnia ejus bona publicantor. Si quis vero proedrus concionem in hunc finem dederit ærario, non alteri cuiquam pro eo, antequam mulctam solverit, ignominiosus esto. Demosthenes *Timocratea*.

De Redemtoribus vectigalium, Ærario publico, & Theorica pecunia.

TITULUS X.

Κυρίαν εἶναι τὴν βουλὴν, ὃς ἂν πριάμενος τέλος μὴ καταβάλῃ, δεῖν εἰς τὸ ξύλον.

B *Senatus Quingentorum redemtorem vectigalium, qui in publicum non præstiterit, in verbo habeto.* Andocides *de Mysteriis*.

Τοὺς τὰ τέλη ὠνουμένους, εἰ μὴ καταβάλοιεν τὰ χρήματα ἕως τῆς ἐννάτης Πρυτανείας, τὰ διπλᾶ καταβαλεῖν.

Publicani reliquatores vectigalium ad nonam usque Prytaneiam duplum in publicum præstanto. Demosthenes *Timocratea*.

* *Si prædes in publicum non præstiterint, bona eorum publicantor.* Demosthenes *Nicostrat.*

Επεγγυᾶν δὲ ἐπιορκήσαντα τὸν Απόλλω, δεδιότα τῆς δίκης ἕνεκα δρασκάζειν.

Fidejubeto juratus Apollinem ...... fugerit sibi metuens litis causa. Lysias *in Theomnesium Orat.* I.

Τοὺς ἔχοντας τά τε ἱερὰ καὶ τὰ ὅσια χρήματα, καταβάλλειν εἰς τὸ βουλευτήριον· εἰ δὲ μὴ, τὴν βουλὴν αὐτοὺς εἰσπράττειν τοῖς νόμοις χρωμένην τοῖς τελωνικοῖς.

C *Qui pecuniam sacram publicamve tenent, eam apud Senatum numeranto: nisi numerent, ab illis Senatus strempse lege, qua a publicanis, exigito.* Demosthenes *Timocrat.*

Τὸν χρησάμενον δημοσίοις χρήμασιν ἐπὶ ἐνιαυτὸν ὅλον, διπλάσια ταῦτα διδόναι· τὸν δ' ὀφείλοντα ἐπὶ τοῦ δευτέρου ἐνιαυτοῦ δεδέσθαι, ἕως ἂν ἐκτίσῃ.

Qui pecunia publica annum ipsum utitur, duplum restituito: qui anno altero eamdem debet, in vinculis habetor, donec exsolverit. Anonymus *Argumento Timocrateæ*.

Τῶν ἄλλων ἕνεκα.

Aliorum causa. Demosthenes *Androtiana*. Lex vult pecuniam publicam exigi tanquam causa aliorum, scil. pauperum, & bello mutilatorum, quorum necessitatibus suppeditabat.

Χίλια τάλαντα κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἐξαίρετα εἶναι τῷ δήμῳ καὶ μὴ ἀναλοῦν· ἢν δέ τις εἴπῃ ἢ ἐπιψηφίσῃ κινεῖν τὰ χρήματα ταῦτα ἐς ἄλλο τι, ἢν μὴ οἱ πολέμιοι νηΐτῃ στρατῷ ἐπιπλέωσι τῇ πόλει, καὶ δέῃ ἀμύνασθαι, θάνατον ζημίαν εἶναι.

Mille talenta quotannis seponunto non expendenda: si quis dixerit aut populum rogarit ea impendi in alios usus, quam si hostes navibus appulsi Atticam D *invadant, & propugnanda sit patria, capital esto.* Andocides *de pace Lacedæm.*

Οπόταν πόλεμος ᾖ, τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως στρατιωτικὰ εἶναι.

Ingruente bello, e theorica pecunia militum stipendia numerantor. Demosthenes *in Neæram*.

Θανάτῳ ζημιοῦσθαι, εἴ τις ἐπιχειροίη μεταποιεῖν τὰ θεωρικὰ στρατιωτικά.

Si quis attentet facere, ut theorica pecunia in militum stipendia numeretur, capite luito. Ulpianus *Olynthiaca α'.* Lex ab Eubulo lata, ut populo gratificaretur.

* *Hæc lex a Pottero addita.*

LIBER QUINTUS.

Finium regundorum.

TITULUS I.

Οπου μὲν ἔστι δημόσιον φρέαρ ἐντὸς ἱππικοῦ, χρῆσθαι τούτῳ, ὅπου δὲ πλεῖον ἀπέχει, ζητεῖν ὕδωρ ἴδιον.

E *Publico puteo, qui intra hippicum sit, utitur: si majus sit intervallum, privatum sibi quisque effodiunto.* Solonis lex, e Plutarcho. Siticulosa admodum erat Attica, unde aquarum possessio certis legibus definiebatur.

Εαν τις φρέαρ παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύττῃ, ὀργυιὰν ἀπολιπεῖν.

Si quis puteum juxta alterius agrum fodiat, orgyæ spatium relinquito. Solonis lex, e Gajo *l.* IV. *ad leg.* XII. *Tabularum*.

Εαν δὲ ὀρύξαντες ὀργυιῶν δέκα βάθος παρ' ἑαυτοῖς μὴ εὕρωσιν ὕδωρ, τότε λαμβάνειν παρὰ τοῦ γείτονος, ἑξαχουν ὑδρίαν δὶς ἑκάστης ἡμέρας πληροῦντες.

Si quis depresso in altum puteo decem orgyas aquam in suo non inveniat, extrahito e vicini puteo bis quotidie aquam urna sex choum capace. Solonis lex, e Plutarcho.

Εαν τις τάφον, ἢ βόθρον παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος αὐτοῦ ᾖ, τοσοῦτον ἀπολιπεῖν.

F *Si quis sepulcrum fodiat, aut fossam ducat juxta vicinum agrum, ab eo tantumdem spatii relinquito, in quantam profunditatem deprimet.* Solonis lex, e Plutarcho, & Gajo *loc. cit.*

Εαν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ,

Si quis sepem ad alienum prædium fodiens ducat,

τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν· ἐὰν δὲ τειχίον, πόδα ἀπολιπεῖν, ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας.

A *limitem ne excedito; si murum, pedis unius, si casam, duorum pedum intervallum relinquito.* Solonis lex, e Gajo *loco cit.*

Εἰ δέ τις ἐν ἀγρῷ βούλοιτο κτίσαι, τόξου βολὴν ἀπὸ τοῦ ἀγρογείτονος ἀπεχέτω....... ὀργυιάν.

Si quis in fundo ædificare velit, a fundo vicini ad arcus usque jactum abesto........ ulnam. Solonis lex, ex *Eclogis Basilicῶn.*

Μελισσῶν σμήνη καθιστάμενον ἀπέχειν τῶν ὑφ᾽ ἑτέρου πρότερον ἱδρυμένων πόδας τριακοσίους.

Qui apud alvearia facit, ab alvearibus vicini distantia pedes trecentos collocato. Solonis lex, e Plutarcho.

Ἐλαίαν δὲ καὶ συκὴν ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν· τὰ δὲ ἄλλα δένδρα πέντε πόδας.

Oleam & ficum novem pedes longe ab alieno fundo serito: cæteras vero arbores pedes quinque. Solonis lex, e Plutarcho & Gajo *loc. cit.* Hæ arbores dicuntur radicis agere longius, & halitum efflare

B cæteris plantis noxium.

Στοιχάδας.

Oleæ privatæ ordine consitæ.

Ἐάν τις ἐλαίαν Ἀθήνησιν ἐξορύττῃ, ἐὰν μὴ εἰς ἱερὸν Ἀθηναίων δημόσιον, ἢ δημοτικὸν, ἢ ἑαυτῷ χρῆσθαι μέχρι δυοῖν ἐλαίαιν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου, ἢ ἐπὶ ἀποθανόντα δέῃ χρήσασθαι, ὀφείλειν ἑκατὸν δραχμὰς τῷ δημοσίῳ τῆς ἐλαίας ἑκάστης· τὸ δὲ ἐπιδέκατον τούτου τῆς θεοῦ εἶναι· ὀφειλέτω δὲ καὶ ἰδιώτῃ τῷ ἐπεξιόντι ἑκατὸν δραχμὰς καθ᾽ ἑκάστην ἐλαίαν· τὰς δὲ δίκας εἶναι περὶ τούτων πρὸς τοὺς ἄρχοντας, ὧν ἕκαστοι δικασταί εἰσι. Πρυτανεῖα δὲ τιθέτω ὁ διώκων τοῦ αὐτοῦ μέρους, ὅτου δ᾽ ἂν καταγνωσθῇ ἐγγραφόντων οἱ ἄρχοντες, πρὸς οὓς ἂν ᾖ ἡ δίκη, τοῖς πράκτορσιν, ὃ τῷ δημοσίῳ γίνεται τοῖς ταμίαις τῆς θεοῦ· ἐὰν δὲ μὴ ἐγγράφωσιν, αὐτοὶ ὀφειλόντων.

Si quis oleam Athenis evellat, nisi in usum templorum Atheniensium, aut in privatum suum duas evellat quotannis, aut in funus, in singulas oleas centum drachmas pendito: decima mulctæ Minervæ sacra esto: centum quoque drachmæ addicuntur actori. Dicæ scribuntor apud magistratum, cujus est judices dare. Actor sacramentum deponito. Reo damnato magistratus exigendam tradito mulctam, quæ in ærarium publicum infertur, exactoribus, decimam vero, quæ Minervæ cedit, quæstoribus Deæ: si secus fecerint magistratus, ipsi de suo penduntο. Demosthenes *in Macart.*

De agris, armento, atque grege.

TITULUS II.

Μῆ κτᾶσθαι γῆν ὁπόσην ἂν βούληταί τις.

C *AGrum, quantum voluerint, ne possidento.* Solonis lex, ex Aristot. *Polit. lib.* II. *cap.* VIII. Modum divitiarum statuit.

Ὁ τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς, ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται, ἄτιμος ἔστω.

Decoctores paternæ, aut alterius cujusvis hæreditatis, ignominiosi sunto. Solonis lex, e Diogene Laertio, & Æschine *in Timarchum.*

Τῷ κομίσαντι λύκον, πέντε δραχμὰς δίδοσθαι, λυκίδα δὲ, μίαν.

Ei, qui lupum attulerit, quinque drachmæ dantor, una ei, qui lupam. Solonis lex, e Plutarcho. Attica lupis infestata fuisse videtur.

Βοῦν ἀρότην μὴ θύειν.

Bovem aratorem ne mactato. Lex vetus, ex Æliano *Var. Hist. lib.* V. *cap.* XVI. Vide *lib.* I. *cap.* IV.

Βοῦς μὴ καταθύεσθαι.

Boves ne mactanto. Alia lex lata cum deficerent

D boves. Athenæus *lib.* IX.

Μὴ σφάττειν πρόβατον ἄπεκτον ἢ ἄτοκον.

Agnum anniculo minorem ne mactato. Lex lata cum raræ essent oves. Athen. *lib.* I. & IX. Eustath. *Iliad.* ῶ.

Ζῶα μὴ σίνεσθαι.

Carnibus ne vescitor. Triptolemi lex, e Porphyrio περὶ ἀποχῆς, & Hieronymo in *Jovinian.* II.

De emtione, venditione, & evictione.

TITULUS III.

ΤΟν ἀμφισβητοῦντα χωρίου δικάζεσθαι τῷ ἔχοντι αὐτὸ, καρποῦ, εἰ δὲ οἰκίας, ἐνοικίου.

E *QUi de agro litigat, possessori de proventu, qui de domo, dicam de obventione scribito.* Lysias *in Demosthen. Curat.*

Ἀψευδεῖν κατὰ τὴν ἀγοράν.

In foro ne mentiuntor. Demosthenes *Leptinea.*

Τοὺς ἰχθυοπώλους μὴ ἀποδοῦναι τοὺς ἰχθύας ἐλάττονος ἧς εἶπον τιμῆς, ἢ εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπάγεσθαι.

Piscarii pisces minoris, quam judicarint, ne vendunto; si secus fecerint, in carcerem abducuntor. Alexis Comicus *Lebete.*

Τοὺς ἰχθυοπώλας μὴ ῥαίνειν τοὺς ἰχθύας σαπρούς.

Piscarii pisces putres aqua ne riganto. Xenarchus Πορφύρᾳ.

De Usuris.

TITULUS IV.

Τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι, ἐφ' ὁπόσον ἂν βούληται ὁ δανείζων.

Μὴ λαμβάνειν πολλοὺς τόκους.

Εἰς ἅ τις ἀπετίμησεν, μὴ εἶναι δίκας, οὔτ' αὐτοῖς, οὔτε κληρονόμοις.

Τὰς ἐγγύας ἐπετείους εἶναι.

Ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν.

Εἴ τις ἐκπροθεσμήσειε, καὶ καταβάλοι τὰς δίκας, ἐξεῖναι ἅπτεσθαι αὐτοῦ τῶν κτημάτων.

Τὸ τῆς ἐξούλης δίκης τίμημα εἶναι δημόσιον.

Ἑκατὸν δραχμῶν τὴν μνᾶν εἶναι.

Ἐάν τις τὸ νόμισμα διαφθείρῃ, θάνατον τὴν ζημίαν εἶναι.

Ἀργύριον δὲ μὴ ἐξεῖναι ἐκδοῦναι Ἀθηναίων καὶ τῶν μετοίκων τῶν Ἀθήνησι μετοικούντων μηδενὶ ὧν οὗτοι κύριοί εἰσιν εἰς ναῦν, ἥτις ἂν μὴ μέλλῃ ἄξειν σῖτον Ἀθήναζε, καὶ τἄλλα τὰ γεγραμμένα περὶ ἑκάστου αὐτῶν. ἐὰν δέ τις ἐκδῷ παρὰ ταῦτα, εἶναι τὴν φάσιν καὶ τὴν ἀπογραφὴν τοῦ ἀργυρίου πρὸς τοὺς ἐπιμελητὰς, καθὰ περὶ τῆς νεὼς καὶ τοῦ σίτου εἴρηται. κατὰ ταῦτα καὶ δίκη αὐτῷ μὴ ἔστω περὶ τοῦ ἀργυρίου, ὃ ἂν ἐκδῷ ἀλλοσέ ποι ἢ Ἀθήναζε μηδὲ ἀρχὴ εἰσαγέτω περὶ τούτου μηδεμία.

Τοὺς ναυκλήρους καὶ τοὺς ἐπιβάτας πλεῖν εἰς ὅ, τι ἂν συνθῶνται, ἐμπόριον· εἰ δὲ μὴ, ζημιοῦσθαι.

A *Usurarum modus esto, quem stipulatus fuerit fœnerator.* Lysias *in Theomnestum Orat.* ά.

Pecuniam ingenti fœnore ne occupato. Ulpianus *Timocratea extrema.*

In rem oppigneratam neque ei, qui oppigneravit, neque ejus hæredi, actio esto. Demosthenes πρὸς Σπουδίαν.

Sponsiones in annum sunto. Idem πρὸς Ἀπατούριον.

Pecuniam sub corporis nexu mutuam ne danto. Solonis lex, e Plutarcho.

Qui judicatum definito die non solvit, in bona ejus invadunto. Ulpianus *in Midianam.*

B *Mulcta irrogata in judicio de vi in publicum committitor.* Demosthenes *Midiana.*

Mina centum drachmarum esto. Solonis lex, cum regulas mensuris & pecuniæ pretio posuit, ut Plutarchus.

Adulterasse monetam capital esto. Lex omnium fere urbium. Demosthenes *Lepinea* & *Timocratea.*

Atheniensium civium, aut inquilinorum nullus qui rerum suarum dominus sit, mutuam pecuniam nauticam dato in nave, quæ frumentum aliaque legibus designata Athenas non importet. Si quis secus fecerit, defertor apud curatores mercatus, & pecunia C *ejus describitor, quemadmodum de nave & frumento cautum est lege. Ad hæc ei actio ne dator adversus debitorem, cui mutuam pecuniam dedit in alium quam Athenienſium mercatum: neque magistratus ullus judices illi dato.* Idem πρὸς Λάκριτον.

Navicularii vectoresque in illum appellunto mercatum, de quo pacti sunt: si secus faxint, mulctantor. Idem *in Dionysiodorum.*

De rebus Athenis alio, aut aliunde Athenas importandis, vel exportandis.

TITULUS V.

Ἔλαιον μόνον ἐξάγειν, ἄλλα δὲ μή· καὶ κατὰ τῶν ἐξαγόντων ἀρὰς τὸν Ἄρχοντα ποιεῖσθαι, ἢ ἐκτίνειν αὐτὸν ἑκατὸν δραχμὰς εἰς τὸ δημόσιον.

Ἀθήνηθεν μὴ ἐξάγειν ἀλλοσέ που σῦκα.

Ἐάν τις Ἀθηναίων ἐμπόρων ἢ ναυκλήρων ἄλλοθί που σιτηγήσῃ ἢ Ἀθήναζε, κατὰ τούτων φάσεις εἶναι.

Τὸν φαίνοντά τινα ἐμπόρων ἢ ναυκλήρων Ἀθηναίων, ὡς ἑτέρωσέ ποι καὶ μὴ Ἀθήναζε σεσιτηγηκότα, τὰ ἡμίσεα τῶν φανθέντων λαβεῖν.

Μὴ φαίνειν, εἰ μὴ πιστεύει τις αὐτῷ δείξειν ἐν τοῖς δικασταῖς τὰ γεγενημένα, περὶ ὧν ποιεῖται τὴν φάσιν· ἐὰν δέ τις παρ' αὐτὰ ποιῇ τῶν συκοφαντούντων, ἔνδειξιν αὐτῶν εἶναι καὶ ἀπαγωγήν.

Ἐὰν τίς τινα φήνας, ἢ γραψάμενος γραφὰς, μὴ ἐπεξίῃ, ἢ ἐπεξιὼν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, χιλίας ἀποτίνειν, καὶ τὸ λοιπὸν μὴ φαίνειν, μηδὲ γράφεσθαι, μηδ' ἀπάγειν, μηδ' ἐφηγεῖσθαι.

Μεδένα τῶν ἐν τῇ πόλει πλείω σῖτον πεντήκοντα φορμῶν συνωνεῖσθαι.

D *Oleum Athenis exportato, cæteros proventus non item: qui exportarit, eum Archon diris devoveto, aut centum drachmis mulctator.* Lex lata ob Attici agri sterilitatem, scripta in primo axone Solonis, Plutarch. Excipiebantur victores in ludis Panathenæis, Pindari Scholiastes *Nem.* x.

Ficus Athenis alio ne importato. Aristoph. Schol. *Pluto.*

Si quis Atheniensis mercator, aut nauclerus alio, quam Athenas, frumentum importet, indicator. Demosthenes *Timocratea.*

Qui indicarit aliquem Atheniensium mercatorum, sive naucleroram, alia quam Athenas fru- E *mentum importantem, bonorum indicatorum semissem accipito.* Idem *in Theocrinem.*

Nemo, cui probationes desunt, nauclerum sive mercatorem deferto: qui secus fecerit, accusator, & abducitor. Idem *ibid.*

Si quis semel institutam publici judicii actionem mittat, aut quintam punctorum partem eam instituens non ferat, mille drachmis mulctator, nec in posterum actionem publici judicii instituito. Idem *ibid.* ejusque *Argument.*

Nemo eorum, qui Athenis degunt, plus quinquaginta phormis coemito. Lysias κατὰ τῶν σιτοπόλων.

Μὴ ἐξάγειν ξύλα καὶ πίττας.

A *Ligna & picem ne exportato*. Aristoph. ejusque Schol. *Equitibus*. Navium structuræ consulitur.

Τὰς δίκας εἶναι πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας τοῖς ναυκλήροις καὶ τοῖς ἐμπόροις τῶν Ἀθήναζε, καὶ τῶν Ἀθήνηθεν συμβολαίων, περὶ ὧν ἂν ὦσι συγγραφαί· ἐὰν δέ τι ἀδικῶνται ἐν τῷ ἐμπορίῳ ἐνθένδε ποι πλέοντες, ἢ ἑτέρωθεν δεῦρο, δεδέσθαι, ἕως ἂν ἐκτίσωσιν, ὅτι ἂν αὐτῶν καταγνωσθῇ· ἂν δέ τις παρὰ ταῦτα δικάζηται, παραγράφεσθαι ἐξεῖναι.

Actiones dantor apud Thesmothetas naucleris & mercatoribus Athenis alio, aut aliunde Athenas navigantibus, secundum tabulas contractus: si qui vero injuste fecisse videantur, in vinculis habentor, donec mulctam irrogatam exsolverint: si quis præter hæc in jus vocet, exceptione utuntor. Argumentum Orat. Demosth. πρὸς Ξενόθεμιν.

De Artibus.

TITULUS IV.

Ὁ Ἀργὸς ὑπεύθυνος ἔσω παντὶ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι.

B *Lenitudinis dicam quivis impingito*. Lex Draconis, e Plutarcho. Eadem Soloni & Pisistrato etiam adscribitur.

Μὴ δύο τέχνας μετιέναι.

Duas artes ne exerceto. Demosthenes & Ulpianus *Timocratea*.

Τοὺς ἄνδρας μὴ μυροπωλεῖν.

Ne quis vir unguentariam facito. Solonis lex, ex Athenæo *lib.* XIII. & XV.

Τοὺς ξένους ἐν τῇ ἀγορᾷ μὴ ἐργάζεσθαι.

Peregrini in foro nihil vendunto, neque ullam artem exercento. Demosthenes πρὸς Εὐβουλίδην.

Ἔνοχον εἶναι τῇ κατηγορίᾳ τὸν τὴν ἐργασίαν τὴν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἢ τῶν πολιτῶν, ἢ τῶν πολιτίδων ὀνειδίζοντά τινι.

Qui civi, sive mari, sive fœminæ, exprobrarit, quod in foro merces venales exponat, accusare eum jus esto. Idem *ibid.*

Τὸν ἄριστον ὄντα τῶν ἑαυτοῦ συντεχνῶν σίτησιν ἐν Πρυτανείῳ λαμβάνειν, καὶ προεδρίαν.

C *Peritior in sua arte publice in Pritaneio epulator, primamque sedem occupato*. Aristophanes *Ranis*.

Ἐάν τις τῶν πορθμέων τῶν εἰς Σαλαμῖνα πορθμευόντων ἄκων ἐν τῷ πόρῳ πλοῖον ἀνατρέψῃ, τούτῳ μὴ ἐξεῖναι πάλιν πορθμεῖ γενέσθαι.

Si quis portitorum, qui in Salamina transmittunt, nolens in eo naufragium fecerit, neminem in posterum transmittito. Æschines *in Ctesiphont*. Ratio, ne quis Græcorum capiti impune illudat.

De Collegiis & Pollicitationibus.

TITULUS VII.

Ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργίων, ἢ ναῦται, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμοτάφοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λίαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν, ὅ, τι ἂν τούτων διάθωνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύῃ δημόσια γράμματα.

D *Si populares, aut phratores, aut e sacerdotibus, aut Orgeonibus sint ii, aut coepulones, aut eodem tumulo qui conduntur, aut thiasotæ, aut ad frumentum coemendum, aut alias merces profecti, quam velint, pactionem sibi ferunto, dum ne quid ex publica lege corrumpant*. Gajus *lib.* IV. *ad legem* XII. *Tabularum*.

Ἐάν τις ὑποσχόμενός τι, τὸν δῆμον ἐξαπατήσῃ, εἰσαγγελίαν εἶναι περὶ αὐτοῦ· κἂν ἁλῷ, θανάτῳ ζημιοῦν.

Si quis quidquam Reipublicæ pollicitus fuerit, nec præstiterit, publica adversus eum judicia instituuntor: convictus capite luito.

Ἐάν τις ὑποσχόμενός τι, τὸν δῆμον, ἢ βουλὴν, ἢ δικαστήριον ἐξαπατήσῃ, εἰσαγγελίαν εἶναι περὶ αὐτοῦ· κἂν ἁλῷ, θανάτῳ ζημιοῦν.

Si quis quidquam Reipublicæ, aut Senatui, aut judicibus pollicitus fuerit, nec præstiterit, publica adversus eum judicia instituuntor: convictus capite luito. Demosthenes *Leptinea*.

Ἐάν τις ἐναντίον τῶν πολιτῶν ὁμολογήσας τι παραβῇ, τοῦτον ἔνοχον εἶναι τῷ ἀδικεῖν.

E *Si quis coram civibus aliquid fassus insuper habeat, injuste fecisse pronunciator*. Dinach. *in Philoclem*.

Ἐάν τις Ἀθηναίων λαμβάνῃ παρά τινος, ἢ αὐτὸς διδῷ ἑτέρῳ, ἢ διαφθείρῃ τινὰς ἐπαγγελλόμενος ἐπὶ βλάβῃ τοῦ δήμου, καὶ τινὸς τῶν πολιτῶν τρόπῳ, ἢ μηχανῇ ἡτινιοῦν, ἄτιμος ἔσω, καὶ παῖδες, καὶ τὰ ἐκείνου.

Si quis Atheniensium ab alio munera accipiat, aut ipse det alteri, aut pollicitationibus corrumpat alios in perniciem populi, aut alicujus civis, aut quocumque alio modo & arte, ignominiosus esto cum liberis & bonis suis. Demosthenes *Midiana*.

Τοὺς δωροδοκοῦντας, ἢ θανάτῳ ζημιοῦσθαι, ἢ δεκαπλοῦν τοῦ ἐξ ἀρχῆς λήμματος ἐκτίνειν.

Si quis eorum, qui Rempublicam gerunt, dona acceperit, capite luito, aut ejus, quod accepit, muneris decuplum pendito. Dinarchus *in Demosthenem*.

LIBER SEXTUS.

De Connubiis.

TITULUS I.

Ἕνα ἄνδρα μιᾶς γυναικὸς τυχεῖν.

Γαμεῖν ἀστὴν μίαν.

Ἐπ' ἀρότρῳ παίδων.

Ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι, ἢ πατὴρ, ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ, ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους· ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ τοῦτον κύριον εἶναι.

Ἐὰν δέ τις ἐκδιδῷ ξένην γυναῖκα ἀνδρὶ Ἀθηναίῳ ὡς ἑαυτῷ προσήκουσαν, ἄτιμος ἔστω, καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ δημοσία ἔστω, καὶ τοῦ ἑλόντος τὸ τρίτον μέρος. γραφέσθω δὲ πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας, οἷς ἔξεστι, καθάπερ τῆς ξενίας.

Ἐὰν δὲ ξένος ἀστῇ συνοικῇ, τέχνῃ, ἢ μηχανῇ ἡτινιοῦν, γραφέσθω πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος, οἷς ἔξεστιν· ἐὰν δὲ ἁλῷ πεπράσθω, καὶ αὐτὸς, καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ, καὶ τὸ τρίτον μέρος ἔστω τοῦ ἑλόντος. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐὰν ἡ ξένη τῷ ἀστῷ συνοικῇ κατὰ ταῦτα, καὶ ὁ συνοικῶν τῇ ξένῃ ἁλούσῃ, ὀφειλέτω χιλίας δραχμάς.

Ἐπὶ ξένης μὴ ἐκδίδοσθαι ἀστὴν οὖσαν.

Ἐξεῖναι γαμεῖν τὰς ἐκ πατέρων ἀδελφάς.

Μὴ ἐξεῖναι ταῖς ἐπικλήροις ἔξω τῆς ἀγχιστείας γαμεῖν, ἀλλὰ προσῆκον εἶναι αὐταῖς μετὰ τῶν χρημάτων τῷ ἐγγύτατα γένους συνοικεῖν.

Κληροῦν δὲ τὸν κλῆρον καὶ ἐπίκληρον, ὅσοι εἰσὶ μῆνες, πλὴν τοῦ Σκιρροφοριῶνος, ἀνεπίδικον δὲ κλῆρος, καὶ ἐπίκληρον μὴ ἔχειν.

Ἐὰν δὲ ἐπιδεδικασμένου ἀμφισβητῇ τοῦ κλήρου ἢ τῆς ἐπικλήρου, προκαλείσθω τὸν ἐπιδεδικασμένον πρὸς τὸν ἄρχοντα, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν, παρακαταβολὰς δ' εἶναι τῷ ἀμφισβητοῦντι. ἐὰν δὲ μὴ προκαλεσάμενος ἐπιδικάσηται, ἀτελὴς ἔσται ἡ ἐπιδικασία τοῦ κλήρου. ἐὰν δὲ μὴ ζῇ ὁ ἐπιδικασάμενος τοῦ κλήρου, προσκαλείσθω κατὰ ταῦτα ὧν ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκει. τὴν δ' ἀμφισβήτησιν εἶναι τῷ ἄρχοντι, καθότι ἐπεδικάσατο οὗ ἂν ἔχῃ τὰ χρήματα.

Τὰς μὲν ὑπὸ τῶν πατέρων ἐδοθείσας καὶ συνοικούσας ἀνδράσι γυναῖκας, ἂν ὁ πατὴρ αὐτῶν τελευτήσας, μὴ καταλιπὼν αὐταῖς γνησίους ἀδελφοὺς, τοῖς ἐγγύτατα γένους ἐπιδίκους εἶναι.

Τὴν ἐπίκληρον, ἂν ὁ κρατῶν καὶ κύριος γεγονὼς κατὰ τὸν νόμον, αὐτὸς μὴ δυνατὸς ᾖ πλησιάζειν, ὑπὸ τῶν ἔγγιστα τοῦ ἀνδρὸς ὀπυέσθαι.

Τρὶς ἑκάστου μηνὸς ἐντυγχάνειν πάντως τῇ ἐπικλήρῳ τὸν λαβόντα.

Ἐὰν ἁρπάσῃ τις ἐλευθέραν γυναῖκα καὶ βιάσηται, ζημίαν ἑκατὸν δραχμὰς διδόναι.

Τὸν βιασάμενον κόρην χιλίας διδόναι.

Τὸν βιασάμενον κόρην αὐτὴν γαμεῖν.

Τὸν ἐπίτροπον τῇ τῶν ὀρφανῶν μητρὶ μὴ συνοικεῖν.

A *Unam tantum uxorem ducito.* Cecropis lex, Athen. *lib.* XIII. Vide *lib.* IV. *cap.* XI.

Unam uxorem legitimam, eamque civem, ducito. Vide *ibid.*

Liberum quærendum. Isidorus Pelusiota *lib.* III. *epist.* CCXLIII. non voluptatis, sed liberorum gratia uxor ducenda.

Ex ea, quam in legitimam uxorem desponsarit pater, aut germanus frater, aut avus paternus, legitimos liberos tollunto: si nullus horum superfit, & virgo orba sit, nubito ei, qui judicio obtinuerit; B *si orba non sit, tutor eam desponsato.* Demosthenes *in Stephanum Testem.*

Si quis peregrinam tanquam sibi proximam elocarit Atheniensi civi, ignominiosus esto, ejusque bona publicantor, triens accusatori cedito: accusanto, queis fas est, apud Thesmothetas, quemadmodum peregrinitatis. Idem *in Neæram.*

Si quis peregrinus civem ducat, quocumque modo aut arte, accusato Atheniensium cuicumque libuerit & licuerit apud Thesmothetas; si convictus fuerit, ipse venditor, & bona ejus, eorum triens C *accusatori cedito. Siremps lex dicta esto peregrinæ, quæ civi nupserit; & si quis postbac rem habeat cum ea, quæ peregrinitatis damnata est, mille drachmis mulctator.* Idem *ibid.*

Civis peregre ne nubito. Idem, Ulpianusque *Timocratea.*

Sororem germanam in matrimonio habere jus esto. Cornelius Nepos *Cimone.*

Virgo dotalis extra cognationem ne enubito; sed agnato proximo nubito, & omnia sua bona in dotem adferto. Isæus *de Hæred. Aristarchi.*

D *Hæreditatem, dotalemque virginem in jure tibi vindicato: judicia redduntor singulis mensibus, excepto Scirrophorione: nullus hæreditatem possideto, aut dotalem virginem in matrimonio habeto nisi judicio expertus.* Demosthenes *in Stephanum Testem.* Vide *lib.* IV. *cap.* XV.

Si quis de hæreditate aut dotali puella judicio evicta controversiam faciat, provocato eum, qui evicit judicio, apud prætorem, ut in aliis causis, cum sponsione. Si is, qui judicio evicit, alios non provocarit, nulla esto evictio illa hæreditatis. Si superstes E *jam non sit is, qui evicerit hæreditatem, provocato, si nondum definitum tempus abiit. Controvertito apud prætorem, quemadmodum qui hæreditatem judicio evicit.* Idem *in Macartatum.*

Fœminas a patribus elocatas, & a maritis domum deductas, si pater obe at nullis superstitibus liberis legitimis masculis, proximiores cognatione jure sibi vindicanto. Isæus *de Hæred. Pyrrhi.*

Dotalis fœmina, si maritus, qui eam sibi jure vindicavit, coire non possit, cum mariti agnatis concubito. Solonis lex, e Plutarcho. Vide *lib.* IV. F *cap.* XI.

Maritus dotalis fœminæ ter singulis mensibus cum ea pernoctato. *Ibidem.*

Qui virgini ingenuæ vim intulerit, drachmis centum mulctator. *Ibidem.*

Raptor virginis mille drachmis mulctator. Hermogenis Schol.

Raptor virginis, quam vitiarit, ducito. *Ibid.*

Tutor pupillorum suorum matrem in uxorem ne ducito. Solonis lex, e Laertio.

Χρῆσθαι δὲ δούλους συνουσίαν γυναικῶν.

A *Servi fœminis utuntor*. Plutarchus *Amatorio*. Vide *lib. I. cap. de Servis*.

Τὰς νύμφας ἰούσας ἐπὶ τὸν γάμον φρύγετρον φέρειν σημεῖον.

Sponsæ, cum domum mariti deducuntur, phrygetrum in signum ferunto. Solonis lex, e Polluce *lib. I. cap. XII*. Vide *lib. IV. cap. XI*.

Τὴν νύμφην τῷ νυμφίῳ συγκαθείργνυσθαι μήλου κυδωνίου συγκατατρώγουσαν.

Sponsa in thalamum deducta malum cydonium gustato. Ejusdem lex, e Putarcho. Vide *ibid.*

De Dotibus.

TITULUS II.

Ιμάτια τρία, καὶ σκεύη μικροῦ νομίσματος ἄξια, ἕτερον δὲ μηδὲν ἐπιφέρεσθαι τὴν γαμουμένην τὰς φερνάς.

Tres tantum vestes, & vasa aliquot non magni constantia, sponsa ad maritum deferto in dotem. Lex Solonis, e Plutarch. Vide *lib. IV. cap. XI*.

Τῶν ἐπικλήρων ὅσαι θητικὸν τελοῦσιν, ἐὰν μὴ βούληται ἔχειν ὁ ἐγγύτατα γένους, ἐκδιδότω ἐπιδούς. ὁ μὲν πεντακοσιομέδιμνος πεντακοσίας δραχμὰς, ὁ δ' ἱππεὺς τριακοσίας, ὁ δὲ ζυγίτης ἑκατὸν πεντήκοντα πρὸς τῆς αὐτῆς. ἐὰν δὲ πλείους ὦσιν ἐν τῷ αὐτῷ γένει τῇ ἐπικλήρῳ πρὸς μέρος ἐπιδιδόναι ἕκαστον· ἐὰν δὲ αἱ γυναῖκες πλείους ὦσι μὴ ἐπάναγκες εἶναι πλέον ἢ μίαν ἐκδοῦναι τῷ ἐν γένει, ἀλλὰ τὸν ἐγγύτατα δεῖ ἐκδιδόναι ἢ αὐτὸν ἔχειν. ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ ὁ ἐγγυτάτω γένους, ἢ μὴ ἐκδῷ, ὁ Ἄρχων ἐπαναγκαζέτω ἢ αὐτὸν ἔχειν ἢ ἐκδοῦναι· ἐὰν δὲ μὴ ἐπαναγκάζῃ ὁ Ἄρχων, ὀφειλέτω χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἥρᾳ. ἀπογραφέτω δὲ τὸν μὴ ποιοῦντα ταῦτα ὁ βουλόμενος πρὸς τὸν Ἄρχοντα.

B *Orbæ, qui sunt genere proximi eis nubunto; aut ii orbis dotem danto: Pentacosiomedimni quidem drachmarum quingentarum. Equites vero trecentarum. Zygitæ denique centum quinquaginta. Si plures sint proximi uni orbæ pro rata singuli conferunto: sin plures sint orbæ, singuli singulas elocanto, aut ducunto. Si vero proximi neque ducant ipsi, neque elocent, Archon eum cogito aut ducere aut elocare: ni coegerit, mille drachmis Junoni sacris mulctator. Ejus nomen, qui hanc legem violarit, apud Archontem quivis deferto*. Demosthenes *ad Macartatum*. Vide *ibid.*

Μενούσης τῆς μητρὸς ἐν τῷ οἴκῳ, καὶ ζώσης, καὶ προῖκα ἐπενεγκαμένης, οὐκ ἀπογράφειν τὴν προῖκα χρέος αὐτῇ, ἀλλὰ μετέχειν τῶν παίδων τὴν μητέρα.

C *Manente domi cum liberis matre, dote non repetita, liberi propter dotem fœnus ne pendunto, sed mater bona illorum participato*. Idem *in Phænippum*.

Καὶ ἐὰν ἐπικλήρου τις γένηται, καὶ ἅμα ἡβήσῃ ἐπὶ διετὲς, κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί.

Dotali more natus, & in viros transscriptus, jus in matris bona habeto, eamque exhibeto. Idem *in Stephanum Testem*.

Τὴν ὁμολογηθεῖσαν προῖκα γίνεσθαι εἰς τὸν ἐγγυήσαντα, εἴ τι ἔπαθεν ἡ γυνὴ πρὶν γενέσθαι παῖδας αὐτῇ.

Dos, quam accepisse cavit maritus, si fœmina orba decesserit, ad illum redito, qui dotem dederat. Isæus *de Hæred Pyrrhi*.

Ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα· ἐὰν δὲ μὴ, ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν, καὶ σίτου εἰς ᾠδεῖον εἶναι δικάσασθαι ὑπὲρ τῆς γυναικὸς τῷ κυρίῳ.

D *Si uxorem dimiserit, dotem reddito: ni reddat, in novem obolos menstruos fœnus pendito: adversus eum in odeo de victu uxoris illius tutori actio dator*. Demosthenes *in Neæram*.

Ἐὰν ἀπολίπῃ ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα, ἢ ἐὰν ὁ ἀνὴρ ἐκπέμψῃ τὴν γυναῖκα, μὴ ἐξεῖναι πράξασθαι τῷ δόντι ἃ μὴ προικὶ τιμήσας ἔδωκεν.

Si uxor a viro, aut vir ab uxore diverterit, qui mulierem elocavit, ne exigito plura, quam maritus in dotem accepisse hypotheca data cavit. Isæus *de Hæred. Pyrrhi*.

De Divortiis.

TITULUS III.

Τὴν γυναῖκα τὴν ἀπολείπουσαν τὰ τῆς ἀπολείψεως γράμματα παρὰ τῷ Ἄρχοντι θέσθαι, μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλ' αὐτὴν παροῦσαν.

E *Uxor, quæ a viro divertit, libellum divortii ipsa, non per alterum, Archonti præsens offerto*. Plutarch. *Alcibiade*. Vide *lib. IV. cap. XII*.

De Adulteriis.

TITULUS IV.

Ἐάν τις μοιχὸν λάβῃ, ὅ, τι ἂν βούληται, χρῆσθαι.

F *Si quis adulterum deprehenderit, de eo, quod libuerit, statuito*. Draconis, Solonisque lex. Lysius *de cæde Eratosthenis*, Ulpianus *lib. I.* Vide *lib. IV. cap. XIV*.

Ἐάν τις μοιχὸν λάβῃ ἐν ἔργῳ ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντα, ὅ, τι ἂν βούληται, χρῆσθαι.

Si quis adulterum in ipsa turpitudine deprehenderit, de eo, quod libuerit, statuito.

Ἐάν τις ἀδίκως εἵρξῃ ὡς μοιχὸν, γράφεσθαι πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας ἀδίκως εἰρχθῆναι, κἂν μὲν ἕλῃ τὸν εἵρξαντα καὶ δόξῃ ἀδίκως ἐπιβεβουλεῦσθαι, ἀθῷον εἶναι αὐτὸν, καὶ τοὺς ἐγγυητὰς ἀπηλλάχθαι τῆς ἐγγύης· ἐὰν δὲ δόξῃ μοιχὸς εἶναι, παραδοῦναι αὐτὸν τοὺς ἐγγυη-

Si quis tanquam adulter in custodia habeatur, libellum supplicem Thesmothetis offerto, quod injuste in custodia habeatur, si apud judices probaverit, injuste vinctum fuisse, innoxius dimittior, & vades ejus sponsione liberantor: si vero adulterii damnatus fue-

τὰς τῷ ἑλόντι. ἐπὶ δὲ τοῦ δικαστηρίου ἄνευ ἐγχειριδίου χρῆσθαι ὅ,τι ἂν βουληθῇ, ὡς μοιχῷ ὄντι.

Ἐάν τις γυναῖκα αἰσχύνῃ βίᾳ, διπλῆν τὴν βλάβην ὀφείλειν.

Ἐπειδὰν δὲ ἕλοι τὸν μοιχὸν, μὴ ἐξέσω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί· ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔσω· μηδὲ τῇ γυναικὶ ἐξέσω εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ἐφ' ᾗ ἂν μοιχὸς ἁλῷ· ἐὰν δὲ εἰσίῃ, νηποινὶ πασχέτω ὅ,τι ἂν πάσχῃ, πλὴν θανάτου.

Τὴν γυναῖκα, ἐφ' ᾗ ἂν ἁλῷ μοιχὸς, μὴ ἐξεῖναι κοσμεῖσθαι· ἐὰν δὲ κοσμῆται, τὸν ἐντυχόντα καταῤῥηγνύναι τὰ ἱμάτια, καὶ τὸν κόσμον ἀφαιρεῖσθαι, καὶ τύπτειν, εἰργόμενον θανάτου, καὶ τοῦ ἀνάπηρον ποιῆσαι.

Χιλίαις ζημιοῦσθαι τὰς κατὰ τὰς ὁδοὺς ἀκοσμούσας γυναῖκας.

Τὴν γυναῖκα ἐξιέναι μὲν ἱματίων τριῶν μὴ πλέον ἔχουσαν, μηδὲ βρωτὸν ἢ ποτὸν πλείονος ἢ ὀβολοῦ φερομένην, μηδὲ κάνητα πηχυαίου μείζονα, μηδὲ νύκτωρ πορεύεσθαι πλὴν ἁμάξῃ κομιζομένην, λύχνου προφαίνοντος.

rit, vades dato ei: qui in uxore deprehenderit, judices, excepta capitis pœna, pro arbitrio in eum animadvertunto. Demosthenes *in Neæram.*

Si quis per vim vitium fœminæ intulerit, duplo mulctatur. Lysias *de cæde Eratosthenis.*

Postquam adulterum maritus adulterii damnaverit, ab uxore adultera divortito: nisi divorterit, ignominiosus esto: adulteræ templa publica ingredi fas non esto: si ingressa fuerit, impune pœnas cuivis dato, morte excepta. Demosthenes *in Neæram.*

Adultera in publicum ornata ne prodito: si secus faxis quivis ejus vestes discindito, ejusque mundum auferto, atque eam pulsato, si libuerit, dummodo ne occidat, aut membro aliquo captam reddat. Solonis lex. Æschines *in Timarchum.*

Fœminæ inornatius in publicum prodeuntes mille drachmis mulctantor. Philippidis lex, ex Harpocratione.

Fœmina foras proficiscens tribus stolis plures ne habeto, neque plus cibi aut potus quam obolo emtum secum efferto, neque calathum cubitali majorem: de nocte iter ne facito, nisi curru vecta ad lucernam. Lex Solonis, e Plutarcho.

De puerorum amoribus, & productione, & scortis.

TITULUS II.

ΔΟῦλον ἐλευθέρου παιδὸς μὴ ἐρᾶν, μήτ' ἐπακολουθεῖν, ἢ τύπτεσθαι τῇ δημοσίᾳ μάστιγι πεντήκοντα πληγάς.

Ἐάν τινα ἐκμισθώσῃ ἑταιρεῖν πατὴρ, ἢ ἀδελφὸς, ἢ θεῖος, ἢ ἐπίτροπος, ἢ ὅλως τῶν κυρίων τις· κατ' αὐτοῦ μὲν τοῦ παιδὸς γραφὴν ἑταιρήσεως οὐκ εἶναι, κατὰ δὲ τοῦ μισθώσαντος καὶ τοῦ μισθωμένου, τοῦ μὲν ὅτι ἐξεμίσθωσε, τοῦ δὲ ὅτι ἐμισθώσατο. καὶ ἴσα τὰ ἐπιτίμια ἑκατέρῳ εἶναι. καὶ μὴ ἐπάναγκες εἶναι τῷ παιδὶ ἡβήσαντι τρέφειν τὸν πατέρα, μηδὲ οἴκησιν παρέχειν, ὃς ἂν ἐκμισθωθῇ ἑταιρεῖν· ἀποθανόντα δὲ θαπτέτω, καὶ τἄλλα ποιείτω τὰ νομιζόμενα.

Ἐάν τις ἐλεύθερον παῖδα ἢ γυναῖκα προαγωγεύσῃ, τὸν προαγωγὸν γράφεσθαι· κἂν ἁλῷ, θανάτῳ ζημιοῦσθαι.

Ἐάν τις ὑβρίζῃ τινὰ ἢ παῖδα, ἢ γυναῖκα, ἢ ἄνδρα, τῶν ἐλευθέρων, ἢ τῶν δούλων, ἢ παράνομόν τι ποιήσῃ, εἰς τούτων τινὰ γραφέσθω πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων, οἷς ἔξεστιν. οἱ δὲ Θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων, οἷς ἔξεστιν. οἱ δὲ Θεσμοθέται εἰσαγόντων εἰς τὴν Ἡλιαίαν τριάκοντα ἡμερῶν ἀφ' ἧς γραφῇ, ἐὰν μὴ τὸ δημόσιον κωλύῃ. εἰ δὲ μὴ, ὅταν ᾖ πρῶτον οἷόν τε ὅτου δ' ἂν καταγνωσθῇ ἡ Ἡλιαία, τιμάτω περὶ αὐτοῦ παραχρῆμα, ὅτι ἂν δόξῃ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτίσαι· ἐὰν δὲ θανάτου τιμηθῇ τῆς ὕβρεως παραδοθεὶς τοῖς ἕνδεκα τεθνάτω αὐθήμερον, ὅσοι δ' ἂν γράφωνται γραφὰς ἰδίας κατὰ τὸν νόμον. Ἐὰν δὲ τὶς μὴ ἐπεξέλθῃ, ἢ ἐπεξιὼν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, ἀποτισάτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ· ἐὰν δὲ ἀργυρίου τιμηθῇ τῆς ὕβρεως, ἀποτισάτω ἐν ἕνδεκα ἡμέραις μετὰ τὴν δίκην. ἐὰν μὴ παραχρῆμα δύνηται ἀποτίνειν, δεδέσθω δὲ, ἐὰν ἐλεύθερον ὑβρίσῃ, μέχρις ἂν ἐκτίσῃ.

Ἄν τις Ἀθηναίων ἑταιρήσῃ, μὴ ἐξέσω αὐτῷ τῶν ἐννέα Ἀρχόντων γενέσθαι, μηδ' ἱερωσύνην ἱεράσασθαι, μηδὲ συνδικῆσαι τῷ δήμῳ, μηδὲ ἀρχὴν ἀρχέτω μηδεμίαν, μήτε ἔνδημον μήτε ὑπερόριον, μήτε κληρωτὴν, μήτε χειροτονητὴν, μηδ' ἐπὶ κηρυκείαν ἀποστελλέσθω, μηδὲ γνώμην λεγέτω, μηδ' εἰς τὰ δημοτελῆ ἱερὰ εἰσίτω, μηδ' ἐν ταῖς κοιναῖς στεφανηφορίαις στεφανούσθω, μηδ' ἐντὸς τῶν τῆς ἀγορᾶς περιῤῥαντηρίων πορευέσθω. Ἐὰν δὲ τὶς ταῦτα ποιῇ καταγνωσθέντος αὐτοῦ ἑταιρεῖν, θανάτῳ ζημιούσθω.

SErvus ingenuum puerum ne amato, neve assectator: qui secus faxit, publice quinquaginta plagarum ictus illi infliguntor. Æschines *in Timarchum.* Vide *lib.* I. *cap. de Servis.*

Si quis alium prostituerit, sive pater is sit, sive frater, sive patruus, sive tutor, sive quis alius, in cujus potestate sit: adversus puerum impudicitiæ actio ne esto, sed adversus illum, qui prostituerit, & qui conduxerit. Et uterque eamdem pœnam incurrunto. Puer prostitutus ubi adoleverit, patrem exhibere, aut in ædes suas recipere ne cogitor: mortuum tamen eum sepelito, eidemque justa facito. Idem *ibid.* Vide *lib.* IV. *cap.* IX.

Si quis liberum atque ingenuum puerum aut fœminam produxerit, dica ei scribitor: convictus morte mulctator. Idem *ibid.*

Si quis puerum, aut fœminam, aut hominem, sive ingenuum, sive servum, corruperit, aut opprobrium contra leges fecerit, dicam ei Atheniensium quivis, cui fas est, scribito: Thesmothetæ judices ex Heliastis sortiuntor intra dies a scripta dica triginta: aut, si justitium res indicant publicæ, ubi primum licebit: Heliastæ primis sententiis damnatum pœna addicunto in continenti, quam meritus est, sive in corpore, sive in ære: mortis sententiam passus eo ipso die ab undecimviris capitalibus animadvertitor. Si is, qui dicam scripsit, in sua habeat potestate servum, sive liberum hominem corruptum, & vel actionem institutam mittat, vel quintam suffragiorum partem non ferat, mille drachmas ærario pendito: cui pecuniaria mulcta est irrogata, is mulctam intra undecim dies solvito: & interea dum solverit, siquidem in liberum corpus peccaverit, in vinculis habetor. Idem *ibid.* Demosthenes *Midiana.*

Si quis Atheniensium corpus prostituerit, inter novem Archontas ne sorte capitor: sacerdotium ne gerito: syndicum creari fas non esto: magistratum nullum, sive intra sive extra fines Atticæ, gerito, vel sorte captus, vel suffragiis creatus: præco nullum in locum mittitor: sententiam ne dicito: in templa publica ne intrato: neque cum cæteris in pompis coronator: neque intra fori cancellos ingreditor. Si quis autem impudicitia damnatus legem hanc præterhaberit, capite luito. Æschines *in Timarchum.*

Ne

A Μὴ ἐπὶ ταύταις μοιχὸν λαβεῖν, ὁπόσαι ἂν ἐπ' ἐργαστηρίου κάθωνται, ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως· ὅσαι δὲ πεφασμένως πωλοῦνται, καὶ οἴκοι, καὶ βλάβης τὴν δούλην εἶναι ὀφείλειν.

Ne quis pro mœcho prebenditor in meretrice, quæ vel in lupanari, vel publice prostat: quæ publice prostant, etiam servorum injuriæ obnoxiæ sunto. Demosthenes *in Neæram*, Lysias *in Theomnestum Orat.* I. Vide *l.* IV. cap. XI.

Τὰς ἑταίρας ἄνθινα φορεῖν.

Meretrices floridas vestes indutæ sunto. Suidas, Artemidorus *l.* II. c. III.

De Testamentis & Hæreditario Jure.

TITULUS VI.

B ΕΝ τῷ γένει τοῦ τεθνηκότος δεῖν τὰ χρήματα καὶ τὸν οἶκον διαμένειν.

EXtra gentem familiamque hæredem ne scribito. Lex vetus a Solone abrogata, teste Plutarcho. Vide *l.* I. c. XV.

Παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ παρὰ μεδίμνου κριθῶν.

Puer aut fœmina testamento ne danto leganto ultra medimnum hordei. Isæus de Heredit. *Aristarchi.*

Ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο, ὥστε μήτε ἀπειπεῖν, μήτ' ἐπιδικάζεσθαι, ὅτε Σόλων εἰσῄει, τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι εἶναι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ, ἂν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄρρενες, ἂν μὴ μανιῶν, ἢ γήρως, ἢ φαρμάκων, ἢ νόσου ἕνεκεν, ἢ γυναικὶ πειθόμενος ὑπὸ τούτων του παρανόμων, ἢ ὑπὸ ἀνάγκης, ἢ ὑπὸ δεσμοῦ καταληφθείς.

Quicumque cives adscripti non sunt, nemine controversiam illis faciente de bonis, aut judicio experiente, quando præturam adiit Solo, testamento suo danto leganto, cuicumque libuerit, si nullos superstites habeant liberos masculos: neque furiosi sint, vel præ senectute, vel morbi aut veneficii vi: neque ab uxoribus persuasi: aut necessitate aliqua vel vinculorum tædio coacti. Demosthenes *in Stephanum* **C** *Testem Orat.* β'.

Ὅ, τι ἂν γνησίων ὄντων υἱῶν ὁ πατὴρ διάθηται, ἐὰν ἀποθανῶσιν οἱ υἱεῖς, πρὶν ἐπιδιετὲς ἡβᾶν, τὴν τοῦ πατρὸς διαθήκην κυρίαν εἶναι.

Hæredes a patre testamento substituti liberis, si liberi ante annum ætatis suæ vicesimum decesserint, hæredes sunto. Idem *ibid.*

Ἐξεῖναι διαθέσθαι ὅπως ἂν ἐθέλῃ τις τὰ αὐτοῦ, ἂν θηλείας γνησίας καταλίπῃ ἐπὶ ταύταις.

Bona sua, cuicumque libuerit, testamento danto leganto, etiam superstitibus filiabus, quas in uxores ducunto scripti hæredes. Isæus de Hæredit. *Pyrrhi.*

Τοῖς ποιηθεῖσιν μὴ ἐξεῖναι διαθέσθαι, ἀλλὰ ζῶντας ἐγκαταλιπόντας υἱὸν γνήσιον ἐπανιέναι, ἢ τελευτήσαντας ἀποδιδόναι τὴν κληρονομίαν τοῖς ἐξ ἀρχῆς οἰκείοις οὖσι τοῦ ποιησαμένου.

Adoptati testamentum ne faciunto, sed vel domum patris naturalis redeunto relicto filio legitimo, vel adoptato mortuo hæreditatem ejus adoptantis patris cognati adeunto. Solonis lex, e Demosthene in *Leocharem.*

D Ἅπαντας τοὺς γνησίους υἱοὺς ἰσομοίρους εἶναι τῶν πατρῴων.

Omnes legitimi filii hæreditatem paternam ex æquo inter se hercifcunto. Isæus *de Hæredit. Philoctemonis.*

Ἐὰν ποιησαμένῳ παῖδες ἐπιγένωνται, τὸ μέρος ἑκάτερον ἔχειν τῆς οὐσίας, καὶ κληρονομεῖν ὁμοίως ἀμφοτέρους.

Si cui postquam filium adoptavit, alii legitimi nascantur, uterque hæreditatem ex æquo inter se hercifcunto. Idem *ibid.*

Ὅς τις ἂν μὴ διαθέμενος ἀποθάνῃ, ἐὰν μὴ παῖδας καταλίπῃ θηλείας σὺν ταύτῃσι· ἐὰν δὲ μὴ, κυρίους εἶναι τῶν χρημάτων. Ἐὰν δὲ ἀδελφοὶ ὦσιν ὁμοπάτορες, καὶ ἐὰν παῖδες, ἐξ ἀδελφῶν γνήσιοι, τὴν τοῦ πατρὸς μοῖραν λαγχάνειν· ἐὰν μὴ ἀδελφοὶ ὦσιν, ἢ ἀδελφῶν παῖδες ἐξ αὐτῶν κατὰ ταῦτα λαγχάνειν· κρατεῖν δὲ τοὺς ἄρρενας, καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων, ἐὰν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι, καὶ ἐὰν γένει ἀπωτέρω· ἐὰν δὲ μὴ ὦσι πρὸς πατρὸς μέχρι ἀνεψιαδῶν παίδων, τοὺς πρὸς μητρὸς τοῦ ἀνδρὸς κατὰ ταῦτα κυρίους εἶναι. Ἐὰν δὲ μηδ' ἑτέρωθεν ᾖ ἐντὸς τούτων, τὸν πρὸς πατρὸς ἐγγυτάτω κύριον εἶναι. Νόθῳ δὲ μηδὲ νόθῃ μὴ εἶναι ἀγχιστείαν, μήτε ἱερῶν, μήθ' ὁσίων ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος.

Si quis intestatus moritur, relictis filiabus, qui eas in uxores ducent, hæredes sunt: si nulli supersint, hi hæreditatem ab intestato cernunto. Et primo quidem fratres defuncti germani, & legitimi fratrum filii hæreditatem simul adeunto. Si nulli fratres, aut fratrum filii supersint, iis geniti eadem lege hæreditatem cernunto: masculi autem iisque geniti, etiamsi **E** *remotiori cognationis sint gradu, præferuntor. Si nulli supersint paterni proximi ad sobrinorum usque filios, materni defuncti propinqui sirempse lege hæreditatem adeunto. Si e neutra cognatione supersint intra definitum gradum, propior cognatus paternus adito. Notho, nothæve, cognationis jus nullum esto, ne quidem in iis, quæ sive sacra, sive publica spectant. Secundum hanc legem judicia redduntor ab Euclidis prætura.* Demosthen. *in Macartatum.*

Γνησίας μὲν οὔσης θυγατρὸς, νόθου δὲ υἱοῦ, μὴ κληρονομεῖν τὸν νόθον τὰ πατρῷα.

Superstite legitima filia nothus hæreditatem patris ne adito. Schol. Aristophanis *ad Aves.*

Τοῖς νόθοις μέχρι πέντε μνῶν καταλιμπάνειν.

Nothis ne plus minis quinque dato. Suidas *Voc.* Επίκληροι.

* *Plures eodem jure ex æquo hæreditatem cernunto.* Isæus *de Hæredit. Hagnii.*

F Κληροῦν δὲ τὸν κλῆρον ὅσοι εἰσὶ μῆνες, πλὴν τοῦ Σκιρροφοριῶνος· ἀνεπίδικον δὲ κλῆρον μὴ ἔχειν.

De hæreditatibus judicio experiuntor, toto vertente anno, excepto mense Seirrophorione: hæreditatem nisi in jure vindicatam ne adeunto. Demosthenes *in Stephanum Testem Orat.* β'.

Ἐὰν δ' ἐπιδεδικασμένου ἀμφισβητῇ τοῦ κλήρου, προσκαλείσθω τὸν ἐπιδεδικασμένον πρὸς τὸν ἄρχοντα,

Qui litem movit ei, qui antea judicio sibi hereditatem vindicavit, illum in jus ad prætorem vocato,

καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν· παρακαταβολὰς δ᾽ εἶναι τῷ ἀμφισβητοῦντι· ἐὰν δὲ μὴ προσκαλεσάμενος ἐπιδικάσηται, ἀτελὴς ἔσται ἡ ἐπιδικασία τοῦ κλήρου. Ἐὰν δὲ μὴ ζῇ ὁ ἐπιδικασάμενος τοῦ κλήρου, προσκαλείσθω κατὰ ταῦτα, ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκει· τὴν δ᾽ ἀμφισβήτησιν εἶναι τῷ Ἄρχοντι, καθότι ἐπεδικάσατο, οὗ ἂν ἔχῃ τὰ χρήματα.

Πέντε ἐτῶν δικάσασθαι τοῦ κλήρου, ἐπειδὰν τελευτήσῃ ὁ κληρονόμος.

A *ut fieri amat in aliis caussis: sacramento autem, qui in jus vocat, contendito: nisi in jus vocaverit, judicium, quo sibi hæreditatem vindicaverit, irritum esto. Si decesserit, qui hæreditatem judicio creverat, vocatio tamen in jus fiat ab eo, cui non præscribit tempus: lis sub Archonte esto, quemadmodum judicio ante expertus fuit is, qui in bonis est.* Idem *in Macartatum.*

Intra quinque a morte illius, qui hæreditatem adierat, annos hæreditatem petito. Isæus *de Hæredit. Pyrrhi.*

De Tutelis.

TITULUS VII.

ΜΗ᾽ ἐπιτροπεύειν, εἰς ὃν ἡ οὐσία ἔρχεται τῶν ὀρφανῶν τελευτησάντων.

Τὸν ἐπίτροπον τὸν οἶκον μισθοῦν.

Ὁ Ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν, καὶ τῶν ἐπικλήρων, καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων, καὶ τῶν γυναικῶν, ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων φάσκουσαι κύειν, τούτων ἐπιμελείσθω, καὶ μὴ ἐάτω ὑβρίζειν, ἢ ποιεῖν τι παράνομον· κύριος δ᾽ ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος. Ἐὰν δὲ μείζονος ζημίας δοκῇ ἄξιος εἶναι, προσκαλεσάμενος πρόπεμπτα, καὶ τίμημα ἐπιγραψάμενος ὅ, τι ἂν δοκῇ αὐτῷ, εἰσαγαγέτω εἰς τὴν Ἡλιαίαν. Ἐὰν δ᾽ ἁλῷ, τιμάτω ἡ Ἡλιαία περὶ τοῦ ἁλόντος ὅ, τι χρὴ αὐτὸν παθεῖν ἢ ἀποτίσαι.

Ἐὰν πέντε ἔτη παρέλθῃ, καὶ μὴ δικάσωνται, μηκέτ᾽ εἶναι τοῖς ὀρφανοῖς δίκην περὶ τῶν ἐκ τῆς ἐπιτροπῆς ἐγκλημάτων.

B *Tutor is ne esto, qui agnationis jure hæreditatem pupilli potest hercifcere.* Lex Solonis, e Laertio.

Tutor ædes pupilli locato. Demosthenes *in Aphobum.*

Archon orphanorum, dotalium fœminarum, familiarum quæ intercidunt, & prægnantium mulierum, quæ post maritorum obitum in eorum ædibus permanent, curam habeto, neque contumeliam, aut aliquid injustum iis fieri sinito: mulctam, quantam potest magistratus potestate, irrogare ei jus esto. Si majore pœna dignus videtur, qui adversus hanc legem fecerit, Archon in jus vocato in quintum diem, C *& pœna pro arbitrio irrogata Heliastis judicium permittito. Si convictus fuerit, Heliastæ de eo, quod luere in corpore vel in ære debet, judicium reddunto.* Idem *in Macartatum.*

Post quinquennium tutores male administratæ tutelæ a pupillis ne postulantor. Idem πρὸς Ναυσίμαχον.

De Sepulchris & Funeribus.

TITULUS VIII.

MOrtuum terra humato. Cecropis lex, e Tullio *l.* II. *de Legibus.* Vide *l.* IV. c. VI.

Ne quis sepulchrum facito operosius, quam quod decem homines effecerint triduo, neque id opere tectorio exornato, nec Hermas imponito. Idem *ibid.*

Super terræ tumulum ne quid statuito, nisi columellam tribus cubitis non altiorem, aut mensam, aut labellum. Lex Demetrii Phalerei. Idem *ibid.*

Ne quis sepulchra deleat, neve alienum inferat, si quis tymbon, aut monumentum, aut columnam violarit, dejecerit, fregerit, pœna esto. Lex Solonis. Idem *ibid.*

Ἐπ᾽ ἀλλότρια μνήματα μὴ βαδίζειν χωρὶς ἐκκομιδῆς.

Τὸν ἀποθανόντα προτίθεσθαι ἔνδον, ὅπως ἂν βούλωνται· ἐκφέρειν δὲ τὸν ἀποθανόντα τῇ ὑστεραίᾳ, ᾗ ἂν προθῶνται πρὶν ἥλιον ἐξέχειν. Βαδίζειν δὲ τοὺς ἄνδρας πρόσθεν, ὅταν ἐκφέρωνται, τὰς δὲ γυναῖκας ὄπισθεν. Γυναῖκας δὲ μὴ ἐξεῖναι εἰσιέναι εἰς τὰ τοῦ ἀποθανόντος, μηδ᾽ ἀκολουθεῖν ἀποθανόντι, ὅταν εἰς τὰ σήματα ἄγηται, ἐντὸς ἑξήκοντ᾽ ἐτῶν γεγονυίας πλὴν ὅσαι ἐντὸς ἀνεψιαδῶν εἰσὶ, μηδ᾽ εἰς τὰ τοῦ ἀποθανόντος εἰσιέναι, ἐπειδὰν ἐξενεχθῇ ὁ νέκυς, γυναῖκα μηδεμίαν, πλὴν ὅσαι ἐντὸς ἀνεψιαδῶν εἰσίν.

D *Ne quis ad alienum monumentum accedito, nisi dum it exsequias.* Lex Solonis, e Plutarcho. Ne manes lacesserent.

Mortuum pro arbitrio intus collocanto; ante lucem efferunto postridie collocationis. Funus producunto viri quidem primi ordine, fœminæ subsequuntor. Fœminæ funestam domum ne intranto, aut exsequias eunto, sexagenariis minores, aut quæ sobrinis natæ non sint: neque item intranto domum, postquam funus elatum est, nisi sobrinis natæ sint. Demosthen. *in Macartatum.* Vide *l.* IV. c. IV.

In funeribus celebritas virorum ac mulierum producendis ne interesto. Cicero *de Legibus.*

Μὴ συντίθεσθαι πλέον ἱματίων τριῶν.

E *Plus tribus riciniis mortuum ne humato.* Solonis lex, e Plutarcho.

Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento. Solonis lex, ex eodem & Cicerone. Vide *lib.* IV. cap. V.

A

Τῇ τε ἱερείᾳ τῇ τῆς Ἀθηνᾶς, τῆς ἀκροπόλει, ὑπὲρ τοῦ ἀποθανόντος, φέρειν χοίνικα κριθῶν, καὶ πυρῶν ἑτέραν, καὶ ὀβολόν.

Μὴ ἐναγίζειν βοῦν.

Τοὺς παῖδας ἢ τοὺς κληρονόμους, ἐπειδὰν ἀποθάνωσιν οἱ γονεῖς, ὅπως τῶν νομιζομένων τύχωσι, παρασκευάζειν.

Sacerdoti Minervæ, quæ est in arce, in singulos mortuos, duos hordei sextarios, totidem frumenti, itemque obolum pendito. Hippiæ lex, ex Aristot. *Oecumen. l.* II.

Bove ne parentato. Solonis lex, e Plutarcho. Vide *l.* IV. c. VIII.

Liberi aut hæredes mortuis parentibus justa faciunto. Demosthenes *in Timocratem*, Isæus *de Hæredit. Cleonymi.*

Servulis unctura omnisque circumpotatio tollitor. Cicero *de Leg. l.* II. Vide *ibid.*

Nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publice ad eam constitutus sit, dicitor. Idem *ibid.*

B

Δημοσίᾳ ταφὰς ποιεῖσθαι τῶν ἐν τῷ πολέμῳ ἀποθανόντων.

Τὸν πατέρα τοῦ ἀρίστου ἀποθανόντος ἐν πολέμῳ λέγειν τὸν ἐπιτάφιον.

Qui in bello occubuerunt, publice sepeliuntor. Thucyd. *l.* II. Vide *l.* III. cap. XI.

Pater illius, qui fortius in bello cecidit, de laudibus mortuorum dicito. Polemo *Argumento* τῶν ἐπιταφίων λόγων.

Oratio, qua laudantur in concione ii, qui in proteliis interfecti sunt, quotannis illo die recitator. Cicero *de Oratore*.

C

Ος ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν, θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς βλέποντας.

Τὸν τεθνηκότα μὴ κακῶς ἀγορεύειν.

Μὴ λέγειν κακῶς τὸν τεθνεῶτα, μηδ' ἂν ὑπὸ τῶν ἐκείνου τίς ἀκούῃ παίδων αὐτός.

Insepulto hominis cadaveri terram injicito, & in sepulchro occasum versus condito. Ælian. *Var. Hist. l.* V. c. XIV. Vide *l.* IV. c. I. & VI.

De mortuo ne detrabito. Lex Solonis, e Plutarcho. Vide *l.* IV. c. I.

De mortuo ne detrabito, ne quidem conviciis provocatus ab ejus liberis. Lex ejusdem, ex Ulpiano *in Leptineam.*

LIBER SEPTIMUS.

De Sicariis.

TITULUS I.

D

Δικάζειν δὲ τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας, καὶ πυρκαϊᾶς, καὶ φαρμάκων ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς.

Μηδὲ προοιμιάζεσθαι, μηδ' οἰκτίζεσθαι, μηδ' ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν.

Τὸν ἐκ προνοίας ἀποκτείναντα θανάτῳ ζημιοῦσθαι.

Τοὺς Θεσμοθέτας τοὺς ἐπὶ φόνῳ φεύγοντας θανάτῳ ζημιοῦσθαι.

Senatus Areopagiticus jus dicito de cæde, aut vulnere, non casu, sed voluntate inflicto, de incendio item, malo veneno hominis necandi causa dato. Demosthenes *in Aristocratem.* Vide *l.* I. cap. XIX.

Neque oratores præfantor, neque affectus movento, neque extra rem dicunto. Pollux *l.* VIII. cap. X. Vide *ibid.*

Si quis hominem sciens morti duit, capital esto. Antipho *de cæde Herodis.*

Thesmothetæ in homicidas animadvertunto. Demosthes *in Aristocratem.*

E

Τοὺς δ' ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ἀποκτείνειν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ καὶ ἀπάγειν, ὡς ἐν τῷ ἄξονι ἀπαγορεύει· λυμαίνεσθαι δὲ μή, μηδὲ ἀποινᾶν, ἢ διπλοῦν ὀφείλειν, ὅσον ἂν καταβλάψῃ· εἰσφέρειν δὲ τοὺς ἄρχοντας, ὧν ἕκαστοι δικασταί εἰσι τῷ βουλομένῳ, τὴν δ' Ἡλιαίαν διαγινώσκειν.

Ἐὰν δέ τις τὸν ἀνδροφόνον κτείνῃ, ἢ αἴτιος ᾖ φόνου, ἀπεχόμενον ἀγορᾶς ἐφορίας, καὶ ἄθλων, καὶ ἱερῶν Ἀμφικτυονικῶν, ὥσπερ τὸν Ἀθηναῖον κτείναντα, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι· διαγινώσκειν δὲ τοὺς ἐφέτας.

Homicidas morte mulctanto in patria occisi terra, & abducunto, ut lege cautum est: in eos ne sæviunto, neve pecuniam exigunto: qui secus faxit, noxæ dative damni duplionem præstato: nomenque deferto, cui libuerit, apud magistratus, quorum est cognitio, de eo vero Heliastæ jus dicunto. Solonis lex, e Demosten. *in Aristocratem.*

Si quis homicidam, foro, urbis territorio, publicis certaminibus, & sacris Amphictyonicis abstinentem, occiderit, aut mortis causam præbuerit, perinde ac si Atheniensem civem necasset, capital ei esto: & ephetæ jus dicunto. Idem *ibid.* De homicida loquitur, qui non erat damnatus a judicibus.

F

Ἐπειδὰν τις ἀπογραφῇ φόνου δίκην, εἴργεσθαι τῶν νομίμων.

Ἐάν τις τινὰ τῶν ἀνδροφόνων τῶν ἐξεληλυθότων, ὧν τὰ χρήματα ἐπίτιμα, πέρα ὅρων ἐλαύνῃ, ἢ φέρῃ, ἢ ἄγῃ, τὰ ἴσα ὀφείλειν, ὅσαπερ ἂν καὶ ἐν τῇ ἡμεδαπῇ δράσῃ.

Τὸν ἐργασάμενον φόνον φεύγειν ὅλον ἐνιαυτὸν μὴ ψαύοντα τῆς πατρίδος.

Accusatus cædis, ab illo die omnibus civitatis juribus abstineto. Antipho *de Choreuta.*

Si quis imprudentem homicidam, qui solum verterit, extra Atticam exagitarit, sirempse lege tenetor, qua is qui intra Atticam civem Atheniensem exagitaverit. Demosthen. *in Aristocratem.*

Qui alium casu fortuito necassit, annum extra patriæ fines exsulato. Lex vetus, ex Euripidis Scholiaste & aliis.

Τὸν ἁλόντα ἐπ᾽ ἀκουσίῳ φόνῳ, ἐν ἐνιαυτῷ ἀπελθεῖν ταύτην ὁδὸν, καὶ φεύγειν ἕως ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος· ἥκειν δὲ, καὶ θῦσαι, καὶ καθαρθῆναι. **

Φόνου δὲ δίκας μὴ εἶναι οὐδαμοῦ κατὰ τῶν τοὺς φεύγοντας ἐνδεικνύντων, ἐάν τις κατίῃ ὅποι μὴ ἔξεστιν.

Ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ἄθλοις ἄκων, ἢ ἐν ὁδῷ καθελὼν, ἢ ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας, ἢ ἐπὶ δάμαρτι, ἢ ἐπὶ μητρὶ, ἢ ἐπὶ ἀδελφῇ, ἢ ἐπὶ θυγατρὶ, ἢ ἐπὶ παλλακῇ, ἣν ἂν ἐπ᾽ ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ, τούτων ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα.

Καὶ ἐὰν φέροντα ἢ ἄγοντα βίᾳ ἀδίκως εὐθὺς ἀμυνόμενος κτείνῃ, νηποινὶ τεθνάναι.

Ἐάν τις ἐπ᾽ ἀκουσίῳ φόνῳ πεφευγὼς, μήπω τῶν ἐκβαλόντων αὐτὸν ᾐδεσμένων, αἰτίαν ἔχῃ ἑτέρου φόνου ἑκουσίου, τοῦτον ἐν πλοίῳ προσπλεύσαντα, ἐν Φρεαττοῖ λέγειν τῆς γῆς οὐχ ἁπτόμενον. Τοὺς δὲ δικαστὰς δικάζειν ἐν τῇ γῇ, κἂν μὲν ἁλῷ, τὴν ἐπὶ τοῖς ἑκουσίοις φόνοις δίκην διδόναι· ἐὰν δὲ ἀποφύγῃ, ταύτης μὲν ἀθῷον ἀφεῖναι, τὴν δὲ ἐπὶ τῷ προτέρῳ φόνῳ φυγὴν ὑπέχειν.

Ὃς ἂν ἄρχων ἢ ἰδιώτης αἴτιος ᾖ τὸν θεσμὸν συγχυθῆναι τόνδε, ἢ μεταποιήσῃ, αὐτὸν ἄτιμον εἶναι, καὶ παῖδας ἀτίμους, καὶ τὰ ἐκείνου.

Τὸν ἀνδροφόνον περιϊόντα ἐν τοῖς ἱεροῖς, καὶ κατὰ τὴν ἀγορὰν, ἀπάγειν ἐξεῖναι εἰς τὸ δεσμωτήριον· καὶ ἐὰν μὲν ἁλῷ, θανάτῳ ζημιοῦσθαι. ἐὰν δὲ μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων ὁ ἀπαγαγὼν, χιλίας προσοφείλειν.

Ἐάν τις βιαίῳ θανάτῳ ἀποθάνῃ, ὑπὲρ τούτου τοῖς προσήκουσιν εἶναι τὰς ἀνδροληψίας, ἕως ἂν ἢ δίκας τοῦ φόνου ὑπόσχωσιν, ἢ τοὺς ἀποκτείναντας ἐκδῶσι, τὴν δὲ ἀνδροληψίαν εἶναι μέχρι τριῶν, πλέον δὲ μή.

Προειπεῖν τῷ κτείναντι ἐν ἀγορᾷ ἐντὸς ἀνεψιότητος, καὶ ἀνεψιοῦ, συνδιώκειν δὲ καὶ ἀνεψιῶν παῖδας, καὶ γαμβροὺς, καὶ ἀνεψιοὺς, καὶ πενθεροὺς, καὶ ἀνεψιαδοῦς, καὶ φράτορας. Ἐὰν δὲ αἰδέσασθαι δέῃ, ἐὰν μὲν πατὴρ ᾖ, ἢ ἀδελφὸς, ἢ υἱεῖς πάντας, ἢ τὸν κωλύοντα κρατεῖν, ἐὰν δὲ τούτων μηδεὶς ᾖ, κτείνῃ δ᾽ ἄκων, γνῶσι δ᾽ οἱ πεντήκοντα, καὶ εἰσώσιν οἱ ἐφέται ἄκοντα κτεῖναι, ἐσέσθων οἱ φράτορες, ἐὰν θέλωσι, δέκα, τούτους δὲ οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς ἀριστίνδην αἱρείσθων. καὶ οἱ πρότερον κτείναντες ἐν τῷδε τῷ θεσμῷ ἐνεχέσθων, τοὺς δ᾽ ἀπογινομένους. ἐν τοῖς δήμοις, οὓς ἂν μηδεὶς ἀναιρῆται, ἐπαγγελλέτω ὁ δήμαρχος τοῖς προσήκουσιν ἀναιρεῖν, καὶ θάπτειν, καὶ καθαίρειν τὸν δῆμον τῇ ἡμέρᾳ, ᾗ ἂν ἀπογένηται ἕκαστος αὐτῶν. Ἐπαγγέλλειν δὲ περὶ μὲν τῶν δούλων τῷ δεσπότῃ, περὶ δὲ τῶν ἐλευθέρων τοῖς τὰ χρήματ᾽ ἔχουσιν. Ἐὰν δὲ μὴ ᾖ χρήματα τῷ ἀποθανόντι, τοῖς προσήκουσι τοῦ ἀποθανόντος ἐπαγγέλλειν. Ἐὰν δὲ τοῦ δημάρχου ἐπαγγείλαντος μὴ ἀναιρῶνται οἱ προσήκοντες, ὁ μὲν δήμαρχος ἀπομισθωσάτω ἀνελεῖν, καὶ καταθάψαι, καὶ καθᾶραι τὸν δῆμον αὐθήμερον, ὅπως ἂν δύνωνται ὀλιγίστου· ἐὰν δὲ μὴ ἀπομισθώσῃ, ὀφειλέτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ· ὅ, τι δ᾽ ἂν ἀναλώσῃ, διπλάσιον πραξάσθω παρὰ τῶν ὀφειλόντων· ἐὰν δὲ μὴ πράξῃ, αὐτὸς ὀφειλέτω τοῖς δημόταις.

Ἐάν τις αὑτὸν διαχρήσηται, τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν ἀποκόπτειν, καὶ χωρὶς τοῦ σώματος θάπτειν.

Ἐκτὸς ἰώρου εἶναι τοὺς ἀνδροφόνους.

Τὰ ἄψυχα, ἐάν τινα ἐμπεσόντα ἀποκτείνῃ, ὑπερορίζειν.

Ἄν τις τύπτῃ τινὰ ἄρχων χειρῶν ἀδίκων αἰκίας δίκην εἶναι.

A *Qui alium casu fortuito necassit, in annum deportator, donec aliquem e cognatis occisi placarit: revertitor vero peractis sacris & lustrationibus.* Lex vetus & bene nota, ex *Aristocratea* Demosthenis, & aliis.

Cædis ne postulator unquam is, qui homicidam exsulantem eoque redeuntem, quo non licet, in jus ad magistratum rapuerit, aut detulerit. Lex Draconis, ex *eadem.*

Si quis imprudens in certaminibus alium necassit, aut insidiantem, aut ignotum in prælio, aut in uxore, vel matre, vel sorore, vel filia, vel concubina, vel ea, quam in suis liberis habet, deprehensum, B *cædis ergo ne exsulato.* Ex *eadem.* Vide *l.* IV. *cap. de Adulteriis.*

Si quis alium injuste vim inferentem continenti necassit, jure cæsus esto. Ex *eadem.*

Si quis exsulans ob imprudentem cædem, nondum exoratis iis, quibus accusantibus damnatus est, postuletur alterius cædis voluntariæ, navigio impositus, Phreatte terram non tangens, causam orato, judices in terra judicia reddunto: damnatus in pœnam voluntariæ cædis incurrito, & dato: absolutus dimittitor, ob priorem tamen cædem exsulato. Ex *eadem.* Vide *l.* I. c XX.

C *Si quis de magistratibus, aut populo auctor sit has leges corrumpendi, aut abrogandi, ille, ejusque liberi impune occiduntor, bona publicantor.* Ex *eadem.* Lex hæc ad stabiliendos τοὺς φονικοὺς νόμους, *leges sanguineas*, lata.

Homicidam, in locis sacris & in foro versantem, in carcerem abducito: convictum morti dato. Si vero is, qui in carcerem abduxit, quintam suffragiorum partem non tulit, mille drachmis mulctator. Ex *eadem.*

Si quis violenta morte obierit, cognatis pignerandi homines jus esto, quoad judicium cædis subierint, vel necis auctores dediderint: jus vero in pignus ca- D *piendi homines ad tres usque, nec eo amplius, jus esto.* Ex *eadem.*

*Homicidam in foro postulanto intra sobrinitatem sobrini: adsunto etiam sobrinorum liberi, & generi, itemque sobrinorum soceri, & consobrini, & phratores. Exorantor autem occisi pater, si supersit, aut frater, aut liberi simul omnes: nam si unus nolet, exorati ne sunto. Si vero nullus horum supersit, cædes autem sit fortuita, & pronunciarint ephetæ quinquaginta & unus imprudentem occidisse, adsunto phratores, si velint, decem, bis quinquaginta, & unus ex optimatibus eliguntor **. Qui ante hanc legem scriptam cædes perpetrarunt, ea tenentor. Si* E *quis autem in aliquo populo cæsus sit, quem nemo tollat, demarchus ejus cognatis denunciato tollere, & sepelire, & lustrare populum ea ipsa die, qua is cæsus est. De servis autem domino eorum denunciato, de ingenuis vero iis, qui in eorum bona succedunt, si vero is, qui cæsus est, nihil in bonis habeat, ejus cognatis denunciato. Si demarcho denunciante cognati non tollant, demarchus ipse tollendum & sepeliendum cadaver, eaque ipsa die lustrandum populum, locato, quam minimo poterit: ni locarit, mille drachmas ærario publico pendito: duplum autem ejus, quod impenderit, a debentibus exigito:* F *ni exegerit, ipse popularibus suis præstato.* Demosthenes *in Macartatum.*

Qui sibi manus intulit, ei manus præciditor, nec eodem tumulo conditor. Æschines *in Ctesiphontem.*

Homicidæ intra excubiarum locum ne sunto. Suidas *Voc.* Ιωρος.

Inanimata, quorum casu cædes alicujus sit facta, finibus ejiciunto. Draconis lex, ex Æschine *in Ctesiphontem.* Vide *l.* I. c. XX.

Si quis alterum prior pulsarit, injuriarum postulator. Demosthenes *Aristocratea.*

A Αν μὲν τις ἀνδρὸς σῶμα τρώσῃ ἐκ προνοίας, κεφαλὴν, ἢ πρόσωπον, ἢ χεῖρας, ἢ πόδας, αὐτὸν μὲν φεύγειν τὴν τοῦ ἀδικηθέντος πόλιν, τὰ δὲ χρήματα αὐτοῦ δημεύεσθαι· καὶ ἐὰν μὲν κατίῃ, ἐνδειχθέντα θανάτῳ ζημιοῦσθαι.

Si quis alterius corpus, aut caput, aut vultum, aut manus, aut pedes destinato læserit vulnere, exsulato a vulnerati patria, & bona ejus publicantor: quod si in patriam redierit, delatus morte luito. Lysias pro Callia, in Simonem, &c.

De Accusationibus.

TITULUS II.

B Παντὶ λαβεῖν δίκην ὑπὲρ τοῦ κακῶς πεπονθότος ἐξεῖναι.

Cuivis eum, qui alteri injuriam intulerit, accusare permissum esto. Lex Solonis, e Plutarcho.

De Damnis.

TITULUS III.

C ἌΝ μὲν τις ἑκὼν βλάψῃ, διπλοῦν, ἂν δ' ἄκων, ἁπλοῦν τὸ βλάβος ἐκτίνειν.

Ἐὰν μὲν ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχοντος ἐκκόψῃ τις, ἀντεκκόπτειν τοὺς δύο.

Κύνα δακόντα παραδοῦναι κλοιῷ τετραπήχει δεδεμένον.

Si quis prudens sciens damnum duit, in duplum, si imprudens, in simplum tenetor. Demosthen. *Midiana.*

Si quis monoculo oculum effoderit, uterque ei effoditor. Lex Solonis, e Laertio.

Canem, qui momorderit, catena quatuor cubitorum revinctum noxæ dato. Lex Solonis, e Plutarcho.

De vi bonorum raptorum.

TITULUS IV.

D ΤΟὺν βίᾳ ὁτιοῦν ἀφελόντα διπλοῦν ἐκτίνειν τῷ ἰδιώτῃ, καὶ τὸ ἴσον τῷ δημοσίῳ προστιμᾶν.

QUI per vim aliquid abstulerit, in duplum tenetor ei, a quo per vim abstulit, in duplum quoque ærario publico tenetor. Demosthen. *Midiana.*

De Furtis.

TITULUS V.

FUREM CUJUSCUMQUE MODI FURTI SUPPLICIO CAPITIS PUNITO. Lex Draconis. Plutarchus in *Solone*, A. Gellius *l.* XI. cap. XVIII.

Ὅ,Τι ἐάν τις ἀπολέσῃ, ἐὰν μὲν αὐτὸ λάβῃ, τὴν διπλασίαν καταδικάζειν, ἐὰν δὲ μὴ, τὴν δεκαπλασίαν πρὸς τοῖς ἐπαιτίοις· δεδέσθαι δ' ἐν τῇ ποδοκάκῃ τὸν πόδα πένθ' ἡμέρας καὶ νύκτας ἴσας, ἐὰν προστιμήσῃ ἡ Ἡλιαία· προστιμᾶσθαι δὲ τὸν βουλόμενον, ὅταν περὶ τοῦ τιμήματος ᾖ. E

SI furtum factum sit, & quod furto perierat, receperit dominus, duplione luito furtum qui fecit, & quorum ope consilioque fecit, decuplione vindicator, ni dominus rem furtivam receperit: in nervo quoque habetor dies ipsos quinque, totidemque noctes, si Heliastæ pronunciarint: pronuncianto autem, cum de pœna illius agitur. Solonis lex. A. Gellius *l.* X. c. XVIII. Demosthenes *Timocratea.*

Εἰ μὲν τις μεθ' ἡμέραν πεντήκοντα δραχμὰς κλέπτοι, ἀπαγωγὴν πρὸς τοὺς Ἕνδεκα εἶναι· εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα, καὶ ἀπαγαγεῖν τοῖς Ἕνδεκα, εἰ βούλοιτο· τῷ δ' ἁλόντι, ὧν αἱ ἀπαγωγαί εἰσιν, οὐκ ἐγγυητὰς καταστήσαντι ἔκτισιν εἶναι τῶν κλεμμάτων, ἀλλὰ θάνατον τὴν ζημίαν. καὶ εἴ τις γ' ἐκ Λυκείου, ἢ ἐξ Ἀκαδημίας, ἢ ἐκ Κυνοσάργους, ἱμάτιον, ἢ ληκύθιον, ἢ ἄλλό τι φαυλότατον, ἢ τῶν σκευῶν τι, τῶν ἐκ τῶν γυμνασίων ὑφέλοιτο, ἢ ἐκ τῶν βαλανείων, ἢ ἐκ τῶν λιμένων, ὑπὲρ δέκα δραχμὰς, καὶ τούτοις θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. F

Ὅστις δὲ ἀπίλλῃ τῇ θύρᾳ, ἔνδον τοῦ κλέπτου ὄντος.

Τοὺς ἀπάγοντας εἰς τὸ δεσμωτήριον τινὰς ἐπὶ δίκῃ κλοπῆς, χιλίας διδόναι δραχμὰς τοὺς ἁλόντας.

Ἐάν τις φανερὸς γένηται βαλαντιοτομῶν, τούτῳ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν.

Si lucri furtum, cujus æstimatio sit supra quinquaginta drachmas, faxit, ad Undecimviros rapitor: si nocte furtum faxit, si im aliquis occisit, jure cæsus esto, aut vulnerarit fugientem, se fraude esto, aut rapitor ad Undecimviros: manifestum hujusmodi furtum qui faxit, etiamsi vades dederit, non noxæ factæ sarcitione, sed morte luito. Si quis item ex aliquo Gymnasio, vestis, aut lecythi, aut alicujus vel minimæ rei, aut supellectilis e gymnasio, aut ex balineo, aut e portubus, quod excedat decem drachmarum æstimationem, furtum faxit, morte luito. Demosthenes *ibid.*

Quicumque a janua prohibuerit, cum fur intus esset. Lex imperfecta, in furum adjutores, ut videtur, lata. Lysias *in Theomnestum Orat.* ά.

Qui alterum tanquam furem in carcerem abduxerit, ni eum reum peragat, mille mulctator drachmis. Suidas.

Manifesti saccularii morte luunto. Xenophon Ἀπομνημον. ά.

Εάν τις φανερὸς γένηται τοιχωρυχῶν, τούτῳ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν.
Ἐάν τις φανερὸς γένηται ἀνδραποδιζόμενος, τούτῳ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν.
Φωράσοντα γυμνὸν χιτωνίσκον ἔχοντα ἄζωστον εἰσιέναι εἰς τὴν οἰκίαν ἐπὶ τῷ ἐρευνῆσαι.

Ὃ μὴ κατέθηκέ τις, μὴ ἀναιρεῖσθαι· εἰ δὲ μή, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν.

A *Vecticularii manifesti morte luunto.* Idem *ibid.*
Plagiarii manifesti morte luunto. Idem *ibid.*
Qui furtum it quærere in domo aliena, cincticulo amictus intrato. Aristophanes, ejusque Scholiastes *Nubibus.*
Si quis tollat, quod non posuerit, capital ei esto. Solonis lex, e Laertio.

IN HORTOS IRRUMPERE FICOSQUE DELIGERE CAPITAL ESTO. Festus. Lex abrogata a sequente.

Κλέπτοντα σῦκα κολάζεσθαι.
Τοὺς βόλιτον ὑφελομένους κολάζεσθαι.

B *Qui ficus clepserit, mulctator.* Suidas.
Fimi fures animadvertuntor. Aristophanis Scholiastes *Equitibus.*

De Conviciis.

TITULUS VI.

Ζῶντα μὴ κακῶς λέγειν πρὸς ἱεροῖς, καὶ δικαστηρίοις, καὶ ἀρχείοις, καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων· ἢ τρεῖς δραχμὰς τῷ ἰδιώτῃ, δύο δ' ἄλλας ἀποτίνειν εἰς τὸ δημόσιον.

Τὸν λέγοντα κακῶς, ἐὰν μὴ ἀποφαίνῃ ὡς ἔστιν ἀληθῆ τὰ εἰρημένα, ζημιοῦσθαι.

Τοὺς λέγοντάς τι ΤΩΝ ΑΠΟΡΡΗΤΩΝ πεντακοσίας δραχμὰς ὀφείλειν.

ΑΝΔΡΟΦΟΝΟΝ μὴ λέγειν.
Ἐὰν δέ τις φάσκῃ ἀποβεβληκέναι τὴν ἀσπίδα, ὑπόδικον εἶναι.

De nemine, qui in vivis superfit, detrahito inter sacra, in judicum aut magistratuum sessimoniis, aut in spectaculis: qui secus faxit, mulctator tribus drachmis, quæ convicium passo cedant, & duabus, quæ ærario publico inferantur. Lex Solonis, e Plutarcho.
C *Qui de alio detraxerit, ni probarit verum esse quod objecit probrum, mulctator.* Lex Solonis, e Lysiæ *Orat. ά. in Theomnestum.*
Qui exprobrarit alteri quidquam legibus damnatum, quingentis drachmis mulctator. Isocrates *in Lochitem.*
Homicidam alterum ne dicito. Lysias *loc. cit.*
Si quis exprobrarit clypeum abjecisse, mulctator. Idem *ibid.* Vide *l.* III. c. XIII.

De negotiis gestis.

TITULUS VII.

Περὶ ὧν καθυφῆκέ τις, αὐτὸν ὁμοίως ὀφλισκάνειν, ὥσπερ ἂν αὐτὸς ἔχῃ.

Τὴν γυναῖκα μὴ συναλλάσσειν, πλὴν ἄχρι μεδίμνου κριθῶν.

D *Qui mala fide bona alterius administrarit, ea ipse præstato.* Demosthenes *in Aphobum.*

Fœmina plus quam de medimno hordei ne contrahito. Dio Chrysostomus *Orat.* περὶ ἀπιστίας.

De Ingratis.

TITULUS VIII.

Ἐξεῖναι ἀχαριστίας δικάζεσθαι κατὰ τοὺς εὐεργέτας μὴ ἀντιποιοῦντων.

E *Ingrati actio dator adversus eos, qui bene meritis gratiam non rependunt.* Lucianus *Abdicato,* Valerius Maximus *l.* V. c. III.

De designandis Atheniensibus.

TITULUS IX.

Προσπαραγράφειν τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ δήμου τοὔνομα.

F *Patris & paterni populi nomen adscribunto.* Demosthenes *in Bœotum.* Lex jubet in omnibus tabulis patris pagique nomen suo adscribere, ut fraudes & controversias tolleret.

De Indicibus.

TITULUS X.

Εἰ μὲν τἀληθῆ μηνύσειέ τις, εἶναι τὴν ἄδειαν· εἰ δὲ τὰ ψευδῆ, τεθνάναι.

G *Indici vera indicanti, impune: sin falsa, capital esto.* Andocides *de Mysteriis.*

De Conviviis.

TITULUS XI.

Τοὺς κεκλημένους μὴ εἶναι ἐπὶ τοῖς τριάκοντα.

Πάντας μαγείρους τοὺς ἐν τοῖς συνόδοις διακονοῦντας παρὰ τοῖς γυναικονόμοις ἀπογράφεσθαι.

Ἐν τοῖς συμποσίοις μὴ πίνειν ἄκρατον.

Προσφέρεσθαι μετὰ τὰ σῖτα ἄκρατον μόνον ὅσον γεύσασθαι τὸ ἀγαθοῦ Δαίμονος.

Τοὺς Ἀρεοπαγίτας κολάζειν τοὺς ἀσώτους.

A

Convivæ plures triginta ne sunto. Lynceus Samius in *Apophthegmatis*, Athenæus *Deipnosoph. l.* VI.

Omnes coqui ad aliquas epulas conducti sua ad gynæconomos nomina deferunto. Menander *Cecryphalo.*

In conviviis morum vinum ne bibunto. Alexis *Æsopo.*

Confecto jam epulo degustanto merum vinum in honorem boni Dæmonis. Athenæus *Deipnosoph. lib.* VI.

Areopagitæ asotos animadvertunto. Idem *l.* IV.

De Metallicis Actionibus.

TITULUS XII.

Ἐάν τις ἐξείλλῃ τινὰ τῆς ἐργασίας τῶν μετάλλων, ἂν ὑφάψῃ τίς, ἂν ὅπλα ἐπιφέρῃ, ἂν ἐπικατατέμνῃ τῶν μέτρων ἐκτὸς, μεταλλικὰς δίκας εἶναι.

B

Si quis alterum probibuerit opus facere metallicum, si quis ignem importarit & succenderit, si vasa instrumentaque exportarit & succenderit extra fines suos, metallicæ actiones adversus eos dantor. Demosthenes *in Pantænetum.*

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΕΙΣΑΓΓΕΛΙΑΣ.

TITULUS XIII.

Τιμοκράτης εἶπεν· ὁπόσοι Ἀθηναίων κατ᾽ εἰσαγγελίαν ἐκ τῆς βουλῆς, ἢ νῦν εἰσὶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, ἢ τὸ λοιπὸν καταπεθῶσι, καὶ μὴ παραδοθῇ ἡ κατάγνωσις αὐτῶν τοῖς Θεσμοθέταις ὑπὸ τοῦ γραμματέως τοῦ κατὰ Πρυτανείαν κατὰ τὸν εἰσαγγελτικὸν νόμον, δεδόχθαι τοῖς Θεσμοθέταις εἰσάγειν τοὺς Ἕνδεκα εἰς τὸ δικαστήριον ἐντὸς τριάκονθ᾽ ἡμερῶν, ἀφ᾽ ἧς ἂν παραλαβῶσιν, ἐὰν μή τι τῇ δημοσίᾳ κωλύσῃ· ἐὰν δὲ μὴ ὅταν πρῶτον οἷόν τ᾽ ᾖ. Κατηγορεῖν δὲ Ἀθηναίων τὸν βουλόμενον οἷς ἔξεστιν. ἐὰν δ᾽ ἁλῷ, τιμάτω ἡ Ἡλιαία περὶ αὐτοῦ ὅ, τι ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν, ἢ ἀποτίσαι. ἐὰν δὲ ἀργυρίου τιμηθῇ, δεδέσθω τέως ἕως ἂν ἐκτίσῃ ὅ, τι ἂν αὐτοῦ καταγνωσθῇ.

C

Timocrates rogavit: quicumque Atheniensium εἰσαγγελίας *damnati a Senatu, aut impræsentiarum, aut in posterum habentur in custodia, neque damnatoria tabella Thesmothetis a scriba illius Prytaniæ, prout leges jubent, sit in manus tradita, Thesmothetæ ad judicium admittunto Undecimviros intra tricesimum diem, a quo acceperint tabellam damnatoriam, nisi quid publice obstet. Atheniensium quivis, cui lubet & licet, accusato. Convictos Heliææ vel mulctato, vel pœnas ab illis exigito. Mulctati in vinculis habentor, donec mulctam expunxerint.* Demosthenes *in Timocratem.* Vide *l.* I. c. XXIII.

LIBER OCTAVUS.

De Militia.

TITULUS I.

Τοὺς Ἀθηναίους μέχρι τετταράκοντα ἐτῶν στρατεύεσθαι, ἀρξαμένους ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα, καὶ μέχρι μέντοι εἴκοσι παῖδας ὄντας πέως περιπολεῖν τὰ περὶ τὴν πόλιν φρούρια, εἰς ὑπερορίους δὲ πολέμους ἀπὸ εἴκοσιν.

Ἐάν τις ἀδοκίμαστος ἱππεύῃ, ἄτιμον εἶναι.

Τοὺς ἱππέας καθιστάναι τοὺς δυνατωτάτους καὶ χρήμασι καὶ σώμασιν.

Τοὺς νέους μηκέτι ἁβροδιαίτους εἶναι, μηδὲ κομᾷν.

Μὴ θεῖναι τὰ ὅπλα ἐνέχυρα.

Στρατείαν μὴ ἐξάγειν πρὸ τῆς τοῦ μηνὸς ἑβδόμης.

D

Athenienses ad annum usque quadragesimum militanto ab anno decimo octavo: & quidem ad annum vicesimum intra Atticæ fines, ab anno vero vicesimo extra Atticam militanto. Ulpianus *Olynth.* III. Vide *l.* III. c. II.

Si quis inter equites mereat sine examine, ignominiosus esto. Lysias *in Alcibiadem.* Vide *libr.* III. cap. III.

Equites leguntor ex opulentissimis & fortissimis. Xenophon *Hipparchico.*

Equites postbac plus æquo cutem ne curanto, neve comam alunto. Aristophanis Scholiastes *ad Equites.* Lex a Cinea & Phryno lata. Vide *libr.* III. cap. VIII.

E

Arma pignori ne opponunto. Aristophanis Scholiastes *ad Plutum.*

Copias ne educunto ante septimum mensis diem. Zenobius *Cent.* III. *Prov.* LXXIX. Vide *libr.* III. cap. VII.

Ἀρνὰ προβάλλειν τοὺς πόλεμον αἱρεῖν βουλομένους.

Τὸν πολέμαρχον ἔχειν κέρας τὸ δεξιόν.

A *Agnum immittunto in hostium fines bellum indicturi.* Diogenianus *Cent.* II. *Prov.* XCVI. Vide *l.* III. cap. VII.

Polemarchus dextrum aciei cornu ducito. Herodotus *Erato.* Vide *l.* III. c.V.

De Vacatione Militiæ.

TITULUS II.

ΑΤέλειαν εἶναι τῆς στρατείας τοῖς τέλος πριαμένοις.

Τοὺς τῷ Διονύσῳ χορεύοντας μὴ στρατεύεσθαι.

B *REdemtores vectigalium militia vacanto.* Demosthenes *in Neæram.* Vide *l.* III. c. II.

Choreutæ militia vacanto. Idem *Midiana.* Vide *ibid.*

De Præmiis & Pœnis militum.

TITULUS III.

ΠΛεονεκτεῖν μὲν ποιεῖν τοὺς εὐτάκτους, μειονεκτεῖν δὲ ἐν πᾶσι τοὺς ἀτακτοῦντας.

Τὸν ἀστράτευτον, καὶ τὸν δειλὸν, καὶ τὸν λιπόντα τὴν τάξιν, ἀπέχεσθαι ἀγορᾶς, μήτε στεφανοῦσθαι, μήτ' εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ· ἐὰν δέ τις ταῦτα ποιῇ, εἰσιὼν ὅπη μὴ χρὴ, δησάντων αὐτὸν τῶν Ἕνδεκα, καὶ εἰσαγόντων αὐτὸν εἰς τὴν Ἡλιαίαν· κατηγορείτω δὲ ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστιν· ἐὰν δὲ ἁλῷ, τιμάτω ἡ Ἡλιαία, ὅ, τι χρὴ παθεῖν αὐτὸν, ἢ ἀποτίσαι· ἐὰν δὲ ἀργυρίου τιμηθῇ, δεδέσθω τέως, ἕως ἂν ἐκτίσῃ.

Τὸν τὰ ὅπλα ἀποβεβληκότα ἄτιμον εἶναι.

Τοῦ λειποναυτίου καὶ ἀναυμαχίου τὴν ζημίαν εἶναι ἀτιμίαν.

Τοὺς πηρωθέντας ἐν πολέμῳ δημοσίᾳ τρέφεσθαι.

Τοὺς τῶν ἐν τῷ πολέμῳ τελευτησάντων παῖδάς τε καὶ γεννήτορας ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ἂν οἱ τούτων μὴ ἀδικῶνται πατέρες τε καὶ μητέρες· τοὺς δὲ παῖδας δημοσίᾳ τρέφεσθαι, καὶ παιδεύεσθαι, καὶ πανοπλίᾳ κεκοσμημένους ἐκπέμπεσθαι ἐπὶ τὰ σφέτερ' αὐτῶν, καὶ καλεῖσθαι εἰς προεδρίαν.

C *QUI egregiam in bello operam præstant, ad majora provehuntor: qui secus fecerint, in minorem militiæ gradum dejiciuntor.* Xenophon *Hipparchico.* Vide *l.* III. c. XIII.

Qui militiam detrectat, aut ignavus est, aut ordinem deserit, a foro arcetor, neque coronator, neque in publica intrato templa: si quis secus faxit, Undecimviri eum vinciunto, & ad Heliastarum tribunal rapiunto: quicumque voluerit, & ei fas est, accusato: eo convicto, Heliastæ pronuncianto, quam meruerit pœnam aut mulctam: si mulcta irrogata sit, in vinculis habetor, donec eam solverit. Æschines *in Ctesiphontem*, Demosthenes *Timocratea.* Vide *ibid.*

D *Qui arma abjecerit, ignominiosus esto.* Lysias *in Theomnestum Orat. á.*

Qui navali bello navem deseruerit, itemque qui militiæ navali vocatus nomen non dederit, ignominiosus esto. Pollux *l.* VIII. c. VII. Vide *l.* III. c. XXII.

Mutilati in bello publice aluntor. Pisistrati lex, e Plutarchi *Solone.* Vide *l.* III. c. XIII.

Curanto liberos parentesque eorum, qui in bello occubuerunt, ne qua injuria afficiantur parentes: liberi de publico educantor, & instituuntor, armisque instructi ad sua mittuntor negotia, primasque in theatris sedes occupanto. Solonis lex, e Laertio. Vide *ibid.*

Miscella.

TITULUS V.

ΑΤιμος ἔστω ὁ ἐν στάσει μηδετέρας μερίδος γενόμενος.

Τὸ ἀπὸ τοῦ ἄστεος ἐν Πειραιεῖ μείναντα, τοῦτον τεθνάναι.

Ὅς τις ἐν ἄστει σιδηροφοροίη μηδὲν δέον, ἢ ὅπλα ἐξενέγκοι εἰς τὸ δημόσιον, τιμᾶσθαι.

Ἐάν τις ἢ πόλιν προδιδῷ, ἢ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ, κριθέντα ἐν δικαστηρίῳ, ἂν καταγνωσθῇ, μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ· τὰ δὲ χρήματα αὐτοῦ δημόσια εἶναι.

Ἐάν τις φρούριόν τι προὔδωκεν, ἢ ναῦν, ἢ στρατόπεδον, θανάτῳ ζημιοῦσθαι.

Τὸν τῆς αὐτοῦ πατρίδος προδότην τῆς Ἀθηναίων χώρας μὴ ἐπιβαίνειν· εἰ δὲ μὴ, τοῖς αὐτοῖς ἔνοχον εἶναι, οἷσπερ ἄν τις τῶν φευγόντων ἐξ Ἀρείου πάγου κατίῃ.

E *SI qui in seditione non alterius utrius partis fuerit, ignominiosus esto.* Lex Solonis, e Plutarcho, qua jubentur singuli pro virili Reipublicæ adesse.

Si quis ab astu in Piræeo permaneat, morte luito. Solonis lex, e Suida, ad tollenda diffidia inter cives.

Si quis intra urbem, nulla necessitate cogente, ferro accinctus, armisque instructus, prodierit, mulctator. Solonis lex, e Luciani *Anacharside.* Vide *l.* III. c. IV.

Si quis in judicio proditionis, aut sacrilegii damnatus fuerit, intra Atticam ne sepelitor: bona ejus publicantor. Xenophon Ἑλληνικῶν *l.* I. Vide *l.* IV. c. I.

F *Si quis castellum prodiderit, aut navem, aut exercitum, morte luito.* Lysias *in Philonem.*

Atticam ne intrato patriæ suæ proditor: si intrarit, eadem lege tenetor, qua is qui ab Areopagitis damnatus solum verterit, redierit. Dinarchus *in Demosthenem.*

Trans-

Τὺς αὐτομολῦντας θανάτῳ ζημιῦσθαι.

A *Transfugæ capite puniuntor.* Ulpianus *ad Timocrateam*. Vide *lib.* III. *cap.* XIII.

Ατιμος ἔςω ϗ πολέμιος τῦ δήμυ τῶν Αθηναίων, ϗ τῶν συμμάχων αὐτὸς γένός.

Impune occidito, hostisque esto populi Atheniensis, & sociorum, cum is, tum ejus liberi. Fragmentum legis in eum, qui esset hostis patriæ. Demosthenes *Philipp.* III.

Τὰ σύμβολα κύεια εἶναι, ἐπειδὰν ἐν τῷ δικαςηρίῳ κυρωθῇ.

Fœdera rata sunto, postquam a judicibus approbata sunt. Idem *de Haloneso*.

Μὴ μνησικακεῖν **** μήτε ἄδικον, μήτε δίκαιον λέγειν.

Omnem memoriam discordiarum oblivione delento, neque fas, neque nefas exprobranto. Lex post triginta Tyrannos exactos lata ad conciliandos civium animos, (Cicero *Philipp.* I. Lysias *in Ctesiphontem*) in quam jurabat populus universus. B Andocides *de Mysteriis*.

Αν τὶς δικάζηται παρὰ τὺς ὅρκυς, ἐξεῖναι τῷ φεύγοντι παραγράψασθαι· τὺς δὲ Αρχοντας περὶ τύτυ πρῶτον εἰσάγειν, λέγειν δὲ πρότερον τὸν παραγραψάμενον· ὁπότερος δ᾽ ἂν ἡττηθῇ, τὴν ἐπωβελίαν ὀφείλειν.

Si quis in jus vocat adversus hoc jusjurandum, reus exceptione utitor: eaque de re Archontes primum judicia reddunto: prior qui exceptione utitur, dicito: qui causa ceciderit, epobelia mulctator. Archini lex ad priorem stabiliendam lata.

Τὺς ξένυς μὴ ἀδικεῖσθαι.

Hospites injuria ne afficiuntor. Xenophon Ἀπομνημον. *lib.* II.

Υποφαίνειν ὁδὸν πλανωμένοις, ϗ κοινωνεῖν κατὰ τὸν βίον ὕδατος ἢ πυρός.

Erranti viam monstranto, peregrinos tecto excipiunto. Cicero *Offic. lib.* III.

Δακτυλιογλύφῳ μὴ ἐξεῖναι σφραγῖδα φυλάττειν τὴν πραθέντος δακτυλίυ.

Annularius expressum annuli, quem vendidit, signum apud se ne habeto. Lex Solonis, e Laertio.



ARCHÆOLOGIÆ GRÆCÆ
LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Religionis Inventoribus.



Religionem ab Ægyptiis ad Græcos manasse *l.* II. suæ *Historiæ* tradit Herodotus, quod a Plutarcho *de Herodoti Malevol.* dilucide confutatur, præsertim quia nec ab Homero nec ab ullo alio Veterum memoratum. Tamen Cecrops Athenarum conditor, qui primus (ut ait Eusebius in *Chronico*) τὸν Δία ὕπατον προσηγόρευσεν, id est, (ut etiam ex Pausaniæ *Arcadicis* discimus) ὑπάτω *cognomen Jovi tribuit*, & humaniorem vitam introduxit, Ægyptius erat: atque hinc aliqui tradunt eum διφυῆ appellatum fuisse, ὅτι Αἰγύπτιος ὢν τὰς δύο γλώσσας ἠπίστατο, *quia cum Ægyptius esset duas illas linguas callebat*. Quinetiam Ægyptium hominem Phoroneum templa, altaria, & sacrificia primum instituisse ferunt Clemens Alexandrinus in *Protreptico* & Arnobius *lib.* VI. *contra Gentes*. Denique Athenienses ab Ægyptiis ritus cæremoniasque Deorum plurimas habuisse constat: id enim illis exprobrat Comicus:

Αἴγυπτ' αὐτῶν τὴν πόλιν πεποιήκασιν ἀντ' Ἀθηνῶν.
Ex Athenis in Ægyptum urbem suam mutavere.

Aristophanes in *Ranis* & Euripides in *Rhæso* afferunt Orpheum Græcos in cultu Deorum primum instituisse, qui cum Thrax fuisset, inquit Nonnus Συναγ. Ἱστορ. *Stella* I. idcirco religio Θρησκεία, quasi Θρᾳκία, dicta est a Thrace institutore.

Jam memorati Scriptores nec omnino recte sentire, nec in omnibus falli mihi videntur; ut enim consensus religionis Græcorum cum religione Thracum nonnullis capitibus evincit unam ex altera ortam, ita vice versa Græcorum cum Ægyptiis concentus in pluribus cultus Deorum partibus liquido arguit ab his ad illos pervenisse: sed totam Græcorum religionem vel a Thracibus, vel ab Ægyptiis, vel ab alia peculiari quadam gente originem duxisse vero absimile, ne dicam impossibile, videtur, prout patebit cuivis attendenti ad multiplicem Græcorum religionem, quorum singulæ civitates diversa Numina eorumque diversum cultum sectabantur. Vero autem similius videtur Græciam a variarum gentium colonis, qui illic sedes fixerunt, diversam religionem accepisse; ex. gr. Thebani a Phœnicibus, quorum sanguine sati, cultum Deorum maxima parte habuerunt, & Argivos religionem Ægyptiorum a Danao ejusque sociis edoctos fuisse tradit Antiquitas. His adde, Græcos in genere, ac speciatim Athenienses tanta superstitione flagrasse, ut non tantum antiqua Numina colerent, sed & nova in dies fingerent; præterea aliarum gentium, quibuscum commercium fovebant, Numina suis accensebant, ita ut Hesiodi tempore eorum numerus ad triginta millia excreverit: quemadmodum ille ait Ἐργ. καὶ Ἡμερ. *lib.* α. *vers.* 250.

Τρὶς γὰρ μυριοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.
Ter enim decies mille sunt in terra multos pascente
Dii Jovis, custodes mortalium hominum.

Etsi enim, referente Isocrate *Orat. Areopag.* religionem a majoribus traditam veteres Athenienses imprimis coluerint, nihilominus pro more varia peregrina Numina admittebant; quapropter religione servabant Θεοξένια, id est, *Deorum exterorum festa*, quæ Delphis quoque celebrari solebant, quemadmodum testatur Athenæus *Deipnosoph. lib.* IX. *cap.* III. Quin imo Athenienses tanta cum religione ab ullo Deorum negligendo cavebant, ut teste Pausania in *Atticis* altaria Diis incognitis erigerent. Aliquis forsan objiciet, Socratem ob nullum aliud crimen quam ob Deorum peregrinorum cultum morte damnatum fuisse, prout in *ejus Vita* scribit Laertius. Sed regeri potest, etsi novorum Numinum religione arderent Athenienses, attamen nullum illorum sacro cultu decoratum, nisi prius ab Areopagitis probatum sancitumque fuisset, ut notat Harpocratio *Voc.* ἐπιθέτους ἑορτάς: idcirco cum D. Paulus Jesum & resurrectionem annunciasset, ad illud Concilium citatus est, ut de nova doctrina, quam proferebat, rationem redderet.

CAP. II.

De Græcorum Templis, Aris, Imaginibus, Asylis, Lucis, & Agris sacris.

A Primis mundi sæculis homines nec statuis nec templis Deos colebant, sed in aperto aere manus supplices cœlum versus tollebant. Mos autem erat tum Græcorum, tum aliarum gentium, in editis locis sacra facere. Hinc Jupiter de Hectore *Iliad.* χ'. *vers.* 170. loquitur:

—— ὅς μοι πολλὰ βοῶν ἐπὶ μηρί' ἔκηεν
Ἴδης ἐν κορυφῇσι πολυπτύχου, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ἐν πόλει ἀκροτάτῃ. ——
—— qui mihi multa boum femora adolevit,
Cum in Idæ jugis multos vertices habentis, tum etiam
In urbis summa arce. ——

Nam Trojanorum templa in illis excelsis locis fuere. Sic & apud Athenienses & Romanos templa in arce erant augustissima, ut omnes norunt. De Persis id diserte observat Strabo *l.* XV. etsi illi neque altaria, nec imagines Diis statuerint: Πέρσαι τοίνυν ἀγάλματα καὶ βωμοὺς οὐχ ἱδρύονται, θύουσι δὲ ἐν ὑψηλῷ τόπῳ. *Persæ nec aras nec statuas erigunt, in loco tamen excelso sacrificant.* Sic Cyrus apud Xenophontem *lib.* VIII. sacra facit Διὶ Πατρῴῳ, καὶ Ἡλίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις Θεοῖς ἐπὶ τῶν ἄκρων, ὡς Πέρσαι θύουσι, *Jovi Patrio, & Soli, & aliis Diis, in summis montium jugis, qui Persis sacrificandi mos est.* Conf. Herodotus *lib.* I. *cap.* XI. Vicini Judæorum in excelsis locis solebant etiam sacra facere, ut passim docent Scriptores Sacri. Balakus Rex Moabiticus Balaamum tum ad Bahalis excelsa, tum ad alios montes duxit, ut ibi offerret sacrificia, & Israelitas devoveret, *Numer.* XXIII. Addam alterum exemplum, quo hujus moris antiquitas patebit: Deus Abrahamum jussit ut filium in excelso monte mactaret: *Tolle*, inquit, *unigenitum tuum, quem diligis, Isaac, & offer illum in holocaustum, super unum montium, quem*

monſtravero tibi. Atque hinc excelſiores montes Diis plerumque ſacri habebantur, præcipue quidem Jovi, aut Saturno, ſed tamen aliis aliquando Numinibus. Homerus *Hymno in Apollinem* juga montium ei quoque Deo perſæpe ſacra fuiſſe docet *verſ.* 144. ubi ſic Poeta Deum alloquitur:

Πᾶσαι δὲ σκοπιαί τε φίλαι, καὶ πρώονες ἄκραι
Ὑψηλῶν ὀρέων. ——
Omnes enim ſpeculæ caræ, & vertices ſummi
Altorum montium. ——

Qui plura de hac re videre cupit, adeat *Commentarium noſtrum in Lycophronis Caſſandram verſ.* 42. Cæterum quæ fuerit prima hujus moris origo, haud facile dictu eſt: id vero conſtat Ethnicos opinionem habuiſſe, quod a ſummis montium cacuminibus propior eſſet ad Deos aditus, ut qui cœlos incolerent. Hinc in *Annalibus* Tacitus de quibuſdam excelſis montibus ait, *eos maxime locos cœlo appropinquare, preceſque mortalium a Deo nuſquam propius audiri*. Et Lucianus, ut e Græcis teſtimonium addam, tradit ſacrorum miniſtros ad loca excelſiora ſe contuliſſe, *ὅτι τῶν εὐχωλέων ἀγχόθεν ἐπάγουσιν οἱ Θεοὶ*, *quod ibi Dii preces e propinquo exaudiant*. Perſæ, etſi in montibus ſacra fecerint, id tamen peculiare habebant, quod nulla apud eos Deorum templa fuere: ut narrat Herodotus in *Euterpe*, *ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς Θεοὺς, καθάπερ οἱ Ἕλληνες*, *quod non exiſtimarunt Deos ex hominibus natos, ſicut Græci*. Atque hæc cauſa fuiſſe dicitur, cur Xerxes templa Græciæ igne devaſtarit, quod Perſis impium & abſonum a ratione videretur, Deos parietibus includere, quibus deberent omnia patentia eſſe ac libera, quorum hic mundus omnis templum eſſet ac domus: ut loquitur Cicero *lib.* II. *de Legibus*.

Quis autem primum templum exſtruxerit, inter Veteres quæſtio erat: *Templorum ſi quæris audire quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops tibi fuiſſe monſtrabitur, aut, ut tradit in Admirandis Varro, Jovis progenies Æacus*: ut ait Arnobius *l.* VI. *contra Gentes*. Tamen alii Jovem ipſum primum templorum conditorem fuiſſe, atque eam ob cauſam principatum inter Deos obtinere affirmant: Ægyptii id Iſidi tribuunt, Phœnices Uſoni cuipiam, alii Phrygiæ, Thraciæ, vel Arcadiæ incolis, alii Cretenſibus, aut eorum Regi Meliſſeo, alii Dionyſo, alii Cecropi Athenarum conditori, alii denique (ut plures enumerare ſuperſedeam) uſum templorum natum eſſe ex ſuperſtitioſa pietate, quam Veteres defunctis amicis, conſanguineis, ac benefactoribus perſolvere ſolebant, afferunt. Vid. Euſebius, Lactantius, Clemens Alexandrinus in *Protreptico*. Ut autem pleraque Numina erant ſolummodo mortales, qui de genere humano bene meriti fuerant, ita maxima pars Gentilium templorum tantum ſplendida monumenta in honorem mortuorum erecta primo fuiſſe creduntur. Ex. gr. templum Palladis in arce civitatis Lariſſæ erat Acriſii ſepulchrum, Cecrops conditus in Athenarum acropoli, Erichthonius vero in templo Minervæ Poliæ, ne plura referam. Noſtra ſententia præterea firmatur ex eo quod illæ voces, quæ proprie ſepulchrum aut monumentum tantum denotant, ab antiquis Scriptoribus Deorum templis tribuuntur; hoc ſenſu Lycophron, qui voces obſoletas aucupatur, *τύμβον* uſurpat in *Caſſandra verſ.* 613.

—— *τύμβος δ᾽ αὐτὸν ἐκσώσει μόρου*
Ὁπλοσμίας, σφαγαῖσιν ηὐτρεπισμένον.
—— *templumque Hoploſmiæ illum a morte ſervabit,*
Neci paratum.

Ubi loquitur de Diomede, qui quum Troja rediret, petitus fuit inſidiis uxoris Ægialeæ, temploque Junonis perfugio uti coactus fuit. Unicum tantum exemplum ex Virgilio *Æneid.* II. *verſ.* 742. afferam:

—— *tumulum antiquæ Cereris, ſedemque ſacratam*
Venimus. ——

Nec mirum monumenta in templa tandem mutata fuiſſe, quum ad quodvis vulgare ſepulchrum moris eſſet offerri preces, ſacrificia, ac libamina, de quibus plura deinceps.

Templa maximo cum ſplendore ac decore exſtrui & ornari ſolebant, nec in his nec in cæteris cultus Deorum partibus perſolvendis labori ſumptibusve parcebant. Hujuſmodi pietatis officia religioſe peragebant, partim ex ſumma Deorum veneratione, quibus nihil acceptius pretioſis ornamentis fore putabant; partim ut cultorum reverentiam Diis conciliarent. Tantum notatu dignum, apud Lacedæmonios legem latam fuiſſe, qua omnes tenebantur minimo ſumptu Deos colere, qua in re a cæteris Græcis diſſentiebant; Lycurgus autem rogatus cauſam illius inſtituti omnium hominum opinioni adverſantis, reſpondit, *Ne Deorum cultus unquam in neglectum adduceretur*; veritus ne eorumdem cultus tam ſumptuoſus, qui in reliquis Græciæ regionibus obtinebat, vel ex avaritia vel ex egeſtate tandem negligeretur: necnon exiſtimans ſplendida ædificia atque ſumptuoſa ſacrificia Diis nunquam æque grata fore, ac veram ſinceramque cultorum pietatem. Illius Legiſlatoris ſententia Ammonis oraculo comprobata eſt, juxta Platonem in *Alcibiade*; cum enim Athenienſes a Lacedæmoniis diverſis præliis tum terreſtribus tum navalibus profligati Jovem Ammonem interrogaſſent, quid ipſis agendum foret ad hoſtes debellandos, ut & cur ipſimet, qui præ cæteris Græcis Deos tam magnifice ac ſplendide colebant, tot clades ſubirent, dum Lacedæmonii, qui in Deorum cultu tam parci ac ſordidi erant, felicem ſucceſſum & victoriam continuo conſequebantur? ab Oraculo reſponſum acceperunt, Lacedæmoniorum puram ac minime fictam religionem Diis magis placere, quam cæterarum gentium ſplendidam ſumptuoſamque pietatem. Lector nobis condonet ſi huc uſque excurrimus, quia quæ attulimus duarum totius Græciæ florentiſſimarum gentium diverſam indolem plane ac plene exhibent.

Sed ut e diverticulo redeamus, idem templum quandoque pluribus Diis ſacrum erat: hi *σύνναοι* vel *συνοικέται* dicebantur; ſicut *ὁμοβώμιοι*, quibus eadem ara dicata fuit. Hinc vetus illud numiſma apud Saubertum, cujus inſcriptio hæc erat:

ΔΙΙ ΗΛΙΩ
ΜΕΓΑΛΩ
CΑΡΑΠΙΔΙ
ΚΑΙ ΤΟΙΣ CΥΝΝΑ
ΟΙΣ ΘΕΟΙΣ

Atque uno in templo ſociati fuiſſe memorantur Iſis & Apis: Ceres, Bacchus, & Phœbus: Jupiter Capitolinus, Juno, & Minerva: Apollo Palatinus, Latona, & Diana: Hercules & Muſæ: Venus & Cupido: Caſtor & Pollux: Æſculapius & Apollo: Sol & Luna: Mars & Venus: Pan & Ceres, ut alios plures taceam. Quædam templa univerſo Deorum choro ſacra fuere: tale erat Pantheon Romæ, & templum Athenis ab Adriano Imperatore exſtructum, ut narrat Pauſanias in *Atticis*: & in *Laconicis* memorat *ἱερὸν ἀρχαῖον Θεῶν ἁπάντων*, *vetus templum omnium Deorum*. Et in *Corinthiacis* refert fuiſſe apud Torneates, *ναὸν*

Θεοῖς πᾶσιν ἐς κοινὸν ἀνειμένον, *templum Diis omnibus in commune consecratum*. Templa in hunc morem, quem Diis, quibus dicata erant, maxime placiturum putabant, ædificari solebant; ut enim arbores, aves, cæteraque animantia certis Numinibus sacra habebantur, ita etiam fere singulis Diis propria ædificii forma, quæque ipsis gratissima existimabatur, consecrata erat. Ex gr. Doricæ columnæ Jovi, Marti, & Herculi; Ionicæ Baccho, Apollini, & Dianæ; Corinthiacæ vero virgini Vestæ sacræ erant. Fateor quidem illam diversam structuram sæpius adhibitam uno eodemque templo, sed vel pluribus Numinibus sacro, vel uni soli Numini plurium rerum præsidi; dum enim Veteres crederent mundum divina providentia regi, rerum humanarum moderamen huic aut illi Deo tribuebant; ex. gr. Martem bello, Venerem amori præficiebant; sed alibi unico Deo diversarum rerum curam adscribebant, ut Mercurius, qui mercatorum, oratorum, ac furum Deus censetur; Minerva vero militum, doctorum, artificum Dea, &c. Unde non mirum, si illius Deæ templa sæpius decorabantur tribus columnarum ordinibus diversæ artis, 1. Doricæ, 2. Corinthiacæ, 3. Ionicæ.

Quoad templorum loca, cum alii Deorum sylvis, alii fontibus, alii montibus, alii vallibus, alii agris, alii fluminibus delectari, iisque præsidere crederentur, fiebat ut illis in locis templa Diis præsidibus erigerent: atque hinc populus sperabat Numina sibi propitia futura, & omnigenam fœlicitatem præbitura esse: quo factum, exempli gr. ut templa, vel altaria passim in triviis & agris exstructa sint ad promovendam terræ fœcunditatem: hinc illæ Libanii querelæ adversus Christianos Monachos impetum in Ethnicorum templa facientes *Orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν: *Peragrant agros sicut torrentes, perdentes agros, templa diruenda*, ὅπου γὰρ ἂν ἱερὸν ἐκκόψωσιν ἀγροῦ, οὗτος τετύφλωταί τε, καὶ κεῖται, καὶ τέθνηκε· ψυχὴ γὰρ, ὦ βασιλεῦ, τοῖς ἀγροῖς τὰ ἱερὰ &c. *ubi enim templum in agro exsciderint, hoc ipso ager occæcatur, & jacet, & moritur: nam templa, o Rex, sunt ipsa anima agrorum, utpote quæ primordia fuerunt ædificiorum in agris, ac per multas ætates huc usque pervenerunt*: καὶ τοῖς γεωργοῦσιν ἐν αὐτοῖς ἐλπίδες, *& agricolarum in ipsis spes omnis de viris, uxoribus, liberis, satis, bobus, & plantatis*. Rure lucis Deo tutelari sacris, ubi ante templa inventa Dii coli soliti feruntur, circumcingebantur; in civitatibus vero & oppidis, ubi nulli erant luci, templa inter, imo ad ædes communes construi solebant, nisi quod Tanagræi sacris Deorum domiciliis illud minime convenire existimantes, templa in locis a tumultu hominumque frequentia remotis ædificanda curabant, qua de re a Pausania in *Bœoticis* laudantur. Sed quocumque loco ædificarentur, situm, si fieri posset, ita disponebant, ut fenestræ solem orientem respicerent, juxta Vitruvium *l.* IV. *c.* V. Frons occasui obversa erat, altaria vero & statuæ ex opposito sita erant, ut cultorum facies illa adspicerent; ab antiquo enim apud Gentiles mos obtinuerat, ut facie soli orienti obversa Deos colerent, ex eodem *ibid. Ædes sacræ Deorum immortalium sic erunt constituendæ, ut signum, quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam cœli regionem: ut qui adierint ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem cœli orientis, & simulacrum, quod erit in æde: & ita vota suscipientes contueantur ædem & orientem cœli, ipsa simulacra videantur exorientia contueri supplicantes & sacrificantes: quod aras omnes Deorum necesse esse videatur ad orientem spectare*. Traduntur etiam templorum portæ orienti fuisse obversæ, idque magna Auctorum consensione, e quibus unum & alterum testimonium adducam. Porphyrius *de Antro Nymph.* Ὡς ἂν σχεδὸν πάντων τῶν ἱερῶν τὰ μὲν ἀγάλματα καὶ τὰς εἰσόδους ἐχόντων πρὸς ἀνατολὰς τετραμμένας· τῶν δὲ εἰσιόντων πρὸς δύσιν ἀφορώντων, ὅταν ἀντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἑστῶτες, τοῖς Θεοῖς τιμὰς καὶ θεραπείας προσάγωσι. Huic conveniunt illa Dionysii Thracis: Οἱ ναοὶ τῶν παλαιῶν καὶ τὸν ἥλιον ὑπερκύψαντα εὐθὺς ὑποδέχεσθαι εἰώθεσαν, καὶ τοῦ φωτὸς εὐθὺς ἐμπίμπλασθαι τῶν θυρῶν ἀναπεπταμένων. Et populorum Orientalium, a quibus Europæorum religio manavit, templa portas orientem versus habuere: quod de templo Deæ Syriæ e Luciano, de templo Dei Memphitici a Psammeticho Ægypti Rege exstructo e Diodoro, de templo Vulcani ab alio quodam Ægypti Rege condito ex Herodoti *Euterpe*, denique de templo Hierosolymitano ex omnibus fere Auctoribus constat, qui id argumentum tractarunt. Tamen sunt nonnulli, qui templa antiquissima in occidentem, recentiora in orientem spectasse affirment. Hyginus Augusti libertus *de Agror. Limit. constit. lib.* I. *Antiqui architecti in occidentem templa spectare recte scripserunt: postea placuit omnem religionem eo convertere, ex qua parte cœli terra illuminatur*. Clemens Alexandrinus *Strom.* VIII. Τὰ παλαιότατα τῶν ἱερῶν πρὸς δύσιν ἔβλεπεν, ἵνα οἱ ἀπαντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἱστάμενοι, πρὸς ἀνατολὴν τρέπεσθαι διδάσκωνται. Templorum, quæ ad flumina posita erant, facies littus respiciebat, secundum eumdem, quæ vero ad vias publicas exstructa erant, ita disponi solebant, ut viatores prætereuntes in illa commode introspicere & Diis debitam reverentiam persolvere possent.

Templa in duas partes, sacram, & profanam, distinguebantur; hæc τὸ ἔξω περιῤῥαντηρίων, illa τὸ ἔσω περιῤῥαντηρίων vocabatur. Illud autem περιῤῥαντήριον erat vas, plerumque lapideum vel æneum, aqua lustrali plenum, (juxta Suidam & Phavorinum) quo omnes, qui ad sacrificia admissi, conspergebantur, & ultra quod nemini βεβήλῳ sive *profano* transire licitum erat. Quidam asserunt illud collocatum fuisse ad introitum ἀδύτου sive *penetralis*, quod erat locus templi secretior, ad quem nulli nisi Sacerdoti aditus dabatur, sicque ἀνάκτορον nuncupatum, teste Polluce; unde βέβηλος τόπος, ut ait Phavorinus, ita dicitur respectu illius adyti. Casaubonus vero *in Theophr. Caract.* nos docet περιῤῥαντήριον ad templi fores positum fuisse; quæ sententia probabilior videtur, quia quotquot ἀβέβηλοι seu *impolluti* erant, ipsis concedebatur illud præterire, quod facere nequivissent, si ad ingressum adyti situm fuisset.

Vocabulum σηκὸς diversimode usurpatur; Ammonius *de Verb. Differ. & Simil.* ac Pollux *Onomast. l.* I. ajunt proprie significare templum Heroi seu Semideo dicatum; ab Hesychio & Suida exponitur ὁ ἐνδότερος τόπος τοῦ ἱεροῦ, sive *interior templi locus*, ita ut videretur idem fuisse cum ἀδύτῳ seu *penetrali*. Ammonii atque Pollucis interpretatio manifesto falsa, ut innumeris exemplis probari posset, si necessum foret. Illa vox in sua maxime propria significatione accipitur pro *caula*; quia autem Deorum imagines juxta vetustissimum morem in medio templo statuebantur & undique cancellis obsepiebantur, ille locus ob caulæ similitudinem, quam præ se ferebat, appellabatur σηκὸς, qui procedente tempore denotavit templum ipsum, parte pro toto accepta. Eumdem in modum ἑστία, id est, *focus*, pro tota domo sumebatur.

Porro, in templis erat quoddam sacrarii genus, Græce ἀρχεῖον dictum, quod a nonnullis *summum templum* effertur, quasi in superiore templi parte exstitisset. Videtur fuisse ærarium in usum ædium

ſacrarum tantum, eorumque, qui facultates ſartas tectas habere cuperent, ut factum eſt a Xenophonte, qui Sacerdoti Dianæ Epheſinæ theſauros cuſtodiendos concredidit. Hinc illa ejus epitheta apud Pollucem *Onomaſt. lib.* I. quando illud vocat μεγαλόπλουτον, πολύχρυσον, ἀρχαιόπλουτον, &c.

Antiqua Scholia *in Sophoclem Oedip. Tyr. v.* 15. & ex iis Phavorinus templa ſic depingunt; Ναὸς, & Ἱερὸν, ſive *totum ædificium*, in quo continebantur, Βωμὸς, *Ara*, ad quam ſacrificia fiebant; Πρόναον, *Veſtibulum templi*, ubi ara aut imago plerumque ſtabat; & Τέμενος, locus, in quo Dei primarii ſimulachrum erectum viſebatur.

Sicut apud Ægyptios veteres ἀξόανοι ναοὶ ἦσαν, *templa ſine idolis erant*, ut docet nos Lucianus *de Dea Syria*, ſic priſci Græci templa ſine ſimulacris habuere uſque ad Cecropem Athenienſium Regem primum Moſi (ut putavit Euſebius) coævum: atque eum nonnulli tradunt primum viſibilem imaginem Græcis hominibus colendam propoſuiſſe. Initio ſimulachrum nihil aliud erat quam truncus aut tabula, unde a Clemente Alexandrino in *Protrept.* nuncupatur σανὶς: cujuſmodi erat illud Junonis Samiæ, quod poſtea Procle imperante in ſtatuam mutatum fuit. Ut vero appareat quanta fuerit apud Veteres hujuſmodi ſignorum varietas, non pigebit ipſius Clementis verba appoſuiſſe *Protrept. pag.* 29. & 30. Πάλαι μὲν οὖν οἱ Σκύθαι, τὸν ἀκινάκην· οἱ Ἄραβες, τὸν λίθον· οἱ Πέρσαι, τὸν ποταμὸν προσεκύνουν. καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων οἱ ἔτι παλαιότεροι, ξύλα ἱδρύοντο περιφανῆ, καὶ κίονας ἵστων ἐκ λίθων· ἃ δὴ καὶ ξόανα προσηγορεύετο διὰ τὸ ἀποξεῖσθαι τῆς ὕλης. ἀμέλει ἐν Ἰκάρῳ, τῆς Ἀρτέμιδος τὸ ἄγαλμα, ξύλον οὐκ εἰργασμένον. καὶ τῆς Κιθαιρωνίας Ἥρας ἐν Θεσπίᾳ πρέμνον ἐκκεκομμένον· καὶ τὸ τῆς Σαμίας Ἥρας, ὥς φησιν Ἀέθλιος, πρότερον μὲν ἦν σανίς, ὕστερον δὲ ἐπὶ Προκλέους Ἄρχοντος ἀνδριαντοειδὲς ἐγένετο. ἐπεὶ δὲ ἀνθρώποις ἀπεικονίζεσθαι τὰ ξόανα ἤρξατο, βρέτη τὴν ἐκ βροτῶν ἐπωνυμίαν ἐκαρπώσατο. ἐν Ῥώμῃ δὲ τὸ παλαιὸν δόρυ φησὶν γεγονέναι τοῦ Ἄρεως τὸ ξόανον Οὐάρρων ὁ συγγραφεύς· οὐδέπω τεχνιτῶν ἐπὶ τὴν εὐπρόσωπον ταύτην κακοτεχνίαν ὡρμηκότων. *Ac Scythæ quidem antiquitus adorabant acinacem: Arabes lapidem: Perſæ fluvium: & ex aliis hominibus ii, qui erant adhuc antiquiores, ligna erigebant conſpicua, & columnas ſtatuebant e lapidibus, quæ etiam* ξόανα *appellabantur, eo quod eraderentur e ſaxo. In Icaro certe, imago Dianæ lignum erat non elaboratum: & Cithæroniæ Junonis in Theſpia, truncus exciſus: & Samiæ Junonis, ut ait Æthlius, prius quidem erat tabula, poſtea autem Archonte Procle in formam ſtatuæ effecta eſt. Poſtquam autem ſtatuæ formari hominibus ſimiles cœperunt,* βρέτη *eas vocabant. Romæ autem antiquitus ſtatuam Martis fuiſſe haſtam tradit Varro, cum nondum perveniſſent artifices ad hoc ſpecioſum quidem ſed improbum artificium.* Horum autem ſignorum frequentius apud Veteres nullum erat, quam *columnæ* vel oblongi lapides; hinc idem Auctor *Strom.* I. *p.* 348. & 349. Πρὶν γοῦν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ, ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ Θεοῦ. γράφει γ' οὖν ὁ τὴν Φορωνίδα ποιήσας:

Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης
Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

Ἀλλὰ καὶ ὁ τὴν Εὐρωπίαν ποιήσας, ἱστορεῖ τὸ ἐν Δελφοῖς ἄγαλμα Ἀπόλλωνος κίονα εἶναι, διὰ τῶνδε:

Ὄφρα Θεῷ δεκάτην ἀκροθίνιά τε κρεμάσαιμεν
Σταθμῶν ἐκ ζαθέων & κίονος ὑψηλοῖο.

Prius quam igitur ſtatuarum figuræ arte perficiebantur, Veteres columnas erigentes, eas colebant tanquam ſimulachra Deorum. Atque idcirco ſcribit Phoronidis Auctor:

Callithoe cuſtos templi cœleſtis reginæ
Junonis Argivæ, quæ ſertis & fimbriis
Prima exornavit excelſam columnam reginæ.

Et Auctor Europiæ narrat Apollinis Delphici ſignum fuiſſe columnam, his verſibus:

Ut Deo decimas & primitias offeramus ſuſpenſas
Apud ſedes ſacroſanctas, altamque columnam.

Idemque obſervavit Euſebius *de Præparat. Evang. lib.* I. Hic autem mos a populis Orientalibus ad Græcos devenit. Nam Iſraelitæ a Deo prohibentur ejuſmodi lapides erigere *Levit.* XXVI. I. *Non facietis vobis idola; ſculptile ſimulacrum, ſtatuamve vobis non erigetis; lapidem adſpiciendum non ponetis in terra veſtra, ut ea adoretis.* Et apud Ægyptios erant frequentes, ut docet Strabo his verbis *lib.* XVII. ubi de via Syena Philas tendente: Παρ' ὅλην δὲ τὴν ὁδὸν ἦν ἰδεῖν ἑκατέρωθεν πολλαχοῦ, ὥσπερ Ἑρμαῖα, πέτρον ἠλίβατον στρογγύλον, λεῖον ἱκανῶς, ἐγγὺς σφαιροειδοῦς, τοῦ μέλανος & σκληροῦ λίθου, ἐξ οὗ αἱ θυεῖαι γίνονται, ἐπὶ πέτρῳ κείμενον μείζονα, καὶ ἐπ' ἐκείνῳ πάλιν ἄλλο· ἔστι δ' ὅτε αὐτοὶ καθ' αὑτοὺς ἔκειντο οἱ πέτροι· ἦν δ' ὁ μὲν μέγιστος τὴν διάμετρον ποδῶν οὐκ ἐλαττόνων ἢ δώδεκα, ἅπαντες δὲ μείζους ἢ ἡμίσεις τούτων. *Per totam viam videre licebat utrinque, multis in locis, quaſi ſtatuas Mercuriales, lapidem altum rotundum, ſatis lævem, propemodum ſphæricum, ex nigro & duro ſaxo, ex quo mortaria fiunt, majori lapidi impoſitum, ac rurſum ſuper eo alium; nonnulli etiam ſeorſim jacebant. Maximi diameter erat non minor pedibus duodecim, omnes vero hujus dimidio majores erant.* In Syria autem Heliogabali, ſive Solis, templum ejuſmodi lapidem habebat, quem e cœlo decidiſſe, & Solis imaginem eſſe pertendebant, ut tradit Herodianus *lib.* V. *cap.* V. Cæterum hos lapides vocabant βαιτύλια, e Phœnicum lingua petito nomine, apud quos *Bethel* ſignificat *domum Dei*, quod eos a Numine inſideri crederent: atque hunc lapidem, quem Saturnus pro Jove devoraſſe fingitur, Βαίτυλον vocant: Heſychius: Βαίτυλος, οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός. Βαίτυλος, *ita vocabatur ille lapis Saturno traditus pro Jove.* A Patriarchæ Jacobi *Bethel* originem duxiſſe, ſunt qui veriſimile putant. Vid. *Comment. in Geneſ.* XXVIII. Quidam ab Urano inventos tradunt: Sanchoniathon apud Euſebium *Demonſtr. Evang. lib.* I. *cap.* X. Ἐπενόησε Θεὸς Οὐρανὸς βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. *Invenit Deus Cælum bætulia, lapidibus animatis factis.* Quinetiam rudes lapides ſub aliis formis Deos repræſentabant. Hæc a Pauſania in *Achaicis* firmari videntur, quum ſcribit in Achaja ſanctiſſime ſervari triginta quadrati lapides, quibus inſculpta totidem Deorum nomina, ſed abſque ulla pictura aut effigie. Alio in loco loquitur de vetuſtiſſima Veneris Deliæ ſtatua, cui pro pedibus erat lapis quadratus. Et Martis quoddam ſignum in Petra Arabiæ e lapide nigro, rudi, & quadrato a Suida memoratur. Θεὺς Ἄρης· τουτέστι Θεὸς Ἄρης, ἐν Πέτρᾳ τῆς Ἀραβίας· σέβεται δὲ Θεὸς Ἄρης παρ' αὐτοῖς, τοῦτον γὰρ μάλιστα τιμῶσι. τὸ δὲ ἄγαλμα λίθος ἐστὶ μέλας, τετράγωνος, ἀτύπωτος· ὕψος ποδῶν δ'. εὖρος β'. ἀνάκειται δὲ ἐπὶ βάσεως χρυσηλάτου. τούτῳ θύουσι, καὶ τὸ αἷμα τῶν ἱερείων προχέουσι, καὶ τοῦτο ἐστὶν αὐτοῖς ἡ σπονδή. ὁ δὲ οἶκος ἅπας ἐστὶ πολύχρυσος, & ἀναθήματα πολλά. Ubi non eſt notatu indignum, eum lapidem nigro colore fuiſſe, idemque ex Auctoribus paulo ante laudatis de columnis.

ſacris obſervari poſſit: unde colorem hunc rebus ſacris maxime convenientem iis temporibus habitum fuiſſe colligitur, quo quid innuere volebant poſt dicetur. Denique apud omnes fere gentes, lapides, aut ſtipites rudes & ἀνέργαστοι Deorum tum nominibus, tum cultu & honore ornabantur. Tacitus *libro de Moribus Germanorum*, poſtquam de lucis & nemoribus eorum quædam notavit, *His*, inquit, *ſimulacra Deorum addita, id eſt, ſtatuæ e ſtipitibus rudibus, & impolito robore*. His ſimiles deſcribit Lucanus in *Obſidione Maſſiliæ*:

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo:
Arboribus ſuus horror ineſt: tum plurima nigris
Fontibus unda cadit; ſimulacraq; miſta Deorum
Arte carent, cæſiſque exſtant informia truncis.

Utque his generale teſtimonium adjiciam, Dion Chryſoſtomus *Serm.* XII. ait: Πολλοὶ τῶν βαρβάρων, πενίᾳ τε, καὶ ἀπορίᾳ τέχνης, ὄρη Θεοὺς ἐπονομάζουσι, καὶ δένδρα ἀργὰ, καὶ ἀσήμους. *Multi e Barbaris, ex paupertate, & defectu artis, montes Deos vocant, & arbores impolitas, atque informes lapides.* Et quamvis in Oriente multis ante ſæculis floruiſſent artes omnifariæ, tamen in Græcia Themiſtius quoque *Orat.* XV. tradidit omnes imagines uſque Dædali tempora eodem modo formatas fuiſſe; qui primus duos pedes diſtinctos iis effecit, quum antea continuæ eſſent; unde perhibebatur (inquit Palæphatus) Dædalum ſtatuas moventes ſe atque incedentes effinxiſſe; quapropter primum vocabantur juxta Clementem Alexandrinum in *Protreptico* ξόανα, διὰ τὸ ἀποξέεσθαι, quia abraſa erant; hujuſmodi vero vocabulum proprie ſignificat idolum, quod eſt ἐξεσμένον, aut *raſum* ex ligno vel lapide, ait Heſychius in *Voc.* ξόανον. Poſterioribus ſæculis, arte ſculpendi & cælandi excogitata, hujuſmodi maſſam rudem & informem in figuras animantia, plerumque homines, referentes mutarunt, tuncque imago dicebatur δείκηλον, aut βρέτας, διὰ τὸ βροτῷ ἐοικέναι, quia hominis figuram præ ſe ferebat. Nihilominus informia Veterum ſimulacra, ſi qua ad cultiorem ætatem conſervarentur, non ideo honore deſtituebantur, quod artificio carerent: ſed potius majore cultu decorata ſunt ob reverentiam antiquitatis, & novis quibuſcumq; facile præferebantur. Porphyrius teſtis eſt *de Abſtinent. lib.* II. *ſect.* XVIII. Ἀγάλματα ἀρχαῖα, καίπερ ἁπλῶς πεποιημένα, θεῖα νομίζεσθαι· τὰ δὲ καινὰ περιέργως εἰργασμένα, θαυμάζεσθαι μὲν, θείου δὲ δόξαν ἧττον ἔχειν. *Veteres ſtatuas, quamvis ſimplices, divinas cenſeri: novas autem artificio quidem admirationem excitare, ſed minorem Divinitatis venerationem habere.*

Materia, ex qua hujuſmodi ſtatuæ conficiebantur, communiter lignum erat apud priſcos Græcos, ut Plutarchus & Pauſanias nos docent; quorum poſterior refert ſe animadvertiſſe arbores ſequentes quamplurimum eo adhibitas fuiſſe, nimirum, ebenum, cupreſſus, cedrus, quercus, ſmilax, & lotus. His addit radicem oleæ Theophraſtus *lib. de Plant.* ex qua minores imagines utplurimum conſtitiſſe aſſerit. Obſervatum quoque eſt illis arboribus, quæ alicui Deo ſacratæ erant, eum maxime delectari, ideoque Jovis ſimulachrum ex quercu, Veneris ex myrto, Herculis ex populo, Minervæ ex olea, &c. conficiebatur. Quæ omnia vera magna ex parte videntur, ſed non tam univerſaliter, ut nunquam aliter ſe habere queant. Aliquando ſimulachra fiebant ex lapide, nec tantum vulgari, verum etiam pretioſo, interdum ex nigro, quo denotabatur Deorum inviſibilitas. Marmor atque ebur ſæpiſſime uſurpabantur, quandoque etiam argilla & creta; tandemque aurum, argentum, æs, cæteraque metalla adhibebantur. Cum ſimulachrorum figuræ ac antiqui habitus nitantur utplurimum fabulis Poetarumque figmentis, ad Mythologos Lectorem remittimus; nam in effingendis Deorum ſimulacris, Poetarum, præcipue Homeri, deſcriptiones imitari ſolenne fuit.

Locus ſimulachris deſtinatus erat in medio templi, ubi ſtylobatæ ſupra aram ſeſe extollenti ſtabant, cancelliſque circumdabantur, unde iſte locus appellabatur σηκός. Imagines autem fuiſſe ita collocatas teſtatur Virgilius, quando canit:

Tum foribus Divæ, media teſtudine templi.

Ubi per *fores Divæ* intelligi debet introitus τοῦ σηκοῦ Poetarum alter, de templo ædificando verba faciens, ait:

In medio mihi Cæſar erit. ——

Plura exempla afferri poſſent, ni hujuſmodi mos adeo notus eſſet, ut ulterioris confirmationis non indigeat.

Βωμὸς apud Græcos latius patet quam *altare* apud Latinos; nam iſtud proprie denotat illum locum, ad quem Superis litabant, altius a terra elevatum, ideoque dictum *altare* ab *altitudine*; βωμὸς vero non tantum ſignificat hujuſmodi ſublimem aram, ſed inferiores a Latinis dictas *aras*. Sunt tamen aliqui, qui βωμὸν, quaſi ſublimis eſſet, ἀπὸ τοῦ βαίνειν deducendum putant. Aræ illæ diſcrepabant pro Deorum, quibus dicatæ erant, diverſitate; nam Θεοὶ οὐράνιοι, ſive *Superi*, aras ab humo in ſummam altitudinem exſtructas habebant, ita ut Pauſanias *Eliacis á.* dicat aram Jovis Olympici fuiſſe fere viginti duos pedes altam; Porphyrius illas non diſtinguit ab aris Θεῶν χθονίων, ſive *Inferorum*; quamvis vero per eamdem vocem explicentur, tamen paris altitudinis non fuiſſe videntur; Vitruvius enim *lib.* IV. *c.* VIII. ſcribit aras Jovis omniumque Superorum valde excelſas, ſed Veſtæ, Telluris, ac Maris admodum depreſſas fuiſſe. Heroibus litabant ad aras terra paululum ſurgentes, a Græcis dictas ἐσχάρας, unoque tantum gradu altas, ſecundum Euripidis Scholiaſtem *in Phœniſſas*. Diis ſubterraneis aut inferis, nuncupatis ὑποχθονίοις, pro aris erant ſcrobiculi ſive foſſæ hunc in finem erutæ aut proſciſſæ, quas Græci vocant λάκκους & βόθρους. His addit quintum Porphyrius, aſſerens Mundum, Nymphas, & hujuſcemodi Numina ararum vice habuiſſe ἄντρα ſue *ſpeluncas*, ubi cultus religioſus ipſis perſolvebatur, διὰ τὰ ἐν ἄντροις κατα λειβόμενα ὕδατα, ὧν αἱ Ναΐαδες προεστήκασι Νύμφαι, *quia in antris deſtillant aquæ, quibus Najades Nymphæ præſident.*

Omnia altaria orientem verſus poſita erant, (inquit Vitruvius *lib.* IV. *c.* VIII.) ac in templis ſemper humiliora Deorum ſimulacris. Exſtruebantur fere ex terra congeſta, aliquando ex cineribus, cujuſmodi illud Jovis Olympii antea memoratum, quod (teſte Pauſania *Eliacis á.*) ex holocauſtorum cineribus compoſitum; & illud apud Thebas Apollini dicatum, quem inde Σπόδιον vocabant, uti ab eodem Auctore diſcimus. Denique, conſtabant alia quavis materia, velut e cornibus, quale erat illud Apollinis Delii: vel ex cocto latere, quale memorat Pauſanias *lib.* VI. ſed præcipue e lapidibus.

Altarium figuræ erant variæ. Pauſanias *Eliacis* meminit aræ ἐπιμήκους, *oblongæ*, Parcis dicatæ, in *Bœoticis* aræ quadratæ in Cithæronis vertice: aliæ denique aræ rotundæ fuere, uti ex nummis veteribus conſtat.

Altaria Deorum a vetuſtiſſimis ſæculis videntur cornibus inſtructa fuiſſe. Hinc Nonnus *Dionyſiac. lib.* XLIV. 96. tradit Agaven, ex præſcripto Cadmi

ſacrificium celebrantem, in excelſulſum montem adſcendiſſe, & ἀκεράῳ παρὰ βωμῷ, *pulcre cornuto in altari*, ovem obtuliſſe. Et *in aris, quas a Romanis habemus, in æreis argenteiſque nummis exſculptas, cornua ſemper animalium cornuum imaginem referunt*; ut notavit Sanctius *Comment in Reg.* Quinetiam *altaria lapidea, quæ paſſim conſpiciuntur inter parietinas urbis* (Romæ) *ruinas, religionis notam in cornibus oſtendere* docet Fortunatus Scacchus *Myrothec. lib.* II. *c.* 65. Denique ipſe Deus præcepit, ut altari ſuo cornua quatuor faceret *Exod.* XXVII. 2. Hæc autem cornua, etſi variis uſibus inſerviebant, veluti cum ad ea ligabantur victimæ, aut a ſupplicibus, qui ad altare confugiebant, prehendebantur; tamen haud poſſum dicere hos in fines primo erecta, cum potius e veteri more & opinione inſtituta fuiſſe videantur, qua cornua ſingularem quamdam potentiam & dignitatem ſignificabant. Quo factum, ut priſcorum hominum Dii, Heroes, fluviorum imagines, arbores etiam ſacræ, cornibus exornari conſueverint. Hinc Serapidis, Iſidis, Ammonis, Bacchi, aliorumque effigies in vetuſtioribus numiſmatis cornibus conſpicuæ ſunt. Quinetiam Regum Perſicorum, Alexandri etiam, & ſucceſſorum ejus, nummi capita eorum cornibus ornata exhibent: quippe quæ omnibus tum rebus, tum perſonis affigebantur, quibus aliquid divinum aut ſuſpiciendum ineſſe credebatur: adeo ut a vivis etiam geſtata tanquam honoris inſignia dicantur. Nam & Clemens in *Protreptico* tradit Alexandrum Magnum cornu, tanquam ortus divini indicium, frequenter uſum fuiſſe. Et Phœnicum Theologi de Aſtarte ſua, Regina priſca, produnt, eam tauri caput, tanquam βασιλείας παράσημον, *regiæ majeſtatis inſigne*, capiti ſuo impoſuiſſe, ut narrat Euſebius *Præparat. Evangel. lib.* I. *cap. ult.*

Altaribus inſcribi ſolebant Deorum nomina, quibus ſacra fuere, aut eorum inſignia, aliæve notæ, quibus dignoſci poſſet, cujus in honorem erecta fuerint. Hinc illa inſcriptio, quam S. Paulus Athenis in ara quadam vidiſſe ſe affirmat, quæ conſecrata fuerat ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ, ut in *Actis Apoſtolorum* docemur. Nonnunquam addebant cauſam, ob quam erecta fuiſſent: ſicut illi apud Romam, cui hæc inſcriptio erat:

C. JULIUS ANICETUS
SOLI DIVINO SUSCEPTO VOTO
ANIMO LUBENS D. D.

Βωμοὶ, ſive *altaria*, alii erant ἄπυροι, ſeu ἀναίμακτοι, alii ἔμπυροι. Poſteriores ſic dicti, quod ſacra in iis *igne* comburi ſolerent. Priores nullum *ignem*, aut *ſanguinem* patiebantur. Altaris ἀπύρου, quod juxta altare corneum in Delo ſtabat, meminit Laertius in *Pythagora*, traditque eum Philoſophum ibi veneratum fuiſſe, quia nefas eſſe ducebat, animalium ſanguinem effundere. Ἀμέλει καὶ βωμὸν προσκυνῆσαι μόνον ἐν Δήλῳ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Γενέτορος, ὅ ἐστιν ὄπισθεν τοῦ κερατίνου, διὰ τὸ πυροὺς, καὶ κριθὰς καὶ τὰ πόπανα μόνα τίθεσθαι ἐπ' αὐτοῦ ἄνευ πυρὸς, ἱερεῖον δὲ μηδὲν, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Δηλίων πολιτείᾳ. *Denique Deli ſolam Apollinis Genitoris aram veneratus eſſe fertur, quæ pone corneam eſt: quod in ea frumentum, & hordeum, & placentulæ ſolæ abſque igne, nulla autem victima apponeretur, quemadmodum ait Ariſtoteles in Deliorum republica.* Orpheus *de Lapidibus*:

Πρῶτα μὲν οὖν σπεύδοντας ἀναιμάκτων ἐπὶ βωμῶν.
Primum igitur properantes incruenta ad altaria.

Jovis Ὑπάτου altare exſtat apud Pauſaniam in *Arcadicis p.*456.457. *Edit. Hanov.* in quo nihil vita præditum immolabatur, idque Cecropis Athenarum Regis juſſu, ſed placentas quaſdam in Attica uſitatas, & πελάνους dictas offerebant. Denique Paphiæ Veneris ara, memoratur a Tacito haud procul ab initio *lib.* II. *Hiſtor.* ea quidem ἀναίμακτος, at non ἄπυρος: nam animalia illic offerre nefas, *ſolis precibus & igne puro adolebant.*

Antequam templa uſu venirent, altaria quandoque in nemoribus, interdum aliis in locis conſtituebantur; & Euſtathius *ad Iliad. β. p.* 171. *Edit. Baſil.* docet illa viis publicis in viatorum commoditatem ſæpius exſtitiſſe. Inferi in depreſſis locis altaria habebant, Superi in montium cacuminibus colebantur, unde quivis mons Jovi ſacer credebatur, ut diſcimus ex Melanthe *lib. de Sacrif.* & Sophoclis Schol. *in Trach.* Subinde, ob defectum templorum, ſub dio altaria ædificabant, ita ob penuriam altarium antiquitus humi & quandoque ſuper ceſpitibus gramineis ſacrificabant; quo aliqui referre videntur *vivum ceſpitem* Horatii *Carm. lib.* III. *od.* VIII. qui tamen aram e virenti gramine ſtructam ſignificat, uti ex ejus *Carm. lib.* I. *od.* XIX. manifeſtum eſt. Cæterum hæc ſacrificia, quæ ſine altaribus offerebantur, dicta ſunt θυσίαι ἀπόβωμοι, ut Heſychius, atque qui eum tranſcribit Phavorinus, nos docent *Voc.* Ἀπόβωμος.

Modus altarium ac ſimulachrorum conſecrandorum idem erat, ſicque deſcribitur ab Ariſtophanis Scholiaſte in *Pluto Act.* V. *Scen.* III. Mulier veſte verſicolore induta geſtabat ſuper capite ollam elixorum leguminum, qualia fabæ, piſa, aut ſimilia, quæ Diis grate offerebantur, in memoriam antiqui eorum cibi. Porro Ariſtophanis locus *Pluto Act.* V. *Scen.* III. ſic ſe habet:

—— ΚΑ. Τὰς χύτρας, αἷς τὸν Θεὸν
Ἱδρυσόμεθα, λαβοῦσ' ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, φέρε
Σεμνῶς· ἔχουσα δ' ἦλθες αὐτὴ ποικίλα.
—— KA. *Ollas iſtas, quibus Deum*
Collocabimus, accipe, capitis impone, ac defer
Decenter: ipſa autem ades cum veſtibus verſicoloribus.

Scholiaſtes: Ἔθος γὰρ ἦν ἐν τοῖς ἱδρύσεσι τῶν ἀγαλμάτων, ὀσπρίων ἑψημένων χύτρας περιπομπεύεσθαι ὑπὸ γυναικῶν ποικίλως ἠμφιεσμένων, καὶ τούτων ἀπήρχοντο χαριστήρια τοῖς Θεοῖς ἀπονέμοντες. Ἄλλως· ἐπειδὴ ὁπότε μέλλοιεν βωμοὺς ἀφιδρύειν, ἢ ἄγαλμα Θεῶν, ἕψοντες ὄσπρια ἀπήρχοντο, τούτων τοῖς ἀφιδρυμένοις δὴ χαριστήρια ἀπονέμοντες τῆς πρώτης διαίτης· ὅθεν καὶ ἐν ταῖς Δαναΐσι:

Μαρτύρομαι δὲ Ζηνὸς Ἑρκίου χύτρας,
Παρ' αἷς ὁ βωμὸς οὗτος ἱδρύθη ποτέ·
Πορφυροῖς δὲ καὶ ποικίλοις ἱματίοις
Ἐπόμπευον. ——

Sed iſte mos potiſſimum ſervabatur in dicandis Ἑρμαῖς, ſeu *Mercurii ſimulachris*, & quidem ſolummodo a proletariis, prout Comicus innuit in *Pace pag.* 660. *Edit. Amſtelod.*

ΧΟ. Ἄγε δή τι νῷν ἐντευθενὶ ποιητέον;
ΤΡ. Τί δ' ἄλλο γ', ἢ ταύτην χύτραις ἱδρυτέον;
ΧΟ. Χύτραισιν, ὥσπερ μεμφόμενον Ἑρμίδιον;
ΤΡ. Τί δαὶ δοκεῖ; βούλεσθε λαρινῷ βοΐ;

CH. *Age jam quid nobis deinde faciendum?*
TR. *Quid autem aliud, quam illam ollis locare decet?*
CH. *Olliſne, tanquam contemnendas parvas ſtatuas Mercurii?*
TR. *Quid tum videtur? vultiſne ſaginato juvenco?*

Ubi Scholiastes observat, quod aliquando in eorum consecrationibus majores fiebant sumptus, quippe quæ peragerentur oblationibus ac ceremoniis amplioribus. Res ita se habet: Prisci pro simplici ac frugali ratione vivendi exiguos sumtus impendebant, adeo ut Jovem summosque Deos iis ceremoniis erigerent, quæ postea vix vilissimis statuis sufficiebant, quando a tenuissimæ fortunæ hominibus consecrabantur: nam quod Jovis simulacra modo jam descripto consecrari consueverint, ex versibus illis, quos laudavit e *Danaidum* Fabula paulo ante citatus Scholiastes, abunde constare videtur. Hæc autem, ut & alia ad Deorum cultum spectantia, diversa erant pro cultorum conditione Numinumque indole; en tibi exemplum. Athenæus *Deipnosoph. lib.* IX. scribit Jovis Ctesiæ simulachrum dicatum fuisse hoc modo: Sumebant vas novum duabus ansis, quibus singulis corollam ex lana alba, & aliam ex flava parti illius anteriori alligabant, vasque cooperiebant; deinde ante simulacrum effundebant libamen dictum *ambrosiam*, quæ erat mixtura aquæ, mellis, ac omnigenorum fructuum. Verum dedicatio plerumque perficiebatur hujusmodi coronam imponendo, oleo inungendo, preces fundendo, ac sacrificia faciendo, interdum diris devovendo omnes, qui illa polluere, iisque inscribere Numinis nomen ac eorum consecrationis rationem audebant. Ad instar Spartanæ virgines apud Theocritum *Idyll.* XVIII. *v.* 43. in Helenæ honorem arborem sacrare spondent; arbores enim aut plantas eodem modo, quo altaria & simulachra, dicare moris erat:

> Πρᾶται τοι στέφανον λωτῶ χαμαὶ αὐξομένοιο
> Πλέξασαι, σκιερὰν καταθήσομεν ἐς πλατάνιστον·
> Πρᾶται δ' ἀργυρέας ἐξ ὄλπιδος ὑγρὸν ἄλειφαρ
> Λαζόμεναι, σταξεῦμες ὑπὸ σκιερὰν πλατάνιστον.
> Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται (ὡς παριών τις
> Ἀγνοίη) Δωριστὶ, Σέβου μ'· Ἑλένας φυτὸν εἰμί.
> *Primæ tibi coronam ex loto humi nascente*
> *Nectentes, in umbrosa suspendemus platano:*
> *Primæq; argentea ex pyxide liquidum unguentum*
> *Accipientes, stillabimus sub umbrosam platanum.*
> *Litteræ vero in cortice scribentur (ut quis præteriens*
> *Legat) Dorice, Venerare me: Helenæ arbor sum.*

Similiter Ovidius *Metamorph. lib.* VIII. canit ea vittis exornanda esse:

> *Stabat in his ingens annoso robore quercus,*
> *Una nemus; vittæ mediam, memoresque tabellæ,*
> *Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.*

Cæterum mos offerendi victimas, & se conviviis exhilarandi, cum Diis simulacra aut templa consecrabant, ab antiquissimis sæculis manavit. Nam & cum vitulum Aaronis dicabant, universus Judæorum populus *adoleverunt holocautomata, & salutares victimas admoverunt: dein sederunt ad convivandum, & ad ludendum surrexerunt. Exod.* XXXII. Tabernaculum & Altare Mosis oblatione ab omnibus principibus facta dicantur *Num.* VII. Et Templum Solomonis sacrificiis, precibus, & conviviis consecratum fuisse, tradit *Historiæ Sacræ* Auctor. Neque aliter Ægyptii suum Apidem divinis honoribus destinabant, ut nos docuit Suidas: Ἑορτὴν (inquit) μεγάλην ἦγον, καὶ ἱερεῖς τινες περὶ τὸν τεχθέντα βοῦν ἱερῶντο, παρατιθέντες πανδαισίαν, ὡς εὐωχοῦντες αὐτοῖς. *Festum magnum celebrabant, & sacerdotes quidam circa bovem illum natum sacra faciebant, omne genus epularum apponentes, tanquam iis* (Apidibus) *convivantes.*

Sed ipsa consecrandi actio potissimum in unctione consistebat, nam oleo res ad divinos usus separari credebantur. Unde Ethnici, ut eis exprobrat Clemens Alexandrinus *Strom. lib.* VII. *pag.* 713. πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον λιπαρὸν, προσκυνοῦντες, *omnem lapidem, ut dici solet, pinguem adorabant.* Et Arnobius *lib.* I. *contra Gentes: Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar.* Hinc Moses, *cum absolvisset erigere Tabernaculum, id unxit, consecravit, & omnia ejus supellectilia: Altare etiam, omniaque ejus vasa unxit & consecravit Numer.* VII. I. quod expresso Dei mandato factum fuisse constat ab *Exod.* XL. 9. 10. ubi Sacerdotes etiam ungendo consecrari jubentur, qui mos in Regibus inaugurandis perpetuus erat. Unde non modo res inanimas, verum etiam personas hoc ritu Deo dicatas fuisse certissimum est. Quem morem a vetustissima antiquitate traditum fuisse ostendit Jacobi Patriarchæ exemplum, qui post visum in somno Deum, *cepit lapidem, quem sibi cervical posuerat, eumque erectum statuit, & oleum fastigio affudit Genes.* XXVIII. 18. Et iterum: *Ibidem lapidem erexit Jacobus, ubi secum locutus erat Deus, & super eam libamen oleumque fudit Genes.* XXXV. 14. Existimant nonnulli, ut scribit Joannes Clericus, imitatos hac in re Phœnicas Jacobum, unde & ad alias gentes pervenit hæc consuetudo. Sed credibilius est, Jacobum morem antea usitatum secutum fuisse. Moses enim hanc rem non ita narrat, quasi eam instituerit Jacobus; sed uti veteris moris observationem describere potuisset. Similem ritum inter Christianos describit Theodoretus *Quæst.* LXXXIV. Οἷς εἶχε τὸν μεγαλόδωρον ἠμείψατο κύριον· ἐρείσας γὰρ τὸν λίθον, ὃν ὑπέθηκε κεφαλῇ, κατέχεεν αὐτοῦ ἔλαιον. τοῦτο δὲ καὶ νῦν ἐστιν εὑρεῖν παρὰ πολλῶν γυναικῶν τῶν τῷ Κυρίῳ πεπιστευκότων γινόμενον· εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς θείοις σηκοῖς ἐλαίῳ καταχέειν τὰς τῶν ἀνακτόρων κιγκλίδας, καὶ τῶν ἁγίων μαρτύρων τὰς θήκας. *Iis quæ habuit munificum Dominum vicissim donavit; erectum enim lapidem, quem capiti subjecerat, oleo perfudit. Hoc videmus adhuc fieri a multis mulieribus, quæ Domino crediderunt: solent enim in divinis septis oleo perfundere adytorum cancellos, & sanctorum Martyrum thecas.* Atque aliis usibus applicari solebat oleum a primævæ religionis antistitibus, quos describere tametsi forte non inutile aut candido Lectori ingratum, tamen instituto operi minus congruum esset.

De singulis arboribus, quas Diis consecrabant, paulo ante dictum; nunc aliquid de lucis dicendum restat: nam apud Poetas cæterosque rerum priscarum descriptores nullius rei frequentius quam lucorum occurrit mentio, in quibus ut plurimum aræ, aut sacella Deorum visebantur: atque adeo perpetuus fuisse dicitur hic mos, ut ἄλσεος nomen, quod proprie *lucum* significat, omnibus sacrariis tribuatur: sic enim nos docuit Strabo *Geogr. lib.* IX. *Poetæ*, inquit, *propter consitarum arborum juxta templa perpetuam consuetudinem,* ἄλση καλοῦσι τὰ ἱερὰ πάντα, *omnia loca sacra lucos appellant, etiamsi careant arboribus.* Et quando lucum habere non poterant, sub arbore lata altare erigebant, ut ramis undique pendentibus contegeretur: quo modo Virgilius Hercei Jovis aram in ædibus Priami descripsit *Æneid. lib.* II. *vers.* 512.

> *Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe*
> *Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus*
> *Incumbens aræ, atque umbra complexa Penates.*

Hinc inter cætera Judæorum instituta, quibus a Gentium idolis deditarum imitatione prohibebantur, illud erat, *ne plantarent lucum, aut ullam arbo-*

arborem ad altare Dei Deuteron. XVI. 21. Item: *Funditus perdetis omnes locos, quibus Gentes, quas possidetis, servierint Diis suis, super montes excelsos, & super colles, & sub omni arbore viridi Deuteron.* XII. 2.

Cadmus morem consecrandi lucos secum in Græciam ex Oriente transtulisse dicitur: & Heinsius conjicit, eum nomen imposuisse *Ascræ* Bœotiæ vicc, in quo natus Hesiodus, a luco querno ibi consecrato; nam lucus in S. Scripturis אשרה vocatur; & Ἀσκρα ab Hesychio exp. δρῦς ἄκαρπος. Et sane lucorum religio apud omnes fere gentes, tam Orientis quam Europæ, invaluisse videtur, idque ob has præcipue causas, ut existimant rerum veterum studiosi.

1. Lucorum amœnitas ad alliciendos vulgi animos imprimis idonea erat, præcipue in calidioribus regionibus, ubi arbores altæ, densæ, virentesque suavissimam umbram præbent: nam luci sacri non tam ex arboribus frugiferis, quam e proceris & pulcris consiti erant. Hinc Herodotus Dianæ templum describit in *Euterpe c.* CXXXVIII. Ἐστι δ' ἔσωθεν ἄλσος δενδρέων μεγίστων πεφυτευμένων περὶ νηὸν μέγαν, ἐν τῷ δὲ τὤγαλμα ἔνι. *Interius est delubrum ingens, procerissimarum arborum manu consitarum luco ambiente, in quo delubro statua est.* Paulo post, tradit viam, quæ ad Mercurii ducit, utrinque consita habere δένδρεα ὐρανομήκεα *arbores ad cœlum pertingentes.* Adhuc clarius est Cyrilli testimonium *Homil.* IV. *in Jerem.* Ἄλλο τὸ ἀλσῶδες ξύλον, ἄλλο τὸ καρποφόρον· εἰς ἄλση ὅταν φυτεύωσι ξύλα, φυτεύουσι οὐ τὰ καρποφόρα, οὐ συκῆν, οὐδ' ἄμπελον, ἀλλὰ μόνον τέρψεως χάριν τὰ ἄκαρπα ξύλα. *Aliud lignum lucis idoneum, aliud frugiferum: luci enim consiti non sunt arboribus frugiferis, quales sunt ficus, aut vitis, sed potius infrugiferis, quæ delectationem pariunt.* Quibus fidem faciunt Poeticæ lucorum descriptiones.

2. Lucorum solitudo vulgi in animis opinionem pariebat Deos illic habitare, & religiosum quemdam horrorem intrantibus incussit. Ovidius *Fast. lib.* III.

Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra,
Quo possis viso dicere Numen inest.

Seneca *lib.* V. *epist.* IV. *Si tibi occurrit vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis, frequens lucus, illa proceritas silvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ fidem Numinis facit.* Addam alterum testimonium e Plinii *Nat. Hist. lib.* XII. *cap.* I. ubi de silvis loquitur: *Hæc fuere Numinum templa, priscoque ritu simplicia rura, etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos, & in iis silentia ipsa adoramus.*

3. Lucorum usum tam late invaluisse sentiunt aliqui, quod primi homines in lucis dumisque habitarint. Nam observatu dignum est, plerasque veteres Deorum cæremonias ex usu quotidiano istorum sæculorum petitas fuisse: sicuti hominibus mensas, ita Diis altaria erigebant. Sacrificia Deorum dapes habebantur, & quæ humano victui inserviebant, in Deorum quoque sacris adhibita fuisse legimus, quod in sequentibus manifestum fiet. Atque hæc erat Cluverii sententia, quam his verbis explicat, ubi *de Germanorum Moribus* agit: *Lucorum consecratio ex vetustissimo more, atque adeo ab ipso Adamo profluxit. De Fennis, Germaniæ gente, Tacitus in libro de Germania*: Non aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. *Eodem vel simili ritu primum mortalium Adamum cum uxo-*

A *re & liberis habitasse haud dubium est: quum itaque sacrificia iisdem in locis Deo faceret, in quibus ipse habitabat, id est, in luco, seu nemore; posteri quoque ejus eumdem morem ad multa sæcula observarunt, non modo Celtæ nostri, sed omnes pariter gentes.* Medus etiam noster *Dissert. de Sanctit. Relat.* de lucis & quercetis agens, eorum religionem e Paradiso deducit, uti jampridem observavit Joannes Spencerus libro *de Legibus Hebræorum*, ubi plura in hoc argumentum congessit e diversis Auctoribus: porro Medi verba hæc sunt: *Hujusmodi loca Patriarchæ sacris obligasse putandi sunt, non tantum necessitate vitæ rusticæ & pastoritiæ, sed*
B *etiam ex ritu & more prisco: quale enim in principio Deus fecit hominibus habitaculum, talia & illi fecerunt Deo: hominem in Paradiso collocavit Deus, homines Deo plantarum sacras Paradisos, id est, lucos. Hæc nimirum vera lucorum origo, in quibus principio Patriarchæ Deum verum, postea multæ gentes multos quoque Deos, sunt venerati.*

Postea exolevit paulatim hæc consuetudo, cum frequentes habitari urbes, & populus splendidis ædificiis, urbanaque magnificentia potius, quam rustico cultu, delectari cœperunt: honor tamen lucis suus constabat, si qua manerent tam vene-
C randæ antiquitatis monumenta, & ex iis arbores cædere piaculum habebatur. Hinc Lucanus *lib.* III. respiciens forte ad Lycurgi fabulam, qui cum sacras Bacchi vites exscindere tentaret, propria crura abscidit, de Cæsaris servis sic loquitur:

Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Majestate loci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra secures.

Nam lucum sacrum exscindere summum nefas semper habebatur, uti constat ex Erisicthonis supplicio, quod ei inflixit Ceres, cum lucum ejus
D cædere parabat, qua de re prolixa est narratio apud Callimachum *Hymno in Cererem.*

Hujusmodi templa, simulachra, altaria, luci, arboresque tam sacra habebantur, ut ad complura illorum fontes tuto confugere possent; itaque, si aliquis reus ad ea perfugisset, indeque vi raperetur, sacrilegium censebatur, ejusque cædem iis, qui illud tentassent, imputatam iri existimabant, ita ut qui trucidarunt insequentes Cylonem, qui Minervæ templum diripuerat, quia illos, dum altaribus adstabant, neci dederunt, ab usque illo tempore vocati sunt ἀλιτήριοι, *profani ac impii nebulones.* Vid. Plutarchus *Solone*, & Pausanias *At-*
E *ticis* & *Archaicis*. Et cum *Laodamia*, quæ *in aram Dianæ confugisset, concursu populi interfecta* erat, *id facinus Dii immortales assiduis cladibus gentis, & prope interitu totius populi Ætolorum vindicaverunt: nam sterilitatem famemque passi, & intestina discordia vexati, externis ad postremum bellis pene consumpti sunt. Miloque Laodamiæ percussor in furorem versus, nunc ferro, nunc saxo, in summa, dentibus laceratis visceribus, duodecimo die interiit:* ut tradit Justinus *Hist. lib.* XXVIII. *cap.* III. Hinc, ut queritur Tacitus *Annal. lib.* III. *cap.* LX. *Græcas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi: complebantur templa pessimis servitiorum:*
F *eodem subsidio obærati adversus creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur: nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi flagitia hominum, ut cæremonias Deum, protegentis.* Et quod vetus fuerit hæc querela, docet nos apud Euripidem Ion cognominis *Fabulæ vers.* 1312. *Act.* IV. fine:

ΙΩΝ. Φεῦ. Δεινόν γε, θνητοῖς τὸς νόμους ὡς οὐ καλῶς
Ἔθηκεν ὁ Θεός, οὐδ' ἀπὸ γνώμης σοφῆς·
Τοὺς μὲν γὰρ ἀδίκους βωμὸν οὐχ ἵζειν ἐχρῆν,

Ἀλλ' ἐξελαύνειν· οὐδὲ γὰρ ψαύειν καλὸν
Θεῶν πονηρὰν χεῖρα. τοῖσι δ' ἐνδίκοις
Ἱερὰ καθίζειν, ὅστις ἠδικεῖτ', ἐχρῆν·
Καὶ μὴ 'πὶ ταὐτὸ τοῦτ' ἰόντ' ἔχειν ἴσον,
Τόν τ' ἐσθλὸν ὄντα, τόν τε μὴ, Θεῶν πάρα.

ION. *Proh! Mirum certe* eſt, *quod hominibus non recte leges*
Poſuerit Deus, neque ſapienti conſilio:
Impios enim ad *aram ſedere non conveniebat,*
Sed depelli inde: *neque enim honeſtum* eſt *attrectari*
Deos manu impia: ſed probos
Ad ſacra loca ſedere oportebat, quicumque injuria afficerentur:
Non autem in eumdem hunc locum *venientes par* beneficium *impetrare*
A Diis, & bonum, & improbum virum.

Quanto ſapientius apud Hebræos jus aſyli conſtitutum, apud quos hoc tantum præſtitit homicidæ, ne indicta cauſa periret, ut ex Moſaicis Libris diſcimus? Et quidem inter Græcos Lacedæmonii aſylorum privilegium ingenioſe eluſerunt, cum Pauſaniam, qui poſt inita cum Perſis adverſus patriam conſilia ad Minervam Χαλκίοικον confugerat, fame necabant. Sed quam inſolens fuerit iſtiuſmodi ultio, declarat in *Laconicis pag.* 194. *Edit. Hanov.* Pauſanias, cum tradit μόνον αὐτὸν ἱκετευσάντων τὴν Χαλκίοικον ἁμαρτεῖν ἀδείας, *ſolum eum ex omnibus, qui ad* Minervam *Chalciœcam ſupplices confugiſſent, pœnas non evaſiſſe*. Tamen dicitur etiam moris fuiſſe, ut gravium criminum convictos fame occiderent; atque in eum finem templi fores obſtruere, & interdum tectum ipſum demoliri, quo citius aeris injuria miſeri interirent. Aliquando ignem admovebant aris. Hinc in Euripidis *Andromacha verſ.* 256. Hermione ignem minatur Andromachæ juxta Thetidis ſignum ſedentis:

ΕΡΜ. Πῦρ σοι προσοίσω, κοὐ τὸ σὸν προσκέψομαι.
HERM. *Ignem tibi admovebo, nec tui rationem habebo.*

Ubi Scholiaſtes: Ἔθος ἦν τοῖς εἰς βωμὸν καταφεύγουσι πῦρ προσφέρειν. Atque in *Hercule Furente verſ.* 240. Lycus conſanguineos Herculis ab aris igne terrere minatur:

Ἄγ', οἱ μὲν Ἑλικῶν', οἱ δὲ Παρνασοῦ πτύχας
Τέμνειν ἄνωχθ' ἐλθόντας ὑλουργοὺς δρυὸς
Κορμούς· ἐπειδὰν εἰσκομισθῶσιν πόλει,
Βωμὸν πέριξ νήσαντες ἀμφήρη ξύλα,
Ἐμπίμπρατ' αὐτῶν, καὶ πυροῦτε σώματα.

Agite, alii quidem in *Heliconem, alii vero* in *Parnaſſi valles*
Lignatores profectos jubete ſecare quercuum
Truncos: poſtquam vero in urbem importati fuerint,
Circum aram cumulantes utrinque conſtructa ligna,
Incendite, & cremate corpora ipſorum.

Quem locum imitatus Seneca, ut Lyci crudelitatem & iram ſupra modum augeret, jubet totum templum incendio abſumere, cum revera igne tantum ſupplices terrebant: verba ejus ſic ſe habent in *Herc. Fur. verſ.* 506.

Congerite ſylvas: templa ſupplicibus ſuis
Injecta flagrent: conjugem & totum gregem
Conſumat unus igne ſubjecto rogus.

In *Moſtellaria Act.* V. *Scen.* I. Plauti Theuropides ignem minatur, cum Tranio ſervus ad Deos confugiſſet:

Jam jubebo ignem & ſarmenta, carnifex, circumdari.

Ejuſdem in *Rudente Act.* III. *Scen.* IV. Labrax leno ancillas ſuas, quæ ad Veneris aram ſe receperant flammis abſterriturum dicit:

—LAB. *Volcanum adducam, is Veneris eſt adverſarius.*

Ratio hujus conſuetudinis hæc fuiſſe videtur, ut non ab hominum manu per vim & injuriam amoveri ab aſylo viderentur, qui in id perfugerant: ſed incendii metu inde fugere cogerentur: proinde quaſi non ab hominibus id oblatum, ſed velut fortuito, vel potius Diis procurantibus, & ſupplicum tutelam recuſantibus, natum foret. Itaque raro utebantur hoc commento, idque vix ſine impietatis & ſacrilegii imputatione: quod ſi hominum conſenſu receptum & probatum ſemel fuiſſet, aſylorum omnium religionem penitus ſuſtuliſſet. Unde Andromache Hermoniæ ignem minitanti reſpondet apud Euripidem in *Androm. verſ.* 257.

ΑΝΔ. Σὺ δ' οὖν κάταιθε· Θεοὶ γὰρ εἴσονται τάδε.
Accende igitur tu: Dii enim hæc videbunt.

Ex tam frequenti mentione ſupplicum ubique ad Deos confugientium videri poſſit omnes aras, & templa jus aſyli habuiſſe, ſecundum Euripideum illud in *Suppl. verſ.* 267.

—— Ἔχει γὰρ καταφυγὴν, θὴρ μὲν πέτραν,
Δοῦλοι δὲ βωμοὺς Θεῶν. ——

Habet enim confugium, fera quidem petram,
Servi vero altaria Deorum. ——

Sed certum eſt, (ut Servii verbis utar *in Æneid.* II.) *non fuiſſe aſylum in omnibus templis, niſi quibus conſecrationis lege conceſſum eſt*. Unde Diodorus Siculus, agens de æde, quam Athenienſes Theſeo dicarunt, καὶ τέμενος ἄσυλον (inquit) ἐποίησαν ἐν Ἀθήναις τὸ προσαγορευόμενον ἀπ' αὐτοῦ Θησεῖον, *&* *templo Athenis ab ejus nomine appellato aſyli privilegium tribuerunt*. Neque enim, ſi omnia templa eo jure gauderent, ulla fuiſſet iſtius rei ſpecialis mentio. Nonnulla eorum erant publica aſyla, omnibuſque patebant; alia peculiaria certis quibuſdam hominibus aut flagitiis; ſic Dianæ Epheſinæ templum erat aſylum debitoribus ære alieno oppreſſis; tumulo aut templo Theſei perfugio uti poterant ſervi cæterique abjectæ conditionis homines, qui ſeveram ac iniquam tractationem dominorum atque potentiorum effugere vellent; propterea quod Theſeus ad incitas redactos juvaſſet ac tutatus fuiſſet, nec unquam miſeros ſupplices a ſe repuliſſet, qui ad ſe veniebant opem imploraturi, quemadmodum Plutarchus in *ejus Vita* narrat. Hujuſmodi honos non ſolum Diis, ſed etiam ſimulachris aut ſepulchris Principum aliorumque illuſtrium virorum tribuebatur, juxta Strabonem *lib.* III. Sic Achillis ſepulchrum in Sigæo littore poſterioribus ſæculis aſylum conſtitutum eſt, Ajaxque eumdem honorem hujus tumulo ad littus Rhœteum exhibuit. Porro metus & reverentia aſylorum a ſæculis heroicis invaluit. Nam Phemius ad aram Jovis confugere parat, quo ſibi parceret Ulyſſes *Odyſſ.* χʹ. Et apud Euripidis *Hecubam verſ.* 146. cum Polyxena mactanda erat, ait aliquis:

Ἀλλ' ἴθι πρὸς ναοὺς, ἴθι πρὸς βωμούς.
Ἵζ' Ἀγαμέμνονος ἱκέτις γονάτων.
Sed abi ad templa, abi ad altaria.
Accede ſupplex ante Agamemnonis genua.

Priamus ad Jovis Hercei aram ſe recepit poſt ca-

A ptum Ilium, ut docet Pausanias in *Corinthiacis*: Virgilius Hecubam & liberos ipsi comites adjungit *Æneid. lib.* II. *vers.* 512.

Primum asylum (ut nonnulli dicunt) Athenis ab Heraclidis exstructum fuit, quo liberi a parentibus vexati perfugere poterant; quod tamen cujuscumque generis supplicibus confugium fuisse ab aliis dicitur. Vid. Statius *Theb. lib.* XII. ejusque vetus Interpres, & Servius *ad Æneid.* VIII. Alii verisimilius asserunt prius asylum erectum fuisse quando Thebæ a Cadmo ædificarentur, ubi perfugii privilegium quibuslibet reis concessum, atque ad illius instar asylum Romæ a Romulo apertum fuit, teste Alex. ab Alex. *Genial. Dier. lib.* III. *cap.* XX. Vid. Pausanias *lib.* VII. & Epigram. Græc. *Antholog. lib.* IV. Probabile est asylorum privilegia cum cætera religione ex Oriente in Græciam devenisse, sed quo tempore id contigerit, haud ita facile dictu est. Loca illa inviolata ac integra manserunt usque ad imperium Tiberii Cæsaris, qui, ratione habita multorum incommodorum, quæ necessario accidebant ex eo quod tot nebulones tolerarentur, utpote qui in his asylis semper exciperentur, omnia delevit, servatis tantum Junoni Samiæ ac uni templorum Æsculapii antiquis privilegiis. Sueton. in *Tiberio c.* XXXVII. tradit eum *abolevisse jus moremque asylorum, quæ usquam erant*. Verum hæc res accuratius a Tacito narratur *Annal. lib.* III. *cap.* LX. & tribus sequentibus, unde discimus haud penitus abolita tunc asylorum privilegia, sed modum iis præscriptum duntaxat fuisse.

Antequam huic capiti finis imponatur, de sacris agris pauca dicenda restant: solebant enim certas agrorum portiones Diis assignare: ea, *τεμένη* dicta sunt. Homeri Interpres *Iliad. β'. vers.* 696. Τέμενος· ἱερὸν χωρίον, ἀφωρισμένον Θεῷ κατὰ τιμὴν, ἢ ἥρωϊ. Hujus generis loca sæpe occurrunt, tum apud Homerum, tum apud Pausaniam in Descriptione Græciæ, aliosque Auctores. Aliquando fructus inde colligi sacrosque in usus asservari solebant, ut notat Plato *lib.* VI. *de Legibus*. Nimirum, (ut sæpius annotatum est) Deos eodem, quo homines, modo colebant: templa erant eorum domus; sacrificia pro conviviis, luci & amœnæ arbores voluptatis causa consita sunt, denique & ager illis assignatus, ut inde fructus necessarii suppeditarentur. Idemque Regibus, & aliis præclaris viris, deque societate publica bene meritis fieri solebat. Hesychius: Τέμενος, πᾶς ὁ μεμερισμένος τόπος τινὶ εἰς τιμὴν, ἢ ἱερὸν καὶ βωμὸς, ἢ ἀπονεμηθὲν Θεῷ, ἢ Βασιλεῖ. Testis de Latino Rege Virgilius *Æneid. lib.* IX. *vers.* 274.

Insuper id campi quod Rex habet ipse Latinus.

Sic agrum deinde habuit Tarquinius Superbus Romæ in Campo Martio. Apud Homerum Sarpedon Lyciorum Rex alterum ejusdem populi Regem alloquitur *Iliad. μ'. vers.* 313.

Καὶ τέμενος νεμόμεσθα μέγα Ξάνθοιο παρ' ὄχθας,
Καλὸν φυταλιῆς καὶ ἀρούρης πυροφόροιο.

Et agrum possidemus amplum juxta Xanthi littora,
Pulcrum, tum arboribus plantandis, tum segeti ferendæ aptum.

Lycii quoque Bellerophonti *τέμενος* assignant *Iliad. ζ. vers.* 194. idque Ætoli Meleagro promittunt *Iliad. ι. vers.* 574.

CAP. III.

De Græcorum Sacerdotibus, eorumque Officiis.

APud universas gentes mos obtinuit, ut singulari veneratione, & observatione Sacerdotes prosequerentur, vel ex Deorum reverentia, quorum ministri erant, vel (ut Plutarchus in *Ethicis* refert) quia non solum pro seipsis, familiis, amicisque, sed pro Republica, imo pro toto genere humano, Diis preces fundebant. Nec tantum vota & sacra Diis facere pro aliis hominibus, sed & eos quid precarentur instituere, ipsorum munus
B erat; quid a Diis petere maxime liceret, quæ sacrificia, quæ vota, quæ dona iis præcipue grata, & (ut uno verbo dicam) omnes ceremonias, quæ in Deorum cultu peragebantur, alios edocere tenebantur, prout tradit Plato in *Dialogo de Regno*. Præterea futura prædicere, Deorumque oracula interpretari, ad Sacerdotes pertinebat; ut autem Deorum voluntatem hominibus revelabant, ita vice versa hominum pietatis ac religionis officia Diis offerebant, quia illorum nomine sacra faciebant, etsi veteres Græci sæpius sacrificia ipsimet Diis offerrent, omnesque ritus sacros, qui recen-
C tioribus sæculis a solis Sacerdotibus perfici fas erat, peragerent. Ex. gr. Eumæus apud Homerum dicitur sacra fecisse, quod a Principibus & Heroibus itidem factum, a quovis inter cæteros honoratissimo illa sacra provincia semper suscepta, undique liquet: illis enim temporibus hoc sacrum munus in tanta existimatione & dignitate habebatur, ut Sacerdotes eumdem vestitum ac Reges gestare, Diisque proximo loco assidere solerent; tantam reverentiam iis, qui res divinas tractabant, debitam existimabant Gentiles. Imo ipsi Reges sacerdotio initiari non dedignabantur; duo exempla tantum afferam, unum Anii, qui Deli Rex Apol-
D linisque Sacerdos dicitur a Virgilio *Æneid. lib.* III. *vers.* 80.

Rex Anius, Rex itidem hominum, Phœbique Sacerdos.

Alterum a Lacedæmone petam, cujus Reges cum supremam majestatem induerent, Jovis Cœlestis & Spartani sacris initiari soliti erant, quod a sua dignitate minime alienum, sed potius illustre privilegium ac regiæ majestatis decus ab iis habebatur, prout discimus ex Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* III.
E *cap.* VII. Supervacaneum duco pluribus verbis dicere apud Athenienses atque in cæteris Græciæ urbibus religionis curam & administrationem principibus magistratibus commissam fuisse. Et profecto sæculis antiquioribus sacra peragendi munus legibus solutum fuisse videtur: ut sacrificia, preces, & quæ reliquæ sunt sacerdotii partes obire cuivis e privatis fas esset. Nec hoc inter profanas solummodo nationes, sed etiam inter Dei veri cultores obtinuisse verisimile est; cum Abel & Cain, filii Adami, ipso adhuc superstite munera sua Domino obtulisse dicantur *Genes.* IV. 3. 4. Jacobus olei libamen in lapidem fundens partes egit Sacerdotis
F *Genes.* XXVIII. 18. & domestica sacrificia ordinarie a patribus familiarum offerebantur: omnes enim familiarum rectores, Noachus, Abrahamus, Jobus, aliique sacrificandi munus obiisse perhibentur. Quem morem probabile est durasse ad tempora Mosaicæ Legis, qua Judæi expresse vetantur, victimas privatas extra locum sacri conventus offerre *Levit. cap.* XVII. at antequam ea Lex lata erat, Moses altari extructo misisse fertur *juvenes e filii Israel, qui holocausta offerrent, salutaresque hostias vitulo Jehovæ mactarent*

A *Exod.* XXIV. 5. Is nempe mos fuit, ut homines juventute florentes, ut qui corporis forma & robore præcellerent, ad sacra peragenda eligerentur, quod in Jasonis sacrificio religiose observatum fuisse notat Apollonius Rhodius *Argon. lib.* I. *vers.* 406.

Τείως δ' αὖτ' ἀγέληθεν ἐπιπροέηκαν ἄγοντες
Βουκόλοι Αἰσονίδαο δύω βόε. τοὺς δ' ἐρύσαντο
Κουρότεροι ἑτάρων βωμοῦ σχεδόν. οἱ δ' ἄρ' ἔπειτα
Χέρνιβά τ' οὐλοχύτας τε παρέσχεον. —

Tum interim præstabant in medios actum de armento
B *Par boum armentarii Jasonis: quos duxerunt*
Ad aram juniores sociorum: alii dein
Aquam ad manus expromserunt & frugem fusilem. ——

Ubi Scholiastes vetustissimus hæc verba habet: Κουρότεροι· ἐπεὶ ἴσως νέος ὁ Θεός, καὶ οἱ τῶν ἑταίρων νεώτεροι τὴν θυσίαν ἐπιτελοῦσιν. Καὶ Ὅμηρος ἐπὶ τῆς τῶν νέων θυσίας, Κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο. Credit nempe Diis ministrasse juvenes, quod illi perpetua juventute floreant: qua de re plura dicenda erunt in IV. *hujus Archæologiæ libro*, ubi *de Conviviis* agemus. Ut ad Apollonium redeam, id
C forte non erit notatu indignum, quod postquam juvenes laboriosum sacrificandi opus peregissent. Jason ipse preces fundit:

—— αὐτὰρ Ἰήσων
Εὔχετο κεκλόμενος πατρώϊον Ἀπόλλωνα.

—— *at Jason*
Proavitum invocabat cum prece Apollinem.

Nempe solebant (ut paulo ante observatum) cœtus primores viri divino cultui præesse. Quidquid autem hoc de loco fiat, id certum videtur, viros principes Diis ministrasse: unde & iis in locis,
D quibus certos Sacerdotes habebant, ii videntur ubique principibus secundi, cæteris autem omnibus honoratiores fuisse. Unde & regali vestitu ornabantur, quod de Sacerdote Judæorum manifestum: apud eos etiam ἡ τῆς ἱερωσύνης μετουσία τεκμήριόν ἐστι γένους λαμπρότητος, *jus habere sacerdotii argumentum est nobilitatis*, tradente Josepho initio *Vitæ suæ*. Atque alterum dignitatis sacerdotalis apud veterrimos homines argumentum est, quod *Princeps* & *Sacerdos* eadem voce notentur: unde Potipherum Josephi, & Jethro Mosis socerum, Interpretum alii *Sacerdotes*, alii *Principes*, alii de-
E mum *Principes* & *Sacerdotes* fuisse conjiciunt.

Sacerdotes ministeria sua adibant jure hæreditario, quod apud Ægyptios perpetuum fuisse tradit Herodotus in *Euterpe*: idem apud Judæos, aliasque gentes factum. Alii forte, vel magistratus designatione, vel denique (quæ vetus etiam consuetudo erat) populari electione constituebantur: quos ineundi sacerdotium modos memorat Eustathius, ubi scribit Theano Minervæ Sacerdotem fuisse a Trojana multitudine constitutam, οὔτε πληρωτὴν, οὔτε ἐκ γένους, οὔτε ἑνὸς ψήφῳ, ἀλλ' ἣν, ὡς οἱ παλαιοί φασι, τὸ πλῆθος εἵλετο.

Nemini, nisi omnibus membris integro & per-
F fecto, sacrum illud munus obire fas erat; Deos enim minime decere, si quodam claudo, manco, aut alio membro mutilo, pro ministro uterentur; idcirco ante consecrationem explorabantur, an ἀφελεῖς forent, necne, quod vocabulum, Hesychio interprete, denotat hominem perfectum & integrum, in cujus corpore nihil deest nec redundat. Sic ipse Deus inter cætera, quæ Judæis dedit, præcepta, mandavit & hoc, *Ad velum non ingredietur, & ad altare non accedet Sacerdos, cui inest macula, ne polluat sanctuarium meum Levit.* XXI. 23. Sicuti etiam Regum & Nobilium ministri, oris totiusque corporis elegantia conspicui, quamdam dominis suis majestatem in opinione hominum conciliant. Quod vero Sacerdotes Athenis (sicuti de magistratibus *præcedente libro* dictum est) δοκιμασίαν quamdam subibant, eo fine, ut repellerentur, qui omnibus membris integri non erant, ex *Etymologici* Auctore discimus: Ἀφελής, ὁ ὑγιὴς τὸ σῶμα καὶ ὁλόκληρος· οὕτω παρ' Ἀθηναίοις· καὶ οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ ἱερεῖς ἐδοκιμάζοντο Ἀθήνηθεν, εἰ ἀφελεῖς, καὶ ὁλόκληροι. Nempe inter Judæorum & Atheniensium leges magna erat conspiratio.

Nec corporis tantum, sed & mentis integritas desiderabatur; cum nihil nisi purum ac intemeratum ad Deos accedere permitteretur. Athenis nemo Sacerdos constituebatur, qui non esset castis moribus. Æschines *in Timarchum*: Καὶ, ὡς ἔοικεν, ὁ αὐτὸς οὗτος ἀνὴρ ἱερωσύνην μὲν οὐδενὸς Θεῶν κληρώσηται, ὡς οὐκ αὖ ἐκ τῶν νόμων καθαρὸς τὸ σῶμα. *Utque videtur, nullius Deorum Sacerdos forte legendus est, ut qui præscriptam a legibus corporis puritatem non habet.* Qua de causa Sacerdotes temperate casteque vivebant, imo ab ipsis voluptatibus, quæ aliis hominibus licitæ erant & indulgebantur, abstinebant; ita ut, teste Euripide, Jovis Cretensis Prophetis non solum carnis, sed & cujuslibet cibi elixi, usu interdictum fuerit. Tam austeram castitatem profitebantur, ut Deorum Matri Samiæ Sacerdotes sibi membra virilia mutilasse dicantur, idque in Gallis adeo constans fuit, ut Sacerdos pro Eunucho aliquando ponatur. Hesychius: Γάλλος, ὁ ἀπόκοπος, ἤτοι ὁ εὐνοῦχος. Hierophantæ quoque Athenis sacro munere induti potu succi cicutæ se debilitabant; ut paucis dicam, ii, qui sacris religionis mysteriis vacabant, herbarum & medicamentorum usu vim masculam enervare solebant, quo castius ac purius Diis ministrarent. Porro consortium hominum deferebant, ut omni negotio & cura liberi Deorum cultu commodius vacare ac pietati se totos dedere possent. Herbam, quæ vocatur *agnus castus*, Græce λύγος aut ἄγνος, quasi ἄγονος, quia generationi noxia, vulgo usurpabant, eamque lecto substernere soliti erant, quia existimabant illud oleris genus virtute nativa castitatis conservatrice pollere, prout Eustathius *ad Iliad.* ζ. *pag.* 768. *Edit. Basil.* pluresque alii jamdiu observarunt. Sed quamvis Sacerdotes ad severam castitatem ac temperantiam obstricti forent, plurimique ex illis austeritati hujusmodi studerent, nihilominus uxorem ducere iis sæpenumero licitum erat, imo Eustathius *ibid. pag.* 503. refert Sacerdotum cælibatum recentioribus sæculis institutum fuisse: ad cujus rei confirmationem Homerus nobis suppeditat exemplum Theano, Minervæ Sacerdotis, & Antenoris Trojani uxoris, *Iliad.* ζ. *vers.* 298.

Τῇσι θύρας ὤϊξε Θεανὼ καλλιπάρῃος,
Κισσηΐς, ἄλοχος Ἀντήνορος ἱπποδάμοιο·
Τὴν γὰρ Τρῶες ἔθηκαν Ἀθηναίης ἱέρειαν

Eis fores aperuit Theano pulchris genis,
Cisseis, uxor Antenoris equorum domitoris:
Illam enim Trojani fecerant Minervæ Sacerdotem.

Atque (ut plura exempla præteream) Chryses filiam habuit Chryseidem *Iliad.* α. & Dares Vulcani apud Trojanos antistes duos filios *Iliad.* ε. Tamen secundæ nuptiæ infames habitæ fuisse videntur: nam Dido Virgiliana eas inire culpam existimabat *Æneid.* IV. *vers.* 19.

Huic uni forsan potui succumbere culpæ.

Ubi Servius annotat, *quod Antiqui repellebant a*

sacerdotio bis nuptas. Et juxta Tacitum apud Germanos secundæ nuptiæ lege prohibebantur. Alibi tamen id haud fuisse necessarium videtur, ut Sacerdotes a secundis nuptiis abstinerent: apud posterioris ævi homines id non fuisse observatum, ipsius Servii verba arguunt, quando ait, *Antiquos repulisse bis nuptas*. Imo plura matrimonia quandoque erant ad sacerdotium necessaria. Minutius Felix: *Alia sacra coronat univira, alia multivira, & magna religione conquiritur, quæ plura possit adulteria numerare*. Neque mirum si obscœni Dii obscœnis aliquando ministris gauderent.

Athenis Sacerdotes singuli privatim, totæque gentes sacræ, sacerdotii sui rationes reddebant: nec excipiebantur illi, qui titulo tenus sacrorum curæ præficiebantur, aut pro urbe vota tantum & preces concipiebant. Æschines *in Ctesiphontem pag.* 18. *Edit. Oxon.* Τὰς ἱερεῖς καὶ ἱερείας ὑπευθύνους εἶναι κελεύει ὁ νόμος, καὶ συλλήβδην ἅπαντας, καὶ χωρὶς ἑκάστους κατὰ σῶμα, τοὺς τὰ γέρα μόνον λαμβάνοντας, καὶ τὰς εὐχὰς ὑπὲρ ὑμῶν πρὸς τοὺς Θεοὺς εὐχομένους· καὶ οὐ μόνον ἰδίᾳ, ἀλλὰ καὶ κοινῇ τὰ γένη Εὐμολπίδας, καὶ Κήρυκας, καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας. *Sacerdotes sive viros sive fœminas, & omnes eos qui honorarium aliquod susceperunt, & ad Deos pro vobis supplices accedunt, tum simul, tum sigillatim rationes referre lex jubet. Quibus adjungit familias etiam, quales sunt Eumolpides, Ceryces, aliæque gentes sacræ*.

Interdum idem Sacerdos sacrificabat, templa custodiebat, cæteraque munera, quæ ad sacerdotia pertinere solent, exequebatur: ubi vero major erat cultorum numerus, diversi homines hæc agebant. Aristoteles *Polit. lib.* VI. *cap.* VIII. *pag.* 506. *Tom.* III. *Edit. Paris.* Συμβαίνει δὲ τὴν ἐπιμέλειαν ταύτην ἐνιαχοῦ μὲν εἶναι μίαν, οἷόν τε ἐν ταῖς μικραῖς πόλεσιν· ἐνιαχοῦ δὲ πολλὰς καὶ κεχωρισμένας τῆς ἱερωσύνης, οἷον ἱεροποιοὺς, καὶ ναοφύλακας, καὶ ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων. *Evenit autem ut hæc curatio alicubi sit una, ut in parvis civitatibus: alicubi in multas, easque a sacerdotio separatas divisa; verbi gr. in sacrificos, æditos, & sacrarum pecuniarum custodes*.

De variis Sacerdotum ordinibus nil certi dici potest, quia singuli Dii non unico, sed pluribus Sacerdotum ordinibus gaudebant, prout locus aliæque circumstantiæ ferebant; quapropter ne Lectori tædium afferam, singulis sacrorum ministrorum generibus, qui ad singula Numina in innumeris Græciæ civitatibus pertinebant, recensendis supersedebo, quia illud molestum nec maxime proficuum foret, sed illorum ordines ac munera præcipua breviter notabo.

Primo in singulis urbibus locum obtinebat Ἀρχιερωσύνης seu *summus Sacerdos*, qui cæteris præsidebat, quique sacratissimos religionis ritus ac mysteria peragebat. Apud Opuntios teste Alex. ab Alex. *Genial. Dier. lib.* II. *cap.* VII. duo erant summi Sacerdotes, quorum unus Superis, alter vero Inferis & Semideis ministrabat. Athenis plurimi erant, cum singuli Dii summum Sacerdotem haberent, qui reliquis præficiebatur; ex. gr. Dadouchus Herculis, Stephanophorus vero Palladis Sacerdotibus præerat. Delphis quinque principes Sacerdotum creari consueverant, qui una cum Prophetis Deorum cultu vacabant, ac religionis præsides erant; hi appellabantur ὅσιοι, id est, *sancti*, qui sacrificiis præerat, ὁσιωτὴρ, id est, *qui alios sanctificat*; alter vero oraculi præfectus dicebatur ἀφήτωρ, Apollinis cognomen ab Homero ei inditum, & *oracula proferentem* denotans.

Alius sacrorum ministrorum ordo dicebatur Parasitorum, juxta Athenæum *Deipnosoph. lib.* VI. quod vocabulum, interprete Clearcho Solensi Aristotelis discipulo, primitiva significatione τὸν ἕτοιμον *hominem agilem & expeditum* indicabat, sed deinceps pro *compotatore* sumptum est; etiamsi Polemo in contrariam sententiam abeat, qui putat primum illius vocis usum ad Sacerdotum genus spectasse, qui ita dicti, eo quod pars sacrificiorum ipsis una cum aliis Sacerdotibus assignata erat, ut apparet ex Inscriptione sequenti ad columnam intra Anaceum;

ΤΟΙΝ ΔΕ ΒΟΟΙΝ ΤΟΙΝ ΗΓΕΜΟΝΟΙΝ ΤΟΙΝ

ΕΞΑΙΡΟΥΜΕΝΟΙΝ ΤΟ ΜΕΝ ΤΡΙΤΟΝ ΜΕΡΟΣ ΕΙΣ

ΤΟΝ ΑΓΩΝΑ ΤΑ ΔΕ ΔΥΟ ΜΕΡΗ ΤΟ ΜΕΝ ΕΤΕΡΟΝ

ΤΩ ΙΕΡΕΙ ΤΟ ΤΟΙΣ ΠΑΡΑΣΙΤΟΙΣ.

Quod ex duobus bobus tertia pars in certamen reservaretur, & ex reliquis duabus una Sacerdotibus, altera Parasitis cederet. Ab initio munus illorum in maxima existimatione habebatur; legibus enim antiquis sancitum erat, ut Parasitis inter principes magistratus locum obtinerent. Τὸ Παρασίτου ὄνομα πάλαι ἦν σεμνὸν καὶ ἱερόν, *Parasiti nomen olim venerabile & sacrum erat*, inquit Athenæus. Ὁ Παράσιτος νῦν ἐπ᾽ ἄδοξον κεῖται πρᾶγμα, πρότερον δ᾽ ἐκαλοῦντο παράσιτοι, οἱ ἐπὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ σίτου ἐκλογὴν αἱρούμενοι. *Parasitus nunc sane rem fœdam & inhonestam significat: olim vero sic vocabantur, quos deligendis annotandisque sacris frumentis præficiebant*: ut ait Crates *lib* II. *de proprietate Attici sermonis* apud Athenæum *Deipnosoph. lib.* VI. *pag.* 235. Cui similia tradunt Hesychius & Pollux *lib.* VI. *cap.* VII. ubi ἱερὸν σῖτον vocat, totum illud frumentum, quod ex agris publicis, qui sacris usibus destinabantur, aliisve causis, ad Deos pertinebat. Eorum officii erat frumentum, quod publicis sacrificiis dicatum erat, a colonis accipere, quod vocabatur προσόδια μεγάλα, id est, *reditus maximi*, & ab Aristophane in *Avib.* ponitur pro ipsis majoribus sacrificiis, quæ, ut ejus Scholiastes notat, vulgo sic dicebantur, quia illorum sumptus a publicis reditibus petebantur. Publicum horreum, in quo illæ primitiæ servabantur, nuncupabatur παρασίτιον. Diodorus Sinopensis apud Athenæum in Ἐπικλήρῳ refert, in singulis ditionis Atheniensis pagis quosdam Parasitos in Herculis honorem ex publico reditu alitos fuisse, sed in posterum sublevandæ Reipublicæ causa opulentioribus a magistratu impositum est, ut illos domi propriis sumptibus alerent, unde recentioribus sæculis illa vox usurpata sit pro gnathone, qui ad prandium captandum cuivis assentatur. Et sic quidem Diodorum explicat Casaubonus: sed ejus verba indicare potius videntur, quod cum olim Parasiti essent Herculis, facti quoque sunt hominum potentiorum, qui Herculem imitari voluerunt, & Parasitos quidem ipsi habere, non χαριστάτους, quales Herculi serviebant, sed qui adulandi artem optime scirent. Conf. Athenæus *pag.* 239. quo loco multa de Veterum Parasitis dicuntur.

Κήρυκες, aut *publici præcones*, sacrificiis pariter interesse consueverant, quorum officium idem ac poparum & victimariorum apud Latinos fuisse videtur; nam apud Athenæum *lib.* X. & XIV. quidam Clidemnus tradit eos fuisse loco μαγείρων & βουθυτῶν, hoc est, *coquorum* & *laniorum*, nec non addit diu obtinuisse, ut præco victimam mactaret, quæ in sacrificiis requirebantur pararet, & in convivio munus pincernæ obiret; præterea *ibid.* notat, in sacrificiis ministrare ab antiquo eidem solenne fuisse; quod confirmatur ab Eustathio *in hunc Homeri versum Odyss.* υ. *vers.* 277.

Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄςυ Θεῶν ἱερὴν ἑκατόμβην
Ηγον. ——

Præcones autem per civitatem Deorum sacram hecatomben
Duxerunt. ——

Phavorinus ac Cœlius Rhodiginus, cur ab Homero Διός ἄγγελοι dicti sint, hanc causam reddunt; quia Deorum sacrificiis adesse solebant, & (sicut prior adjicit) τὰς ἑορτὰς τῶν Θεῶν ἤγγελον, id est, *tempora, quibus festa celebranda erant, promulgabant*; cujus rei innumera exempla ex Antiquis, præsertim ex Homero, afferri possent. Hujusmodi Κήρυκας publicos ministros, qui nata occasione adhibebantur, fuisse pro certo haberi debet; legatorum, coquorum, ac præconum vices pro re nata gerebant; & (ut paucis dicam) quolibet munere, præter servile abjectumque, fungi non recusabant; eorum autem nomen dictum est ἀπὸ τοῦ κρείττονος juxta Athenæum, hoc est, a meliore ac propriore officii parte, quæ erat τὸ κηρύττειν, *promulgare*; ipsorum munus ad res sacras æque ac civiles spectabat; nam cum sacra auspicarentur, ad silentium & attentionem præsentes hortabantur his aut similibus verbis, Εὐφημεῖτε, σιγῇ πᾶς ἔςω λεώς. Sacris finitis cœtum dimittebant hisce verbis, Λαῶν ἄφεσις, sed de his plura deinceps. Athenis erat familia nomine Κήρυκες a Κήρυκι Mercurii & Pandrosiæ filio, quæ sacra habebatur, unde Suidas *Voc.* Εὐμολπίδαι illos vocat γένος ἱερὸν καὶ θεόφιλον, hoc est, *familiam sacram ac Diis charam*; huic adde familiam Eumolpidarum, qui Athenis jure hæreditario sacerdotium possidebant, vel quia a Rege Eumolpo prognati, vel in ejus memoriam instituti sunt. Ceryces (prout Anthemio Comœdus apud Athenæum *Deipnosoph. lib.* XIV. asserit) in cibis coquendis, quales caro ovilla & bovilla, quam antea crudam devorare soliti erant, primi instituerunt homines. Athenis in magna existimatione habebantur, ita ut Athenæus inde probare conetur artem culinariam liberalem fuisse, eo quod Ceryces, sacrificiorum coqui, in pretio habiti sint, præterea quia alia sacra officia, quæ aliis in locis ad Κήρυκες spectabant, peragere iis licitum fuerit. Diodorus Siculus *lib.* I. comparationem instituit inter illos & Ægyptios pastophoros, imo ex his originem duxisse putat; verum est certas amborum muneris partes similes fuisse; ambo enim victimam mactare ac Sacerdotibus ministrare solebant. Sed notandum est illa officia obire non omnibus Cerycibus concessum fuisse, quia eorum familia in plures alias distinguebatur, quarum singulæ singulis officiis fungebantur, prout patet e Solonis statuto ex Aristophane apud Athenæum citato, quo sancitum est, ut duo ex illa Cerycum familia Diis dicata Parasitorum partes in templo Apollinis dicto Delio per annum obirent. Et sic Casaubonus, cui vix adduci possum ut fidem habeam, cum id nec alio Auctore probatur, nec ipso Athæneo, cujus verba sunt hæc *Deipnosoph. lib.* VI. Εν δὲ τοῖς κύρβεσι, τοῖς περὶ τῶν Δηλιαςῶν οὕτως γέγραπται· Καὶ τὼ Κήρυκε ἐκ τοῦ γένους τῶν Κηρύκων τοῦ τῆς μυςηριώτιδος, τούτους δὲ παρασιτεῖν ἐν τῷ Δηλίῳ ἐνιαυτόν. *In tabulis legum, titulo de mittendis ad Delum Theoris, dicitur: Duo Ceryces sunto e gente Cerycum mysticorum, iidemque annum in Delio templo Parasiti sunto.* Nihil hic de distinctione familiarum.

Νεωκόροι, & juxta Nicandrum in *Alexipharm.* ζακόροι, sic dicti a κορεῖν, quod *purgare* aut *ornare* sonat; ipsorum enim officii erat templorum ornamenta comparare atque servare; sed Suidas in *Voc.* Νεωκόρος contendit vili officio immundities e templis ejiciendi nunquam functos fuisse, qua in re adversatur Euripidi *Ione vers.* 121. qui Ionem νεωκόρον seu *æditum* Apollinis, Mercurio dicentem, templum scopis laureis se purgasse inducit. Pariter dicuntur ναοφύλακες, qui sacris utensilibus præfecti erant, ut providerent ne quid deesset, & collapsa instaurarent, quemadmodum refert Aristoteles in *Politicis*. Imo templorum reficiendorum cura Parasitis concredita fuisse dicitur; idcirco Athenis lex lata est, qua statutum est, ut sumptus, quos facerent in templis reparandis, iis redderentur.

Præter hosce memorantur alii Sacerdotes, quorum unus ab Aristophane in *Pluto Act.* III. *Scen.* III. dicitur πρόπολος, qui in genere denotat quemlibet ministrum, ideoque ut ejus significationem ad Deum restringat, ab illo effertur πρόπολος Θεοῦ. Hujusmodi Sacerdotum genus Deorum cultu semper vacabat, ac preces publicas pro populo, dum sacrificia peragerentur, fundebat, imo omnia alia officia, quæ ad Ceryces non pertinebant, obiisse videtur; cutis ac pedes sacrificiorum ipsis pro forte cedebant; lingua enim Cerycum portio erat. In confesso esse debet, qui Diis ministrabant, ex sacrificiis aliisque sacris donis sustentatos fuisse. Aristophanes ad hunc morem allusit in *Pluto Act.* V. *Scen.* II. ubi Cario Sacerdoti dicit:

Οὐκοῦν τὰ νομιζόμενα σὺ τούτων λαμβάνεις;

Cur non ab his ratam partem accipis?

Scholiastes: Επειδὴ νόμος ἦν, τὰ ὑπολειπόμενα τῆς θυσίας τὸν ἱερέα λαμβάνειν. ἄλλως, ἔθιμα τῶν παρεχομένων τοῖς ἱερεῦσι δέρματα καὶ κῶλα. Ejusdem Comici Scholiastes in *Vespis*: Νόμος δὲ ἦν, τὰ ὑπολειπόμενα τῆς θυσίας λαμβάνειν τοὺς ἱερέας· ἅ εἰσὶν, οἷον δέρματα, καὶ κῶλα. Sic apud Homerum Apollo in *Hymno* ipsi dicato Cretensibus, quos sibi elegerat Sacerdotes, promittit victum e sacrificiis *vers.* 535. Quinetiam veteres Sacerdotes plerumque divites fuisse videntur: exemplo sit Chryses, qui pro filiæ redemptione offert ἀπερείσι' ἄποινα *Iliad.* ά. *vers.* 13. & Dares *Iliad.* έ. *vers.* 9.

Ην δέ τις ἐν Τρώεσσι Δάρης ἀφνειὸς, ἀμύμων,
Ιρεὺς Ηφαίςοιο. ——

Erat autem inter Trojanos Dares dives, inclytus,
Sacerdos Vulcani. ——

Hi sunt potissimi Sacerdotum ordines, ex reliquis plerique certis Diis & aliquando certis festis sacri erant, de quibus, ut & de illis, qui oraculo ministrabant, atque de iis, qui artem divinandi ullo modo profitebantur, inferius dicam.

CAP. IV.

De Græcorum Sacrificiis, Donariis, & Decimis.

Didymus in suis *ad Pindarum Annotationibus* (juxta Cœl. Rhod. *lib.* XII. *cap.* I.) quemdam Melisseum Cretæ Regem (cujus filiæ fuerunt Amalthea & Melissa Jovis nutrices, quæ illum lacte caprino ac melle aluerunt) primum sacrificia Diis obtulisse sacrosque ritus instituisse tradit.

Sunt, qui Phoronea Ægyptium, aut Meropem prima Diis sacrificia obtulisse referunt: Clemens Alex. in *Protreptico pag.* 28. Εἴτε Φορωνεὺς ἐκεῖνος ἦν, εἴτε Μέροψ, εἴτε ἄλλος τις, οἱ νεὼς καὶ βωμοὺς ἀνέςησαν αὐτοῖς. πρὸς δὲ, καὶ θυσίας παραςῆσαι πρῶτοι μεμύθευνται. *Seu Phoroneus ille fuerit, seu Merops, seu aliquis alius, qui illis templa & altaria erexerunt: etiam sacrificia primi obtulisse in fabulis*

narrantur. Auctor *Titanomachiæ* Chironi ſacrificiorum quorumdam inſtitutionem tribuit apud eumdem Patrem *Strom*. 1. *pag*. 306. Sed his & ſimilibus fabuloſis prætermiſſis, ritus, qui apud antiquos Græcos in ſolennibus ſacrificiis obtinebant, enarrabo: ut autem ſcopum attingam, 1. de illorum origine & fine, 2. de materia, 3. de prærequiſitis, una cum ornamentis ſacrificiorum, victimarum, & altarium, 4. de ceremoniis, quæ inter & poſt celebrationem ſacrificiorum uſurpabantur, tractabo.

I. Sacrificiorum cauſa & occaſio quadruplex videtur; illa enim erant.

1. Εὐκταῖα aut Χαριςήρια, id eſt, *votiva* & *voluntaria dona*; cujuſmodi erant quæ a ſacrificulis ante conflictum Diis promiſſa poſt victoriam adeptam perſolvebantur; pariter primitiæ, a colonis poſt meſſem Diis oblatæ in animi grati teſtimonium, quia illorum laborem operamque in agro colendo larga mercede coronaverant; hæc a Suida in *Voc*. Θυσία dicuntur θυσίαι δωροφορικαὶ, quia ſpontanea dona, & ἀποπληςικαὶ, quia vota Diis pendebantur; ſed quoniam utraque animi grati ſpecimina erant, in unum caput illa contrahere conſentaneum duxi. Errat ergo Saubertus, cum tradit εὐκταῖα fuiſſe oblata, quando *apprecabantur bona, vel deprecabantur mala*, atque ita ea cum αἰτητικοῖς confundit. Heſychius teſtis erit: Εὐκταῖον, τὸ κατ᾽ εὐχὴν ἀποδιδόμενον.

2. Ιλαςικα, vel ἀπολλακτικὰ, hoc eſt, *propitiatoria*, quæ adhibebantur ad iram Numinis ſedandam; qualia erant omnia ſacrificia expiatoria.

3. Αἰτητικὰ, *ſupplicia ſacrificia*, quibus fœlicem inceptorum ſucceſſum flagitabant; ipſi enim Ethnici Deorum religionem ita ſtudioſe colebant, ut nihil momenti ſuſcipere vellent, niſi Diis prius interrogatis & ſupplicibus votis ſollicitatis.

4. Τὰ ἀπὸ μαντείας, quæ ab Oraculo vel Propheta præcepta & impoſita erant. Non me latet plura ſacrificiorum genera ab aliis afferri, quæ conſulto prætereo, quippe quod ad jam dicta quatuor capita reduci queunt.

II. De ſacrificiorum materia nobis agendum. A primis rerum primordiis nec viventia nec quidquam pretioſum ac ſplendidum in ſacrificiis obtinebant; nec myrrha, nec thus, nec caſſia adhibebantur, ſed pro illis aromatibus herbæ ac plantæ cum radicibus avulſæ, integræ cum foliis & fructu in honorem Deorum adolebantur, ſecundum Cœl. Rhod. *lib*. XII. *cap*. 1. quod gratiſſimum magnique apud Deos pretii ſacrificium exiſtimabatur. Similem morem veteri Italiæ familiarem deſcribit Ovidius *Faſtor. lib*. 1.

Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.
Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hoſpita navis aquas:
Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum:
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta ſono:
Si quis erat, factis prati de flore coronis
Qui poſſit violas addere, dives erat.

Euſebius in *Chronico pag*. 361. tradit Cecropem animalia obtuliſſe, & primum boves mactaſſe, quod ad id tempus nefas habebatur: Οὗτος (inquit) πρῶτος βοῦν ἔθυσε, καὶ Ζῆνα προσηγόρευσε Θεόν. *Ille primus bovem mactavit, & Jovem vocavit Deum*. Sed Pauſanias diſerte affirmat eum nulla animalia ſacrificaſſe in *Arcadicis*, ubi Cecropis & Lycaonis, qui coævi fuiſſe dicuntur, comparationem inſtituit: Δοκῶ (inquit) ἔγωγε Κέκροπι ἡλικίαν τῷ βασιλεύσαντι Ἀθηνῶν καὶ Λυκάονι εἶναι τὴν αὐτὴν, σοφίᾳ δὲ οὐχ ὁμοίως σφᾶς ἐς τὸ θεῖον χρήσασθαι. Ο μὲν γὰρ Δία τε ὠνόμασεν Ὕπατον πρῶτος, καὶ ὁπόσα ἔχει ψυχὴν, τούτων μὲν ἠξίωσεν οὐδὲν θῦσαι· πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσιν ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι. Λυκάων δὲ ἐπὶ τὸν βωμὸν τοῦ Λυκαίου Διὸς βρέφος ἐνήνεγκεν ἀνθρώπου, καὶ ἔθυσε τὸ βρέφος, καὶ ἔσπεισεν ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τὸ αἷμα. *Eadem ætate Cecropem Athenis & Lycaonem in Arcadia regnaſſe arbitror, prudentia tamen rerum divinarum multo Lycaonem inferiorem fuiſſe cenſeo. Ille enim primus Jovem cognomine Supremum appellavit, & nihil vita præditum immolandum duxit, ſed liba tantum patria* (πελανοὶ *etiamnum Athenis dicuntur*) *ut ad aram porricerentur ſanxit. At Lycaon ad Jovis Lycæi aram infante mactato humanum ſanguinem libavit*. Ex quibus patet eo tempore non penitus deſiiſſe religioſam illam animantium curam, quæ a primis ſæculis manaſſe videtur: quinetiam multo poſt Athenienſes abſtinuerunt ab animalibus. Idem liquet, præter alia Antiquitatis monumenta, imprimis ex Triptolemi legibus, quæ Athenienſibus ſevere interdicunt uſu animantium, juxta Porphyrium *de Abſtin. ab animal*. Imo ad Draconis uſque tempora ſacrificia Athenis ex ſolis terræ donis ſæpe conſtabant, ſed jam ante illius ſæculum pluribus in locis ab illa priſca frugalitate ac ſimplicitate deſciverant homines, ipſiſque Athenis non diu poſt illius mortem; cum enim antiquum cibum herbarum atque radicum deſerere incepiſſent, earumque loco carne animantium veſcerentur, (quod a Veteribus quid nefandum habebatur) ſacrificia itidem immutata ſunt; quia ipſis ſolenne erat ſuis æque ac Deorum conviviis (quo nomine ſacrificia vocabantur) eoſdem cibos adhibere.

Recentioribus ſæculis ſacrificia ex tribus, ſcil. σπονδῇ, θυμιάματι, & ἱερείῳ, conſtitiſſe ſubindicat Heſiodus *Oper. & Dier. verſ*. 334.

Καδδύναμιν δ᾽ ἔρδειν ἱέρ᾽ ἀθανάτοισι Θεοῖσιν
Αγνῶς καὶ καθαρῶς, ἐπὶ δ᾽ ἀγλαὰ μηρία καίειν,
Αλλοτε δὴ σπονδῇσι θυέεσί τε ἱλάσκεσθαι,
Η μὲν ὅτ᾽ εὐνάζῃ, καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ.

Pro virili autem ſacra facito immortalibus Diis
Caſte & pure, ſplendidaque femora adurito,
Interdum certe libaminibus atque hoſtiis placa,
Et quando cubitum iveris, & quando lux ſacra venerit.

Sed hic non prætermittendum, quod licet ſolenniora ſacrificia ex illis tribus partibus componerentur, attamen in aliis ſingulas ſeorſim adhibere permiſſum erat; idcirco non in ſolis ſacrificiis, ſed & ante iter terra marive ſuſceptum, vel antequam lectum peterent, vel quando peregrinus apud eos diverſaretur, aliaque ſimili occaſione vina libari ſolita Euſtathius *ad Iliad*. α. *pag*. 102. *Edit. Baſil*. ſcribit. Ut paucis dicam, in omnibus vitæ humanæ rebus minimi momenti thure adolendo vel vino libando Deorum favorem ac tutelam ſibi conciliare ſtudebant, dum ſolenniora ſacrificia pro rebus magni momenti tantummodo uſurpabantur, quia & ſumptuoſa & oneroſa erant. Harum conſuetudinum ut cauſam eruamus, in ſacrificiorum originem, quam ex vulgi opinione habebant, inquirendum eſt. Itaque (ut ſupra fuit notatum) ſacrificia exiſtimabantur eſſe convivia Deorum: unde quæ ad epulas inſtruendas neceſſaria ſunt, in ſacris offerebant. Et quidem ſicut hominum trahit ſua quemque voluptas, ita Deorum palatis varias dapes placere putabant: hinc pro diverſitate

A Deorum diversa fuit sacrificiorum materia: quidam animalia varii generis, quidam terræ fruges, omnes fere salem & potum requirebant: unde tam constans salis in omnibus sacris usus, sicut etiam libaminum, quæ quidem sine victima sæpius oblata fuere, cum victimæ sine libamine mactari nunquam consueverint: quod homines non raro bibant, cum nihil comedunt: at nunquam cibo stomachos replent sine potu.

I. *Σπένδειν* & *λείβειν* apud Græcos idem significare Hesychius & Phavorinus jamdiu observarunt, simpliciterque sonant *effundere*, quod coincidit cum Latino verbo *libare*, inquit Isidorus B *Orig. lib.* VI. *cap.* XIX. Quia autem ejusmodi vocabula in sacris libaminibus continuo usu venerunt, lapsu temporis factum ut iis solis tribuerentur; quod intelligendum est de illorum conjugatis, *σπονδῇ*, *λοιβῇ*, ac *libatione*, quæ sunt synonyma. In his *σπονδαῖς* vinum vulgo adhibebatur, quod duplex erat, *εὔσπονδον*, & *ἄσπονδον*: prius sic vocabatur, quia libari fas erat; posterius vero econtra, cujusmodi vinum aqua mixtum; unde *ἄκρατον*, id est, *purum merum vinum*, a Veteribus frequenter memoratur; quamvis autem vinum mixtum in sacrificiis adhibitum legatur, attamen (si C Eustathio fides habenda) non ex vino & aqua, sed ex variis vini generibus miscebatur. Libamina vini expressi ex uvis abscissis, aut præfectis, aut quæ humi deciderant, aut pedibus sanguine & vulnere contaminatis in torculari conculcatis, vel a vite nunquam amputata, vel de cœlo tacta, vel cui aliquis suspensus fuerat, productis, nefanda fuisse asserit Plinius *Hist. Nat. lib.* XIV. *cap.* XIX. Et *lib.* XIV. *cap.* XVIII. addit uvæ genus dictæ *aspendiæ*, cujus vinum libare minime licitum erat. Quamvis autem libamina utplurimum ex vino fierent, sæpius ex aliis rebus componebantur, dicebanturque *νηφάλιοι θυσίαι*, *ἀπὸ τοῦ νήφειν*, hoc est, *sobrietati studere*. Hujus generis libamina Eume- D nidibus offerebantur; cujus rei Suidas *Voc.* *Νηφάλιοι θυσίαι* hanc reddit rationem, quia nempe divina vindicta semper vigilare decet. *Ibid.* apud eumdem additur, Athenis similia libamina in honorem Nympharum facta, Veneris Uraniæ, Mnemosynes, Auroræ, Lunæ, & Solis; peculiaris autem ratio afferri posset, cur illis singulis Numinibus dona hujusmodi oblata fuerint. Ex. gr. mel, vinum nunquam, Soli libatum fuisse, quia qui omnia cingit ac sustentat, temperantiæ studiosus esse debet; imo Plutarchus *de Sanit.* refert illas *νηφαλίους θυσίας* Baccho persolvi solitas, tantum E ne homines mero ac generoso vino bibendo assuescerent. Apud Eleenses vinum nec *Δεσποίναις*, id est, Cereri ac Proserpinæ, nec ad altare Diis omnibus sacrum unquam libatum fuisse asserit Pausanias. Plutoni oleum pro vino offerebatur, testibus Virgilio *Æneid.* VI. *vers.* 254. & Homero *Odyss.* *κ.* *vers.* 25. qui inducit Ulyssem his verbis Alcinoum compellantem:

— *ἐγὼ δ' ἄορ ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ,*
Βόθρον ὄρυξα ὅσσον τε πυγούσιον ἔνθα καὶ ἔνθα.
Ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοὰς χεόμεν πᾶσι νεκύεσσιν,
F *Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ,*
Τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι· ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον.

— *ego autem, gladio acuto extracto a femore,*
Scrobem fodi cubitalem quoquoversus:
Circa eam autem libamina fundebamus omnibus Manibus,
Primum mulso, postea vero dulci vino,
Tertiumque aqua: insuper autem farinam albam adspergebam.

Sed de Deorum infernalium oblationibus alius erit dicendi locus.

Aliis Numinibus in quibusdam locis vinum nullum libabatur; pro exemplo sit Jupiter *Ὕπατος* seu *Supremus*, cujus altare apud Athenienses nec vino nec animantium sanguine unquam madebat; sed de his jam satis. Interim non est omittendum, quod hæc *sobria* libamina ratione materiæ, qua utplurimum constabant, dividantur, in *τὰ ὑδρόσπονδα*, *aquea*: *τὰ μελίσπονδα*, *mellea*: *τὰ γαλακτόσπονδα*, *lactea*: *τὰ ἐλαιόσπονδα*, quæ ex oleo fiebant: qui liquores non modo puri, sed inter se aut cum vino sæpe offerebantur. Porphyrius *de Abstin. lib.* II. existimavit primo aquam, dein mel, postea oleum, & postremo vinum in libaminibus adhibitum fuisse: *Τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱερῶν νηφάλια παρὰ πολλοῖς ἦν· νηφάλια δ' ἐστὶν τὰ ὑδρόσπονδα· τὰ δὲ μετὰ ταῦτα, μελίσπονδα· τοῦτον γὰρ ἕτοιμον παρὰ τῶν μελιττῶν πρῶτον ἐλάβομεν τὸν ὑγρὸν καρπόν· εἶτ' ἐλαιόσπονδα· τέλος δ' ἐπὶ πᾶσιν τὰ ὕστερα γεγονότα οἰνόσπονδα.* *Sacrorum libaminum maxima pars apud Veteres sobria fuit: sobria autem vocantur, quæ ex aqua constant: postea ex melle fiebant, quod ab apibus elaboratum, est in promtu: huic oleum successit: & post omnia vinum adhiberi solitum est.* Et quidem licet hunc ordinem exacte servatum fuisse affirmare nolim, hoc tamen certum esse videtur, quod cultus Deorum quo vetustior, eo simplicior fuit: nec enim tot molesti & operosi ritus, tot ornamenta, tantaque profusio in sacra admissa fuere, priusquam a simplici ratione vivendi degeneratum est: & tum vitia communis vitæ in Deorum cultum transiere.

Postremo notandum est, quod poculis plenis libabant, idque bonæ scævæ gratia, quia Diis nihil nisi plenum & perfectum offerri debet: atque hoc apud Poetas *ἐπιστέφειν κρατῆρα*, *vina coronare*, dicitur: unde pocula *οἴνοιο ἐπιστεφέα*, id est, *vino plena*. Athenæus *Deipnosoph. lib.* I. *cap.* XI. *Ἐπιστέφονται δὲ ποτοῖο οἱ κρατῆρες, ἵνα ὑπερχειλεῖς οἱ κρατῆρες ποιῶνται, ὥστε διὰ τοῦ ποτοῦ ἐστεφανῶσθαι· καὶ ταῦτα ἔπρασσον, πρὸς οἰωνὸν τιθέμενοι.* *Coronanturque vino pateræ, hoc est, ita implentur, ut, vino labra exsuperante, superstare corona videatur, quod bonæ scævæ causa fiebat.* Idem Auctor hujus consuetudinis rationem latius explicavit *lib.* XV. *cap.* V. *Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῷ Συμποσίῳ φησὶν, ὅτι οὐδὲν κολοβὸν προσφέρομεν πρὸς τοὺς Θεοὺς, ἀλλὰ τέλεια καὶ ὅλα· τὸ δὲ πλῆρες τέλειόν ἐστι· τὸ δὲ στέφειν πλήρωσίν τινα σημαίνει. Ὅμηρος:*

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Καὶ,

Ἀλλὰ Θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει.

Aristoteles in Convivio scribit mutilum nihil Diis esse offerendum, sed quod integrum ac perfectum sit: perfectum esse quod plenum: & coronare plenitudinem significare: ut apud Homerum:

Adolescentes potu pateras coronarunt.

Et,

Sed formam Deus verbis coronat.

II. In sacrificiis observandus est *suffitus*, Græcis dictus *θύος*, quæ vox primitus non denotabat *victimam*, sed *τὰ ψαιστὰ*, hoc est, *fructus*, *frondes*, aut *glandes decerptas*, quæ sola in sacrificiis adhibebant Veteres; hinc apud Suidam *τὰ θύη* explicantur *θυμιάματα*, seu *suffitus*. Similiter verbum *θύειν* ad significandum *victimæ occisionem* nunquam usurpat Homerus, (in hac enim significatione utitur verbo *ῥέζειν*, & *δρᾶν*) sed interpretatur *oblatio τῶν ψαιστῶν*, teste Athenæo *Deipnosoph. lib.* XIV. Huic

Por-

Porphyrii teſtimonium adjiciam *de Abſtinent. lib.* II. Ἐκ τῆς θυμιάσεως τῶν ἀπὸ τῆς γῆς, θυμιατήριά τε ἐκάλουν, καὶ τὸ θύειν, καὶ θυσίας· ἃ δὴ ἡμεῖς ὡς τὴν ὑστέραν πλημμέλειαν ἐκβαίνοντα οὐκ ὀρθῶς ἐξακούομεν, τὴν διὰ τῶν ζώων δοκοῦσαν θεραπείαν καλοῦντες θυσίαν. *Ex θυμιάσει* (ſeu *ſuffitu*) *ſtirpium terræ θυμιατήρια acerras vocabant, & θύειν rem divinam facere, & θυσίας victimas: quæ ſane erroris ſummum aſſequuta nos recte non audimus, cum rem divinam facere ex animalium ſacrificio θυσίαν dicunt.* Et poſtea: Ὅθεν καὶ θυσίαι, καὶ θυηλαὶ, καὶ θυμέλαι ἐκαλοῦντο, καὶ αὐτὸ τὸ θύειν τὸ θυμιᾷν εἶχετο, καὶ τὸ νῦν παρ' ἡμῖν λεγόμενον ἐπιθύειν· ὃ γὰρ ἡμεῖς θύειν λέγομεν, ἔρδειν ἔλεγον. *Unde θυσίαι,* (primitiæ ex odoriferis plantis & fructibus) & θυηλαὶ, (arculæ, in quibus illæ primitiæ aſſervabantur) & θυμέλαι, (aræ, ſuper quas primitiæ adolebantur) *dicebantur: ipſumque θύειν eſt a θυμιᾷν,* (ſuffire) *ut quod apud nos dicitur ἐπιθύειν: quod enim dicimus nos nunc θύειν, ἔρδειν dicebant.* Porro, (ut utar verbis Aldrovandi *Dendrolog. lib.* I.) *nulla fuere Veterum ſacrificia, in quibus arbores, earumque partes, partem haud exiguam ſibi non vendicabant.* Et quidem arbores odoratas præcipue in ſacris uſitatas tradit Porphyrius, idque in ſuum uſque ſæculum obtinuiſſe: Τὴν δὲ ἀρχαιότητα τῶν εἰρημένων θυμιαμάτων κατίδοι τις ἂν ἐπιβλέψας, ὅτι πολλοὶ καὶ νῦν ἔτι θύουσι συγκεκομμένα τῶν εὐωδῶν ξύλων τινά. *Dictorum vero ſuffituum antiquitatem perſpiciat quiſpiam; qui conſiderat multos etiam adhuc ligna quædam odorata fruſtillatim conciſa adolere.* Sed tamen herbas virentes locum in ſacris multo antiquiorem quam arbores odoratas habuiſſe, tum ex priſcorum hominum ſimplicitate conjicere, tum ex eodem Porphyrio *de Abſtin. lib.* II. diſcere licet: nam οὐ τούτων θυμιαμάτων, inquit ille, ἔθυον πρότερον, ἀλλὰ χλόης· οἷον εἴ τινα τῆς γονίμου φύσεως χνοῦν ταῖς χερσὶν ἀράμενοι, *primum non ſuffituum iſtorum, ſed virentis herbæ, primitiis ſacra faciebant: eam veluti quamdam naturæ fertilis lanuginem manibus decerpentes.* Quæ ſignificatio poſtea mutata. Suffituum materia plerumque thus, aut nonnulli grati odores; ſed multo ſerius thus in uſum venit: tempore enim Belli Trojani nullum uſurpabatur, illius vero loco offerebatur lignum cedrinum ac citreum, ut ait Plinius *Nat. Hiſt. lib.* XIII. *init. cap.* I. *Iliacis temporibus thure non ſupplicabatur: cedri tantum & citri ſuorum fruticum in ſacris fumo convolutum nidorem verius quam odorem noverant.* Diſcimus quoque ex Græcorum Fabulis, thus prima vice adhibitum, cum adoleſcens quidam religioſus nomine Libanus in illam arborem mutatus fuiſſet, a quo nomen mutuata. Sed dimiſſis fabulis certum eſt uſum thuris in poſterioribus ſæculis ubique invaluiſſe: nec tamen penitus alios odores excluſit, qui licet non tam univerſim, tamen multis in altaribus adolebantur. Et quidem lignorum alia cum vino, alia cum aquæ libamine comburebant: & quidem vino ſociæ arbores fuere plerumque vitis, ficus, & myrtus: cæteræ cum aqua communiter offerebantur, atque eam ob cauſam dictæ ſunt νηφάλια ξύλα, *ſobria ligna.* Suidas: Νηφάλια ξῦλα, τὰ μήτ' ἀμπέλινα, μήτε σύκινα, μήτε μύρσινα· ἐκεῖνα γὰρ οἰνόσπονδα λέγεται, ὡς καιόμενα ὅτε μήτε ὕδωρ, ἀλλὰ οἶνος σπένδεται. Et paulo poſt eorumdem meminit, quo loco tradit præterea thymum primo adoleri conſueviſſe: Καὶ ξῦλα δὲ νηφάλια, τὰ μὴ ἀμπέλινα, μήτε σύκινα, ἀλλὰ τὰ ἀπὸ τῶν θύμων· καὶ πρώτη ἐστὶν αὕτη ἡ ὕλη πρὸς τὰς ἐμπύρους θυσίας. Hæc de ſuffitu & lignis dicta ſunto. Huc etiam referri poſſunt οὐλοχύται, οὐλαὶ, ſeu *molæ ſalſæ,* quæ erant placentæ ex hordeo cum ſale mixto, ſive κριθαὶ μετὰ τῶν ἁλῶν, ἃς ἐπέχεον τοῖς βωμοῖς πρὸ τῆς ἱερουργίας, *hordea ſale conſperſa, quæ ante ſacrificium ſuper aris effundebant;* initio ante

A molarum & molendi uſum integrum & infractum offerebatur hordeum, unde dictæ οὐλαὶ, quaſi ὅλαι, juxta Euſtathium *in Iliad.* ά. *pag.* 99. *Edit. Baſil.* has molas offerre dicebant οὐλοθύτειν. Porro apud Homerum ubique fit hujuſce conſuetudinis mentio. His adde πόπανα, id eſt, rotunda, lata, & tenuia liba; ut & πελανοὺς, quorum varia erant genera, præſertim hæc tria, θίσιοι, ἀνάστατοι, & ἀμφιφῶντες, a Phavorino memorantur. Similiter σελῆναι placentæ genus, a figura lata & cornuta in ſpeciem lunæ dimidiatæ ſic dictum. Alia quidem erant liba cornuta, quæ a figura βόες dicebantur, quæque Apollini, Dianæ, Hecate, & Lunæ ſacra
B erant. In Lunæ ſacris poſt ſex σελῆνας unum ex illis βουσὶ offerri ſolitum, quod idcirco βοῦς ἕβδομος vocabatur; ſacrificium ſex animantium ſæpius excepiſſe refert Suidas; quam ob cauſam βοῦς ἕβδομος, quia moles omni vita carens, proverbio trito pro homine ſtupido ſumebatur. Alia exſtant hujuſmodi oblationum genera, certorum Numinum propria, ut ὀβελιαφόροι Baccho, μελιττοῦττα Trophonio, & plura alia, quæ, quia brevitati ſtudeo, conſulto prætermitto. Sed notandum eſt nullam oblationem Diis gratam exiſtimari niſi ſale conditam. Eaque conſuetudo a prima antiquitate tradita fuiſſe videtur, adeo gentes univerſas pervadit.
C Deus ipſe ſalem a Judæis requirit *Levit.* II. 13. *Non ceſſare facies ſalem fœderis Dei tui a munere tuo: cum omni oblatione tua offeres ſalem.* Tantumdem de ſacrificiis Gentilium e Plinio diſcimus *Nat. Hiſt. lib.* XXXI. *cap.* VII. *Maxime autem in ſacris intelligitur ejus auctoritas, quando nulla conficiuntur ſine mola ſalſa.* Eique fidem ubique faciunt Poetæ in ſuis ſacrificiorum deſcriptionibus. Virgil. *Æneid. lib.* II. *verſ.* 132.

—— mihi ſacra parari,
Et fruges ſalſæ. ——

D

Et apud homines primorum ſæculorum ſal cum proventu telluris erat laudatiſſimum ſacrificium. Ovidius *Faſtor. lib.* I. *verſ.* 337.

Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.

Plura exempla, quæ cuivis in promptu eſſe poſſunt, omitto. Porro ſal tanti exiſtimabatur, quia pro amicitiæ documento credebatur, (de quo plura deinceps) & quia reliqui cibi illo condiuntur, ut palato bene ſapiant; nam (ut ſæpius nota-
E tum eſt) ſacrificia eadem ex materia plerumque conſtabant, qua in hominum conviviis utebantur: unde cum ſine ſale nuſpiam apparetur humanum convivium, nec a Deorum cibis abeſſe debere credebatur. Hinc etiam perpetuus frumenti aut panis in omnibus ſacris uſus: ſpeciatim vero hordeum offerebatur in memoriam præclari illius beneficii in genus humanum a Diis collati, qui hominibus auctores fuerant inventi uſus frumenti loco glandium primitivi cibi; unde κριθὴ a quibuſdam deducitur ex κρίνω, id eſt, *diſcerno,* quia tum primum a brutis homines diſtingui cœperunt, cum
F illo cibi genere uſi ſunt, juxta Euſtathium *ad locum Homeri mox citatum;* primi enim homines longo tempore nullum aliud frumenti genus habuere, ut patebit in *Archæologiæ hujus lib.* IV. ubi de materia convivii agetur. Eamdem ob cauſam Romani zeam ſeu far obtulere. Dionyſius Halicarnaſſenſis *lib.* II. *pag.* 95. *Edit. Lipſ.* Ὥσπερ Ἕλληνες τὸν κρίθινον καρπὸν ἀρχαιότατον ὑπολαμβάνοντες, ἐπὶ τῶν θυσιῶν κριθαῖς καταρχόμεθα, οὐλὰς αὐτὰς καλοῦντες· οὕτω Ῥωμαῖοι τιμιώτατόν τε καρπὸν καὶ ἀρχαιότατον νομίζοντες τὰς ζέας, διὰ τούτων

πάσης ἐμπύρου θυσίας κατάρχονται· μένει γὰρ ἔτι καὶ οὐ μεταπέπτωκεν εἰς πολυτελεστέρας ἀπαρχὰς τὸ ἔθος. *Quemadmodum nos Græci antiquissimam bordeaceam frugem rati, bordeo victimas initiamus, molam salsam illud vocantes: ita Romani quamvis hostiam igne adolendam respergunt farre, quippe qui hoc frugum genus antiquissimum existimant & honoratissimum: manet enim is mos bodieque, nec quidquam est additum ad priscam frugalitatem.* Et Athenienses in ejusdem beneficii memoriam non aliud hordeum adolere consueverunt, quam quod e Rharhio agri Attici campo proveniebat. Pausanias *Atticis pag.* 71. Τὸ δὲ πεδίον τὸ Ῥάριον σπαρῆναι πρῶτον λέγουσι, καὶ πρῶτον αὐξῆσαι καρπούς, καὶ διὰ τοῦτο οὐλαῖς ἐξ αὐτοῦ χρῆσθαι σφίσι, καὶ ποιεῖσθαι πέμματα ἐς τὰς θυσίας καθέστηκεν. *In campo vero, quem Rharbium vocant, frugum primo jacta semina adolevisse ferunt: in cujus rei memoriam, bordeum ex eo ipso solo demessum, in sacris ad molas & liba adhibent.* Atque hæc de molis dicenda habui.

III. Quod sacrificii præcipuum erat, dictum ἱερεῖον, seu *victima*; primo autem notandum est, illam integram membrisque omnibus perfectam absque nævo & macula desideratam fuisse; alias Diis, quos ex optimo gregis & armenti coli consentaneum erat, minime accepta fore credebatur; qua de causa Solonis legibus populo Atheniensium expresse præceptum est, ut ἔκκριτα ἱερεῖα, id est, *selectas victimas*, Diis offerre studerent; quapropter apud Veteres pro more obtinuit, ut ex grege quodvis eximium eligerent, certisque notis a reliquo pecore discernerent. Illorum armenta in tres ordines divisa, quorum primi propagando gregi, secundi sacro usui, tertii vero terræ scindendæ destinabantur, nos docet Virgilius *Georg. lib.* III. *vers.* 157.

Post partum, cura in vitulos traducitur omnis,
Continuoque notas & nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint submittere habendo,
Aut aris servare sacros, aut scindere terram.

Idem subindicat Apollonius Rhodius *lib.* II. *Argonaut. vers.* 355.

Sed quidquid curæ in eligendis victimis adhiberetur, non impediebat, quin illas Diis offerri illicitum haberetur, nisi prius a Sacerdotibus pluries exploratæ fuissent; de quo ritu deinceps dicam. Cum victima a Sacerdote probabatur, τελεία θυσία dicebatur, unde apud Veteres frequenter memorantur ταῦροι, αἶγες, βόες τέλειοι, &c. sin reprobaretur, illico repudiata, alia examini subjiciebatur, donec omni numero perfecta reperiretur. Homerus *Iliad.* ά. *vers.* 66.

—— ἀρνῶν κνίσσης, αἰγῶν τε τελείων.

—— *agnorum nidoris, caprarumque perfectarum.*

Ubi Scholia vetera: Τελείων· ἤτοι τὴν ἡλικίαν ὁλοκλήρων· λελωβημένον γὰρ οὐ θύεται, ἀλλ᾽ ὑγιὴς ἡ τῶν τελειωμένων θυσία. At Spartæ, in qua divinus cultus minimo sumptu celebrari consuevit, eo fine ut nunquam a pauperibus intermitteretur, mutilas aliquando victimas oblatas fuisse legimus: quod eis ab Atheniensibus objiciebatur, ut est apud Platonem *Alcibiade* II. *pag.* 458. *Edit. Francof.* Οὕτως ὀλιγώρως διάκεινται πρὸς τοὺς Θεούς, ὥστε καὶ ἀνάπηρα θύειν ἑκάστοτε. *Adeo circa divinum cultum negligentes sunt, ut animalia mutilata passim mactent.* Putabant enim Deos non tam ad numerum cæremoniarum, aut sumptus, & externum cultum attendere, quam ad internam animi puritatem.

Quoad animalia in sacrificiis adhibita, etsi singulas fere rerum & animalium species altaribus inferrent, quidquid sibi usui erat, id Diis quoque gratum fore existimantes, tamen victimæ diversæ diversis Diis offerebantur, ratione habita eorum, qui illas donabant; opilio ovem, bubulcus bovem, caprarius caprum, & piscator post egregiam capturam thynnum, inquit Athenæus, Neptuno immolare solebat, & sic de cæteris, pro ratione singulorum artis. Pariter diversæ victimæ in diversorum Deorum sacris requirebantur; Inferis enim & Cacodæmonibus nigræ victimæ, beneficis albæ, sterilibus steriles, frugiferis frugiferæ, masculis mares, fœminis femellæ, utplurimum sacræ & acceptæ censebantur; utplurimum, inquam, quia illa generaliora præcepta non tam religiose observabantur, quin ab illis sæpius recederent. Fere singulis Diis certum animantium genus sacrum erat, ex quibus victimæ eligi solebant, ex. gr. Hecate canem, Veneri columbam aut columbum, Soli equos, Dianæ cervas mactabant. Denique in sacrificiis ratio habita est diversæ Numinum indolis, in quorum honorem immolanda erant; Marti enim sola animalia furibunda & bellicosa, ut taurus, placere credebantur; eadem de causa caper, quia vinetis noxius, Baccho sacer erat, & Cereri sues mactabantur, tanquam segeti inimicæ. Atque hæ primæ causæ fuisse dicuntur, ob quas animalia mactabant, cum antea id nefas haberetur. Ovidius *Metamorph. lib.* XV.

—— *& prima putatur*
Hostia sus meruisse necem, quia semina pando
Eruerat rostro, spemque interceperat anni.
Vite caper morsa Bacchi mactatus ad aras
Ducitur ultoris: nocuit sua culpa duobus.

De sue idem Auctor testatur iterum *Fastor. lib.* I. & Athenæus σῦν dictum tradit quasi θῦν, quia sacrificiis, Græce θυσίαις, idoneus est, *Deipnosoph. lib.* IX. Οἱ δὲ σῦν εἰρῆσθαι οἱονεὶ θῦν, τὸν εἰς θυσίαν ἐπιτήδειον. Cui similia tradit Clemens Alexandrinus, nisi quod θύειν ad mactationem cibi potius, quam sacrificii causa factam referat *Stromat. lib.* II. *pag.* 401. Quinetiam ut in sacrificia, ita in victum primus ex animalibus cessisse dicitur, ut ostendetur ubi ad Convivii materiam perventum fuerit: nam eadem animalia Deorum sacrificiis, quæ hominum victui, inserviebant. Porro quod suem primum immolabant, Varro luculenter probat *de Re Rust. lib.* II. *cap.* IV. *Sus dicitur Græce* ὗς, *olim* θῦς, *ita dictus ab illo verbo, quod dicitur* θύειν, *quod est immolare: a suillo enim pecoris genere immolandi initium sumptum videtur. Cujus vestigia sunt, quod initiis Cereris porci immolantur: & quod initiis pacis, fœdus cum feritur, porcus occiditur: & quod nuptiarum initio in Hetruria nova nupta & novus maritus primum porcum immolant: prisci quoque Latini, & etiam Græci, idem factitasse videntur.* Denique Porphyrius (ut id quoque addam) *lib.* II. *de Abstinent.* suem concedit primam victimam fuisse, etsi id contigisse affirmet ex Apollinis responso, quando Clymene ex iis animalibus quoddam per imprudentiam occidisset: a quo tempore invaluit mos animalia mactandi, quod antea nefas erat. Atque hinc probabilis ratio reddi forte poterit, cur hoc animal Judæis tantopere exosum fuerit: quorum instituta haud pauca ad eruendam ex animis Ethnicam superstitionem tradita fuisse videntur.

Præter sues, taurus, bos, vacca, ovis, agnus, caper, & aper ex quadrupedibus, ex volatilibus vero gallus, gallina, & hujusmodi, in sacrificiis adhibebantur. Et certa ætate, & habitu corporis, Diis acceptiora habebantur. Exempli gr. vacca gratissima erat, unius anni, & priusquam subiisset jugum, qualem Palladi vovet Diomedes *Iliad.* κ'. *vers.* 292.

Σοὶ δ' ἐγὼ αὖ ῥέξω βοῦν ἤνιν, εὐρυμέτωπον,
Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.

Tibi autem mactabo vaccam anniculam, lata fronte,
Indomitam, quam nemo sub jugum unquam duxit.

Simile votum concipit Nestor *Odyss. γ'. vers.* 382. aliique apud alios Poetas. Quinetiam id in mandatis divinis erat *Num.* XIX. 2. ut juvencam jugularent *integram, quæque jugum non subiisset*. Nempe Deo indigna erat victima, quæ humanis usibus inservierat. Athenæus *Deipnosoph. lib.* VII. ex Agatharside refert Bœotos anguillas portentosæ magnitudinis, in Copaide suæ regionis lacu captas, iisdem ritibus, qui in aliis sacrificiis obtinebant, mactare solitos. Hujusce moris causam reddere subdifficile videtur; Athenæus enim *loc. cit.* tradit, inquilino, qui mox memoratis sacrificiis intererat, illorum originem inquirenti, Bœotos nil aliud respondisse, nisi quod ad majorum instituta religiose servanda, non vero ad illorum causas cuivis peregrino reddendas tenerentur. Omnia fere animalia mactari fas erat, si excipias bovem aratro ac labori subjectum, cui Athenienses idcirco parcebant, quia illius opera in terra colenda utebantur, & (ut ita dicam) laboris cum homine consors erat, juxta Ælianum *Var. Hist. lib.* V. *cap.* XIV. Nec a solis Atheniensibus, sed ab universis ferme gentibus, gravissimum crimen censebatur, si quis illud animal in cibum aut sacrificium occidisset; imo erat delictum capitale, prout Varro *de Re Rust. lib.* II. scribit; idemque de Phrygibus narrat Ælianus *de Animal. lib.* XII. *cap.* XIV. & Plinius *Nat. Hist. lib.* VIII. *cap.* XLV. cujusdam meminit, qui exilium pro ejusdem criminis pœna Romæ luit; sed recentioribus sæculis non tam severa fuit hominum religio; Plutarchus enim *de esu animal. lib.* II. asserit carnem bubulam conviviis appositam fuisse, unde non mirum si ipsos boves Diis mactarint, quod factum Lucianus *Dial. de Sacrificiis* testatur; imo hic mos adeo invaluit, ut boves essent omnium fere victimarum maxime frequentes: hinc *βουθυτεῖν* simpliciter est *mactare* in Aristophanis *Pluto Act.* IV. *Scen.* I.

Καὶ νῦν ὁ δεσπότης μὲν ἔνδον βουθυτεῖ
Ὗν, καὶ τράγον, καὶ κριὸν ἐστεφανωμένος.

Et nunc quidem herus intus mactat
Suem, & hircum, & arietem coronatus.

Aratus imputat boum cædem ætati æneæ *pag.* 19. *Edit. Onox.*

—— *πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.*

Ubi Theon ejus Scholiastes Ulyssis socios perditos fuisse vult, quod boves aratores occidissent; adeoque Trojani belli tempore id illicitum fuisse: sed primo ab Atheniensibus, deinde a cæteris quoque gentibus Græcorum tentatum esse: Καὶ εἰς τοῦτο, inquit, *ἱκανῶς μέμφεται αὐτοῖς ἀρξαμένοις ἐσθίειν ἀροτῆρας βοῦς, τῆς προτέρας γενεᾶς, μήπω τοῦτο ἐργασαμένης· οἱ γὰρ ἀρχαῖοι ἐφύλαττον τοὺς ἐργάτας βοῦς καθιερεύειν· διὸ καὶ Ὅμηρός φησι, βοῦν ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ· ἀσεβὲς γὰρ ἐδόκει τὸν ἀροτῆρα σφάξαι. πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι ἐγεύσαντο τῶν τοιούτων βοῶν. φασὶ δὲ καὶ τοὺς Ὀδυσσέως ἑταίρους τοιούτους βοῦς καταδηδοκέναι· ὠργίσθη δὲ ὁ ἥλιος, ἐπεὶ οἱ ἀροτῆρες βόες τοῦ ὁρᾶν ἡμᾶς τὸν ἥλιον αἴτιοί εἰσι, τροφῆς ποριστικοὶ ὄντες, καὶ τὴν ζωτικὴν δύναμιν διὰ ταύτης τοῖς πᾶσιν ἔμμονον κατεργαζόμενοι.* Alii speciatim Cecropi imputant, quod primus bovem mactarit, uti prius ex Eusebio annotatum fuit.

Verum tanta superstitio & dementia hominum

A animos possedit, ut non modo animalia rationis expertia, sed etiam se invicem fictitiis Diis mactarent. Qui mos apud barbaros plerosque invaluisse videtur: de finitimis Judæorum, ipsisque Judæis, quando in eorum vitia delapsi sunt, non uno in loco testatur S. Scriptura: de Gallis Cæsar, speciatimque de Massiliensibus Lucanus, de Germanis & Britannis Tacitus idem scribunt: sanctique Patres id Ethnicis ubique fere in ipsorum pro Christiana Religione *Apologiis* exprobrant.

Apud Græcos aliamve bene moratam gentem humanæ victimæ raro mactabantur, imo tam immanis crudelitas credebatur, si homines in hono-
B rem Deorum immolarentur aut vivi comburerentur, ut Lycaon in lupum conversus fuisse dicatur, quod humanam victimam mactarit, adeo insolens fuit apud priscos homines ea consuetudo; ut nos docet Pausanias in *Arcadicis pag.* 457. *Edit. Hanov.* Tamen non pauca occurrunt hujus barbariæ exempla, ut in Themistocle, qui ad felicem belli exitum in Persas suscepti consequendum plurium illius gentis præfectorum sacrificio Deos litare voluit, quod ample describitur a Plutarcho in *Vita Themistoclis*; & Aristomenes Messenius trecentos homines, quos inter Theopompus Lacedæmoniorum Rex, Jovi Ithometæ mactavit. Atque hic mos
C in lustrationibus & expiationibus valde frequens fuit. Præterea in Arcadia Baccho innumeræ virgines virgis ad mortem cæsæ feruntur; aliquid simile apud Lacedæmonios obtinebat, qui suos liberos in honorem Dianæ Orthiæ aliquando usque ad mortem flagris excipiebant. Manibus & inferis Diis sacrificia hujusmodi offerri solebant; ut patet exemplo Polyxenæ, quæ Achillis Manibus mactata traditur, imo illum Heroem duodecim Trojanos bello captos exequiis Patrocli immolasse refert Homerus. Atque apud Virgilium *Æneid. lib.* X. *vers.* 517. Æneas, pietate celebratus:

D —— *Sulmone creatos*
Quatuor hic juvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Immorari exemplis, quæ pene infinita sunt in promptu, non est opus: sed Lectorem remitto ad Clementem Alexandrinum *Protrept. pag.* 27. Lactantium *de Falsa Relig. cap.* XXI. & *de Justitia lib.* V. *cap.* X. Minutium Felicem *pag.* 99. *Edit. Oxon.* MDCXXXVI. Cyrillum *adv. Julianum lib.* IV. *pag.*
E 128. *Edit. Paris.* & præcipue Eusebium *de Præparat. Evang. lib.* IV. *cap.* XVI. aliosque, qui contra Gentiles scripserunt, e quibus abunde constat,

Quantum Religio potuit suadere malorum.

Porro notandum est, sacrificia conditioni eorum, qui illa offerebant, consona fuisse; ut enim vir opulentus Deorum contemptor habitus fuisset, qui vile sordidumque sacrificium obtulisset, ita vice versa minima pauperis dona Diis grata credebantur, cui ob penuriam loco vivi bovis alterum ex pane triticeo confectum offerre licitum fuisse scribit Suidas in *Voc.* Βοῦς. Et alio casu, cum sacri-
F ficia solita deerant, aliquid aliud, prout loci ac temporis ratio ferebat, substituere fas erat; unde Cyziceni arcta obsidione cincti, quibus bos niger non suppetebat, (hujus enim coloris certo anniversario die festo offerre consueverant) altero bove ex frumento solitis ritibus Deos donarunt; itidem Ulyssis comites apud Homerum deficiente hordeo quercina folia obtulerunt, & pro vino aquam Diis libarunt. Nihilominus ab iis, qui facultatibus pollebant, sumptuosa sacrificia requirebantur, & opulentiores pro præclaris beneficiis a

Diis vel acceptis vel postulatis sacrificia plurium animalium mactare consueverant; hinc Veteres frequenter meminerunt *hecatombes*, quæ centum animalium, & *chiliombes*, quæ mille erat sacrificium. Quamvis enim Eustathius *ad Iliad.α. pag.*36. *Edit. Basil.* tradat hecatomben proprie denotare sacrificium centum boum, quod a Clisthene apud Herodotum mactatum refertur, attamen in genere sumitur pro sacrificio centum animalium, cujuslibet generis fuerint; sed quia bos omnium victimarum præcipua ac pretiosissima erat, idcirco illud sacrificium dictum hecatombe, quia ex ἑκατὸν βουσὶ, seu *centum bobus*, constabat; alii illud nomen deduci volunt, juxta eumdem Commentatorem, ab ἑκατὸν βάσεσι ἤτοι ποσὶ, hoc est, *centum pedibus*, quia ex viginti quinque animalibus tantummodo componebatur; iterum alii contendunt, numero finito posito pro indefinito juxta figuram apud Poetas usitatissimam, hecatomben nihil aliud præter sacrificium plurium animalium significare; econtra plurimi afferunt, illud nomen originem duxisse non tam a victimarum numero, quam eorum, qui sacrificio intererant; denique ceremonias, quæ in hecatombe peragebantur, paucis tradit Julius Capitolinus in *Maximo* & *Balbino*; centum enim altaria ex cespite, quibus centum sues aut oves, &c. mactari solebant, erecta sunt. Suidas in *Voc.* Βοῦς aliud sacrificii genus memorat, quod ex septem partibus constabat, nimirum ove, sue, capro, bove, gallina, ansere, tandemque bove farinaceo; unde proverbium, Βοῦς ἕβδομος, (de quo antea actum) natum esse nonnulli volunt. Præterea memoratur sacrificium trium animalium, idcirco dictum τριττὺς vel τριττύα, quod (teste Epicharmo apud Eustathium *ad Odyss.* λ'. *pag.* 423. *Edit.Basil.*) ex duabus ovibus & bove, aut ex bove, capro, & ove, vel ex apro, ariete, ac tauro, vel ex sue, capro, & ariete, (cujus ultimi sacrificii meminit Aristophanes) constabat. Tandem notetur duodecim animalium sacrificium, quod idcirco apud sæpius memoratum Scholiastem *loc.* mox *cit.* dicebatur δωδεκαὶς θυσία, & sic de cæteris. Sed hæc sufficiant de sacrificiorum materia.

Proxime consideranda veniunt sacrificiorum prærequisita & ornamenta. Ad solenniora sacrificia accedere nemini fas erat, nisi prius per aliquot dies purificato, in quibus ab omni voluptate carnali abstinebat; ad quod alludit Tibullus *lib.*II. *eleg.* I.

—— discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Tanta cum severitate sacrum illum ritum servabant, ut in nonnullis solennioribus sacris Sacerdotes ad juramentum dicendum adigerentur, quo se debitum in morem purificatos asseverabant: cujusmodi sacramentum Bacchi Sacerdotibus Athenis impositum est hac formula apud Demosthenem *in Neæram:* Ἁγιστεύω, καὶ εἰμὶ καθαρὰ, καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας· καὶ τὰ Θεοίνια καὶ τὰ Βακχεῖα γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. Id est: *Ego pura, immaculata, & ab omni pollutione, præsertim ab illa, quæ ex viri concubitu contrahitur, libera, ad sacra Bacchi facienda tempore stato & ritibus patriis pergo.* Quæ verba intelligenda sunt non solum de adulterio & fornicatione, sed etiam de licita voluptate conjugali; nam in solennioribus Deorum sacris celebrandis plus quam vulgarem puritatem ac sanctimoniam requiri existimabant, idcirco ab illis oblectamentis, quæ alias licita erant, hac occasione abstinebant: nihilominus a nonnullis illa purificatio inutilis ducebatur; Theano enim, quæ apud Athenienses sacerdotio fungebatur, interrogata an mulieri liceret a consortio viri ad sacrificium accedere, respondit, a proprio viro semper, ab adultero nunquam ei licitum esse.

Præterea nemo nisi aqua lustratus ad solenniora sacrificia admittebatur; qua de causa ad sanctuarii aditum positum erat vas aqua lustrali plenum, sæpius cum ramo laureo, inquit Plinius *Nat. Hist. lib.*XV. cap. XXX. quo Sacerdotes introeuntes lustrabant; unde illud vas appellatum est περιῤῥαντήριον, ἀπὸ τοῦ περιῤῥαίνειν, *a lustrando.* Sozomenus *Histor. Ecclesiast. lib.*VI. cap.VI. *pag.* 644. *Edit. Paris.* ubi agit de Valentiano Julianum sequente in templum: Ἐπεὶ δὲ ἔμελλεν ὑπεραμείβειν τὸν οὐδὸν τοῦ νεὼ, θαλλοὺς τινας διαβρόχους κατέχων ὁ ἱερεὺς νόμῳ Ἑλληνικῷ περιέῤῥαινε τοὺς εἰσιόντας. *Cumque limen templi transgressurus esset, sacerdos verbenas aqua tinctas manu gestans, Gentilium more ingredientes conspersit.* Interdum se conspergebant hac aqua, idque aliquando torre in eam intincto. Euripides in *Hercule Furente vers.* 928.

Μέλλων δὲ δαλὸν χειρὶ δεξιᾷ φέρειν,
Εἰς χέρνιβ' ὡς βάψειεν Ἀλκμήνης τόκος.

Cum autem torrem manu dextra laturus esset
Filius Alcmenæ, ut intingeret in aquam lustralem.

Ad quem locum hæc adnotavit Athenæus Δειπνοσοφ. *lib.* IX. *pag.*409. *Edit. Lugd.* Ἐστὶ δὲ ὕδωρ, εἰς ὃ ἀπέβαπτον δαλὸν ἐκ τοῦ βωμοῦ λαμβάνοντες, ἐφ' οὗ τὴν θυσίαν ἐπετέλουν· καὶ τούτῳ περιῤῥαίνοντες τοὺς παρόντας ἥγνιζον. *Est autem aqua, in qua titionem ex altari, in quo sacrificium offerebatur, sumtum tingebant: & conspersos purificabant quotquot adessent.* Meminit etiam Aristophanes in *Pace pag.* 696. *Edit. Aurel. Allobrog.*

Φέρε δὴ τὸ δᾳδίον, τόδ' ἐμβάψω λαβών.

Cedo bucce torrem, ut aqua intingam.

Quo loco Scholiastes tradit titiones usos fuisse, quod ignis vim purificandi habere crederetur: Τὸ ὕδωρ ἐδόκουν ἀποζέσαντες τοῦ πυρός. καθαρτικὸν γὰρ πᾶν τὸ πῦρ, ὡς Εὐριπίδης ἐν Ἡρακλεῖ. Illorum, qui Diis superis sacra faciebant, integra corpora, vel saltem manus, ablui, econtra illos, qui Diis inferis sacrificabant, minore lustratione usos fuisse, refert Spondanus. Aliquando pedes æque ac manus lavabant; hinc nata trita proverbia, ἀνίπτοις χερσὶν, & ἀνίπτοις ποσὶν, Latine *illotis manibus*, & *illotis pedibus*; quæ tribuuntur iis, qui incaute ac sine debita cura quidquam suscipiunt. Programma foribus inscriptum fuisse, quo cuivis prohibitum erat ultra περιῤῥαντήριον progredi, nisi prius manibus aqua lustrali ablutis, tradit Porphyrius *de Victim.* imo illius sacræ ceremoniæ neglectus pro tanto crimine habebatur, ut Timarchides in *lib. de Coronis* quemdam Asterium referat, qui fulminis ictu occisus est, quia manibus illotis aram Jovis adire ausus fuerat. Nec in solennibus sacrificiis tantum, sed & in quavis Deorum cultus minima parte, servabatur ille ritus; ipsemet Hector apud Homerum *Iliad.* ζ'. *vers.* 266. Jovi libare illotus non audet:

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι. ——

Manibus autem illotis Jovi libare nigrum vinum
Vereor. ——

Et in ejusdem *Odyssea* Telemachus vota supplicia Diis facere non sustinuisse dicitur antequam manus lavisset. Illum autem ritum servabant, quia pec-

cata lustratione purgari existimabant Ethnici; necnon quidquam impurum ac pollutum ad Deos accedere nefas esse significabant. Eamdem ob causam ad tantam superstitionem pervenerunt, ut vestimenta lavarent; quod a Penelope factum, antequam preces Diis funderet, scribit Homerus, quod postquam corpus suum lavisset, vestes puras induit *Odyss. δ'. vers.* 759.

Ἡ δ' ὑδρηναμένη, καθαρὰ χροῒ εἵμαθ' ἑλοῦσα.
Ipsa vero lota puras corpori vestes induit.

Citari solent & hæc :

Casta placent Superis, pura cum veste venito.

Et ,

—— *pura cum veste Sacerdos.*

Cæterum in lustrationibus non quamlibet aquam, sed præcipue puram, de fontibus, fluminibusve haustam adhibebant : nam quæ fæce, vel communi usu contaminata erat, ad purgationem minus apta videbatur. Hinc Æneas apud Virgilium *Æneid. l.* VI. *vers.* 635.

Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua. ——

Vide etiam *Æneid. l.* IV. *vers.* 635. & *l.* II. *vers.* 719. Plura exempla notissimæ consuetudinis attulisse vix operæ pretium foret. Id vero prætereundum non est, eumdem morem apud alias quoque gentes olim invaluisse. Nam & Judæi, atque inter eos Essæi, quorum secta erat maxime omnium in sanctimoniæ & puritatis exercitio versata, *participes facti sunt καθαρωτέρων τῶ πρὸς ἁγνείαν ὑδάτων*, ut notat Porphyrius *de Abstinent. l.* IV. c. XII. quem ritum quoque Apostolus ob oculos habuisse videtur, sic Hebræos alloquens c. X. *vers.* 22, 23. Προσερχώμεθα, ... λελυμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ. *Accedamus . . . . corpus abluti aqua pura.* Cui haud absimile Ezechielis dictum ad lustrationem Judaicam respicientis c. XXXVI. *vers.* 25. *Effundam super vos* καθαρὸν ὕδωρ, &c. Omnium vero efficacissima erat aqua salsa : nam sali vim quamdam καθαρτικὴν inesse credebant. Homeri Scholiast. *Iliad. α'. vers.* 314. φύσει δὲ τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης καθαρτικόν ἐστι. Hinc apud Apollonium *l.* IV. *vers.* 662. Argonautæ :

—— Κίρκην
Εὗρον ἁλὸς νοτίδεσσιν κάρη ἐπιφαιδρύνουσαν,
Τοῖον γὰρ νυχίοισιν ὀνείρασιν ἐπτοίητο.
—— *Circen*
Invenerunt aqua marina caput expurgantem,
Adeo nocturnis terrebatur somniis.

Et Stobæus, cum hoc Euripidis dictum citasset,

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά,
Mare abluit omnia hominum mala,

statim subjungit : Φέρεται δὲ εἰς τοὺς δεισιδαίμονας, οἳ θαλάσσῃ περικαθαίρονται. *Dicitur de superstitiosis, qui mari lustrantur.* De Judæis itidem narrat Aristeas, quod ante preces matutinas ἔθος ἐστὶ πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις ἀπονίψασθαι τῇ θαλάττῃ τὰς χεῖρας, *mos est Judæis omnibus mari abluere manus.* Sin aqua marina non aderat, aliquando salem in aquas immittebant, priusquam vel homines, vel loca polluta irrorarent. Hinc Theocritus *Idyll.* XXIV. *vers.* 94.

—— καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
Πρᾶτον, ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον, ὡς νενόμισται,
Θαλλῷ ἐπιρραίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.
—— *& puro lustrate domum sulphure*
Primum, deinde sale mixtam, ut ritus est,
Ramo virenti inspergite coronatam puram aquam.

A Insuper de lustrationibus notandum, aliquando aqua circumlata ramo lauri aut oleæ lustrari solitos fuisse ; quem in modum Corynæi comites apud Virgilium *Æneid. lib.* VI. *vers.* 229. purificati referuntur :

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ.

Hujusmodi ritus aquam circumferendi in omni fere purificationum genere obtinebat; unde pleraque purificandi vocabula apud Græcos componuntur ex præpositione περὶ, ut περιμάττεσθαι, περι-
B αγνίζειν, περιθειοῦν &c. Et apud Romanos ille mos tam universo venit usu, ut verbum *lustro*, quod proprie sonat *purifico* aut *expio*, apud Virgilium *Æneid. l.* I. *vers.* 611. sumatur pro circuire :

—— *dum montibus umbræ*
Lustrabunt convexa. ——

Præterea sulphure aqua salsa diluto & ramo lauri aut face accensa præsentes undique lustrabat Sacerdos; quapropter verbum Græcum περιθειοῦν, id est, *purificare*, a θεῖον *sulphur* factum est; cujus
C moris meminit Juvenalis *Sat.* II. *vers.* 157.

—— *cuperent lustrari, si qua darentur*
Sulphura cum tædis, & si foret humida laurus.

Ovidius *Metam. l.* VII. *fab.* II. illam lustrationem trino circuitu peractam tradit :

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

Sed alia purificationis species erat ventilatio, prout Grangæus *ad locum Juvenalis mox citatum* ob-
D servavit.

Duos adhuc purificandi modos notabo, quorum Theophrastus *Charact. Ethic.* meminit. Prior peragebatur scilla corpus hominis purificandi circumducta; qui ritus a Luciano in Ἐπισκοποῦντες memoratur. In altero vero catulus circumferebatur, quem modum lustrandi apud omnes pene Græcos obtinuisse refert Plutarchus in *Quæst. Rom.* illum efferens nomine περισκυλακισμοῦ, a σκύλαξ, *catellus.*

Qui infame crimen, ut homicidium, incestum, aut adulterium, perpetrarat, a sacris ritibus arcebatur donec probe purificatus; Pausanias quoque in *Achaicis* meminit templi ab Oreste Eumenidibus
E dicati, in quod quis ingressus, licet tantum inspiciendi gratia, illico a Furiis correptus ratione destituebatur. Imo nemini post victoriam adeptam in hostem, quem jure belli adortus fuerat, sacrificia aut vota Diis facere, antequam purgatus foret, fas erat, quapropter Hector in *loc.* mox *cit.* addit :

—— οὐδέ πη ἔστι κελαινεφέϊ Κρονίωνι
Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.
—— *nec ullo modo fas est nubes atras cogenti Saturnio*
Sanguine & cruore inquinatum vota facere.

F Quicumque sacris interesse permittebantur, dicti ἀβέβηλοι, ὅσιοι, &c. reliqui βέβηλοι, ἀλιτροὶ, ἀκάθαρτοι, ἐναγεῖς, δυσαγεῖς, μιαροὶ, παμμίαροι, ἀνόσιοι, εἰργόμενοι : cujusmodi erant servi quibusdam in locis, captivi, virgines, & nothi Athenis, juxta Isæum, si excipias templum Herculis intra Cynosarges, quia Hercules ipse aliquo modo spurius erat, nec ex numero summorum Deorum immortalium, cuique mulier mortalis pro matre erat.

Hesychius *Voc.* Δευτερόποτμος, Plutarchus *Quæst. Rom.* & Phavorinus tradunt, templum Eumenidum ingredi δευτεροπότμοις aut ὑστεροπότμοις non licitum fuisse. Isti vero ita vocabantur, quod pro mortuis habiti, & post inferias illis datas inopinato ad vitam revocati erant; vel qui post longam in peregrinis regionibus absentiam, ubi vitam finiisse crediti, domum incolumes repetebant. Athenis purificabantur per gremium vestis muliebris demissi, ut sic renati viderentur, tumque sacris admittebantur. Quem Atheniensium morem imitati sunt, ex parte Romani: nam eum, qui postliminio ab hostibus revertebatur, nolebant per limen ingredi, sed tecto perforato in ædes admittebatur. Permolestum foret memorare omnes, qui in sacrificiis locisve specialibus profani existimati sunt; quapropter id solummodo addam, quod ante sacros ritus inchoatos Κῆρυξ sive *Præco*, interdum Sacerdos, alta voce clamabat omnes illos abire; prout videre est apud Callimachum *Hymn. in Apollinem vers.* 2.

> —— ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός.
> —— *procul, procul* (esto) *quivis profanus.*

Quod Virgil. *Æneid. l.* VI. *vers.* 258. imitatus est:

> —— *Procul, o procul este, profani,*
> *Conclamat Vates, totoque absistite luco.*

Orpheus *Fragm. vers.* I. jubet fores iis occludi:

> Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις
> Πᾶσιν ὁμῶς. ——
> *Edico quibus jus est, fores autem claudite profanis*
> *Simul omnibus.* ——

D Templi locus sacer a profano separabatur fune, quem transgredi βεβήλοις non concedebatur; iste funis Græce dicebatur σχοινίον, ideoque sacris ritibus non admissi vocantur apud Demosthen. *Orat. in Aristogitonem* ἀπεσχοινισμένοι, *fune separati*.

Denique id notandum est, sordes, quas in lustrationibus absterissent, ab oculis hominum, veluti rem profanam, remotas fuisse. Et si juxta mare lustrabantur, sordes in id mittebant: quod faciunt Græci *Iliad. α' vers.* 313.

> Λαοὺς δ' Ἀτρείδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν·
> Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματα βάλλον.
> E *Populum Agamemnon lustrari jussit:*
> *Hi autem lustrabantur, & purgamenta in mare ejiciebant.*

Vel, præsertim si mare procul distaret, ea λύματα, seu καθάρματα, (sic enim appellant sordes lustrationum) in terra defodiebant: quod ex Orestis exemplo constat, e cujus sordibus in terra Trœzeniorum defossis laurus germinavit: Pausanias *Corinthiacis pag.* 145. eam ad sua tempora monstrari affirmat.

F Ornamenta in sacrificiis usurpata sic se habebant. Sacerdotes (ut & in aliis circumstantiis) splendidas ac pretiosas vestes gerebant, plerumque easdem cum togis regiis, saltem ab illis non multum diversas. Athenis aliquando induebantur sumptuosis superbisque vestimentis ab Æschylo in usum Tragœdorum excogitatis, ut discimus ex Athenæo *Deipnosoph. lib.* I. c. XVIII. Spartæ vestitus Sacerdotum conveniens quoque erat aliis cultus partibus, ideoque nec sumptuosus, nec splendidus, semperque preces fundebant ac sacrificia faciebant nudipedes.

A In omnibus sacris ritibus vestes eorumdem debebant esse puræ, laxæ, atque solutæ; si vero fœdatæ fuissent contactu cadaveris, aut fulmine fulgureve tactæ, cum iis rem divinam facere Sacerdoti nefas erat.

Vestes sumebant diversas pro diversitate Deorum, in quorum honorem sacra celebrabantur. Diis superis sacrificantes veste purpurea, inferis nigra, Cereri alba, cincti erant.

Coronæ quoque eorum capiti impositæ erant, plexæ utplurimum ex frondibus arboris, quæ sacra existimabatur Deo, quem colebant; ita in sacrificiis Apollini factis lauro, juxta Apollonium
B Rhod. *Argonaut. l.* II. *vers.* 159.) Herculi populo, coronati erant, & sic de cæteris. Nec Diis placebant, qui sine coronis sacrificabant: nam gratissimæ illis esse coronæ credebantur; adeo ut quidam coronarum etiam convivalium originem inde petendam censeant, quod prima convivia in honorem Deorum celebrata fuerint. Vid Athen. *Deipnosoph. l.* XV. c. V. *pag.* 674. Qua de re plura dicenda erunt, cum ad Convivia ventum fuerit.

Præter coronam Sacerdos capite gestabat sacram infulam seu mitram, a qua utrinque pendebat vitta, ut discimus ex Virgilio *Æneid. l.* X. *vers.* 538.
C Infulæ vulgo ex lana conficiebantur, nec tantum Sacerdotum capita iis circumcingebantur, imo victimæ cornibus, templo, & altari superimponebantur; similem in modum coronas adhibebant universi. At vero solebant præcipue Romani in sacris capitis tegumenta gestare: quem morem Æneas in Italiam intulit: is enim dicitur sacra velato capite peregisse, ne quod malum omen ipsi obveniret, ut nos docet Virgilius *Æneid. lib.* III. inque eum locum Servius, quibus addas Aurelium Victorem, Plutarchum in *Roman. Quæst.* & alios. Tamen in nonnullis sacris Romani etiam aperto capite adstare solebant, ut docet Macrobius *Saturnal. lib.* 8. & ἀπαρακαλύπτῳ κεφαλῇ Saturni sacra fieri apud ipsos testatur Plutarchus, quod a Græcis acceptum fuisse vult Macrobius ejusdem *l.* c. X. Quinetiam eo ritu sacra fiebant Herculi in ara maxima, ut tradit Dionysius Halicarnassensis *l.* I. nimirum quid id sacrum ab Evandro Græco institutum erat. Unde Paulus Apostolus Græcis Corinthiis jubet, ut Deum aperto capite colerent, ejusque ritus causas affert, quales ferebat rei natura. Victimarum cornua infula & vittis, ipsarumque cervix corollis vinciebantur. Sed tamen is ordo an perpetuus fuerit, haud possum affirmare. Quod autem tum vittas & infulas, tum etiam coronas gestarint victimæ, testes sunt plurimi. Virgilius *Georg. l.* III. *vers.* 486.

> —— *stans hostia ad aram,*
> *Lanea dum nivea circumdatur infula vitta.*

Sed hæ infulæ Romanis præcipue in sacris, juxta Phrygiorum usum, adhiberi volebant. In Græcis Auctoribus coronatarum victimarum frequens mentio. Hinc Polyxena a Græcis mactata στεφηφόρος βοῦς a Lycophrone dicitur *Cassandra vers.* 327. ὅτι ἐστεφάνην καὶ αὖθις ἔπαττον τὰς θυομένας, ut ibi loquitur Tzetzes. Extraordinaria quadam occasione, ut cum petebant aut accipiebant insigne aliquod beneficium, auro obducebantur victimarum cornua; quod Diomedes apud Homerum *Iliad. κ'. vers.* 294. Minervæ pollicetur:

> Τήν τοι ἐγὼ ῥέξω, χρυσὸν κέρασιν περιχεύας.
> *Hanc tibi ego sacrificabo, auro cornibus circumfuso.*

Ad quem morem alludens Porphyrius boves in

sacrificium destinatos χρυσοκέρως vocat. Majores hostias solas, cujusmodi boves, sic decoratas fuisse notat Plin. *Nat. Hist.* l. XXXIII. c. III. sed contrarium elici videtur ex Senatusconsulto Romano a Macrobio *Saturnal.* l. I. citato, quo Decemviri jubentur, ex Græcorum more, bovem ac duas capras cornibus deauratis Apollini mactare; nisi (ut nonnulli volunt) capri inter hostias majores annumerentur, æque ac oves inter maximas recensitæ, non tam ob crassitiem, quam quia Diis valde pretiosæ & acceptæ credebantur.

Altaria sterni solebant sacris herbis a Romanis dictis *verbenis*; quo nomine omnia herbarum genera, quæ in sacrificiis usuveniebant, efferebantur; hac autem parte, ac pluribus aliis singulis Diis singulæ herbæ, quibus delectari credebantur, offerri consueverant.

Tempora sacrificiorum solennia pro natura & ingenio Deorum varia fuere: nam Cœlestibus sub ortum solis, saltem aperto die: Inferis sub occasum solis, aliquando etiam media nocte, sacrificabant: quod illi luce, hi vero tenebris delectari crederentur: unde Manes noctu terras oberrare, & sub adventum solis in tenebras suas se recipere finguntur. Unde Magica sacra, quibus Hecate præerat, noctu peracta fuisse, nemini obscurum esse potest. Apollonii Scholiastes *lib.* I. Τοῖς μὲν καταχθονίοις ὡς περὶ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζουσι· τοῖς δὲ οὐρανίοις ὑπὸ τὴν ἕω ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου.

Omnibus ita dispositis, mola salsa, culter, aliudve instrumentum victimæ jugulandæ aptum, & coronæ in canistro dicto κανοῦν afferebantur, unde virgines Athenienses, quæ in Panathenæis pluribusque aliis sacris festis illud canistrum gestabant, appellatæ sunt κανηφόροι.

Hostiæ minores, qualis ovis, aut aliud inter minora animalia, ad aram liberæ agebantur; majores vero cornibus ligatæ adducebantur, ut patet ex verbis Homeri *Odyss.* γ'. *vers.* 439. quibus sacrificium Nestoris describitur:

> Βοῦν δ' ἀγέτην κεράων Στρατίος καὶ δῖος Ἐχέφρων.
> *Bovem autem ducebant cornibus Stratius & divus Echephron.*

Aliquando fune oblongiore, nunquam vero breviore aut arctiore, victimam, ne ad altare vi adacta videretur, ductam fuisse testatur Juvenalis *Satyra* XII. *vers.* 5.

> *Sed procul extensam petulans quatit hostia funem*
> *Tarpejo servata Jovi, frontemque coruscat.*

Quod ex Virgil. etiam constat *Æneid.* l. V. *vers.* 773.

> *Tres Eryci vitulos, & Tempestatibus agnam*
> *Cædere deinde jubet, solvique ex ordine funes.*

Nulla enim vi deducebantur, aut deducta mactari solebant, sed potius solutis vinculis Diis sponte se offerebant. Unde & apud Virgilium *loco* jam *laudato* vincula victimarum solvi jubentur. Et in Aristoclis *Epigrammate* anus quædam taurum aure ducit ad altare:

> Τοῦτον γραῦς στείχουσα μόνη μόνον οὔατος ἕλκει
> Τὸν δ' ἐπὶ βωμόν, ὁ δ', ὡς ματέρι παῖς, ἕπεται.
> *Illum anus incedens sola solum aure trahit*
> *Ad altare, ille enim, tanquam filius matrem, sequitur.*

Musica & alia pompa hostia ad aram sæpenumero ducebatur; quod tamen raro obtinebat, nisi in majoribus sacrificiis, cujusmodi erant hecatombæ.

Deinde altari circumstabant, quod Sacerdos a dextera ad sinistram circuibat, farinaque & aqua

A lustrali adspergebat, ut observant Aristophanes ejusque Scholiastes in *Pace*; necnon face accensa ab altari petita aut ramo lauri præsentes lustrabat. Illa sacra aqua, quæ dicebatur χέρνιψ, non diversa erat ab illa, qua in purificationibus utebantur; quapropter Poetæ verbum χερνίπτεσθαι pro ἱερὰ ῥέζειν, *sacra facere*, non raro usurpant. Pariter vasa cepis, aqua, sulphure, & ovis purgari solebant.

His peractis, Præco alta voce clamabat: Τίς τῇδε; *Quis adest?* Cui populus respondebat, Πολλοὶ κἀγαθοί, *Multi & boni*; deinde precabantur, atque Sacerdos eos hortabatur ut cum illo dicerent, Εὐχώμεθα, *Precemur.* Addam Aristophanis

B locum in *Pace pag.* 662. *Edit. Amstelod.*

> —— ΤΡ. Ἀλλ' εὐχώμεθα.
> Τίς τῇδε πῦ ποτ' ἐστί; ΘΕ. Πολλοὶ κἀγαθοί.
> —— TR. *Sed precemur:*
> *Quis autem hic adest?* FAM. *Multi & boni.*

In genere Deos rogabant, ut sacra sua dona accipere sibique sanitatem ac fœlicitatem præstare dignarentur; in suis αἰτητικοῖς, seu *sacrificiis flagitatoriis*, singulare quoddam beneficium a Diis quoque petebant. In omnibus istiusmodi occasionibus

C videntur usurpasse communem precum formulam, quæ etsi verbis discreparet, eodem plerumque tendebat; cujusmodi observare est apud Aristophanem *loco* mox *citato*, & Athenæum *Deipnosoph.* l. XIV. ex Menandro adulatore. Jamque Præco silentium indicebat his aut similibus verbis, Εὐφημεῖτε, σίγα, σίγα πᾶς ἔσω λεώς. Eamdem consuetudinem servabant in sacrificiis Romani, clamantes, *Favete linguis*, quod convenit cum Græco Εὐφημεῖτε, quo (ut videtur) populus non jubebatur altum continuumque silentium agere, sed potius abstinere omnibus profanis sermonibus verbisque ominatis, juxta Horatii interpretationem *Carm.* l. III. *ode* XIV.

D

> —— *male ominatis*
> *Parcite verbis.*

Precibus finitis, Sacerdos omnia victimæ membra explorabat, num deprehenderet in ea quemdam nævum aliudve vitium; imo ulterius inquirebant, an intus sana esset, idque cognoscebant apponendo ei cibos, ut hordeaceam farinam bobus, vicias hircis, qui, si illa aspernarentur, corrupti censebantur. Hircos quoque aqua frigida conspergebant, quam si absque contractione membrorum ferrent, aliquo modo male se habere credebantur, juxta

E Plutarchum *de Defectu Oraculorum*. Posthæc tentabant, utrum victima sponte Diis mactari vellet, idque fiebat, cultrum ab ipsius fronte ad caudam pertrahendo, (quemadmodum Servius animadvertit *in Æneid.* XII. *vers.* 173.) quod si victima reluctaretur, rejiciebatur ut Diis minime grata; si vero ad aram quieta staret, Deos ea delectari existimabant; nec mera patientia sufficiebat, nisi assentiretur quasi nutu facili, (quo antiquitus aliquid annuebant aut approbabant, unde Græcum vocabulum ἐπινεύειν, & Latinum annuere, denotat *præbere assensum alicui rei*) eoque aqua in ejus aurem infundebatur, & aliquando hordeum, quæ

F vocabantur προχύται, referente Scholiaste Apollonii Rhodii *in Argon. lib.* I. *vers.* 425.

Postea iteratis precibus, iisque finitis, Sacerdos vini poculum sumebat, quo degustato, adstantibus præbebat, tumque residuum effundebat inter cornua victimæ, ut discimus ex Ovidii *Metam. lib.* VII. *vers.* 593.

> —— *dum vero Sacerdos*
> *Concipit, & fundit purum inter cornua vinum.*

Eumdem morem passim memorant Auctores; unicum tantum afferam exemplum ex Furio Eveno, veteri Poeta Græco, qui fuit Philisti Historici magister, floruitque circa XCII. Olympiadem, de quo exstat hocce epigramma *Antholog. l.* I. c. VI. *epigr.* I. in quo vitis hircum sic alloquitur:

> Κ' ἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
> Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θυομένῳ.
> *Etsi me devores ad radicem usque, tamen adhuc*
> *fructum producam*
> *Quantum libando* satis sit *tibi, hirce, mactato.*

Dein thura aliosque gratos odores super altari, & (secundum nonnullos) super victimæ fronte ponebant, ex thuribulo, Græcis dicto θυμιατηρίῳ, tribus digitis illa accipientes, prout nos docet Ovidius *Fast. lib.* II.

> *Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.*

Hinc est, quod Pythia apud Porphyrium dicat, omnes Thessalorum hecatombas non magis placuisse Diis, quam illa ψαιστὰ, a quodam viro Hermionensi tribus digitis libata. Tum partem τῶν οὐλῶν effundebant dorso victimæ, quæ idcirco irrorabatur levi aquæ adspersione. His peractis, iterum preces fundebant, reliquiasque τῶν οὐλῶν ad aras libabant; quæ omnia dicebantur προθύματα, quia offerebantur antequam victima mactaretur.

Tunc Sacerdos, aut Κῆρυξ, sive *Præco*, aut ex adstantibus honoratissimus quivis, victimam mactabat, vel obtruncando, vel jugulando. Si sacrificium in Superorum honorem fieret, jugulum flectebatur cœlum versus, quod Homerus dicit αὖ ἐρύειν vel una voce αὐερύειν: si vero Heroibus aut Inferis sacrificarent, victima cædebatur jugulo in terram inclinato, juxta Eustathium *ad Iliad.* ά. Si victima fortuito ictum declinasset, transiliisset, mugitus edidisset, nec prona humum cecidisset, post casum calcitrasset ac supplodisset, irrequieta foret donec cum dolore ac difficultate expirasset, sanguinem non libere misisset, diuque post mortua fuisset, Diis minime grata existimabatur; illa enim omnia erant inauspicata omina, hisque contraria indicabant Deorum affectum atque benevolentiam. Κήρυκες seu *Præcones* operam suam conferebant in pelle victimæ detrahenda, lignis accendendis, cæterisque infimis officiis peragendis, interea dum Sacerdos aut haruspex exta cum secespita invertebat, inspiciebat, iisque futura præsagiebat, illa enim manibus attingere nefas erat. Victimarum sanguinem vase, quod vocabatur σφαγεῖον, ἀμνίον, aut secundum Lycophronem ποιμανδρία, excipiebant, eumque Diis superis ad aras libabant; si sacrificium in honorem Deorum æquoreorum fieret, sanguinem in muriam injiciebant; si vero in littore maris stabant, victimam supra σφαγεῖον non mactabant, sed super aquam, in quam interdum eamdem immittebant; cujus rei exemplum exstat apud Apollonium Rhodium *Argonaut. l.* IV. *vers.* 1601.

> Ἦ ῥ' ἅμα δ' εὐχωλῇσιν ἐς ὕδατα λαιμοτομήσας
> Ἧκε κατὰ πρύμνης. ——
> *Has inter preces jugulatam in aquas*
> *Misit de puppi.* ——

In inferiis victima aut super fossam cædebatur, aut ejus sanguis ex σφαγείῳ in eam effundebatur. Deinde vinum una cum thure in ignem conjiciebant, ut flammæ invalescerent; tumque victimam altari imponebant, quæ antiquitus in honorem Deorum tota cremabatur, unde ipsi nomen ὁλοκαύτωμα vel ὁλόκαυστον. Prometheus (ut fingunt Poetæ) hanc-
A ce consuetudinem primus sustulit, eo quod videret plebeculam non habere quo cum sumptus in holocaustum exsolveret, ideoque a Jove ei potestas facta, ut sacrificii una pars tantum Diis offerretur, residuum vero ipsismet cederet. Partes Diis propriæ erant μηροὶ, seu *femora*, quæ adipe Græcis dicta κνίσσῃ cooperiebant, ut sic flammis prorsus conflagrarent; ni enim omnia comburerentur, credebant se non καλλιερεῖν aut *litare*, id est, suum sacrificium Diis non placere. Hisce μηροῖς superinjiciebant carnis frustula ex singulis victimæ partibus exsecta, cujusmodi ἀπαρχαὶ, seu *primitiæ*; quod dicebant ὠμοθετεῖν, aut quia humerum a
B Græcis vocatum ὦμον prius abscindebant, aut quia ὠμὰ τίθεντο *cruda* illa carnis frusta reliquis partibus *superimponebant*. Sic *Iliad.* ά. *vers.* 459.

> —— καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν,
> Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν,
> Δίπτυχα ποιήσαντες, ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν.
> —— *& mactarunt, & excoriarunt,*
> *Femoraque absciderunt, & pinguedine obtegerunt,*
> *Duplicia componentes, & super eo partes crudas posuerunt.*

C Ubi Scholiastes vetus: Ὠμοθέτησαν· ἀπ' αὐτῶν δὲ ὠμῶν τῶν ἱερείων ἀπαρξάμενοι, ἔκοψαν μικρὸν ἀπὸ παντὸς μέρους, καὶ ἐπέθηκαν ἐπὶ τὰ μηρία, ὡς δοκεῖν ὅλα τὰ μέλη τοῦ ἱερείου καρποῦσθαι. Μηροὶ, sive *femora*, Diis dicati erant, ob honorem hisce partibus debitum, ceu membris quæ generationi ac ambulationi maxime inservirent, juxta Eustathium *ad Iliad.* ά. διὰ τὸ συντελεῖν τοῖς ζώοις εἰς βάδισίν τε καὶ εἰς γένεσιν. Nempe (ut ait Joannes Tzetzes *in Hesiodi Oper. & Dier. l.* I. *vers.* 335.) allegorice significabant, se suasque actiones & cœpta omnia Diis hoc ritu commendari. Casaubonus vero *in Theophrastum* asse-
D rit, exta aliquando Diis offerri, in quo dissentit ab Eustathio, qui nos docet illa dividi inter eos, qui sacrificio aderant; ita Homerus in sacrificiis describendis plerumque dicit, quod extis epularentur, σπλάγχν' ἐπάσαντο. Per istam vocem σπλάγχνα, cum proprie *exta* significet, intelligenda sunt (ait Eustathius *in Iliad.* ά) lien, jecur, & cor; & quod interdum sumatur pro corde; patebit ex significatione compositorum; nam per ἄσπλαγχνον ἄνδρα innuitur *vir timidus* ac *pusillanimis*, econtra vero εὔσπλαγχνος denotat virum *fortem* & *magnanimum*, teste Scholiaste Sophoclis *in Ajacem*. Et quod in quibusdam sacris viscera adoleri consueve-
E rint, e Poetis est manifestum. Nam apud Virgilium *Æneid. l.* VI. *vers.* 252. Æneas,

> *Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras,*
> *Et solida imponit taurorum viscera flammis.*

Item Ovidius *Metamorph.*

> *Viscera jam tauri flammis adolenda dedisset.*

Sed Dionysius Halicarnassensis, ubi Græcorum & Romanorum sacrificia describit, primitias solummodo e visceribus, ut de cæteris membris decerptas, adoleri consuevisse tradit. Cujus verba non erit a proposito nostro alienum hoc loco de-
F scripsisse, ut utriusque gentis ritus sacrificandi uno intuitu conspiciantur: sic itaque scribit *Antiquit. Roman. libr.* VII. *pagin.* 478. & 479. ubi Romanis Græcam fuisse originem probare nititur: Καίτοι εἰ βάρβαροι ἦσαν οἱ τὴν Ῥώμην οἰκίσαντες, καὶ τὴν ἑορτὴν ταύτην καταστησάμενοι, τί προσῆκεν αὐτοῖς τοὺς μὲν Ἑλληνικοὺς πάντας σέβειν Θεούς τε καὶ Δαίμονας, τῶν δὲ πατρίων ὑπερορᾶν; ἢ δειξάτω τις ἡμῖν ἔξω τοῦ Ἑλληνικοῦ φύλου ἕτερον ᾧ πάτριά ἐστι ταῦτα τὰ ἱερὰ, καὶ τότε διαβαλέτω ταύτην τὴν ἀπόδειξιν, ὡς οὐχ

οὐχ ὑγιῆ. Συντελεσθείσης δὲ τῆς πομπῆς, ἐβουθύτουν εὐθύς οἵ τε ὕπατοι, καὶ τῶν ἱερέων οἷς ὅσιον, καὶ τῶν θυηπόλων. Τρόπος ὁ αὐτὸς ἦν τῷ παρ' ἡμῖν· χερνιψάμενοί τε γὰρ αὐτοὶ, καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῷ περιαγνίσαντες ὕδατι, καὶ Δήμητρος καρποὺς ἐπιῤῥάναντες αὐτῶν ταῖς κεφαλαῖς, ἔπειτα κατευξάμενοι, θύειν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον· τῶν δὲ, οἱ μὲν ἑστῶτος ἔτι τοῦ θύματος, σκυτάλῃ τοὺς κροτάφους ἔπαιον· οἱ δὲ πίπτοντος ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας· καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε καὶ μελίσαντες, ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἐξ ἑκάστου σπλάγχνου καὶ παντὸς ἄλλου μέλους· ἃς ἀλφίτοις ζέας ἀναδεύσαντες, προσέφερον τοῖς θύουσιν ἐπὶ κανῶν· οἱ δὲ ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιθέντες ὑφῆπτον, καὶ προσέσπενδον οἶνον κατὰ τῶν ἁγιαζομένων· ἕκαστον δ' ὅτι κατὰ νόμους ἐγίνετο τοὺς ἀμφὶ θυσίαν ὑφ' Ἑλλήνων καταστάθεντας, ἐκ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως γνῶναι ῥᾴδιον· καὶ γὰρ χερνιπτομένους εἰσάγει τοὺς Ἥρωας, καὶ οὐλαῖς χρωμένους, ἐν οἷς φησιν.

> Χερνίψαντο τ' ἔπειτα, καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.

Τριχοτομοῦντάς τε ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τὰς τρίχας, καὶ τιθέντας ἐπὶ τὸ πῦρ, ὧδε γράφων·

> Ἀλλ' ὅ γ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν.

Σκυτάλαις τε παίοντας τὰ μέτωπα τῶν ἱερείων, καὶ τὰ πεσόντα θύοντας, ὡς ἐπὶ τῆς Εὐμαίου ποιεῖ θυσίας.

> Κόψε δ' ἀπαρχόμενος σχίζῃ δρυὸς, ἣν λίπε κείων.
> Τὸν δ' ἔλιπε ψυχή· τοὶ δ' ἔσφαξάν τε καὶ εὗσαν.

Ἀπαρχάς τε ἀπὸ τῶν σπλάγχνων λαμβάνοντας, καὶ ἀπὸ τῶν ἄλλων μελῶν, καὶ ταύτας ἀλφίτοις ἐνδεύοντας καὶ καθαγίζοντας ἐπὶ τῶν βωμῶν, ὡς ἐπὶ τῆς αὐτῆς ποιεῖ θυσίας·

> —— ὁ δ' ὠμοθετεῖτο συβώτης,
> Πάντοθεν ἀρχόμενος μελέων ἐς πίονα δημόν·
> Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε παλύνας ἀμφίτου ἀκτῇ.

Ταῦτα δὲ Ῥωμαίους ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ πράττοντας ἐπὶ ταῖς θυσίαις ἰδὼν ἐπίσταμαι. *Atqui si barbari fuissent Romæ conditores, & festi hujus institutores, quorsum attinebat Græcanicos Deos Geniosque omnes colere, contemptis patriis? aut ostendat nobis aliquis præter Græcos nationem aliam, cui sacra hæc sint domestica; & tum demum probationem hanc ut infirmam calumnietur. Peracta pompa, confestim sacrificabant consules, sacerdotesque, & victimarii, quibuscumque fas erat; idque more nostratium. Lotis enim manibus, & lustratis aqua pura victimis, inspersisque in earum capita frugibus Cerealibus, conceptisque precibus, tum demum ministros eas mactare jubebant: quorum alii stantem etiam tum hostiam vecte feriebant in tempora: alii suppositis cultris cadentem excipiebant; ac mox excoriatam concidebant membratim, delibatasque ex singulis extis aliisque membris primitias farrea farina imbuebant, & in canistris offerebant sacrificantibus: qui aris impositas succendebant, & vinum inter adolendum affundebant. Quæ singula juxta Græcas sacrificiorum leges factitata esse, ex Homerica poesi facile est cognoscere: namque manus lavantes Heroas inducit, molisque utentes, ubi sic canit:*

> *Hinc lotis manibus, salsa hordea porriciebant.*

Pilos quoque de capite victimæ dissectos, in ignem jecisse sic ait:

> *Injecitque igni sectos de vertice pilos.*

Vectibus etiam hostias in frontem ferientes inducit, & collapsas mactantes, sicut in Eumæi sacrificio:

> *Atque mola sparsum, querna sude percutit: inde*
> *Exanimem jugulant, setasque jacentis oburunt.*

Primitias item extorum aliorumque membrorum de- A *sumentes, eas farina imbutas super aris adolentes introducit: ut in eodem sacrificio:*

> *Crudaque de cunctis delibans frustula membris*
> *Pingui convestit: mox omnia polline puro*
> *Conspergit, flammisque adolenda voracibus indit.*

Hæc Romanos etiamnum mea ætate in sacris observare ipse oculatus sum testis.

Dum sacrificium comburebatur, Sacerdos, & qui victimam præbuerat, vota concordia ad Deum concipiebant, manibus aræ impositis, quod erat status quo plerumque precabantur, ut deinceps B ostendemus. Durante sacrificio fidibus interdum canebant, existimantes Numen hisce placari, quemadmodum apparet ex historia, quæ apud Plutarchum *Sympos. lib.* II. *quæst.* I. de Ismenia narratur hisce verbis: Καὶ τοῦ Ἰσμηνίου τῇ θυσίᾳ προσαυλοῦντος, ὡς οὐκ ἐκαλλιέρει, παρελόμενος τοὺς αὐλοὺς ὁ μισθωσάμενος ηὔλησε γελοίως· αἰτιωμένων δὲ τῶν παρόντων, Ἔστιν (ἔφη) τὸ κεχαρισμένως αὐλεῖν θεόθεν· ὁ δ' Ἰσμηνίας γελάσας, Ἀλλ' ἐμοῦ μὲν αὐλοῦντος ἡδόμενοι διετέλουν οἱ Θεοί· σοῦ δ' ἀπαλλαγῆναι σπεύδοντος ἐδέξαντο τὴν θυσίαν. *Ismenias eum tibiis caneret ad sacrificium, neque litaretur, qui conduxerat tibias ei ademit, atque ipse ridicule cecinit;* C *cumque id reprehenderent adstantes, Divinitus (inquit) est canere gratiose: ibi subridens Ismenias, Imo ait me canente Dii oblectati moram produxerunt: tu autem ut missos ipsos faceres, propere sacrificium acceperunt.* Hujusmodi consuetudo in sacrificiis Numinum cœlestium, quæ organis musicis ac suavissimis cantibus delectari credebantur, præsertim servabatur.

Tumque circuibant aram saltando ac sacros hymnos cantando, qui constabant tribus stichis seu partibus; primam dictam *strophen* canebant ab oriente in occasum conversi; alteram nuncupatam *antistrophen*, ab occasu in orientem obversi; D deinde ante aram stantes accinebant *epoden*, qua finiebatur cantus. Hujusmodi hymni in honorem Deorum componebantur, ipsorumque facinora, clementiam, liberalitatem, ac beneficia ab iis in humanum genus collata continebant, tandemque absolvebantur votis, quibus Deos sollicitabant, ut favere ipsis pergerent. In genere appellabantur Παιᾶνες, ita tamen ut cuivis fere Deo dicatus esset hymnus sibi proprius, juxta Pollucem; ex. gr. Veneris hymnus vocabatur Ὕπιγγος, Apollinis speciatim Παιὰν, uterque Προσῴδια, Bacchi Διθύραμβοι, &c. Ex omnibus organis musicis tibiam in sacrificiis maxime adhibitam fuisse videtur, un- E de ortum proverbium, Αὐλητοῦ βίον ζῆν, iis accommodatum, qui alieno cibo vivunt, quia αὐληταὶ seu *tibicines* sacrificiis ministrantes ex iis partem accipiebant, iisque gratis vitam sustentabant, ut tradit Suidas *Voc.* Αὐλητής. Atque gentes fere omnes pervadit hic mos Deos musica æque ac sacrificiis placandi: nam etiam apud homines, ut Homeri verbis utar, in conviviis adhibebantur:

> Μολπή τ', ὀρχηστύς τε, τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.
>
> *Cantus, & saltatio, quæ ornamenta convivii sunt.*

Qui mos inde ad convivia seu sacrificia Deorum F transiit. Hinc Horatius *Carm. lib.* I. *od.* XXXVI.

> *Et thure & fidibus juvat*
> *Placare, & vituli sanguine debito,*
> *Custodes Numidæ Deos.*

Arnobius *contra Gentes lib.* VII. *Etiamne æris tinnitibus, & quassationibus cymbalorum? etiamne tympanis? etiamne symphoniis? quid efficiunt crepitus scabillorum, ut cum eos audierint Numina, honorifice secum existiment actum, & ferventes animos irarum*

oblivione deponant? Denique (ne pluribus exemplis congerendis immorer) Judæorum Sacerdotes, saltem in publicis & solennibus sacris, dum victima igne consumebatur, tubas inflabant *Numer.* x. 10.

Sacrificio finito, Sacerdoti cedebat sua portio, de qua jam dixi; magistratibus, qui Athenis dicebantur Πρυτανεις, decima pars tribuebatur. Spartæ in omnibus sacrificiis publicis præcipuam partem obtinebant Reges, victimæque pelles iis assignatæ erant. Plerumque etiam domum asportabant ex sacrificio aliquid, boni ominis causa, idque vocabant *ὑγίεια*, existimantes illud eorum incolumitati ac sanitati tuendæ conducere. Hesychius: *Υγίεια· ἄλφιτα οἴνῳ μεμιγμένα· καὶ πᾶν τὸ ἐκ Θεοῦ φερόμενον, εἴτε μύρον, εἴτε θαλλὸς, ἡ ὑγίεια.* Vid. Athenæus Δειπνοσοφ. *lib.* III. Hujusmodi morem servare Athenienses lex jubebat; quique avari erant, Deorum benignitatem interdum tam sordide pignerabantur, ut quod supererat venderent, atque ex sua pietate quæstum facerent. Aliquando sacrificii reliquias amicis absentibus mittebant; quod animadvertit Theocritus *Idyll.* v. *vers.* 139.

—— καὶ τὺ δὲ θύσας
Ταῖς Νύμφαις, Μόρσωνι καλὸν κρέας αὐτίκα πέμψον.

—— tu ergo sacrificans
Nymphis, Morsoni bellam carnem mox mittas.

Sed plerumque, præsertim bono omine, aut divinæ benevolentiæ aliquo signo accepto, sacrificium excipiebat convivium; quem in finem in omnibus templis mensæ positæ erant. Illæ mensæ aliquando ex pretiosa materia constabant, & variis modis ornabantur: unde Cicero *lib.* III. *de Natura Deorum*, de Dionysio agens, scribit: *Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri, in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset Bonorum Deorum, uti se eorum bonitate velle dicebat*. Delicatis cibis aut nimio vino Veteres nunquam indulgere solitos nisi in sacrificiis refert Athenæus *Deipnosoph. lib.* III. *cap.* III. idcirco convivium dictum est *θοίνη*, quia *διὰ Θεοὺς οἰνοῦσθαι*, id est, *in honorem Deorum inebriari*, adstrictos se putabant; pariter ebrium esse dicebant *μεθύειν*, quia *μετὰ τὸ θύειν*, id est, *post sacrificium*, vino se ingurgitabant. Vid. idem Auctor *pag.* 363 & quæ postea in IV. *Archæologiæ hujus libro* de Conviviis dicentur. Quod vero in antiquissimis temporibus consuetum post sacrificia epulum celebrare, eoque ritu inter Deorum convivas & familiares recenseri, certum est ex antiquis fabulis, e quibus, licet vel maxime fictitiis, & aliquando absurdis, sæculorum istorum opiniones haud raro colligi possunt. Atque sic apud Homerum Alcinous loquitur *Odyss.* η. *vers.* 202.

Αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε Θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς
Ἡμῖν, εὖτ' ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας·
Δαίνυνταί τε παρ' ἄμμι, καθήμενοι ἔνθα περ ἡμεῖς.

Semper enim antea Dii apparent manifesti
Nobis, quando mactamus inclytas hecatombas:
Convivanturque apud nos, sedentes ubi & nos.

Quo etiam referri debet Jovis ad Æthiopum convivia descensus *Iliad.* α. *vers.* 423.

Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα· Θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

Jupiter enim ad Oceanum inclytosque Æthiopas
Hesternus profectus est ad convivium: Diique ipsum omnes secuti sunt.

Eo nempe tempore Æthiopes solenne festum agitabant, quo Dii excipi olim credebantur. Et quidem adeo perpetuus & constans fuit hæc convivandi post sacrificia consuetudo, ut voces illæ *epulandi*, *comedendi*, & consimiles, aliquando totum sacrificandi officium denotent. Virgilius *Æneid. lib.* IV. *vers.* 206.

Jupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris, Lenæum libat honorem.

Sic & apud *Ezechielem* Prophetam XVIII. 6. *Vir si fuerit justus, nec in montibus comederit*, id est, immolaverit idolis. Et in *Exodo*, cum Deus Mosi mandasset a Pharaone exigere, ut Judæis liceret *abire in desertum ad sacrificandum Domino Exod.* III. 18. ille mutatis divini mandati verbis sic Pharaonem alloquitur: *Sic dicit Dominus Deus Israelis, dimittas populum meum, ut festum mihi celebrent in deserto Exod.* v. 1. Nam & apud orientales populos nullibi non invaluit hic mos: quod patet tum ex Judæorum consuetudine, quæ ex Mose petenda est: tum etiam e facto Balaki Regis Moabitici, qui victimarum carnibus Bileamum sociosque principes excepit *Numer.* XXII. & cæterorum Moabitarum, qui Israelitas ad Deorum suorum convivia pellexere *Num.* XXV. tum denique ex Canaanitis & Syris: nam Israelitæ idololatriæ Canaaniticæ monumenta omnia penitus delere his verbis jubentur: *Ne fœdus ineas cum gentibus terræ, & illis victimam offerentibus quis vocet te, & de illius sacrificio comedas Exod.* XXXIV. 13. 14. 15. Plura testimonia superflua fore videntur. In convivio laudes Deorum continuo decantabant, prout Homerus *Iliad.* α. *vers.* 472. tradit de sacrificio a Chryse aliisque Græcis Apollini facto:

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ Θεὸν ἱλάσκοντο,
Καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν,
Μέλποντες ἑκάεργον. ——

Illi autem per totam diem cantu Deum placabant,
Lætum cantantes pæana pueri Achivorum,
Cantu celebrantes longe jaculantem. ——

Vestæ sacrificia tota absumenda erant, nec eorum minimam partem alio distrahi fas erat; unde natum proverbium, Ἑστίᾳ θύειν, & apud Latinos *Lari sacrificare*, dictum de gulone, qui cibos ipsi appositos exedit; eidem Deæ offerebatur præcipua pars libaminum, saltem illorum, quæ Penatibus persolvebantur, hinc adagium, *Ἀφ' ἑστίας ἄρχεσθαι*, hoc est, *Domi incipere*. Illum antiquum morem juri a Jove Vestæ concesso originem debere asserit Aristophanis Scholiastes *in Vespas*; deletis enim Titanis filiis, se, quidquid peteret, ratum habiturum Vestæ promisit Jupiter; ab illo autem petiit cum perpetuam virginitatem tum primam omnium sacrificiorum partem. Sed, præter primam, ultimam quoque eorumdem partem illi Deæ cessisse plures volunt; cujus moris hæc redditur ratio, ad Vestam enim, quæ eadem est ac Terra, prima & ultima partes jure merito pertinent, quia omnia ex illo elemento gignuntur iterumque in illud resolvuntur. Sic Phurnutus. Paulo aliter M. Cicero *de Nat. Deor. lib.* II. *Cumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones perviæ, Jani, foresque in liminibus profanarum ædium januæ, nominantur. Nam Vesta nomen a Græcis: ea est enim, quæ ab illis Ἑστία dicitur: vis autem ejus ad aras & focos pertinet. Itaque in ea Dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis & precatio & sacrificatio extrema est*. Sed ut e diverticulo redeamus, convivium in quibusdam locis ante solis occasum concludi solitum, nec ullo in loco certum statu-

A tum tempus excessisse tradit Athenæus *Deipnosoph. lib.* IV. Convivio finito, aleis ludere solebant, prout Saubertus ex Platone observat. Verum hæc quorsum? Notum est Veteres, omnia post convivia non modo talis & astragalis, sed aliis quibuscumque ludis vacasse: adeo ut Judæi, postquam vitulo suo sacrificassent, *sederint ad convivandum, & ad ludendum surrexerint Exod.* XXXII. 10. At de his plura posthac dicenda erunt. Post epulas atque ludos ad aram redibant, & Jovi τελείῳ, seu *perfecto*, libamen faciebant. Sed notandum est priscos Græcos una cum libamine vini linguas Mercurio obtulisse, teste Athenæo *Deipnosoph. lib.* I. *c.* XIV. cui accinit Apollonius *Argonaut. lib.* I. *vers.* 516. B

Οὐδ' ἐπὶ δὴν μετέπειτα κεραασάμενοι δὴ λοιβὰς,
Ἡ θέμις ἐστὶ, τέως ἐπί τε γλώσσῃσι χέοντο
Αἰθομέναις· ὕπνου δὲ διὰ κνέφας ἐμνώοντο.

Haud multo post ministratum ad libamina vinum,
Prout fas erat, tandem profuderunt in linguas
Ardentes: somnum autem propter tenebras cogitarunt.

Festum autem earum linguarum sacrificio claudebant, vel in piaculum indecori sermonis, quo quis C convivarum usus fuisset; vel ut significarent quid quid in mensa dictum Deorum testium observationi se committere, aut perpetuæ oblivioni traditum, nec unquam palam factum iri. Mercurio autem illæ offerebantur, quia eloquentiæ Deus, qui idcirco illo membro maxime delectari credebatur. Verum his de rebus opportunior erit dicendi locus, quando de Conviviis agemus.

Tandem gratiis Diis redditis, eo quod tanto honore ac privilegio illos dignati essent, ut cum iis victimæ participes fuissent, missi fiebant a Κήρυκι sive *Præcone* hac formula, Λαοῖς ἄφεσις. Apulejus *Metam. lib. ult. Tunc ex his unus, quem* γραμματέα D *dicebant, pro foribus assistens, cœtu pastophorum, quod sacrosancti collegii nomen est, velut in concionem vocato, indidem de sublimi suggestu, de libro, de literis, fausta vota præfatus, principi magno, senatuique, & equiti, totique Romano populo, nauticis navibus, quæque sub imperio mundi nostratis reguntur, renunciat sermone rituque Græciensi ita*, Λαοῖς ἄφεσις, *Populis missio*. Ad quæ verba Beroaldus observat, quod ea *verba sunt, quæ Græci nostrique juxta usurpant post cuncta celebrata mysteria*.

Atque hic prolixo capiti coronis imponenda esset, nisi de cæteris donariis, quibus Græci Deos suos placabant, pauca dicenda restarent. E

Itaque præter templa, aras, statuas, arbores sacras, lucos, ludos, diesque festos, de quibus partim antea jam dictum est, partim dicendum erit in posterum, alia erant donaria, vel ex antiquissima usque vetustate Diis oblata. Nam & Judæis præcipitur *Deuteron.* XII. 6. *Offeretis in eo loco holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria.* Ut alia testimonia prætercam.

Et quidem eosdem plane ob fines oblata videntur, quibus ad sacrificia adolenda impellebantur. Nempe iis vel Deos iratos placabant, vel beneficia F & gratiam expetebant, vel accepto beneficio gratias reddebant.

Erant autem hæc donaria, interdum coronæ sacræ, vestes, vasa aurea, argentea, ærea, & id genus infinita: quæ quia plerumque in aliqua templi parte suspendebantur, ἀναθήματα dicta sunt, ἀπὸ τοῦ ἀναθεῖναι. Nam modo columnis, modo parietibus ac postibus, modo fastigiis vel tholis templorum affigebantur. Hinc Virgilius *Æneid. lib.* IX. *vers.* 407.

— si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

Et Horatius *Carm. lib.* I. *od.* V.

— Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Eadem tamen, quod in templis *reposita* essent, ibique forte *jacerent*, ἀνακείμενα dicta reperias.

Aliquando iis causam, cur dicata fuerant, inscribebant: interdum & quidem præsertim cum donarii materia literis inscribi non posset, tabulam adjungebant, quæ literis, vel pictura, eam declarabat. Quod tum ex modo laudatis Horatii *versibus* constat, tum ex Tibullo *lib.* I. *eleg.* III.

Nunc, Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Et Ovidio *Amor. lib.* II. *eleg.* XIII. *ad Isidem, ut parientem Corinnam juvet:*

Ipse ego thura dabo fumosis candidus aris:
Ipse feram ante tuos munera vota pedes:
Adjiciam titulum, servata Naso Corinna:
Tu modo fac titulo muneribusque locum.

Denique de occasionibus, quibus hæc donaria offerebantur, cum eas haud esse a sacrificiorum finibus diversas modo dictum sit, id tantum adjiciam, quod quicumque novam vivendi rationem inibant, instrumenta, quæ ad veteres mores & studia pertinebant, Diis consecrare religiosum putabant gratitudinis perpetua monumenta. Sic apud Julianum Ægyptium piscator Nymphis rete suum dicat *Anthol. lib.* VI. *cap.* III. *epigr.* VI.

Ταῖς Νύμφαις Κίνυρις τόδε δίκτυον· οὐ γὰρ ἀείρει
Γῆρας ἀκοντιστὴν μόχθον ἐκηβολίης.
Nymphis Cinyras hoc rete: non enim fert
Senectus jaculatorem laborem longæ projectionis.

Pastores fistulas suas suspendebant Pani, aliive cuidam e rusticis Numinibus. Tibullus *lib.* II. *eleg.* V.

Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Rustica silvestri fistula sacra Deo.

Denique (ne sim prolixus) Lais anus facta speculum suum Veneri obtulisse in Platonis *Epigrammate* memoratur *Anthol. lib.* VI. *cap.* VIII. *epigr.* I.

Ἡ σοβαρὸν γελάσασα καθ' Ἑλλάδος, ἡ τῶν ἐρώντων
Ἑσμὸν ἐνὶ προθύροις Λαῒς ἔχουσα νέων,
Σοὶ, Παφίη, τὸ κάτοπτρον. ἐπεὶ τοίη μὲν ὁρᾶσθαι
Οὐκ ἐθέλω· οἵη δ' ἦν πάρος οὐ δύναμαι.

Quæ sic vertit Ausonius:

Lais anus Veneri speculum dico, dignum habeat se
Æterna æternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus; quia cernere talem,
Qualis sum, nolo: qualis eram, nequeo.

Quod si quis hac de re plura scire cupiat, ille imprimis Pausaniæ *Phocica* adeat *pag.* 624. & seq. quo loco donariorum, quæ in templo Apollinis Delphici reposita fuere, numerum, materiam, formam, magnificentiamque universam descripta reperiet.

Neque indignum fortasse observatu, aut ab hoc loco alienum est, quod Græci, ut pleræque aliæ gentes, rerum suarum decimas sacrare soliti sint. Quemadmodum, Persis bello fugatis, Græci universi tripoda aureum e spoliorum decimis conflatum Delphis posuerunt, ut scribit Diodorus Siculus *Biblioth. Hist. lib.* XI. Simile exemplum occurrit in Pausaniæ *Eliacis* α. ubi clypeus in tem-

plo Jovis dicatus cum hac inscriptione memoratur:

> Ναὸς μὲν φιάλαν χρυσέαν ἔχει, ἐκ δὲ Τανάγρας
> Τῆς Λακεδαιμονίης συμμαχίδος γε τεθεὶν
> Δῶρον ἀπ' Ἀργείων, καὶ Ἀθηναίων, καὶ Ἰώνων,
> Ταν δεκάταν νίκας εἵνεκα τῶ πολέμω.

> *Ex auro phialam capta posuere Tanagra,*
> *Juverat hæc bello quod Lacedæmonios,*
> *Cecropidæ, Argivique duces, & Ionica pubes*
> *Victores partis de spoliis decimam.*

E fundo Dianæ sacro qui proventum capiebat, decimam partem quotannis adolebat, ut tradit Xenophon *de Expedit. Cyri lib.* v. Lucianus *Dialogo de Saltatione* memorat decimas manubriarum Marti consecratas. Herodotus *Terpsich.* seu *lib.* v. *cap.* LXXVII. memorat æream quadrigam ab Atheniensibus e decimis spoliorum Palladi sic inscriptam:

> Ἔθνεα Βοιωτῶν καὶ Χαλκιδέων δαμάσαντες
> Παῖδες Ἀθηναίων ἔργμασιν ἐν πολέμου,
> Δεσμῷ ἐν ἀχλυόεντι σιδηρέῳ ἔσβεσαν ὕβριν·
> Τῶν ἵππους δεκάτην Παλλάδι τάσδ' ἔθεσαν.

> *Attica perdomitis acri sub Marte juventus*
> *Bœotum populis, Chalcidicaque manu,*
> *Damna rependerunt vinclis & carcere cæco:*
> *Quorum hæ de decima stant tibi, Pallas, equæ.*

Et Pausanias in *Phocicis pag.* 628. ubi de Siphniorum aurifodinis verba facit, earum decimam partem sibi offerri Apollinem jussisse memorat. Quinetiam Pisistratus in *epistola*, qua Solonem ab exsilio in patriam invitat, Athenienses redituum suorum decimam Diis & Reipub. tribuere perhibet: Ἀπάγει δὲ ἕκαστος Ἀθηναίων τοῦ αὐτοῦ κλήρου δεκάτην, οὐκ ἐμοὶ, ἀλλὰ ὁπόθεν ἔστιν ἀναλοῦν εἰς τε θυσίας δημοτελεῖς, &c. apud Diogenem Laertium. Id nempe tributi exigebat Pisistratus: nam Reges etiam, Legati, & Vicarii Deorum immortalium, decimas a civibus suis habebant. Hinc Propheta, cum Regis, qui Israelitis præficiendus erat, mores depingit, hæc verba habet: *Segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & servis ejus: greges quoque vestros addecimabit* I. *Sam.* VIII. 15. 17. Quod ideo nota dignius, quoniam ibi Samuel regii imperii incommoda, quibus aliæ gentes premebantur, Judæis in mentem revocat. Sed aliarum gentium moribus immorari meum non est, ad Græcos revertor: apud quos adeo recepta fuit tum Diis, tum Regibus decimas addicendi, ut δεκατεύειν significet aliquando καθιερῶσαι, λαφυραγωγεῖν, τελωνεῖν, & δεκατευταὶ, vel δεκατηλόγοι, sint τελῶναι: omitto Hesychii, Harpocrationis, & Suidæ testimonia, & solius Etymologici verba, quæ tamen cætera fere continent, adducam: Δεκατευτήριον (inquit) παρὰ τὸ δεκατευτὴς, τοῦτο παρὰ τὸ δεκατεύειν· σημαίνει δὲ τὴν δεκάτην εἰσπράττεσθαι· καὶ λαφυραγωγεῖν, τὸ τὴν δεκάτην εἰσφέρειν ὧν ἔχει τις χρημάτων, ἢ δεκάτην εἰσπράττειν· τὰ γὰρ ἐκ τῶν πολεμίων ληφθέντα ἐδεκατεύοντο τοῖς Θεοῖς· διὸ κυρίως δεκατεῦσαι, τὸ καθιερῶσαι. κατὰ μεταφορὰν δὲ τὸ δεκάτην ὁποσοῦν λαβεῖν καὶ ἀπαιτῆσαι. Θουκυδίδης δὲ ἐπὶ τοῦ τελωνεῖν τὴν δεκάτην ἔθηκε, καὶ τὸ δεκατεύειν. ὅθεν καὶ δεκατευτὰς τοὺς τελώνας ἔλεγον τοὺς τὴν δεκάτην ἐκλέγοντας, καὶ δεκατηλόγους τοὺς αὐτούς. Denique (ne sim prolixus in testimoniis de re notissima, & populorum fere omnium moribus recepta, congerendis) id solum addam, manifesta esse consuetudinis hujusce in primæva antiquitate vestigia, ubi Abraham Melchisedecho Regi & Sacerdoti spoliorum decimas persolvit.

CAP. V.

De Græcorum Precibus, Votis Supplicibus, & Diris.

Antiquorum Græcorum pietas ac reverentia erga Deos maxime elucet in continuis precibus ac votis, quibus illos colebant; neminem enim, nisi plane vecordem, quidquam magni aut parvi momenti, antequam Deorum consilium & opem implorasset, suscepisse indicat Plato in *Timæo*, nimirum ut eorum incœpta fœlicem exitum consequerentur. Neque id a Philosophis solum præceptum, sed etiam moribus receptum fuisse, ex Poetis aliisque vetustissimis Auctoribus constat. Homerus veterum Heroum pietati testimonium ubique perhibet: namque apud eum Nestor legationem obiturus ad Achillem *Iliad. ι.* Priamus ab eodem repetiturus Hectoris cadaver *Iliad. ω.* Ulysses exploraturus Trojanorum castra *Iliad. κ.* denique quicumque prælium cum hostibus inituri sunt, Deorum immortalium opem & auxilium exposcunt.

Certa precum formula utebantur Lacedæmonii, qui nec publice nec private quidquam aliud, nisi quod honestum & utile ipsis foret, Deos rogasse testatur Plato in *Alcibiade* II. sed unum aliud, nempe injuriarum tolerantiam, petiisse scribit Plutarchus *Instit. Lacon.* Athenis pro incolumitate Reipublicæ, ut & Chiorum, publicæ preces fiebant, quemadmodum docet Alexand. ab Alex. *Genial. Dier. lib.* v. *cap.* XXVII. Sed Panathenæis, quæ semel quinquennio celebrabantur, pro Atheniensibus ac Platæensibus Diis preces fundebat Præco publicus.

Moris etiam fuisse videtur ut bis in die, mane nempe & vesperi, Deorum curæ se commendarent. Id innuere videntur Platonis verba *lib.* x. *de Legibus*: Ἀνατέλλοντός τε ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων, προσκυλίσεις ἅμα καὶ προσκυνήσεις ἀκούοντές τε καὶ ὁρῶντες Ἑλλήνων τε καὶ Βαρβάρων πάντων ἐν συμφοραῖς παντοίαις ἐχομένων καὶ ἐν εὐπραγίαις. *Sole lunaque orientibus & occidentibus, advolutiones & adorationes spectare & audire licet omnium tam Græcorum quam Barbarorum, tam eorum, qui fœlicem vitam agunt, quam qui miseriis urgentur.* Quo pertinent illa Horatii *Carm. lib.* IV. *od.* V. *vers.* 37.

> *Longas o utinam, dux bone, ferias*
> *Præstes Hesperiæ, dicimus integro*
> *Sicci mane die: dicimus uvidi,*
> *Cum sol Oceano subest.*

Hoc est, vota pro Italiæ fœlicitate suscipimus, tum sobrii primo diluculo, tum etiam nocte bene poti.

Modum Diis supplicandi hoc in loco præsertim describendum statueram, sed quia eumdem in morem vota supplicia hominibus plerumque fiebant, de utroque simul agam. Diis & hominibus supplices, palmites manibus, coronam in capite, sertaque circa collum, gestabant, ut nimirum benevolentiam illorum, quibus supplicabant, sibi conciliarent, prout Triclinius *Comment. in Soph. Œdip. Tyr. vers.* 3. tradit. Illi autem rami vario nomine efferuntur, ut θαλλοὶ, κλάδοι ἱκτήριοι, φυλλάδες ἱκτῆρες, & ἱκετηρίαι, vel ab olea vel a lauro decerpti, unde Statius *Theb. lib.* XII. sic canit:

> *Mite nemus circa, ——*
> *Vittatæ laurus, & supplicis arbor olivæ.*

Illæ arbores adhibebantur primo, quia erant ἀειθαλεῖς, seu *semper virides*; qua de causa harum posteriori epitheton ἀκηράτου, id est, *non marcescen-*

tis, ab Euripide in *Jone verf.* 1436. tribuitur. Secundo, quia laurus victoriæ, fœlicitatis, & lætitiæ, olea vero pacis & benevolentiæ, fignum erat. Illos palmites lana circumdare folebant, idcirco idem Tragœdus in Ιxέτ. illum ramum lana obvolutum δεσμὸν ἄδεσμον φυλλάδος, id eft, *vinculum nodo carentem*, efferre videtur. Hujufmodi lana, quia circumvolvi folebat, a Latinis vocabatur *vitta* vel *infula*, unde Virgilius *Æneid. lib.* VII. *v.* 236.

—— ne temne, quod ultro
Præferimus manibus vittas, ac verba precantum.

Græcis vero dicitur στέμμα: quale erat illud Chryfis apud Homerum *Iliad. ά. verf.* 14.

Στέμμα τ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

Namque vetus Sophoclis Scholiaftes id expreffe affirmat in *verf.* 3. *Oedip. Tyr.* στέμμα δέ ἐστι τὶ προσειλημένον ἔριον τῷ θαλλῷ.

Ramo, & aliquando manu, fi fucceffus dubius foret, cuivis fupplici, ftatuæ aut hominis genua, cui vota faciebat, attingere folenne erat; fi major fpes ipfis affulgeret, ad manum dexteram, nunquam ad finiftram, (quod mali ominis habebatur) fin vero de fœlici exitu certi, ad mentum vel genas ufque palmitem admovebant. Horum omnium exempla apud Homerum, & Veteres adeo obvia funt, ut ea afferre minime opus fit. Caput autem tangebant, vel quia corporis humani præcipuum & honoratiffimum membrum habetur, fi Euftathio *ad Iliad. ά. pag.* 97. *Edit. Bafil.* credere fas eft; vel quia illo geftu ei, apud quem fupplices erant, indicabant ut fuis votis annuere dignaretur, nutu enim capitis vota rata habebantur; unde Jupiter apud Homerum *Iliad. ά. verf.* 524. Thetidis petitione ratihabita addit:

Εἰ δ', ἄγε τοι κεφαλῇ κατανεύσομαι, ὄφρα πεποίθῃς·
Τοῦτο γὰρ ἐξ ἐμέθεν γε μετ' ἀθανάτοισι μέγιστον
Τέκμωρ· οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν,
Οὐδ' ἀτελεύτητόν γ', ὅ τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Sed age, jam tibi capite annuam, ut fidem habeas:
Hoc enim a me cum immortalibus maximum
Signum: non enim meum revocabile, neque fallax,
Neque infectum, quodcumque capite annuam.

Manum vero tangebant, (juxta Euftathium *ad locum mox citatum*) quia pars ad agendum apta; genua vero, quia, ut ejus animus, cui vota fupplicia fiebant, ad fuas preces exaudiendas flecteretur, folicitabant; illæ enim partes humani corporis cæteris flexibiliores funt; vel quia ad motum idoneæ, illo geftu eundem rogabant, ut excitatus ad fua vota perficienda moveretur. Atque (ut tradit Plinius *Nat. Hift. lib.* XI. *cap.* XLV.) *hominis genubus quædam religio ineft, obfervatione gentium: hæc fupplices attingunt: hæc, ut aras, adorant: fortaffe quia ipfis ineft vitalitas.* Aliquando unam manum ad genua, alteram vero ad caput vel manus admovebant, ut patet exemplo Thetidis Jovi fupplicantis apud Homerum *Iliad. ά. verf.* 497.

Ἠερίη δ' ἀνέβη μέγαν οὐρανὸν, Οὔλυμπόν τε·
Εὗρεν δ' εὐρύοπα Κρονίδην ἄτερ ἥμενον ἄλλων
Ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Οὐλύμποιο.
Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.

Matutinaque adfcendit magnum cœlum Olympumque:
Invenit autem late fonantem Saturnium feorfum fedentem ab aliis
In fummo vertice multa cacumina habentis Olympi.

A *Et ante ipfum fedit, & prehendit genua*
Siniftra, dextra autem mento prehenfo.

Alias manus & genua deofculabantur. Priamus Achillis genua attingens, ejus manibus ofcula dat apud Homerum *Iliad. ώ. verf.* 478.

Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας.
Manibus Achillis genua prehendit, & manus ofculatus eft.

Ulyffes narrat fe Ægyptii Regis genua prehendiffe & ofculatum fuiffe *Odyff. ξ'. verf.* 279.

B *Καὶ κύσα γούναθ' ἑλών· ὁ δ' ἐρύσατο, καί μ' ἐλέησεν.*
Et genua prehendens ofculatus fum: hic autem mei mifertus, me liberavit.

Imo fupplices timidi, præfertim fi cum viris genere claris rem haberent, fubmiffa inclinatione pedibus eorum ofcula dabant; id Latini dicebant *labratum*, quod vetus Gloffator φίλημα βασιλικὸν ἢ ἀσπαστικὸν βασιλέως, hoc eft, *ofculum regium*, interpretatur. Iterum manibus deofculantis illum, ad quem fupplices accedebant, tangere confueverant. Porro mos obtinuit, ut Deos falutarent in-
C dice pollici fuperimpofito, (forte ad medium illius digiti articulum, ut fieri folebat cum per denos numerarent) dextrorfum converfi. Ad quem morem alludit Plautus in *Curcul. Act.* I. *Scen.* I.

PHÆD. *Quod fi non affert, quo me vortam nefcio.*
PAL. *Si Deos falutas, dextrovorfum cenfeo.*

Quinetiam limina templorum humiliter ofculari confueverunt. Tibullus *lib.* I. *eleg.* V.

Non ego fi merui, dubitem procumbere templis,
Et dare facratis ofcula liminibus.

Quem ritum cum aliis graviter infectantur Chriftiani Apologiftæ: e quibus Arnobius hæc verba habet *lib.* I. *contra Gentes*: *Cum per omnia fupplices*
D *irent templa, non Deorum ante ora poftrati, limina noftra converterent ofculis,* &c.

Mos autem deofculandi fupplicibus tam folennis fuit, ut verbum προσκυνεῖν, *adorare*, a κύειν, *ofculari*, deduci velit Euftathius *ad Odyff. έ.*

Præterea capilli avulfi, cui fupplicabant, non raro oblati, quemadmodum Agamemnon ad Jovem fupplex veniffe dicitur, Græcis ab Hectore prælio victis, *Iliad. κ'. verf.* 15.

Πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας
Ὑψόθ' ἐόντι Διΐ. ——
E *Multos ex capite radicitus vellebat capillos*
Superne exiftenti Jovi. ——

Tandem vefte fordida aut lugubri induti vota fupplicia offerebant ad mifericordiam aliorum movendam.

Varia corporis pofitura in precibus obtinebat; orabant enim vel ftantes, vel fedentes, fed vulgo genua flectentes, quia ille geftus maximam humilitatis fpeciem præ fe ferebat; unde verba γονάζεσθαι, γουνπετεῖν, ac fimilia, *orare* aut *fupplicare* fignificant. Sæpius etiam in faciem proftrati, atque ante fimulacra, aras, vel in ipfis templi limi-
F nibus provoluti fupplicabant. Ovidius *Metamorph. lib.* I. 379.

Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque pavens dedit ofcula faxo.

Quos ritus palam irridet Lucretius *lib.* V. 1197.

Nec pietas ulla eft, velatum fæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras:
Nec procumbere humi proftratum, & pandere palmas
Ante Deum delubra. ——

Illorum faciem ad ortum, cum Diis, ad occasum vero obversam fuisse, cum Heroibus aut Semideis preces fundebant, refert Pindari Græcus Scholiastes. Alii (juxta Cœlium Rhodig. *lib.* XII. *cap.* II.) volunt, orantum faciem semper solem respexisse; matutino enim tempore ortum, meridiano meridiem, vespertino occasum adspiciebant.

Locus supplicibus tutissimus (si templa & altaria excipias) erat focus, quo illico confugiebat, qui in extera regione peregrinabatur aut exsulabat, quia Vestæ & Penatum ara censebatur. Sic Ulysses in Alcinoi regia supplex *Odyss.* η. *vers.* 153.

—— κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσι.
—— *sedit ad focum in cineribus.*

Ibi autem in cineribus jacentes statu lugubri vultuque dejecto ullas voces querulas proferre nec indigebant nec solebant; ille enim tristis habitus inopiam ac miseriam supplicum alta voce clamabat, & plus ad movendum valebat quam mille orationes, prout nos docet Apollonius *Argon. lib.* IV. *vers.* 693.

Τὼ δ' ἄνεῳ καὶ ἄναυδοι ἐφ' ἑστίῃ ἀΐξαντες
Ἵζανον, ἥ τε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται.

Illi autem sine sonitu & voce, in focum impetu facto,
Sidebant, quod a miserabilibus fieri supplicibus jus est.

Apud Molossos consuetudo supplicandi obtinebat a cæterarum gentium moribus diversa; qua usus est Themistocles, cum illum Athenienses & Lacedæmonii persequerentur, & apud Admetum illius populi Regem asylum quærere coactus fuerit; Principem enim infantem ulnis amplexus, coram Penatibus se inclinavit; quod apud Molossos modus supplicandi sacratissimus habebatur, nec omnino contemnendus, prout Plutarchus in *Themistocle* tradit.

Qui ad Deos perfugium & opem quærebant, illorum altaria floribus prius coronare solebant, quam vota sua iis palam facerent, ut discimus ex Euripide in *Alcest. vers.* 168.

Πάντας δὲ βωμοὺς, οἳ κατ' Ἀδμήτου δόμους,
Προσῆλθε, κἀξέστεψε, καὶ προσηύξατο.
Ad omnes porro aras, quæ erant *in Admeti ædibus,*
Accessit, illasque coronavit, & precata est.

Aram sæpius prehendebant, teste Virgilio *Æneid. lib.* VI. *vers.* 124.

Talibus orabat dictis, arasque tenebat.

Unde altaria dicta *aras*, quasi *ansas*: (quod vocabulum in genere denotat quidquid facile prehendi potest) autumat Varro. Orantes brachia ad cœlum tollere soliti erant, ut patet ex Helenæ oratione ad Junonem in Euripidis *Helena vers.* 1101.

—— ὀρθὰς ὠλένας πρὸς οὐρανὸν
Ῥιπτοῦνθ', ἵνα οἰκεῖς ἀστέρων ποικίλματα.
—— *recta brachia ad cœlum*
Jactantes, ubi habitas in varia sede astrorum.

Aristoteles *de Mundo*: Πάντες ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι. *Omnes homines elevamus ad cœlum manus dum precamur.*

Facile autem conjici potest cur manus ad cœlum tollebant, nimirum ut eas ad Deos, qui in cœlis habitare credebantur, dirigerent. Homerus illius gestus frequentissime meminit, qui cum de orantibus differit, semper addit, χεῖρας ἀνασχών. Imo hujusmodi mos tam communis fuit, ut manuum sublatio pro oratione sumatur, teste Horatio *Carm. lib.* III. *ode* XXIII.

Cælo supinas si tuleris manus.

Econtra, quia Dii inferi subter terram degere existimabantur, manibus deorsum inclinatis illos orare solebant. Quinetiam ut inferos excitarent ad audiendum, terram aliquando percutiebant pedibus: quod fecisse dicuntur, dum pronunciarent illa Hecubæ verba, quibus Deorum infernalium opem implorat apud Euripidem *Hecuba vers.* 79.

Ὦ χθόνιοι θεοί, σώσατε παῖδ' ἐμόν.
O Dii subterranei, servate filium meum.

Aliud exemplum e Cicerone *Tuscul. Quæst.* II. adjiciam: *Tum Cleanthem*, (inquit) *cum pede terram percussisset, versum ex Epigonis dixisse ferunt:*

Audisne hæc, Amphiarae, sub terram abdite.

Quandoque manibus pulsabant terram: nempe quando in genua provoluti precabantur. Sic mater Meleagri *Iliad.* ι. *vers.* 564.

Πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία,
Κικλήσκουσ' Ἀΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν,
Πρόχνυ καθεζομένη. ——
Valde terram multos pascentem manibus triturabat,
Invocans Plutonem & rigidam Proserpinam,
Genibus flexis. ——

Denique, qui Diis marinis preces fundebant, versus mare manus expandebant. Sic apud Homerum *Iliad.* α. *vers.* 350. Achilles a Thetide opem rogans sedebat:

Θῖν' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς, ὁρόων ἐπὶ οἴνοπα πόντον·
Πολλὰ δὲ μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο χεῖρας ὀρεγνύς.
In littore cani maris, nigrum in pontem oculos figens:
Matri autem multas preces fudit, manibus extensis.

Et apud Virgilium idem facit Cloanthus *Æneid. lib.* V. *vers.* 233.

Ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus,
Fudissetque preces, Divosque in vota vocasset:
Dii, quibus imperium pelagi, &c. ——

Hanc rem totam breviter explicavit vetus Homeri Scholiastes *ad Iliad.* ι. *versus modo citatos*: Εὔχονται δὲ οἱ ἥρωες (inquit) τοῖς μὲν οὐρανίοις θεοῖς, ἄνω τὰς χεῖρας ἀνίσχοντες μέγα εὐχετόωντο ἕκαστος. Τοῖς δὲ θαλασσίοις, Πολλὰ δὲ μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο χεῖρας ὀρεγνύς. Εἰς θάλασσαν δηλονότι, Τοῖς καταχθονίοις δὲ, κόπτοντες τὴν γῆν, ὡς ἐνθάδε φησί.

Finita oratione manum ad labia admotam deosculabantur; quem morem Romani observabant quotiescumque per templum transirent, eoque Deos venerari credebant, prout nos docet Alex. ab Alex. *Genial. Dier. lib.* IV. *cap.* XVI. Idem ex Homero aliisque observavit Lilius Gyraldus in *Syntagm. de Diis Gent.* Lucianus *Encomio Demosthenis* ait: Καὶ τὴν χεῖρα τῷ στόματι προσαγαγόντος, οὐδὲν ἄλλ' ἢ προσκυνεῖν ὑπελάμβανον. *Cum ille manum ori admoveret, neque ego suspicabar aliud eum facere, quam orare Deos.* Et *de Sacrif.* Ὁ δὲ πένης ἱλάσατο τὸν θεὸν, φιλήσας μόνον τὴν αὑτοῦ δεξιάν. *Pauper vero Deum propitium reddidit, dexteram duntaxat ejus exosculatus.* Manum ergo dexteram osculabantur, non sinistram: nec manus partem internam, sed externam, quæ ὀπισθέναρ Græce dicitur: quam Catoni de provincia discedenti raro & insitato quodam honore milites osculatos fuisse

tradit. His teſtibus Plinium comitem addam *Nat. Hiſt.lib.*XI. *cap.* XLV. *Ineſt & aliis partibus quædam religio: ſicut dextera oſculis averſa appetitur.*

Quidam preces efficaciores eſſe putabant, ſi lingua ignota offerrentur: unde qui magicas artes exercebant, barbaros & ignotos ſonos mutientes introduci ſolent. Nam exteras linguas hominibus eſſe nativas, & voces a natura inventas continere, credebant. Clemens Alexandrinus *Strom.* 1. *pag.* 339. Αἱ δὲ πρῶται καὶ γενικαὶ διάλεκτοι, βάρβαροι μὲν, φύσει δὲ τὰ ὀνόματα ἔχουσιν· ἐπεὶ καὶ τὰς εὐχὰς ὁμολογοῦσιν οἱ ἄνθρωποι δυνατωτέρας εἶναι τὰς βαρβάρῳ φωνῇ λεγομένας. *Primæ autem & genitales dialecti, barbaræ quidem ſunt, verum habent voces a natura: nam & preces fatentur homines efficaciores eſſe, quæ lingua barbara recitantur.*

Precibus a Diis exauditis, præſertim cum res magni momenti foret, in animi grati teſtimonium pro beneficio accepto donum pretioſum aut ſacrificium iis nonnunquam offerebant, vel Sacerdoti templi præſidi declarabant, ut tabulis referretur, in monumentum benignitatis Deorum, qui mortalium preces exaudire, iiſque opem ferre nunquam dedignantur; & ut homines ad vota Diis facienda, & ab iis auxilium petendum allicerentur; qua de cauſa omnes preces apud Homerum memoratas, quæ juſtæ ac honeſtæ erant, plene & ex voto a Diis exauditas fuiſſe notat Euſtathius. Atque hæc de more precandi dicta ſunto.

Precibus diras adjungam. Nam diris defigi nemo non metuebat: quas experientia conſtabat adeo potentes eſſe, ut domos totas aliquando perdiderint. Exemplo eſſe poterit Thyeſtis execratio, qua fratris Atrei familia tantis calamitatibus oppreſſa eſt. Hinc *Thieſteæ preces* in proverbium abierunt: quo utitur Horatius *Epod.*v. *verſ.* 86.

Miſit Thyeſteas preces.

Quamvis Lycophron eas miſerias Myrtili Pelopis aurigæ diris tribuendas doceat *Caſſandræ verſ.*164. is enim a Pelope præcipitatus:

Φερωνύμους ἔδυψε Νηρέως τάφους,
Πανώλεθρον κηλῖδα θωΰξας γένει.
Cognomina ſubiit Nerei ſepulcra,
Pernicioſas imprecatus generi diras.

Earumdem dirarum meminere Sophocles in *Electra*, & in *Oreſte* Euripides. Verum de his rebus conſuli poteſt noſter *in Lycophronem Commentarius*. Sed parentum, vel ſacerdotum diræ maxime exitiales credebantur, vel aliorum hominum ſacrorum, vatum, regum, & ſimilium. Meleager periiſſe dicitur a matre devotus *Iliad. ι. verſ.* 562. ubi de ipſo ſic loquitur Phœnix:

Εξ ἀρέων μητρὸς κεχολωμένος, ἥ ῥα θεοῖσι
Πολλ᾽ ἀχέουσ᾽ ἠρᾶτο κασιγνήτοιο φόνοιο·
Πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία,
Κικλήσκουσ᾽ Αΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν,
Πρόχνυ καθεζομένη· δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι
Παιδὶ δόμεν θάνατον· τῆς δ᾽ ἠεροφοῖτις Ερινύς
Εκλυεν ἐξ Ερέβευσφιν, ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσα.

Ob maternas diras iratus: nam illa Diis
Multa adverſus ipſum precata eſt, fraterna cæde irritata:
Et terram fertilem manibus vehementer pulſavit,
Invocans Plutonem, rigidamque Proſerpinam,
Genibus inflexis: (& lacrymis rigavit ſinum)
Ut filium morti darent, eam vero obſcura Erinnys
Audivit ex Erebo, implacabili corde prædita.

Et paulo ante de ſe Phœnix narraſſet, quod propter patris ſui diras liberos habere conceſſum ipſi non fuerit, ejuſdem *lib.Iliad. verſ.*455. Atque moris aliquando fuiſſe videtur, ut homines nefariorum ſcelerum damnatos publicis diris a ſacerdotibus devoverent: quod Alcibiadi evenit, cum Cereris myſteria violaſſet, atque aliorum criminum reus judicaretur, ſola Theano ei mali aliquid imprecari recuſante. Plutarchus *Alcibiade pag.* 202. *Edit.Paris.* Ερήμην δ᾽ αὐτοῦ καταγνόντες, καὶ τὰ χρήματα δημεύσαντες, ἔτι καταρᾶσθαι προσεψηφίσαντο πάντας ἱερεῖς καὶ ἱερείας, ὧν μόνην φασὶ Θεανὼ τὴν Μένωνος Αγραυλῆθεν, ἀντειπεῖν πρὸς τὸ ψήφισμα, φάσκουσαν εὐχῶν οὐ καταρῶν ἱέρειαν γεγονέναι. *Damnaverunt eum Athenienſes indicta cauſa, publicaverunt bona ejus, inſuper ſanxerunt ut omnes ſacerdotes tam fœminæ quam viri caput ejus devoverent: e quibus unam ajunt Theano Menonis Agraulenſem plebiſcito repugnaſſe, ac votorum ſe dixiſſe, non execrationum eſſe ſacerdotem.*

Eumdem morem Romanarum quoque rerum Auctores memorant. Nam, (ut ſcribit Plutarchus) cum Craſſus adverſus Parthos fatale iter ſuſciperet, ab Atejo diris devotus fuit. Item Appianus in *Parthico*: Ο δὲ Ατήϊος προσδραμὼν πρὸς τὴν πύλην, ἔθηκεν ἐσχαρίδα καιομένην, καὶ τοῦ Κράσσου γενομένου κατ᾽ αὐτὸν, ἐπιθυμιῶν καὶ κατασπένδων, ἀρὰς ἐπηρᾶτο δεινὰς μὲν αὐτῷ καὶ φρικώδεις. *Atejus ad portam præcurrens, thuribulo ardente poſito ſuffitus libationeſque faciens, horribiles in Craſſum diras imprecatus eſt.* Vid. Cicero *de Divinat. lib.* 1. Atque haud averti aut expiari poſſe mala, quæ quis ardens juſta ira, cum gravi fuerat injuria læſus, ei qui læſerat, imprecatus eſſet, tradunt. Quo pertinent verba pueri a veneficis interfecti apud Horatium *Epod.*v.*verſ.*89.

Diris agam vos: dira deteſtatio
Nulla expiatur victima.

Et hæc Plinii *Nat. Hiſt. lib.* XXVIII. *cap.* II. *Diris deprecationibus defigi nemo non metuit.* Poeticam dirarum deſcriptionem & genealogiam, quæ apud Virgilium occurrunt *Æneid. lib.* XII. *verſ.* 845. prætereo.

Denique eamdem opinionem & conſuetudinem aliis quoque gentibus familiarem ex ultima vetuſtate fuiſſe Sacræ Litteræ docent: nam in his, præter alia exempla, memorantur Saulis diræ, quibus Jonathan filius ejus unigenitus pene interiit, poſt partam genti ſuæ ſalutem & victoriam 1. *Sam.* XIV. 24. &c. Joſhuæ in eum, qui Jerichuntem ædificaret *Joſh.* VI. 26. quæ poſt in Hiele completæ fuiſſe narrantur 1. *Reg.* XVI. 34. Balakus Moabitarum Rex Bileamum magum accerſit, ut populum Iſraeliticum devoveret *Numer.* XXII. 5, 6. &c. Jacobus Patriarcha, ut filiis cæteris benedicit, (quæ conſuetudo non minus antiqua fuit) ita Simeoni & Levi, atque etiam Reubeni, qui concubinam ejus polluiſſet, imprecatur *Geneſ.* XLIX. 3, 4. &c. Denique reſtituti orbis pater Noachus Canaani nepoti male precatus eſt *Geneſ.* IX. 25, 25, 27. Quæ diræ longo poſt tempore effectum habuere.

CAP. VI.

De Græcorum Juramentis.

SAcrificiorum & ſacrarum precum ritibus deſcriptis, proximo loco nobis agendum eſt de honore Diis collato, qui in pactis, promiſſis, & juramentis veritatis ac probitatis teſtes, mendacii vero atque perjurii vindices, invocari ſolebant. Hac enim invocationem eorum θέοπτα agnoverunt. Unde Adraſtus apud Statium Archemori umbram ſic affatur *Thebaid. lib.* VII. *verſ.* 102.

—— Inachias nec tantum culta per urbes
Numina, captivis etiam jurabere Thebis.

Lucanus eadem periphrasi Heroum Romanorum ἀποθέωσιν exponit *lib.*VII. *vers.*457.

Bella pares superis facient civilia divos:
Fulminibus manes, radiisque ornabit, & astris:
Inque Deum templis jurabit Roma per umbras.

Denique Horatius sic adulatur Cæsari *lib.* II. *epist.* I.*vers.* 16.

Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Eodem modo Sacri Scriptores loquuntur: dum enim vetant fictitiorum Deorum cultum, per unius Dei nomen jurare præcipiunt. *Jehovam Deum tuum revereberis, eum coles, & per nomen ejus jurabis Deuteron.*VI.13 Iterum apud *Isaiam* XLV.23. *Mihi flectetur omne genu, & omnis lingua jurabit,* inquit Deus. Et *per eum jurans* dicitur, quivis ejus cultui addictus, *Psalm.*LXIII. 12.

Ορκος, juramentorum Deus, ab Hesiodo in *Theog. vers.*231. Ερίδος, seu *Contentionis*, filius dicitur; ætate enim aurea, qua homines veri & æqui observantissimi erant, nullum fuisse juramentorum usum tradunt Fabulæ: sed cum a primitiva simplicitate degenerarent homines, & veritas justitiaque ex terra exsularent, ita ut quivis fraudibus & malis artibus proximum opprimere studuerit, nec ulli credere fas esset, necessitas illos urgebat, ut de mediis cogitarent, quibus alii ab aliorum dolis ac perjurio tuti forent; unde nata sunt juramenta. Clemens Alexandrinus ex Auctore *Titanomachiæ* tradit Chironem juramenta introduxisse primum: verum multo probabilius est ea semper in usu fuisse, idque in omnibus gentibus, quæ Numinis aliquem sensum habuere: nec forte aliud voluit ille Auctor, quam quod Chiron Græcos rudes & Deorum atque virtutum pene expertes ad humaniorem vitam & sensum aliquem pietatis reduxit. Εἴς τε δικαιοσύνην θνητοὺς ἤγαγεν, δείξας ὅρκον, καὶ θυσίας ἱλαρὰς, &c. *Mortales ad justiorem vitæ morumque rationem duxit, monstrato juramento, institutisque Deorum festis & lætis sacrificiis Strom.*I.*pag.*306. Licet autem verosimilius videatur juramenta in rebus magni momenti tantum primo adhibita fuisse, attamen lapsu temporis in quibuslibet minutiis ac vulgari sermone usuvenerunt; exinde ortam esse distinctionem juramenti in τὸν μέγαν, qui in seria & ponderosa re solummodo usurpabatur; & τὸν μικρὸν, quo in rebus minimi momenti abusi sunt; imo sæpius particulæ locum solummodo tenuisse ad sensum claudendum, & ad aliquid ponderis periodo addendum, quidam volunt. Sed alii contendunt in μεγάλῳ ὅρκῳ per Deos, in μικρῷ per creaturas jurasse; sed illius distinctionis vanitas pluribus exemplis demonstrari posset, unum tantum memorabo, nempe Arcadum, a quibus sacratissimum & intemeratum habebatur juramentum dictum per fontem Stygem non procul Nonacride civitate, juxta Herodotum in *Erato*, vel ex aliorum sententia monte Arcadiæ; quapropter Cleomenes Lacedæmonius ad Arcadum fidem sibi datam firmandam, principes illius gentis viros ad Nonacrim venire voluit, quo loco per prædictum fontem jurarent, etsi prius jusjurandum dixissent, prout jam memoratus Scriptor *loco cit.* refert. Non incongruum duco hoc loco nonnulla dicere de maximo Deorum juramento per lacum Stygium ex Jovis instituto, teste Hesiodo in *Theog.vers.*400.

Αὐτὴν μὲν γὰρ ἔθηκε θεῶν μέγαν ἔμμεναι ὅρκον.
Ipsam enim constituit Deorum magnum ut sit juramentum.

A Unde vocem ὅρκος, id est, *juramentum*, ab Orco, inferno, quidam deducunt. Illud jurisjurandi genus a Jove institutore cæteris Diis injunctum est in honorem Stygis; vel quia ipsamet cum filiis in bello contra Gigantes Jovi copias auxiliares prima præbuit; vel quia Victoria ejus filia Deo adfuit, inquit Hesiodus; vel quia ejus aquis in prælio sitim sedaverat. Quicumque Deorum per illas aquas pejerasset, potu nectaris interdicebatur, ac divinitate exuebatur spatio centum annorum; alii volunt tantum novem; sed Servius ex Orpheo ad novem millia annorum pœnam producit. Quod si quis Stygi Arcadiæ tributum *magni* juramenti
B honorem propter Numen divinum, quod ipsi præsidebat, opinetur: tamen exemplis paulo post adducendis facile constabit, religiosissima juramentorum invocatis mortalium nominibus aliquando concepta fuisse.

Quamvis frequentissimus erat in rebus nullius momenti juramentorum usus, ut ex Veterum Comædiis aliisve dialogis & interlocutoriis sermonibus constat: tamen haud pauci religiose iis abstinebant. Hinc illud Platonis:

Ορκος περὶ παντὸς ἀπέσω.
Super omnibus a juramento cavendum.

C Et aliud Chœrili:

Ορκον τ' οὔτ' ἄδικον χρεὼν ἔμμεναι, οὔτε δίκαιον.
Juramentum neque injustum oportet esse, neque justum.

Item Menandri:

Ορκον δὲ φεῦγε, κἂν δικαίως ὀμνύῃς.
Juramentum fugias, etsi juste jurare possis.

Nec tamen hi, aut si quis alius ejusmodi sententias protulerit, omnia jusjuranda prorsus rejicere videntur: sed ea solummodo, quæ non erant ob
D causas necessarias aut graves suscepta. Nam quod Ethnicus aliquis jurare in re magni momenti prorsus recusaverit, haud constat: econtra in assignandis legitimis jurandi causis eorum Sapientes sæpius versari invenias. Sic Isocrates: Ορκον ἐπακτὸν προσδέχου διὰ δύο προφάσεις, ἢ σαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων, ἢ φίλους ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζων· ἕνεκα δὲ χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς, μηδ' ἂν εὐορκεῖν μέλλῃς. *Juramentum delatum suscipe ob duas causas, aut teipsum a turpi crimine vindicans, aut amicos e maximo periculo liberans: pecuniæ autem causa nullum Deum juraveris, neque pejeraveris.* Ubi omne jusjurandum, quod Dei
E alicujus nomine invocato suscipitur propter pecuniam, prorsus improbat: duas vero causas admittit jurisjurandi, & quidem ἐπακτοῦ sive *judicialis*, ut *infamiam fugias*, aut *ut amicum e magno periculo liberes*: quo exemplo Simplicius *ad Epictetum* utitur, adjiciam, aut ut *patriæ magnam operam naves*. Clinias Pythagoricus, cum trium talentorum mulctam jurejurando effugere posset, maluit tantæ pecuniæ damnum facere. Denique Hierocles nullum probat jusjurandum, nisi ob res necessarias & præstantes, quæque sine jurejurando obtineri non possint: Τήρει αὐτοῦ (scil. ὅρκου, ut ait ille in *Commentario ad aureum carmen Pythago-*
F *ræ*) τὴν χρείαν ἐν τοῖς ἀναγκαίοις καὶ τιμίοις, καὶ τότε ὅτε οὐδεμία ἄλλη τῶν τοιούτων σωτηρία φαίνεται εἰ μὴ διὰ μόνης ἐκ τοῦ ὅρκου ἀληθείας.

Inter Deos Jupiter juramentorum præses imprimis credebatur, imprimis inquam, quia omnium Deorum nomina in juramentis venisse videntur, quippe per quemvis eorum jurare fas erat, & quivis perjurius Deos offendisse in genere dicebatur, cujus loquendi modi innumera exstant exempla; attamen in confesso esse debet, Jovem præ cæteris

Dii juramentis præfuiſſe creditum; quod licet non tam plane liqueat (ut autumant nonnulli) ex voce *jusjurandum*, quaſi foret *Jovis jurandum*, abunde demonſtratur ex Euripide in *Medea v.* 169.

—— Ζῆνα θ', ὃς ὅρκων
Θνατοῖς ταμίας νενόμισαι.
—— *& Jovem, qui juramentorum*
Cuſtos hominibus exiſtimatur.

Solonis ſtatuto Athenienſes in publicis cauſis jurare conſueverant per triplicem Deum, nempe Ικέσιον, Καθάρσιον, & Εξακεςήριον, (vid. Pollux *lib.* VIII. *c.* VII.) qui potius unius Jovis Ορκίȣ tria nomina erant. Sunt etiam qui tres diverſos Deos expreſſe nominant, veluti Plato in *Euthydemo*, nempe Απόλλωνα, Αθηνᾶν, Ζῆνα, *Apollinem, Minervam, Jovem*. Cui convenit Demoſthenes in *Midiana*: Νὴ τὸν Δία, τὸν Απόλλω, καὶ τὴν Αθηνᾶν. *Per Jovem, Apollinem, & Minervam*. Idem *contra Timocratem Orationem* habens, ait: Επόμνυμι Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα. *Adjuro Jovem, Neptunum, Cererem.* Et in ſermone vulgari per quemlibet Deorum jurabant; aliquando per omnes Deos in genere; alias per duodecim maximos Deos, ut Μὰ τὺς δώδεκα Θεὺς: Spartani vulgo Μὰ τὼ Σιώ. *Per Caſtorem & Pollucem.* Mulieres per Junonem, Dianam, aut Venerem, ſeu Νὴ τὼ Θεώ, id eſt, *Per Cererem & Proſerpinam*; quæ juramenti formulæ ſexus muliebris propriæ erant, juxta Phavorinum *Voc.* Νὴ, nec unquam a viris adhibitæ, niſi mulierum exemplo. Non tamen inde colligendum, illa juramenta ſola a mulieribus uſurpata; nam per cæteras Deas, imo per Deos, ipſas juraſſe aliunde patet, præſertim ex Ariſtophane, ſed illa ipſis fuiſſe tantum uſitatiſſima.

Viri per Deum illius negotii, de quo agebatur, aut loci, in quo aderant, præſidem jurare ſoliti erant; in nundinis per Ηρμῆν Αγοραῖον, hoc eſt, *Mercurium Forenſem*, ab agricolis per Cererem, ab illis, qui equis delectabantur, per Neptunum juratum eſt. Solos Athenienſes ex omnibus Græcis per Iſidem, Thebanos vero per Oſiridem vulgo juraſſe tradit Alex. ab Alex. *Genial. Dier. lib.* v. *c.* x. Aliquando ex præcipitantia, aut ex nimia fiducia, aut ob aliam ſimilem cauſam, per quemvis Deorum indeterminate ſæpius jurabant, alteri parti concedentes quemlibet Deorum eligere, cujus nomen in præſenti cauſa invocaretur his verbis, Ομνυμι μοί τινα τῶν Θεῶν: qua formula uſus eſt Plato in *Dialogo*, qui inſcribitur *Phædrus*, necnon occurrit in *Epiſt.* Euxithei ad Pytheam apud Ariſtenætum. Alii nefas exiſtimantes nomen Dei uſurpare in qualibet re levicula dicere ſolebant Μὰ τὸν, hoc eſt, *Per illum*, religionis cauſa nomine ſuppreſſo, prout ſcribit Phavorinus *Voc.* Μά. In cauſis de pecunia per ullum Deum jurare minime licitum fuiſſe tradit Iſocrates apud Stobæum *Serm.* xxv. Pythagoram caute & raro per Deos juraſſe, nec illud diſcipulis permiſiſſe, nos docet Hierocles in *Pythag. aureo Carm. verſ.* 2. ſed loco Deorum jurare conſueverant per τετράκτυν ſive *quaternionem*, referente Plutarcho in *lib. de Plac. Philoſoph.* quia animam humanam hiſce quatuor facultatibus, nimirum perceptione, ſcientia, opinione, & ſenſu, perfici credebant. Socrates diſcipulos docebat, Rhadamanthum virum juſtiſſimum homines perhibuiſſe, ne per Deos jurarent, quorum loco ſubſtituit canem, anſerem, arietem, & ſimilia animalia; unde juxta illud placitum νὴ τὸν κύνα, χῆνα, aut πλάτανον, id eſt, *per canem, anſerem*, aut *platanum*, jurare aſſueverat iſte Philoſophus; Zeno vero Stoicorum ſectæ inſtitutor νὴ τὴν κάππαριν, ſeu *per capparem*. Apud Ananium quidam juraſſe per crambem notatur a Cœlio Rhodig. *Antiq. Lect. lib.* XXVII. *cap.* XXVIII. cujus juramenti meminerunt Teleclides, Epicharmus, & Eupolis, necnon apud Jones maxime in uſu fuiſſe videtur. Denique Interpres ad Homerum adnotavit, Græcorum vetuſtiſſimos non fuiſſe ſolitos προπετῶς κατὰ τῶν Θεῶν ὀμνύειν, ἀλλὰ κατὰ τῶν προστυγχανόντων, *temere per Deos jurare, ſed per alias quaſvis res.*

Iterum jurabant per ſolum, quod calcabant, ut Hippolytus apud Euripidem *Hippol. Coron. v.* 1025.

—— καὶ πέδον χθονὸς
Ομνυμι. ——
—— *& ſolum terræ*
Juno. ——

Aliquando per oumina, fontes, undas, elementa, ſolem, lunam, & ſtellas, quæ ab iis habebantur ſacratiſſima juramenta, ut diſcimus ex Alex. ab Alex. *Genial. Dier. lib.* v. *c.* x. Alias quivis jurare ſolebat per ſuum ſuppellectile, ut piſcator per retia, miles per haſtam, quod credebatur maximum jusjurandum, ſi Juſtino fides adhibenda, qui *lib.* XIII. tradit Veteres illud armorum genus pro Numine coluiſſe; in cujus rei monumentum recentioribus ſæculis Deorum ſtatuæ haſtam geſtare ſolebant: imo Euſtathius in *Iliad. ά.* ſcribit Cæneum haſtam erectam pro Deo coli præcepiſſe. Reges & Principes per ſceptra jurabant, ut ex ſcriptis Homeri paſſim colligere eſt; quod pariter exiſtimabatur intemeratum ſacramentum, quia ſceptrum dignitatis Regis & Judicis ſymbolum ac inſigne erat.

Similiter per homines jurabant, imo aliquando per mortuos; cujus jurisjurandi præclarum exemplum nobis præbet Demoſthenes, qui in *Orat. ad Popul. Athen.* μὰ τὺς ἐν Μαραθῶνι, id eſt, *per illos, qui in prælio Marathonio fortiter pugnando occubuerunt*, jurare auſus eſt; ſæpius per vivos juraſſe aſſerit Stuckius *lib. de Sacris pag.* 93. Vulgo autem per σωτηρίαν, *ſanitatem* & *incolumitatem*, aut per ἄλγεα, *infortunia*, aut per nomina, aut per membra ſua, ut oculos, dexteram, præſertim caput quod credebatur ſacro-ſanctum juramentum, quemadmodum patet ex hiſce verbis Homeri *Hymno in Merc. verſ.* 274.

—— πατρὸς κεφαλὴν μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι.
—— *patris caput magnum juramentum juro.*

Idem aſſerit Helena Menelao jurans apud Euripidem in *Helena verſ.* 841.

Αλλ' ἁγνὸν ὅρκον σὸν κάρα κατομῶσα.
At ſanctum jusjurandum per tuum caput juro.

Nimirum quia caput omnium corporis humani partium præcipuum & nobiliſſimum eſt; vel quia ſanitatis hieroglyphicum adhibebatur, prout opinatur Hanſenius *lib. de Juram. Veterum.*

Interdum per dilectiſſimos, cujuſmodi parentes & liberi, vel per illos, quos in maxima exiſtimatione habebant, jurare ſoliti erant; ſic Pythagorei per Magiſtrum Pythagoram, non ſub nomine Dei aut Herois, ſed quia tantum virum, cujus præclara dicta & facta ad divinam naturam proxime accedebant, maximo honore dignum reputabant.

Juramenta manibus in cœlum ſublatis quandoque dicebantur; unde Apollo apud Poetam Lacheſim χεῖρας ἀνατεῖναι jubet; quem morem recentioribus ſæculis tantum introductum fuiſſe autumat Hanſenius. Aliquando in μεγάλῳ ὅρκῳ, id eſt, *magno juramento*, altari manus imponebant, prout patet ex dicto Periclis, qui amico illum ſol-

licitanti ad perjurium sui causa respondit, *Se esse ejus amicum usque ad aras tantum*. Idem pariter colligi potest ex illis, quæ Diogenes Laertius refert de Xenocrate viro moribus severis & incorruptis præclaro, qui testis advocatus in causa quapiam, dictis quæ pro certis noverat in re controversa, aram adire volebat, ad quam testimonium juramento firmaret, ni judices integritatem viri experti illum uno ore inhibuissent, solis ipsius verbis fidem habentes. Denique eumdem ritum expressit Virgilius in illo celebri fœdere inter Æneam & Latinum *Æneid. lib.* XII. *vers.* 201.

Tango aras, mediosque ignes, & numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet.

Quinetiam ad nos transiit hic mos, ut jurantes Sacris Libris manum imponamus. Loco altaris, lapide usos fuisse scribit Pfeifferus *Antiquit. Græc. lib.* II. *cap.* XXVII. a Suida edoctus, qui illa hausit ex Aristotelis & Philochori scriptis, imo ad majorem confirmationem ex Demosthenis *Orat. in Cononem* hæc verba citat; Τῶν τε παρόντων καθ' ἕνα ἡμῶν οὑτωσὶ πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες, καὶ ἐξορκοῦντες. *Tum nos singulos, qui aderamus, ad lapidem adduxerunt, & jurarunt.* Fateor Athenienses sæpius πρὸς τὸν λίθον jurasse, quem Pfeifferus perperam interpretatus fuisse videtur: nam Aristophanis Scholiastes *in Acharn.* illius lapidis usum indicat isto versiculo *Acharn. Act.* II. *Scen.* VI.

Τονθορίζοντες δὲ γήρᾳ τῷ λίθῳ προσέσταμεν.
Murmurantes autem cum senio constitimus ad lapidem.

Ubi nos docet, illum λίθον fuisse βῆμα, seu *tribunal*, in Pnyce, aut publico foro, quo populi Atheniensis cœtus convenire solebant; cujus appellationis alicubi causam reddit, cum Comœdus locum dictum fuisse Πέτραν asserit, quia petra aut rupe fundatus erat; hinc facile intelligitur, quinam fuerint λιθωμόται, id est, qui in Pnyce jusjurandum dicebant. In privatis pactis, ex more Romanorum, jurans manum suam alterius, cui jurabat, manui jungebat; cujus ritus meminit Euripides in *Helena vers.* 844.

Ἐπὶ τοῖς δὲ τοίνυν δεξιᾶς ἐμῆς θίγε.
Ad hæc igitur confirmanda dextram meam tange.

Omnia enim pacta & fœdera junctis dextris feriri ac firmari solebant; vel quia numerum denarium, qui ambarum manuum digitis perficitur, reverebantur; vel quia illa manuum junctio amicitiæ & concordiæ signum erat: unde, cum amici in unum locum conveniebant, manus jungere in concordiæ testimonium consueverant. Dextra, quia honoratior, eo quod illa qui præsunt aliis imperant, in vulgariori usu erat, quam sinistra; ad quod alludens Crinagoras in *epigramm.* VI. *lib.* I. *cap.* VI. *Anthol.* negat omnes Romæ hostes viribus junctis illam vincere posse;

Ῥώμης οὐδ' ὅσσον βλάψει θένος, ἄχρι κε μίμνῃ
Δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέη.
Romæ ne tantillum nocebit robori, quousque manserit
Dextera imperans Cæsari confidens.

Denique inter standum aliquando imam auriculæ partem apprehendebant. Plinius *Nat. Hist. lib.* XI. *cap.* XLV. *Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes attestamur.* Ubi consuetudinis hujus rationem reddit, ob quam etiam causam *vellere aurem* admonere dicimus. Virgil. *Eclog.* VI. *vers.* 3.

—— *Cynthius aurem*
Vellit, & admonuit. ——

A Unde Romani in antestationibus morem habebant, ut auctor imam auriculam tangeret antestati, addens hoc verbum, *Memento*. Ad quem Horatius alludit *lib.* I. *sat.* IX. *vers.* 75.

—— *magna*
Inclamat voce: &, licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam. ——

Unde Lipsius apud Plinium legendum existimat *antestari* pro *attestari*; emendatione probabili forte, verum non ita necessaria. Cæterum illa pars auriculæ, quam testes apprehendebant, ea de causa λοβὸς nonnullis dicta fuisse videtur. *Etymologici* Auctor; Λοβοὶ, τὰ κάτω μέρη τῶν ὤτων. Paulo
B post: Λοβοὶ λέγονται, ἐπειδὴ μαρτυρόμενοί τινι, λαμβανόμεθα αὐτῶν.

Præterea omnia sacra fœdera in honorem Deorum, per quos jurabant, plerumque vel apri, vel arietis, vel capri, imo trium illorum simul, vel eorum loco taurorum aut agnorum sacrificio pangere moris erat. Alias apri, &c. mactandi testiculos exscindebant, quibus insistentes juramentum dicebant. Aries aut aper ille sic mutilatus vocabatur τομίας. En tibi ritus. Primo pilos ab hostiæ capite abscissos præsentibus distrahebant, ut indicarent omnes juramenti participes esse, prout docemur ab Homero *Iliad.* γ'. *vers.* 273.

C Ἀρνῶν ἐκ κεφαλῶν τάμνε τρίχας· αὐτὰρ ἔπειτα
Κήρυκες Τρώων καὶ Ἀχαιῶν νεῖμαν ἀρίστοις.
Agnorum ex capitibus abscidit pilos: sed eos postea
Præcones Trojanorum & Achivorum distribuerunt principibus.

Illius autem ritus sensum tradit Eustathius ex Sophoclis *Ajace Flagell. vers.* 1200.

Κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθονὸς,
Γένους ἅπαντος ῥίζαν ἐξημημένος,
Αὔτως ὅπωσπερ τόνδ' ἐγὼ τέμνω πλόκον.
D *Malus male insepultus ejiciatur e terra,*
Radicitus cum toto suo genere exstirpatus,
Impune, quemadmodum ego hunc præcido capillum.

Postea Deos fœderis initi testes & in perjurum animadversuros invocabant. Quibus peractis, victimam mactabant gula fracta, secundum Homerum *Iliad.* γ'. *vers.* 292.

—— καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ.
—— *& jugulos agnorum abscidit sævo ferro.*

Στόμαχος enim primitiva significatione *fauces* denotasse observat Eustathius *in hunc locum*. Hinc
E orta phrasis Græca, ὅρκια τέμνειν, Latine *ferire fœdus*, hoc est, *pactum inire*. Deinde capita fœderis, ambarum partium juramento firmandi, relegebantur, prout liquet ex induciis inter Græcos & Trojanos pactis apud Homerum.

Iterum vina mixta in symbolum consensus & concordiæ libabant. Tandem Diis rursus invocatis, libamina fundebant, voventes, ut primi perjuri sanguis atque cerebrum eumdem in morem effundi possint, sicut ex his Homeri versiculis *Iliad.* γ'. *vers.* 295.

Οἶνον δ' ἐκ κρητῆρος ἀφυσσάμενοι δεπάεσσιν
F Ἔκχεον, ἠδ' εὔχοντο θεοῖς αἰειγενέτῃσιν·
Ὧδε δέ τις εἴπεσκεν Ἀχαιῶν τε Τρώων τε,
Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
Ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
Ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι ὡς ὅδε οἶνος,
Αὐτῶν, καὶ τεκέων· ἄλοχοι δ' ἄλλοισι μιγεῖεν.
Vinum autem ex cratere haustum poculis
Effundebant, & vota faciebant Diis sempiternis;
Sic autem quidam dicebat Achivorumque Trojanorumque,

Jupiter gloriosissime, maxime, & immortales Dii cæteri,
Utri priores præter fœdera offenderint,
Sic ipsorum cerebrum humi fluat sicut hoc vinum,
Ipsorum, & liberorum: uxores vero aliis misceantur.

Usuveniebat in juramentis, ut diris & imprecationibus se devoverent, si unquam perjuri forent, præsertim istis de causis; Vel ut alios ad fidem præstandam efficacius moverent; pro exemplo sit juramentum Demosthenis *Orat. contra Cononem*: Εἰ μὲν εὐορκῶ, πολλά μοι ἀγαθὰ γένοιτο, εἰ ἐπιορκῶ, ἐξώλης ἀπολοίμην. *Si quidem sancte juro, multa mihi bona eveniant, sin pejero, penitus peream.* Vel ut sanctiore & arctiore vinculo obstricti ad mentem & propositum mutandum nunquam adduci possent. Idcirco Phocenses apud Herodotum *lib.* I. & Strabonem *lib.* IV. qui in posterum urbem Massiliam in Gallia Narbonensi condiderunt, iter ingressi, sacramento & imprecationibus se devoverunt domum nunquam reversuros; unde natum proverbium, Φωκέων ἀρὰ, quod extenditur ad quemvis sacrosancto juramento obligatum.

Ut ad propositum redeamus, caro, qua alias epulari solebant, in hoc sacrificio comedi nefas erat; idcirco illam inhumari in ædibus jurantis solitam fuisse tradit Eustathius *in Iliad.* γ'. Priamus enim sic fecisse de victima sacrificii supra memorati videtur; sin vero jurans peregrinus foret, sacrificii caro in mare projiciebatur, ut Talthybii sus, ad quoddam Agamemnonis jusjurandum firmandum mactata, vel alio simili modo peribat. Nec hoc in loco prætereundum, si quid ominosi in sacrificio apparuisset, juramentum vel in aliud tempus distulisse, vel omnino abripuisse; cujus facti exemplum nobis suppeditat Plutarchus in *Vita Pyrrhi*, qui, dum Pyrrhus, Lysimachus, & Cassander ad pacem jam inter se initam sacro juramento ac sacrificio firmandam in unum congregati essent, ex capro, tauro, & ariete, qui in hostias producti fuerant, arietem repentina morte correptum fuisse refert; quod etsi plures deriderent, attamen Theodotus Sacerdos Pyrrhum a juramento dicendo prohibuit, asserens illud omen mortem unius trium Regum confœderatorum præsagire, & ex Vatis consilio pacem ratam habere recusavit Rex ille.

Alexander ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* V. *c.* X. aliam jurandi formulam nobis ita exhibuit. Vestibus succinctis, enseque in jugulum directo, cœlum, terram, solem, ac Furias testes in illud, quod acturi erant, invocabant; deinde verrem mactabant, ac in mare projiciebant, quo peracto juramentum dicebant.

Jusjurandum sic vulgo concipiebant Molossi: Bovem in frusta secabant, tumque jurabant: unde quidquid minutim dissectum erat, proverbii loco dicebatur, Βοῦς ὁ Μολοττῶν, prout Suidas in *Voc.* Βοῦς & Zenodotus in *Proverb.* in Βοῦς testantur. Obiter observanda est hallucinatio Erasmi in *Adagiis*, qui loco *Bos Molottorum* scribit *Bos Homolottorum*, legens (ut opinor) in Auctoribus modo allegatis Βοῦς Ὁμολοττῶν pro Βοῦς ὁ Μολοττῶν.

Alia juramenti formula describitur a Plutarcho in *Vita Aristidis*, ubi tradit, Græcos, deletis ac penitus profligatis Xerxis copiis, victoria superbientes, aggressos fuisse irrumpere in Persiam; interea Aristidis ad firmandum eorum animum obstrinxit omnes jurejurando se fœdus servaturos, ipsemet nomine Atheniensium juravit, & postquam diris devovisset illum qui jusjurandum violaret, laminas ferri candentis in mare jecit; quo intelligi volebat, juramentum fore sacrum & intemeratum, quamdiu laminæ ferreæ in fundo maris A residerent nec supernatarent; cujus moris mentio fit apud Callimachum, qui (ut citatur ab Scholiaste Sopholis *in Antig. vers.* 270.) de Phocensibus loquitur:

Φωκήων μέχρις κε μένῃ μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος.
Donec Phocensium ingens ignitum ferrum in mari maneat.

Occurrit alia juramenti formula apud Plutarchum in *Dione*, (quo Dionis uxor & soror obstrinxerunt Callippum Atheniensem, eo adductæ quod eum conspirationis in Dionis vitam conscium esse B suspicarentur) sic composita: Jurator se conferebat in templum Cereris ac Proserpinæ, aut, juxta nonnullos, Cereris Thesmophoræ seu Legiferæ; ubi, certis quibusdam ceremoniis peractis, induebatur veste purpurea Deæ, & tædam ardentem manibus tenens, quasi staret coram Numine, per universos Deos jurabat; illudque a Syracusiis maximum & sacro-sanctum censebatur juramentum.

Aliud juramenti genus obtinebat Palicæ, Siciliæ civitate, ad fontem nomine Acadinum, in quem juratores tabulam juramento inscriptam injicere solebant, quæ si quis supernatasset, convictus credebatur crimine purus; sin vero, flammis rapidis C citissime absorbebatur; sic tradunt Aristoteles *lib. de Mirabilibus* & Stephanus Byzantinus in Παλίκη.

Præterea ab imputatione criminum diversis aliis sacramentorum formulis se purgare solebant, ex. gr. Convictus prius jurans se falso accusari, per ignem manibus reptabat, aut ferrum candens, a Græcis dictum *μύδρος*, (prout Sophoclis Scholiastes nos docet) manibus gestabat, qui si sceleris purus, damno immunis emergebat. Apud Sophoclem in *Antigone vers.* 270. unus ex satellitibus Creonti dicens inducitur, se omnes libenter illum D in morem juraturos, nec Polynicen ab iis inhumatam, nec qui illam humo mandaverint, se scire:

Ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ Θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
Τὸ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῳ συνειδέναι
Τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι, μήτ' εἰργασμένῳ.
Eramus autem parati ignitum ferrum manibus capere,
Et ignem pertransire, & per Deos sancte jurare,
Quod non fecissemus, nec sciremus quemquam
Fecisse nostro consilio.

E Ab illo autem jurandi modo non multo diversum, quod in Anglia apud nostros majores Saxones usu venit, quodque idcirco ab illis dictum est *fire-ordeal*, id est, *ignis purgatorius*, (*ordeal* enim lingua Saxonica significat *purgationem*) & hunc in modum peragebatur; Convictus in plures vomeres candentes certis intervallis a se invicem dispositos, oculis clausis & nudis pedibus, subsilire solebat; ad illud Ordalium subeundum matrem Emmam adegit Edwardus dictus *Confessor*, quo F adulterii cum Alwyno Episcopo Wintchesteriensi perpetrati suspicio omnino tolleretur; illo autem examine suam castitatem abunde demonstravit, quæ omnibus illis ferris ardentibus transilitis priusquam animadvertisset exclamavit, *Quando ad locum meæ purgationis venero?* Iterum Kunigunda Henrici II. Imperatoris uxor, ut ab eodem crimine se purgaret, a ferro candente manu prehenso nihil damni accepisse traditur. Sed plus nimio digressi sumus.

Tantum mihi condonet Lector benevolus, si unum aliud ex illis purgatoriis sacramentis addam, quod ab Achille Tatio *l.* 8. *Amorum Clitophontis &*

Leucippi describitur. Mulier a crimine impudicitiæ se purgare solebat jurabento tabellæ inscripto, cum qua collo appensa in aquam descendebat ad media crura; si sceleris pura, nil novi accidebat; sin vero rea foret, aquæ subito impetu turgentes illius collum & tabellam superabant; ne tam horrendum & detestabile crimen, quale perjurium, a sole palam conspiceretur. Alia fuerunt juramenta, quæ describere mens foret, ni Lectori plus nimio jam molestum fuisse non immerito metuerem; idcirco tantum pauca dicam de religione sacramentorum, quæ apud Veteres vigebat, quaque istud caput claudetur.

Quam religiose juramenta servaverint, patet ex eo quod εὔορκος, id est, *qui juramentum præstat*, vulgo sumitur pro εὐσεβὴς, id est *pius*. Sic apud Hesiodum *Oper. & Dieb. vers.* 118.

Οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται, οὔτε δικαίου.
Neque ulla pii gratia erit, neque justi.

Quo sensu intelligitur idem vocabulum apud Aristophanem in *Pluto Act.* I. *Scen.* II.

Ἀλλ' εἴ τι χαίρεις ἀνδρὸς εὐόρκου τρόποις.
Sed si quid tibi placent viri pii mores.

Econtra improbum perditumque hominem per ἐπίορκον exprimebant, quo nomine nil deterius & magis infame credebant: unde Aristophanes in *Nubibus Act.* I. *Scen.* IV. verba faciens de fulgure & fulmine, quæ præsertim in improbos jaculari existimabatur Jupiter, rogat:

Εἴπερ βάλλει τοὺς ἐπιόρκους, πῶς δῆτ' οὐχὶ Σίμων' ἐνέπρησεν,
Οὐδὲ Κλεώνυμον, οὐδὲ Θέωρον; καί τοι σφόδρα γ' εἰσ' ἐπίορκοι.
Ἀλλὰ τὸν αὑτοῦ γε νεὼν βάλλει, καὶ Σούνιον ἄκρον Ἀθηναίων,
Καὶ τὰς δρῦς τὰς μεγάλας· τί παθών; οὐ γὰρ δὴ δρῦς ἐπιορκεῖ.
Si fuerit perjuros, quomodo igitur non Simonem combussit,
Neque Cleonymum, neque Theorum? quandoquidem supra modum sunt perjuri.
Sed ipse suam ædem fulmine percutit, & Sunium arcem Atheniensium,
Et quercus magnas; quid ab illis patitur? non enim sane quercus pejerat.

Iis, qui sine causa pejerare assueverant, inustum ab Atheniensibus nomen infame Adrettorum, ab Adretto (inquit Hesychius, & ex illo Pavorinus) loco, ubi juramenta dici solita antequam publica munera obirent.

Perjuri in quibusdam locis morte plectebantur, aliis in locis illius criminis, quo alios falso accusarant, pœnam subibant; alibi vero pecunia tantum mulctabantur. Si autem hominum, saltem Deorum vindictam perjurum quemvis minime effugiturum pro certo creditum est; imo ipsi Dæmones tam infame crimen abominari callide fingebant. Cujus rei præclarum exemplum afferam ex Herodoto in *Erato*. In manibus cujusdam Glauci Spartani justitiæ & vitæ integritatis fama inclyti apud omnes Græcos, & ex metu jacturæ, si opes domi servaret, & magno viri nomine allectus, ingentem pecuniæ summam deposuit civis quidam Milesius: certo autem temporis spatio elapso illius Milesii civis filii Spartam se conferentes, a Glauco nummos ejus fidei traditos repetierunt producto chirographo; Glaucus autem se nescire fingens, rem penitius inquisiturum, & si quid iis debere deprehenderet, soluturum promisit; tandem quadrimestris temporis mora, quam postularat, præterlapsa iter suscepit Delphos, ut Apollinis oraculum interrogaret, an pecuniam perjurio sibi servare licitum foret, necne? Deus autem hominis impudentiam indignatus sequentia verba respondit apud Herodotum *Erato* sive *lib.* VI. *cap.* LXXXVI.

Γλαῦκ' Ἐπικυδείδη, τὸ μὲν αὐτίκα κέρδιον οὕτω
Ὅρκῳ νικῆσαι, καὶ χρήματα ληΐσσασθαι.
Ὄμνυ. ἐπεὶ θάνατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα·
Ἀλλ' Ὅρκου παῖς ἐστὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἔπι χεῖρες,
Οὐδὲ πόδες· κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν
Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.
Glauce Epicydides, equidem expedit ad breve tempus
Sic orco vicisse, intervertisseque nummos.
Dejera: & evorcum quoniam manet exitus idem.
Ast Orci natus, qui nomine, qui manibus, qui
Nullis est pedibus: rapide advenit, usque adeo dum
Convolvens omnem perdat prolemque domumque.

Quod oraculum in Glaucum, etsi pecuniam sibi creditam reddidisset, impletum est, cujus familia intra pauca sæcula penitus exstincta divinæ vindictæ præclarum monumentum exstitit. Sed notandum est, præ ceteris Diis Jovem cognominatum Ὅρκιον perjurii vindicem creditum fuisse: nam in Olympiæ βουλευτηρίῳ, id est, *consessus publici loco*, Jovis statuam utraque manu fulmen gestantem, & ad pedes tabulam æneam, cui quædam carmina elegiaca, ad homines ab illo Deo in perjuriis invocando deterrendos composita, insculpta visebantur, positam esse tradit Pausanias. Præterea perjuri a Furiis corripi & exagitari credebantur, quæ singulorum mensium quinto die loca perlustrabant ad illos impios plectendos, juxta Hesiodum *Oper. & Dieb. vers.* 801.

Ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν Ἐριννύας ἀμφιπολεύειν,
Ὅρκον τιννυμένας, τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.
In quinta enim ajunt Furias obambulare,
Perjurium vindicantes, quod contentio genuit exigium perjuris.

Itaque Agamemnon jurans se nunquam Briseida novisse testes Furias adhibet apud Homerum *Iliad.* τ'. *vers.* 259.

—— Ἐριννύες, αἵ θ' ὑπὸ γαῖαν
Ἀνθρώπους τίννυνται, ὅ, τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.
—— *Furiæ, quæ sub terram*
Homines puniunt, quicumq; perjurium juraverit.

Pœna, quam ibi innuit Homerus, post mortem irrogata fuisse videtur; ait enim, ὑπὸ γαῖαν ἀνθρώπους, &c. seu *homines sub terram*; & quod ita intelligendum sit, patet ex alio jurejurando apud eumdem Poetam *Iliad.* γ'. *vers.* 278. quo inferi Dii sic invocantur:

—— καὶ οἱ ὑπένερθε καμόντας
Ἀνθρώπους τίννυσθε, ὅ, τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ·
—— *& qui sub terra mortuos*
Homines punitis, quicumque perjurium juraverit.

Sed nonnulli isto loco legunt καμόντες, & ita intelligi volunt, fato functorum animas inservire ad perjuros nebulones cruciandos.

Imo quibusdam in locis res sensus expertes istud crimen ulcisci traduntur; in Arcadia enim vulgo creditum, neminem per aquas Stygias pejerasse, quin crudeles ac ingentes pœnas daret; deque caverna subterranea Palæmoni dicata apud Corinthios narrant, quod perjurus nemo, quam primum in eam ingrederetur, tremendam Numinis vindictam effugeret. Apud Siculos in templo Pa-

licorum intra urbem Palicam exstructo erant quidam crateres, fontes, aut lacus, (interdum enim sic vocantur) dicti *Delli*, ex quibus continuo erumpebant flammæ, ignis globi, & aqua fervida ac fœtida; hucque ad controversias dirimendas undique convenire soliti erant; si quis juxta illos fontes falso juraret, ilico fiebat cœcus, aut mancus, aut morte etiam plectebatur, aut absorbebatur ac in lacus submergebatur. Verum de his paulo ante dictum est. Vid. præter Aristotelem & Stephanum supra laudatos, Diodorus Siculus *lib.* XI. & Macrobius *Saturnal. lib.* V. *cap.* XIX.

Quamvis hocce flagitium Diis maxime displiceret, (ut patet exemplis mox adductis pluribusque aliis) & nefarium ac turpe esset, a Græcis tamen tam frequenter admissum, ut nunquam efficere potuerint, quin dolus & perfidia ipsis adscriberetur; ita ut *Græca fides* communi proverbio dicatur de hominibus vanis, levibus, & quibus fidere non est: Plautus in *Asinaria* per *Græca fide mercari* intelligit emere præsente pecunia, quippe alias cum Græcis mercari minime tutum. En ipsius verba *Act.* I. *Scen.* III.

Diem, aquam, solem, lunam, noctem, hæc argento non emo;
Cætera, quæ volumus uti, Græca mercamur fide.

Tullius Cicero in *Orat. pro L. Flacco* de iisdem similiter dicit: *Testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit.* Euripides quoque ipsorum popularis hac in re huic adstipulatur, cum ait in *Iphig. Taur. vers.* 1205.

Πιςὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν. ——
Fidem Græcia novit nullam. ——

Polybius *lib.* VI. *Hist.* adhuc plenius idem declarat, cum ait: Παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν, ἐὰν τάλαντον μόνον πιςευθῶσιν, ἀντιγραφεῖς ἔχοντες δέκα, καὶ σφραγῖδας τοσαύτας, καὶ μάρτυρας διπλασίους, οὐ δύνανται τηρεῖν τὴν πίςιν. *Apud Græcos quidem, si vel unum duntaxat talentum fuerit eis creditum, decem rescriptoribus adhibitis, sigillis totidem, testibus autem duplo pluribus, fidem tamen ut servent impetrare ab iis nequeas.* Tamen Ausonius de illis melius sentit, nisi ipsius verba ironice accipiantur, quum Paulo suo ait *Epist. lib. epist.* X.

Nobiscum invenies κατενόπλια, *si libet uti*
Non Pœna, sed Græca fide.

Thessali præsertim isto vitio infames fuerunt; unde juxta Zenodotum per Θεσσαλῶν νόμισμα intelligitur fraus ac dolus; imo aliud proverbium, Θετταλῶν σόφισμα, ex perfidia & prævaricatione Thessalorum in confœderatos natum esse videtur; quorum perfidiæ memorabile exemplum exstat in bello Peloponnesiaco; illi enim, dum acriter utrinque dimicaretur, terga verterunt, castrisque Atheniensium relictis ad Lacedæmonios transfugerunt: quæ ratio verisimilior videtur illa a Zenodoto adducta, quem adi. Thessali hecatombas humanas Apollini quotannis offerre solenniter vovebant, minime cogitantes vota sua unquam reddere, patris Thessali vestigia prementes, qui simile votum Apollini fecit, sed quam impium ac Deo ingratum foret sibi conscius, illud nunquam præstitit. Locri non multo minus infames hac in re erant; unde isti loquendi modi, qui in proverbio dici solent, Λοκροὶ τὰς συνθήκας, & Λοκρῶν σύνθημα, vulgo accipiuntur de viris fraudulentis ac artibus dolosis, ut ex Zenodoto discimus. Plura exempla recensere supersedebo, Lacedæmonios duntaxat præterire nequeo, qui ut fortitudine, temperantia, aliisque virtutibus præ cæteris Græcis inclyti, ita perfidia & juramentorum contem-

A ptu valde infames fuerunt; hinc Lycophron *Cassandra vers.* 1124. ipsos vocat αἱμύλους, quos Scholiastes *in hunc locum* interpretatur ψεύστας καὶ δολίους, id est, *mendaces & dolosos.* Euripides, *Androm. vers.* 446. huic adstipulatur, dicens:

Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια.
Spartæ incolæ, dolosa conciliabula.

Aristophanes adhuc apertius ac disertius de Lacedæmoniis loquitur, cum asserit illos nec altaria, neque promissa, nec juramenta sacrosancta habere; en ipsius verba in *Acharn. Act.* II. *Scen.* II.

B Οἷσιν οὔτε βωμοὶ, οὔτε πίςις, οὔθ᾽ ὅρκος μένει.
Quibus nec religio, nec fides, nec jusjurandum est.

Nec meram fuisse Poetæ calumniam abunde patet ex Lysandri illius gentis præclarissimi ducis aphorismo, Ἐξαπατᾷν χρὴ παῖδας μὲν ἀςραγάλοις, πολεμίους δὲ ὅρκοις. *Pueros talis, hostes vero juramentis decipiendos esse*; etsi alii illud placitum Dionysio Tyranno tribuant. Leg. Alex. ab Alex. *lib.* V. *cap.* X. Quidquid sit, Lacedæmonios, qui in privatis negotiis promissis sanctius stabant, in publicis sacramenta minime reveritos fuisse in confesso esse debet; ipsemet enim magnus Agesilaus illius gentis Rex sacramenti fidem, si Reipublicæ C commodo adversaretur, minime sanctam habuisse videtur; quia is fuit scopus & ultimus finis, quo omnia illorum molimina collimabant, ut bonum publicum iniquissimis artibus promovere licitum crederent; nam patriæ benefacere illos imprimis studuisse, nec ullam aliam æqui & iniqui legem habuisse refert Plutarchus in *Vita Agesilai.*

Athenienses justitiæ studiosiores fuisse, liquet ex iis, quæ Plutarchus refert de Themistocle, qui cum indicasset populo se quid moliri in maximum Reipublicæ beneficium, quod toti concioni aperire non conveniebat, jussus est inceptum solius D Aristidis fidei committere, populus autem ab Aristide certior factus, consilium quidem utilissimum, sed pariter iniquissimum esse, ab illo peragendo Themistoclem inhibuit. Diogenianus *lib. Collection.* tradit, Ἀττικὸν μάρτυρα pro verace & incorrupto teste, ut & Ἀττικὴν πίςιν pro sincera & intemerata fide sæpius sumi: etsi alii illud proverbium deduci volunt a Dea Fide, cujus templum Athenis fuit, teste Plauto in *Aulul.* Alii iterum non ad mores populi, sed ad solum infrugiferum, quod semen acceptum nec plus nec minus reddebat, unde Attica fides tribui solet homini, qui depositum reddit, referunt: sed Vellejus Paterculus E *Hist. lib.* I. illud interpretatur de fide incorrupta, quam Romanis Athenienses præstiterunt; quapropter Attica fides a Flacco *Argonaut. lib.* IV. dicitur *certa*, ab Horatio *lib.* III. *od.* XVI. *impolluta*, a Silio vero *Belli Punici lib.* XIII. *pura*; & pluribus aliis nominibus bonæ famæ apud Poetas ornatur. Nihilominus illius populi fides non ita sibi constitit, quin boni publici promovendi spe allecti illam sæpius violarint; unum tantum exemplum, quo caput claudetur, afferam ex Plutarcho in *Vita Aristidis*, quod magis notatu dignum & illius gentis mores & genium evidentius ostendere F mihi videtur, quia ab ipso populo probatum, & ab Aristide viro nemini Atheniensium justitiæ & integræ fidei fama æquiparando impletum est. Cum cæteris Græcis (postquam Xerxis exercitus potentissimi reliquias penitus delevissent) fœdus ad Persiam junctis viribus subito invadendam Reipublicæ Atheniensium nomine Aristides sacro-sancto juramento pepigit: sed in posterum rerum statu requirente, ut consilia regerentur a potentiore duce, quam cum fœdere convenire videretur, illos suasit, ut, perjurii culpa in illum solum injecta

rebus suis maxime consulerent. Summatim, Theophrastus apud Plutarchum nos docet, illum virum, qui in propriis & aliorum civium privatis causis æqui observantissimus erat, in publicis negotiis, præsentis Reipublicæ status & emolumenti ratione tantum habita, leges justitiæ transgredi minime dubitabat. Tandem refert, cuidam quærenti an certum thesaurum Delo, suadentibus Samiis, sed prohibente fœderis fide, Athenas transmittere liceret, necne, Aristidem respondisse, *Consilium quidem iniquum esse, sed expedire.*

CAP. VII.

De Græcorum Divinatione & Oraculis in genere.

A Temporibus antiquissimis creditum est, Deos hominibus quibusdam familiarius uti, iisque consilia sua aperire, & res miras supraque humanas vires positas agendi virtute induere. Hos Græci communi nomine *μάντεις* vocabant: nam *μαντικὴ* (quo nomine omnes divinandi artes efferuntur) rerum arcanarum & futurarum, quæ ordinaria naturæ ope sciri nequeunt, cognitio dicitur. A Platone in *Phædro*, & post illum ab Aristotele, Plutarcho, & Cicerone, in duas species distinguitur, quarum altera dicitur *ἄτεχνος*, *ἀδίδακτος*, & *naturalis*, id est, quæ nullis institutis, præceptis, & experimentis acquiritur, sed in vatem inspiratur, hoc unum caventem & curantem, ut purgatus & dispositus foret ad divinum afflatum accipiendum. Ad illam speciem referendi sunt quotquot oracula proferebant, & futura prædicebant Numinis afflatu, absque signorum & ominum ope, cujusmodi Sibyllæ & alii *Ἔνθεοι* aut *Numine pleni*. Divinandi modus per somnia a quibusdam huc reducitur, quia iis, qui somniabant, res arcanæ detegebantur sine illorum labore & arte; sed in eo falluntur, quod non qui somniabant, sed somniorum interpretes proprie divinabant: illorum enim peritiam arte & experientia acquiri, patet ex innumeris libris de hac materia compositis, & ex signis, quibus conjecturæ fiunt, ibidem traditis; pariter, aves ominosas adspicere, quod cuivis rudi & imperito homini casu evenire posset, non Auguris erat, sed quid illarum adspectus portendebat interpretari.

Quocirca hæ & aliæ hujusmodi divinandi artes ad secundam speciem dictam *τεχνικὴν* aut *artificialem*, quæ non inspiratur, sed longa experientia paratur, referri debent, exempli gratia, ars magica: aut quæ hominum artibus, technis, & imposturis præsertim tribui debet, non tamen sine Numinis singulari præsidio & regimine, cujusmodi erat ars divinandi per sortes.

Exordio facto a priore divinandi specie, primo agam de ejus nobilissima parte, nimirum oraculis, quæ Græce dicuntur *χρησμοὶ*, *χρησμῳδίαι*, *χρησμῳδήματα*, *μαντεύματα*, *θεοπρόπια*, *θεσπίσματα*, *θέσφατα*, &c. oraculorum interpretes aut expositores, *χρησμολόγοι*, qui illa consulebant, *θεοπρόποι*, loca vero, in quibus proferebantur, *χρηστήρια*, *μαντεῖα*, &c. attamen fatendum est quædam ex his nominibus aliis divinandi speciebus sæpius tribui.

Ex omnibus divinationibus, oracula, quia a Diis immediate procedere credebantur, in maxima existimatione semper habita sunt. Sed aliæ divinandi artes ab hominibus tradebantur, & ab hominum voluntate peculiarius pendebant, qui vel ex imperitia falli possent, vel ex metu pœnæ, aut spe emolumenti, aut alia illicita & injusta de causa veritatem reticere vel prodere vellent; e contra Dii, qui nec iræ subjiciuntur, nec hominum muneribus & promissis tanguntur aut indigent, ad neutrum perpetrandum ullo modo vinci posse credebantur. Qua de causa tantam fidem & existimationem apud homines obtinuerunt oracula, ut in omnibus dubiis & controversiis illorum responsa sacra & intemerata habita fuerint; unde Strabo *Geogr. lib.* XVI. tradit ingentem hominum frequentiam eo confluxisse, qui suorum dubiorum solutionem quærerent, & in rebus suis administrandis consilium peterent, ita ut nil momenti susceptum fuerit, vix ulla pax pacta fuerit, ullum bellum indictum, ulla regiminis forma instituta, aut ullæ leges latæ fuerint, nisi oraculum prius interrogatum fuisset. Crœsum bellum Persis inferre non sustinuisse, antequam non solum celeberrima Græciæ oracula, sed & ipsum Jovem Ammonem in Libya per legatos consuluisset, refert Herodotus *lib.* I. Minos Cretensium legislator Jovis commercio familiariter usus fuisse, & ab illo novam regiminis instituendi formam accepisse dicitur a Strabone *loco citato*. Pariter Lycurgus ab Apolline Delphico, quem sæpius invisebat, in Lacedæmoniorum Republica rite componenda institutus fuisse creditur. Nec multum refert nosse an illa vera fuerint, necne, cum pro veris credita fuerint; inde enim colligi potest quanta fuerit oraculorum dignitas, saltem in vulgi opinione, quam ipsi legislatores & viri maximæ existimationis iis artibus uti necessum duxerint, ut homines in obsequium flecterentur. Imo Scriptor jam citatus præclariora tribuit viris Numine plenis, qui maximis honoribus & muneribus digni credebantur; ita ut ad solium & regiam dignitatem sæpius evecti dicantur; qui enim ad Deorum intima consilia admittebantur, generis humani saluti & incolumitati prospiciendis maxime idonei existimabantur.

Illa autem oraculorum dignitas Sacerdotibus, qui ex iis victum quærebant, non parum profuit; quum enim oraculorum fidem hominum mentes ubique invasisse deprehenderent, nemo ea interrogare permittebatur, nisi prius sumptuosa sacrificia & pretiosa munera deposuisset: unde soli principes & opulenti viri Deos consulendos adibant, quia ingentibus illis sumptibus sustinendis soli pares erant, quod non parum auxit vulgi reverentiam pro oraculis; ut enim quidquid iis familiare & vulgare contemnere, ita vice versa ea, quorum usu iis interdicitur, mirari solent homines. Quocirca, ut apud ipsos magnates semper vigeret oraculorum pretium, paucis statis diebus tantum eos admitti fas erat; aliis autem temporibus principum maximus & viri genere clarissimi responsum nec ullo pretio emere, nec ullo alio modo consequi valebant; ipsum Alexandrum aperte recusavit Pythia, donec in Tripoda vi sublata est, ex quo, quum in Numinis afflantis impetum reniti diutius non posset, exclamavit, *Ἀνίκητος εἶ*, *Invictus es*. Quæ verba boni ominis & oraculi loco credita & accepta sunt.

An a Dæmonibus processerint, an vero callidorum sacrificulorum imposturæ solummodo fuerint oracula, jamdiu controvertitur. Van Dale Scriptor ille Belga amplo *Tractatu* posteriorem sententiam adstruere conatur, cujus argumenta non tam valida mihi videntur quin facile dilui possent, si vel institutum exigeret, aut tempus mihi adforet. Quidquid sit, huic & aliis divinationibus præesse vulgo credebatur Jupiter, qui fatorum libros tenebat, ex quibus plura aut pauciora pro lubitu Dæmonibus pandere dicebatur; qua de causa dictus est *Πανομφαῖος* ab Eustathio *Commentario in Iliad. θ'. vers.* 250.

Ἔνθα Πανομφαίῳ Ζηνὶ ῥέζεσκον Ἀχαιοί.
Ubi Panomphæo Jovi sacrificabant Achivi.

Ex cæteris Diis Apollo in futuris revelandis primas tenebat, quapropter omnibus prophetis & vatibus præfici solebat: sed tantum subordinate ad Jovem, & ex ejus colloquio & revelatione, prout Æschylus in *Fragm. Sacerdotum Edit. Lond. pag.* 640. nos docet;

Στέλλειν ὅπως τάχιστα· ταῦτα γὰρ πατὴρ
Ζεὺς ἐγκαθιεῖ Λοξίᾳ θεσπίσματα.
Mittere quam citissime; hæc enim pater
Jupiter communicat Apollini oracula.

Iterum idem Tragœdus in *Eumenidibus* postquam Apollinem homines sua oracula revereri jubentem induxerit, addit Jovis oracula eamdem reverentiam demereri, nulla aliorum propheticorum Numinum mentione facta; ejus verba sic sonant in *Eumenid. vers.* 716. *Edit. Lond. pag.* 532.

ΑΠ. Κἀγώ τε χρησμοὺς τοὺς ἐμούς τε καὶ Διὸς
 Ταρβεῖν κελεύω
ΑΡ. *Ego quoque oracula & mea & Jovis*
 Timere jubeo. ——

Quamvis alii Apollinem divinationem a Pane didicisse ferant, inter quos est Apollodorus *Argon. lib.* III. alii a Glauco, ut Athenæus *Deipnosoph. lib.* VII. alii a Themide, ut Orpheus *Hymno in Themidem vers.* 6. alii denique tum ad Apollinem tum ad cæteros Deos universos a cœlesti Venere descendisse hanc artem fabulentur: Τὴν Ἀφροδίτην *οὐρανίαν εἶναι μητέρα ὅλων, πάσης μαντείας καὶ προγνώσεως εὑρετήν*. *Cœlestem Venerem esse totius naturæ parentem, omnisque divinationis & præscientiæ inventricem*, ut ait Artemidorus.

Oracula nec ubique nec semper eumdem in morem dicebantur, quibusdam in locis Dii illa pandebant per interpretes, ut Apollo Delphicus: iterum in aliis locis ipsimet responsa dabant vel viva voce, vel per somnia, vel per sortes, (quorum prius a Diis inspirari, posterius vero dirigi tantum credebatur) aut alio aliquo modo. Responsa a Diis ipsis reddita χρησμοὶ αὐτόφωνοι, quæ vero prophetarum ministerio edebantur, χρησμοὶ ὑποφητικοὶ, dici solent. Sed in pluribus locis utrumque obtinebat: exempli gratia, qui Trophonii oraculum adibant, dubiis propositis responsum primo accipiebant inter somniandum, quod si obscurius quam quod intelligi posset, ejus sensus a viris, hunc in finem alitis, & a Numine in hac arte institutis, interpretari solebat: sed diversum alium responsorum ab illo Deo iis qui interrogabant redditorum modum refert Pausanias in *Bœoticis*, & in *Messenicis* idem Scriptor tradit, illius oraculi responsum prolatum fuisse his heroicis carminibus:

Πρὶν δορὶ συμβαλέειν ἐχθροῖς, στήσασθε τρόπαιον,
Ἀσπίδα κοσμήσαντες ἐμὴν, τὴν εἵσατο νηῷ
Θοῦρος Ἀριστομένης Μεσσήνιος· αὐτὰρ ἐγώ τοι
Ἀνδρῶν δυσμενέων φθίσω στρατὸν ἀσπιστάων.

Ne petite ante hostem, sacrum quam cura trophæum
Sit vobis posuisse: hic, scutum ornate, quod acer
Fixit Aristomenes Messenius: ipse inimicas
Scutatorum acies infestaque tela refringam.

Quod ante pugnam Leuctrensem acceperunt Thebani, qui duce Epaminonda Lacedæmonios eorumque confœderatos ingente affecerunt clade.

Hæc sufficiant de oraculis in genere. Jam de iis præsertim celebrioribus sigillatim agam, necnon breviter describam ritus, qui a supplicibus observari solebant, de responsorum forma, & de pluribus aliis rebus, quæ in singulis notatu digna videntur. Quia autem Jupiter oraculorum fons existimabatur, idcirco ab iis, qui ex illo supremo Numine immediate manare credebantur, initium faciam.

CAP. VIII.

De Jovis Oraculis.

Dodona civitas Thessaliæ a nonnullis credita, ab aliis Epiri; & ad duas hasce sententias conciliandas alii statuunt duplicem Dodonam, unam in Thessalia, alteram in Epiro. Vid. Eustath. *ad Iliad. β'. pag.* 254. & *ad Iliad. π. pag.* 1704. *Edit. Basil.* & Stephanus Byzantius. Qui Dodonam in Epiro ponunt, (quæ universe habita oraculi sedes, sive exstiterit altera Dodona in Thessalia, necne) hac de re inter se dissentiunt; horum enim nonnulli in Thesprotia, alii in Chaonia vel Molossia fuisse contendunt; verum Eustathius *in Odyss. ξ. pag.* 544. controversiam dirimit, asserens Dodonam revera in ditione Thesprotiorum olim fuisse, postea vero in Molossorum potestatem venisse; & in ista re cum ipso consentit Strabo *Geogr. lib.* X.

Primus eam condidit Deucalio, qui tempore diluvii universalis, quo maxima Græciæ pars periit, eum in locum se recepit, ubi præ altitudine ab aquis tumidis tutus fuit. Huc ad eum convenerunt quotquot fluctibus eluctati, quibuscum novam urbem frequentavit, eique nomen *Dodona* indidit, sive ab una Nereidum cognomine; seu a Dodon filio aut Dodone Jovis & Europæ filia; sive a fluvio Dodon aut Don, ita enim dicitur Stephano; seu, juxta quosdam, a Dodanim filio Javanis, qui (ut tradunt) dux fuit coloniæ missæ ad illas Epiri partes incolendas. Sub idem tempus exstruxisse templum Deucalio dicitur, illudque Jovi dicasse, qui inde *Dodonæus* appellatus est. Primum in Græcia templum fuit, sed oraculum longe ante exstitisse videtur; nam Herodotus *Hist. lib.* II. refert antiquissimum Græciæ oraculum fuisse, quod falsum foret, nisi ante tempora Deucalionis exstitisset; ille enim (ut Poetæ produnt) ex diluvio elapsus oraculum Themidis supra montem Parnassum sciscitatus est, qua ratione regionem novis incolis replere posset; idemque oraculum (ut ferunt) Tellus una cum Neptuno tenuit, antequam ad Themidem perveniret.

Hujus rei originem, sed, ut in aliis vetustissimis fit, fabulis involutam, petam, in gratiam Lectoris, ex supra *memorato* Herodoti *loco*, ubi hujusce rei duas causas adduxit, quarum prior a Sacerdotibus Jovis Thebis in Ægypto ei data talis erat: nimirum, Phœnices hinc abduxisse duas Sacerdotes, unamque in Libya, alteram in Græcia vendidisse; utramque erexisse primum oraculum apud illas gentes, unum Jovis Ammonis, alterum Jovis Dodonæi. Posterior vero ipsi reddita fuit a Sacerdotibus fœminis Dodonæ, atque firmata ab iis omnibus, qui in templo ministrabant, scil. Ex duabus columbis nigris, quæ Thebis in Ægyptum avolabant, unam in Libya, ubi oraculum Ammoni erigendum jussit, aliam Dodonæ substitisse, ubi quercui insidens, hominumque vocem imitans, imperavit ut hoc in loco oraculum Jovis conderetur. Deinde Herodotus hac de re sententiam suam prodit, nimirum, Quod si Phœnices Thebis duas mulieres vere asportassent, ac unam earum in Libya, aliam in Græcia venundassent, probabile fit, quæ in Græciam advecta, venditam fuisse Thesprotiis in illa regione, suo tempore Hellade, sed antehac Pelasgia vocata, ubi Jovis oraculum statuit, modumque præscripsit, quo colen-

dus eſſet. Ad ſuam conjecturam firmandam addit, ambo iſta oracula maximam inter ſe ſimilitudinem habere. Narrat inſuper, duas illas fœminas coloris nigri fuiſſe, quia ex Ægypto deportatæ, dictaſque columbas, quod ipſarum ſermo barbarus & inconditus ad inſtar avium eſſet; poſtea cum Linguam Græcam didiciſſent, voce humana loqui dictæ ſunt.

Hujuſmodi appellationis duas rationes ſubjungit Euſtathius *ad Odyſſ. ξ'. pag.* 544. 545. *Edit. Baſil.* Prior nempe, iſtas mulieres nuncupatas fuiſſe Πελείας ſeu *Columbas*, quaſi Πελειομάντεις, quoniam futura prædicebant ex obſervatione harumce avium; quemadmodum qui corvos ad divinandum adhibebant, vocati ſunt Κορακομάντεις. Poſterior, quod Lingua Moloſſorum anus πέλειαι, ſenes πέλειοι vocabantur, & quod iſtæ prophetides, cum eſſent vetulæ, ſeu voce perperam intellecta, ſive Poetica homonymia, vulgo dicebantur Columbæ; cur autem homines ætate provecti ita denominarentur, diſcimus ex veteri Scholiaſte Sophoclis *in Trachin. verſ.* 176. nam (inquit ille) tres antiquæ prophetiſſæ appellabantur Πέλειαι, quaſi Πεπολιωμέναι, ob canos capillos.

Poſtremo afferam Servii rationem, quam proponit in *Commentario ſuo ad Virgilii Eclog.* IX. *verſ.* 13. videl. Quod Theſſalorum Lingua vocabulum πελειὰς uſurpabatur ad denotandum hariolam æque ac columbam; nec inſolitum apud veteres Græcos videtur, ut Columbarum nomen prophetidibus inderetur; ideoque ænigmaticus Poeta bis in una ſententia Caſſandram hoc nomine deſignat *Caſſandra verſ.* 357.

Τῆμος βιαίως φάσσα πρὸς τόργυ λέχος
Γαμφαῖσιν ἅρπης οἰνὰς ἑλκυσθήσομαι.
Tunc violenter palumba ad accipitris lectum
Faucibus harpes columba raptabor.

Hæc denique ratio datur, quod mulieres, quæ viduæ ad mortem uſque permanent, in Ægyptiorum Hieroglyphicis *nigræ columbæ* ſymbolo notentur. Horapollo: Γυναῖκα χήραν ἐπιμείνασαν ἄχρι θανάτου θέλοντες σημῆναι, περιστερὰν μέλαιναν ζωγραφοῦσι. *Mulierem, quæ vidua ad mortem permanet, volentes ſignificare, nigram columbam pingunt.* Quæ eſt ipſa appellatio, quam Herodotus tribuit mulieribus, quæ ex Ægypto profectæ, & apud Dodonem religioni ſe addicentes (qui mos erat Ægyptiorum) vitam caſtam & cælibem ducebant.

Alii tradunt, Dodonæ oraculum a Pelaſgis fundatum fuiſſe, antiquiſſimis omnium populis, qui Græciam incoluerunt; quam ſententiam amplectitur Strabo *Geogr. lib.* VII. eo adductus teſtimonio Homeri, qui eumdem Jovem duplici nomine Dodonæi & Pelaſgici donat *Iliad. π' verſ.* 233.

Ζεῦ, ἄνα Δωδωναῖε, Πελασγικέ. ——
Jupiter, rex Dodonæe, Pelaſgice. ——

Heſiodus, quem teſtem adhibet quoque Strabo, diſertius rem declarat, quum ait:

Δωδώνην, φηγόν τε, Πελασγῶν ἕδρανον ἧκεν.
Dodonam, quercumque, Pelaſgorum ſedem venit.

Idque paulo veriſimilius videtur; præſertim ſi iis, quæ vulgo de Deucalione referuntur, fides habenda, nimir. Quod aquis tumidis elapſus non receſſerit ad cacumen montis Dodonæ, ſed Parnaſſi, ubi petiit oraculum Themidis. Strabo aliam de fundatione iſtius oraculi fictam ſententiam adducit ex Suida in *Theſſalica*, qui (ait Auctor noſter) in Theſſalorum gratiam novam fabellam excogitavit, cum memoriæ prodiderit oraculum Dodonæ ex Pelaſgia in Epirum regionem Theſſaliæ fuiſſe tranſportatum una cum multis fæminis, a quibus in poſterum ortæ prophetiſſæ, unde Jupiter cognominatus *Pelaſgicus*.

Qui oracula edebant, homines initio erant, prout Strabo & Euſtathius *loc. cit.* obſervarunt ex Homero, qui eos genere maſculino nominat Ὑποφήτας & Σελλοὺς *Iliad. π'. verſ.* 233.

Ζεῦ, ἄνα Δωδωναῖε, Πελασγικέ, τηλόθι ναίων,
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου· ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
Σοὶ ναίουσ', ὑποφῆται ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι.
Jupiter, rex Dodonæe, Pelaſgice, procul habitans,
Dodonæ præſidens hyberno frigore infeſtæ: circum autem Selli
Tui habitant, interpretes pedibus illotis, humi cubantes.

Ubi quidam (ut animadvertit *ad iſtum locum* Euſtathius) legunt, ἀμφὶ δέ σ' Ἔλλοι, hoſque Sacerdotes *Hellos* dictos volunt; ſed juxta illum prior lectio a pleriſque admittitur. Selli ita appellati ſunt a Sellis urbe Epiri, aut ſecundum Euſtathium a fluvio, qui vocatur Selleis apud Homerum *Iliad. ό. verſ.* 531.

Ἤγαγεν ἐξ Ἐφύρης, ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος.
Attulit ex Ephyre, a fluvio Selleente.

Verum hac in re diſſentit a Strabone, qui *ad locum mox memoratum* obſervat, illud flumen non referri ad Ephyram in Theſprotia, hujuſce enim nominis nec ibi loci, nec etiam in Moloſſia ullum fuit) ſed ad aliam Ephyram civitatem Elidis in Peloponneſo. Iidem nuncupati Elli vel Helli ab Ello Theſſalo, a quo Ellopia regio circa Dodonam nomen accepit; & Philochorus apud Strabonem putat iſtos Sacerdotes dictos fuiſſe Ellos ab hac regione; Plinius vero Sellos ac Ellopiæ incolas diverſam gentem fuiſſe contendit. Apollodorus apud Strabonem autumat eos Ἔλλων nomen habuiſſe ἀπὸ τῶν ἑλῶν ſive *paludibus* juxta Dodonæ templum. Ariſtoteles teſtatur hanc plagam Græciam veterem fuiſſe, & a Sellis habitatam: Ὤκουν γὰρ Σελλοὶ ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοί, νῦν δὲ Ἕλληνες. *Habitabant enim Selli iſtic, & illi tunc appellati quidem Græci, nunc vero Hellenes.* Ex quo loco conjici poteſt Ἔλλους tum dictos fuiſſe, cum ab iis nomen habeant Ἕλληνες. Adde quod ipſum templum *Hella* dictum ſit. Heſychius: Ἑλλά, καθέδρα, καὶ Διὸς ἱερὸν ἐν Δωδώνῃ, Λάκωνες. Quod nomen ab Hello quodam lignatore, qui primus hoc oraculum monſtravit, ductum eſt. Homeri vetus Interpres *ad Iliad. π'. verſ.* 234. Πίνδαρος δὲ Ἔλλους αὐτοὺς κληθῆναι φησὶ χωρὶς τοῦ πρώτου σ' ἀπὸ Ἔλλου τοῦ δρυτόμου, ὥς φασι, πρώτου καταδείξαντος τὸ μαντεῖον. Selli ergo procedente tempore dicti ſunt, ſive corruptione vocum σ' Ἔλλοι apud Homerum, quod facilius fieri potuit, quando continuo ductu ſcribebant: ſive quod aſpiratio, in σ' tranſierit, quod haud præter morem contigiſſe e Grammaticis diſci poteſt. Ex duobus hiſce epithetis, ἀνιπτόποδες & χαμαιεῦναι, quæ ipſis tribuit Homerus *Iliad. π'. verſ.* 235. barbaris ac inconditis moribus homines Strabo colligit; Euſtathius *ad Iliad. π'. pag.* 1074. *Edit. Baſil.* tradit appellatos eſſe χαμαιεύνας, quia pellibus induti humi dormiebant, ſicque jacentes vaticinia in ſomnis a Jove expectabant; alii juxta eumdem contendunt dici χαμαιεύνας, quoniam non in lectis, ſed humi cubabant; & ἀνιπτόποδες dicti, quod ex templo nunquam exibant, ideoque pedes abluere non opus habebant: hinc de illis ait Euripides in *Erechtheo verſ.* 123.

Πηγαῖσι δ' οὐχ ὑγραίνουσι πόδας.
Fontibuſque non lavant pedes.

Denique alii nomina illa ſenſu metaphorico intelligi volunt, hunc in modum: Χαμαιεῦναι μὲν, ἀνιπτό-

ἀνιπτόποδες δὲ, τουτέστι, χαμαὶ μὲν εὐναζόμενοι, ἀνιπτάμενοι δὲ τῶν κάτω ταῖς διανοίαις, διὰ τὴν ἐν μαντείαις φιλοσοφίαν. *Humi quidem cubantes, pedibusque illoti, hoc est, humi quidem corpora jacent, mentes vero ope philosophiæ fatidicæ altius adscendunt, avolantes supra infimas hasce regiones.* Quas & alias similes rationes reddit etiam vetus Homeri Interpres.

Nonnulli Pherecydis testimonio innixi tradunt, quod ante Sellos templum Dodonæum incoleretur a septem Atlantis filiabus, quæ erant Bacchi nutrices, & ab isto templo nuncupatæ Dodonides. En ipsarum nomina, Ambrosia, Eudora, Pasithoe, Coronis, Plexaure, Pytho, & Tyche vel Tythe. Quidquid sit, posterioribus sæculis oracula a tribus vetulis edi solita certum est; & Strabo scribit illud immutatum, quando Jupiter Dionen in illud templum admisit ac cum ipso coli voluit; nec mirum aut insolitum unum idemque templum duobus Numinibus sacratum fuisse; nam Apollo & Bacchus in templo Delphico, Apollo & Branchus, vel (ut asserit Stephanus in *Voce* Δίδυμα) Jupiter & Apollo in Milesio adorabantur.

Strabo *Geogr. lib.* IX. Bœotiam describens ait, quod ex populis, qui istud oraculum consulebant, soli Bœoti a viris responsa accipiebant, ac cæteri omnes a mulieribus; cujus consuetudinis rationem *ibid.* reperire est, nimirum; Bello inter Bœotos & Pelasgos, isti Dodonam profecti ut de exitu belli Jovem sciscitarentur, responsum tulerunt, incœptum bene successurum, modo perfide se gererent; quo responso Bœoti suspicantes vatem pro Pelasgis dicere, (hi enim istud oraculum primi condiderunt) eam corripuerunt ac in ignem conjecerunt, jus facti probantes. Ex altera parte, qui in templo ministrabant, impium ac injustum ducentes morte mulctare indemnatum, ut causa ad duas superstites vates remitteretur contendebant; sed Bœoti allegantes nullis legibus licere mulieres judicium pronunciare, conventum fuit ut duo viri una cum illis controversiam dirimerent; cum dies sententiæ dicendæ venit, a mulieribus damnati fuere, a viris vero absoluti; idcirco (ut plerumque fiebat quando suffragia utrinque paria erant) Bœoti dimissi sunt; jam inde sancitum fuit, ut viri soli Bœotis responsa darent.

Hujusce templi vates vulgo dicebantur *Tomuri*, prophetides *Tomuræ*, a Tomuro monte Thesprotiæ, ad cujus radices templum stabat. Quæ vox adeo frequenter usurpata est, ut tandem per illam designaretur quivis propheta; Hesychius enim sic interpretatur, & Lycophron in hunc sensum adhibuit, Pryli filio Mercurii eam tribuens in *Cassandra vers.* 223.

> Τόμουρε πρὸς τὰ λῷστα νημερτέστατε.
> *Vatem ad optima verissimum.*

Tamen alii solas fœminas hoc oraculum rexisse, idque contra Strabonis & Origenis auctoritatem, contendunt. Atque hi Sellos volunt accolas istius regionis fuisse, & ὑποφήτας dici, quod ab iis ad cæteros homines responsa manarent, quæ ipsi a sacerdotibus prius acceperant: quippe qui vicina loca incolerent, & forte in templo aliquod ministerium haberent. Atque hac significatione ὑποφήτην contradistingui τῷ προφήτῃ notum est ex Homeri Interprete: Ὑποφήτας γὰρ (inquit) λέγουσι τοὺς περὶ τὰ χρηστήρια ἀσχολουμένους, καὶ τὰς μαντείας τὰς γιγνομένας ὑπὸ ἱερέων ἐκφέροντας.

Prope templum erat lucus quercubus vel fagis consitus, quem incolere credebantur Dryades, Fauni, ac Satyri, ibique sæpius videbantur saltantes ac ludentes lascive sub umbra arborum. Ante artem serendi excogitatam, quando homines loco frumenti glandibus vescerentur, illæ ex isto nemore plurimi æstimabantur; ita ut Virgilius *Georg. lib.* I. *vers.* 7. κατ᾽ ἐξοχὴν eas meminerit:

> *Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus*
> *Chaonia pingui glandem mutavit arista.*

Et rursus *eod. lib. vers.* 146.

> *Prima Ceres ferro mortales vertere terram*
> *Instituit; cum jam glandes atque arbuta sacræ*
> *Deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.*

Istæ quercus vocales erant, atque oracula fundebant, quapropter dictæ προσηγόροι καὶ μαντικαὶ δρύες, hoc est, *loquaces & fatidicæ quercus.* Argo quoque, Argonautarum navis, ex istius nemoris arboribus compacta, loquendi potestate prædita erat, ideoque Lycophron *Cassandra vers.* 1319. λάληθρον κίσσαν, *loquacem picam*, vocat. Hujus figmenti causam nonnulli hanc esse putant, nimirum: Cum vates responsa dabant, in unam ex his arboribus inscendebant, (una enim illarum solummodo vocalem fuisse aliqui tradunt) sicque oraculum edidisse quercus credebatur, quod non nisi ex cavo trunco aut e ramis fundebatur. Et quidem e ramis fagi vel quercus oracula reddita fuisse probabile est ex Herodoto, qui columbam vaticinatricem ἐπὶ φηγοῦ ἱζομένην, *fago insidentem*, inducit: tum etiam e Sophoclis Scholiaste, qui columbas super oraculum fuisse itidem narrat, *Trachin. vers.* 174. Ὑπεράνω τῆς ἐν Δωδώνῃ μαντείου δύο ἦσαν πέλειαι. Verum ex ejus caudice respondisse vatem potius credent alii, tum quia tutiores in eo latebræ, magisque ad fraudes accommodatæ sunt: tum etiam, quia Hesiodus id affirmat in quodam fragmento, quod ex ejus *Eois* reliquum est:

> Τὴν Ζεὺς φίλησεν, καὶ τὸ χρηστήριον εἶναι
> Τίμιον ἀνθρώποις, ναῖον δ᾽ ἐν πυθμένι φηγοῦ,
> Ἔνθεν ἐπιχθόνιοι μαντεύματα πάντα φέρονται.

> *Quam Jupiter adeo amavit, ut voluerit illic oraculum esse*
> *Æstimatissimum hominibus, habitans in fundo fagi,*
> *Unde mortales omnia reportant vaticinia.*

Non est omittenda alia vaticinandi ratio ibidem usurpata, quæ fiebat tinnitu æreorum lebetum, qui (ut refert Demon apud Suidam) cum tanta arte circa templum dispositi erant, ut, cum unus percuteretur, reliqui omnes tinnirent. Aristoteles (inquit idem Auctor) aliter sentit, quippe scribit exstitisse ibi duas columnas, uni impositum fuisse lebetem, alteri puerum præ manibus habentem flagellum cum scuticis ferreis, quod vi venti in lebetem impulsum ciebat continuum tinnitum; unde natum proverbium, Δωδωναῖον χαλκεῖον, *Dodonæum æs* seu *tintinnabulum*, ἐπὶ τῶν μικρολογούντων, *in pauciloquos*, juxta Suidam, aut potius ἐπὶ τῶν μακρολογούντων, *in multiloquos*, nam dicebatur de hominibus loquacibus. Huic non multum absimile istud, Κερκυραίων μάστιξ, *Cercyræorum flagrum*, quod, ex quorumdam sententia, desumptum ab isto flagro, una cum puero ac lebete Cercyræis dicato, juxta Epitom. Strab. *lib.* VII. Tamen aliis videtur, hæc solummodo templo ornando, minime vero oraculis edendis, inserviisse. Quo tempore aut quam ob causam defecerit istud oraculum, non liquet; verum Strabo, qui Augusto Cæsare imperante florebat, asserit *Geogr. lib.* VII. hocce plurimaque alia a Diis neglecta fuisse.

Idem Geographus *lib.* VIII. in descriptione Elidis memorat oraculum Jovis Olympii, quod olim celebre fuit, sed non diu; attamen templum, in quo stabat, priscum splendorem etiamnum retinuit, decoratum magnificis ædificiis, ac

opulentum Græciæ universæ donis. Pindarus quoque *Olymp. init. od.* VI. observavit altare Jovi sacrum Pisæ, ubi responsa dabantur a Jami posteris.

Cretæ visebatur aliud antiquissimum Jovis oraculum, cujus meminit Strabo, & a quo Minos formam legum postea a se latarum habuisse dicitur; hinc Homerus *Odyss.* τ'. *vers.* 179. de illo ait:

Ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλε ὀαριστής.

Per novem annos regnavit Jovis magni confabulator.

Id est, (prout Plato apud Strabonem interpretatur) *Descendit in sacrum Jovis antrum*, (istud enim oraculum erat subterraneum) *ab eoque accepit illa præcepta, quæ post in commune generis humani bonum divulgavit.* Ibi Deorum voluntas per somnia declarabatur, hucque se conferebant Dii ac familiariter conversabantur cum iis, qui eos sciscitatum venerant; sicuti discimus ex historia Epimenidis apud Maximum Tyrium *Dissert.* XXVIII. qui per multos annos hoc in loco obdormivit; una cum illo descendit Pythagoras in illam speluncam, ut Deos consuleret, teste Diogene Laertio in *illius Vita.* Ibidem erat templum Jovi consecratum, a quo in civitatem Cnossum ducebat via regia amœnissima ac jucunda, juxta Platonem *de Leg. lib.* I. Exstabat in monte Ida, & quamvis Maximus Tyrius *loco* mox *adducto* nuncupet Δικταίε Διὸς ἄντρον, tamen *Dissert.* XXII. tradit situm fuisse super Ida, cui concinit Diogenes Laertius, aliique. Interdum dicebatur Ἀρκέσιον, a voce ἀρκέσαι, quod significat *opem ferre* aut *defendere;* quia Titanis filii, a Saturno devicti, in illud antrum confugerunt, ac furori victoris insectantis se subduxerunt, secundum *Etymolog.* Auctorem.

CAP. IX.

De Oraculis Apollinis.

JAM procedimus ad oracula Apollini dicata, qui potissimum vatibus præesse, ipsisque futurorum cognitionem dare credebatur; quamobrem ænigmaticus Poeta *Cassandra vers.* 208. eum vocat Κερδῷον seu *Lucrosum*, a κέρδος, *lucrum*, ob commoda ac beneficia, quæ in genus humanum conferebantur ex suis vaticinationibus, ut observat Tzetzes *ad illum locum.*

Apollinis oracula & numero & existimatione reliqua antecellebant; inter quæ oraculum Delphicum primas tenebat, non tantum antiquitatis nomine, (de qua cum ipso Dodonæo oraculo certabat) sed præsertim ob responsorum certitudinem & perspicuitatem, sumptuosum ædificium, sacrorum ἀναθημάτων aut *donariorum* Numini dicatorum & multitudinem & opulentiam, interrogantiumque frequentiam, qui eo undique conveniebant; iis omnibus capitibus cæterorum Deorum oracula, imo quæ ipsi Apollini sacra erant, huic cedebant.

Locus, quo oracula reddebantur, Pythium, sacerdos Pythia, ludi in Apollinis honorem instituti Pythii, ipsemet vero Apollo Pythius dicebatur, vel a Pythone serpente, aut viro ob immanem crudelitatem sic cognominato, illius loci domino, qui ab Apolline victus est: vel ἀπὸ τοῦ πύθειν, id est, *a putrescendo*, quia illius Pythonis cadaver ibidem jacuit & putredine confectum est: (hæc nominis causa ab Homero *Hymno in Apollinem vers.* 372. redditur) vel ἀπὸ τοῦ πυθέσθαι, hoc est, *ab inquirendo*, quia ibidem oraculum consulebatur & interrogabatur, juxta sententiam Strabonis *Geogr. lib.* IX. vel a Pythone Delphorum cognomine, quod a Pythide filio Delphi Apollinis filii accepit.

Delphorum civitas, Strabone *Geogr. lib. eodem* referente, a pluribus in medio terrarum orbe sita credebatur; Poetæ enim fingunt Jovem, ut terræ meditullium pro certo sciret, duas aquilas, (Pindarus vult cornices fuisse, alii vero cygnos) alteram ad ortum, alteram vero ad occasum misisse, quæ in hunc locum convenerunt. Quidquid sit, in media Græcia a Strabone collocatur; unde a Poetis vulgo vocatur Ὀμφαλος, qui sonat *Umbilicus*, corporis humani centrum; eadem de causa illius loci oraculum a Sophocle μεσόμφαλον μαντεῖον appellatur: ad illud autem nomen umbilici ex candido lapide confecti cum vitta pendente loco, quo umbilici ligamentum in corpore humano adhæret, cui incumbunt duæ aquilæ in monumentum aquilarum a Jove emissarum, effigiem, quæ in hoc templo conspiciebatur, allusisse tradunt Strabo & Pausanias. Econtra Lactantius & Phurnutus hoc nomen non a situ loci, sed a Deorum responsis ibidem redditis, quæ Græce dicuntur Ὀμφαὶ, originem duxisse opinantur; quibus cum Varroni convenit.

De oraculi origine in diversa abeunt Scriptores; Telluri, quæ Daphnen Nympham montanam sacerdotem sibi consecravit, primo sacrum fuisse tradunt Pausanias in *Phocicis* & Diodorus Siculus *lib.* XVI. *cap.* XVI. licet posterior asserat in *Græco Poemate* dicto *Eumolpia* Telluri & Neptuno sacra dici, præterea Tellurem ipsam responsa reddidisse, Neptunum vero per interpretem nomine Pyrconem illa exposuisse, qui deinceps a suo jure abiit in gratiam Telluris. Hanc Deam excepit Themis, quæ oracula ibidem dabat circa Deucalionæi diluvii tempora, qui illam interrogavit, quod ex Ovidio notissimum est; alii vero contendunt Themidem illud oraculum ab initio tenuisse, ut Orpheus *Hymno in Themidem:* quippe eadem fuere Terra & Themis, πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία, ut ait Æschylus *Prometh. vers.* 208. unde eam Aristides *de concordia ad Rhodios* vocat Θεῶν πρεσβυτάτην. Ipse tamen Æschylus initio *Eumenidum* tradit, primo Terram, dein ejus filiam Themidem, tertio Phœben Titanida aliam Terræ filiam, Themide sponte cedente, hoc oraculum rexisse: eam vero Apollini tandem pro natalitio munere tradidisse. Alii narrant Apollinem id vi cepisse, atque Terram iratam eum Tartaro detrudere conatam esse: ut docet Pindarus, & ex eo Æschyli Scholiastes. His partim similia refert Euripides in *Iphigenia vers.* 1259. quo loco docet Apollinem vi Themidem ejecisse, ipsumque rursus a Terra Themidis matre pulsum, tandem imperio Jovis oraculum recuperasse. Cui convenit quod ab Apollodoro narratur, *Apollinem, a Pane vaticinandi artem edoctum, Delphos adiisse, quo tempore Themis oracula dabat: & cum Python serpens aditu specus Deum probiberet, eo occiso oraculum occupavisse.* Id vero prætereundum non est, quod Terra in somniis responsa dederit, ut ex *loco* Euripidis modo *laudato* discimus:

—— νύχια
Χθὼν ἐτεκνώσατο φάσματα.

—— *nocturna*
Terra peperit spectra, &c.

Et mox Apollo, superatus a Terra, & oraculo spoliatus, Jovem orat *vers.* 1271.

Πυθίων δόμων
Χθονίαν ἀφελεῖν
Θεᾶς μῆνιν, νυχίες τ' ἐνοπάς.

Pythiis templis
Terrestrem ut auferat
Divæ iram, nocturnaque responsa.

Terra enim mater esse somniorum credebatur, ut latius dicetur, cum ad Divinationem ex somniis ventum fuerit. Apud Cœlium Rhodig. *Lect. Antiq. lib.* XVI. *cap.* XI. Saturno sacrum fuisse illud oraculum plures volunt, atque ab eo datum fertur illud responsum, quo Græcos non ante decimum annum Ilium capturos esse significabatur. Quo pertinet ilud Lycophronis *Cassand. vers.* 202.

Οἱ δ' ἀμφὶ βωμὸν τῦ προμαντίος Κρόνυ.
Illi vero juxta vatis aram Saturni.

Ubi Tzetzes hæc habet: *Φασὶν ὅτι τὸ ἐν Δελφοῖς μαντεῖον πρότερον τῦ Κρόνυ ἦν, ἔνθα ἔλαβον χρησμὸν οἱ Ἕλληνες, ὅτι τῷ δεκάτῳ ἔτει τὸ Ἴλιον πορθήσουσι.* Tandem Apollini cessit, qui illum locum solus non diu tenuit; Bacchum enim, qui in bello contra Titanis filios mutilatus & laceratus erat, redivivum in suum templum excepit, eique summos honores ibidem persolvi jussit frater Apollo. Hæc fabula describitur ex Callimacho & Euphorione in Isaaci Tzetzis *Commentario in Lycophronem vers.* 209. ubi sacrificia in Apollinis Delphici templo Baccho offerens inducitur Agamemnon. Unde illam civitatem dictam fuisse Delphos, quasi *ἀδελφὸς*, id est, *fratres*, quia Apollo & Bacchus Jovis filii credebantur, quidam asserunt.

Illud oraculum gregi caprino (in cujus rei memorandæ monumentum, qui Delphos adibant, caprum plerumque offerebant) ortum debere tradit Diodorus Siculus *Biblioth. Histor. lib.* XVI. In monte Parnasso, ubi grex pasci solebat, erat profundum antrum angusto aditu, ad quod si capri accessissent, illico insolitum & non vulgarem in modum saltare, mirosque & inauditos sonos edere incipiebant; quod cum animadvertisset caprarius, (a Plutarcho vocatur Coretas) prodigii causam miratus, cavernam adiit, qui saltandi, tripudiandi, & futura prædicendi insania pariter correptus est. Iis autem pervulgatis ingens hominum multitudo eo se contulit, qui si antrum introspiciebant, a Numine eumdem in morem afflabantur. Tandem, quia plures a Numine inspirante tanto impetu abripiebantur, ut in voraginem sese præcipites darent, illius loco aditu omnibus lege interdictum est; sed tripus ibi positus est, cui insidens virgo Dei oracula panderet. Hæc est de illius oraculi origine vulgaris opinio: alias affert Pausanias, quas non memorabo, quia pluribus vanis commentis describendis Lectori molestus esse nolo. Attamen hoc certum est, (si quid certi in tanta sæculorum intercapedine haberi potest) illud oraculum in antiquissimis temporibus centum circiter annis ante bellum Trojanum floruisse.

De tripode ad antri introitum posito variæ exstant sententiæ: quidam tradunt illum fuisse urnam pulvere plenam, per quam Numinis afflatus in virginem inspiratus ex ejus ore proferebatur. Scholiastes *in Aristoph. Lysistr.* refert fuisse patulam ollam æneam, ψήφοις, id est, *calculis*, plenam, ad quorum saltum vates conjiciebat. Econtra alii censent fuisse vas profundum tribus pedibus suffultum, in quod vates se immergebat, quum Numinis adventum sentiebat. Sed juxta vulgarem opinionem Cœlius Rhodig. *Lect. Antiquit. lib.* VIII. *cap.* XV. non vas, sed tabulam aut sedem, cui innitebatur aut insidebat Pythia, fuisse abunde probavit. Tripodis tegumentum, vel, ut alii volunt, ipse tripus, dicebatur ὅλμος, qui juxta Hesychium *mortarium* aut *lapidem rotundum* significat; unde apud Sophoclem Apollo dicitur Εὔολμος, ejusque vates Εὐολμις. Hinc autem natum esse proverbium, *Ἐν ὅλμῳ ἀνάσω*, quod tribuitur iis, qui futura prædicunt, nonnulli asserunt; sed alii illud deducunt a quodam vate dicto Holmo; iterum alii (inter quos Aristophanes Grammaticus apud Zenodotum) id tribuunt antiquæ hominum superstitioni, qui in illis ὅλμοις dormire solebant, ut ibidem Numinis afflatum in somnio acciperent. Tripoda Apollini sacrum fuisse (vel quia ternio perfectus habebatur numerus, vel ut alluderetur ad tres circulos cœlestes, quorum duos attingit, tertium vero trajicit sol motu annuo) contendit Phurnutus. Tripodis ex sententia Aristoph. Scholiastæ *in Plut. Act.* I. *Scen.* I. tres pedes symbolice exprimebant omniscientiam Dei consideratam relate ad triplex tempus, præsens, præteritum, & futurum:

Ὃς τ' ᾔδει τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.
Qui noverat præsentia, & futura, & præterita.

Eodem tripode non semper usi sunt; primum hoc in loco positum fuisse a vicinis incolis verosimilius videtur; in posterum, Pelops, Oenomai Eleorum Regis filia Hippodamia in uxorem ducta, tripode a Vulcano elaborato Apollinem donavit, qui tripus ille æneus a Poetis tam celebratus fuisse videtur. Fuit & alter tripus aureus, qui (prout Aristoph. Scholiastes *loco* jam *citato* tradit) Apollini hac de causa dicatus est. Mileti piscatores nonnullis adstantibus prima piscium captura vendita, retibusque in aquam conjectis tripoda aureum nacti sunt, de quo obortæ sunt lites vehementes inter piscatores & emptores; priores enim tripoda suum esse arguebant, quia solos pisces, quos capturi essent, vendiderant; alteri econtra contendebant se totam capturam emisse, unde quidquid in retia inciderit, jure merito tanquam proprium sibi vendicabant: tandem, quum neutra partium alteri cedere vellet, consenserunt ut controversia ab Apolline Delphico dirimeretur, qui hoc responsum interrogantibus reddidit, juxta eumdem *ibid.*

Ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;
Ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδα δός.

Mileto oriunde, interrogasne Phœbum de tripode?
Cum sit omnium sapientissimus, ei illum dica.

Notandum autem est illud oraculum prolatum fuisse tempore, quo septem Sapientes in Græcia florebant; idcirco tripus ille uni illorum (quis fuerit non convenit inter Veteres) in munus oblatus est, qui cum renuisset modestiæ causa, alterum donare voluerunt, & sic de cæteris, qui illum pariter recusarunt, unde illum Apollini tanquam sapientiæ fonti dicari statutum est. Tripus a Latinis dicebatur cortina, cujus appellationis diversæ traduntur interpretationes, de quibus consulendi sunt Grammatici. Interim alii affirmant cortinam tripodis tegumentum solummodo fuisse, nomine facto a corio, quia ex cute Pythonis confectam fuisse a pluribus credebatur. Denique alii verosimilius existimant hac voce denotari tentorium, in quo servabatur sacer tripus, quodque sic vocatum est a figura rotunda instar lebetis, quam referebat; eadem de causa cortina usurpatur pro scena theatri, ex qua actores derepente in medium prodibant; pariter cœli hemisphærium ab Ennio cœli cortina nuncupatur; & tholus a quodam Scriptore exprimitur per cortinam theatri.

Mulier, dicta Pythia, Pythonissa, aut Phœbas, Dei oracula reddebat; quarum celeberrimam & clarissimam fuisse Phemonoen, non solum quia prima oraculi vates fuerit, sed præsertim quia

oracula carmine heroico prima protulisse vulgo credebatur, refert Pausanias in *Phocicis*; licet Bœo Delphica matrona in *Hymno* quodam tradat Olenum cum Hyperboreis illud oraculum primum instituisse & primum responsa reddidisse versibus heroicis; cujus verba apud Pausaniam in *Phocicis* hæc sunt:

> Ἔνθα τοι εὔμνηστον χρηστήριον ἐκτελέσαντο
> Παῖδες Ὑπερβορέων Παγασὸς καὶ δῖος Ἀγυιεύς.
>
> *Hic posuere tibi juvenes penetralia Phœbe,*
> *Olim ab Hyperboreis Pagasusque & dius Agyieus.*

Deinde pluribus aliis sacerdotibus Hyperboreis recensitis ad *Hymni* calcem subjicit:

> Ὠλήν θ', ὃς γένετο πρῶτος Φοίβοιο προφάτας,
> Πρῶτος δ' ἀρχαίων ἐπέων τεκτάνατ' ἀοιδάν.
>
> *Atque Olen, primus cecinit qui oracula Phœbi,*
> *Et veterum primus modulari carmina cœpit.*

Qua in parte universæ hominum opinioni, antiquissimorum Scriptorum testimonio firmatæ, qui solas mulieres Apollinis Delphici vates fuisse unanimi consensu tradunt, eam adversari asserit Pausanias. At vero Herodotus virum quemdam Aceratum προφήτην fuisse tradit *lib.* VIII. *cap.* XXXVII. Sed & Homerus Cretenses narrat ab Apolline electos fuisse, ut divina responsa ederent, *Hymno in Apollinem vers.* 393.

> Κρῆτες ἀπὸ Κνωσσοῦ Μινωΐου, οἵ ῥά τ' ἄνακτι
> Ἱερά τε ῥέζουσι, καὶ ἀγγέλλουσι θέμιστας
> Φοίβου Ἀπόλλωνος χρυσαόρου, ὅττι κεν εἴπῃ
> Χρείων ἐκ δάφνης γυάλων ὕπο Παρνησοῖο.
>
> *Cretenses ex Cnosso Minoio, qui utique Regi*
> *Sacra faciunt, & enunciant leges*
> *Phœbi Apollinis aureo ense præditi, quodcunque dixerit*
> *Oracula edens e lauro in vallibus Parnassi.*

Nisi forte hi omnes inter sacerdotes & ὑποφήτας potius, quam veros prophetas & divino Numine afflatos, recensendi sint.

Plures Pythias simul fuisse censet Venerius *de Divinat. & Orac. antiq.* illudque colligit ex eo quod Herodotus *Hist. lib.* VI. tradiderit Cleomenem muneribus corrupisse vatem Periallam; quæ vocatur *vaticinantium mulierum antistes*: illum recte conjicere non percipio, cum nullibi me legisse meminerim plures Pythias simul vaticinatas fuisse: licet enim locus a Venerio adductus in Versione Latina reperiatur, attamen nil tale in Græcis dicitur, nec inde merito inferri potest, ubi Perialla vocatur tantum πρόμαντις, quæ (etsi *vatum præses* sonare videatur) nihilominus ex usu solito idem denotat ac μάντις, quo sensu ab Euripide in *Helena* usurpatur, ubi legitur πρόμαντις κακῶν, *quæ mala prædicit*. Eodemque sensu ipsemet Herodotus alio in loco verbum προεμαντεύσατο adhibuit: plura exempla afferre supervacaneum duco.

Prima institutione illæ vates fuere virgines, donec una illarum ab Echechrate Thessalo constuprata, illud sacrum munus commissum est mulieribus plusquam quinquagenariis, quæ libidinum appetitu non amplius tangebantur; si autem castitatem unquam fregissent ætate parturiendi exacta, illarum impudicitia hominibus non perspecta erat, unde oraculorum & religionis dignitas integra servabatur: nihilominus virginum vestitum gestabant, quo significabant se castitatem virgineam & modestiam profiteri. Vid. Diodorus Siculus *lib.* XVI. Ad austerissimam temperantiam & castitatem servandam tenebantur, quæ nec splendida & sumptuosa veste indui, nec habitum lascivientem adhibere permittebantur; imo illis nec unguentis nec purpura uti licitum fuisse expressius nos docet Plutarchus *Tract. de Pyth. Orac.* Antequam Pythia tripoda conscenderet, in Castalide fonte ad pedem Parnassi, quo Poetæ viri eodem Numine inspirati lavari & potari dicuntur, totum corpus, præsertim capillitiem, lavare solebat: quum prius in tripode sedisset, laurum vicinam quatiebat, vel non raro folia decerpta comedebat. Præterea ipsamet vates & tripus sertis laureis coronari solebant, prout discere est ex Aristoph. Scholiaste in *Plut. Act.* I. *Scen.* I. ubi quis inducitur rogans:

> Τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων;
> *Quid ergo Phœbus garriit per coronas?*

Nec sola Pythia, sed & alii vates, lauro, quæ Numinis afflatum juvare credebatur, utebantur; unde dicitur μαντικὸν φυτὸν, id est, *planta prophetica*. Divinus afflatus in ventrem Pythiæ tripodi insidentis inspirabatur, quæ idcirco vocatur ἐγγαστρίμυθος aut στερνόμαντις, quia Dæmon sæpius intra illam loquebatur. Numinis afflatu accepto, extemplo inflabatur & spumabat, imo in orbem agebatur, capillos vellebat, carnem incidebat, & in omni gestu phrenesi & insania correpta videbatur. Non tamen semper eumdem in morem afficiebatur, si enim Dæmon levior & mitior foret, furor multo remissior erat; sin vero morosior & malignior, insolitum in morem furebat; ipsemet Plutarchus *de Defectu Orac.* tradit exemplum vatis cujusdam, quæ tanto furore correpta est, ut non solum qui interrogabant, sed & ipsi sacerdotes ejus adspectu perterriti aufugerint, imo ex paroxysmi vehementia ipsa vates mox occubuit. Sub tripode visum fuisse draconem, qui responsa reddebat, juxta nonnullos, vulgo credebatur: serpentem εἱλεῖσθαι περὶ τὸν τρίποδα tradit etiam Eusebius *lib.* IV. *de Vita Constantini.* Et ab eo icta quædam Pythia decessisse fertur.

Unico anni mense oraculum interrogare licebat. Hic mensis apud Plutarch. *Quæst Græc* IX. vocatur βύσιος, ut quidam volunt, quasi φύσιος, a φύειν, *nasci*, quia ineunte vere, in quam anni tempestatem ille mensis incidebat, omnia florent & germinant; cujus nominis hanc genuinam non fuisse causam abunde probat Plutarchus *ibidem*, quia Delphi non Β pro Φ, (ut Macedones, qui pro Φίλιππος, Φαλακρὸς, & Φερονίκα dicunt Βίλιππος, Βαλακρὸς, & Βερονίκα) sed pro Π utuntur; vulgo enim πατεῖν, βατεῖν, & πικρὸν, βικρὸν efferre solebant: quapropter βύσιος ponitur pro πύσιος, διὰ τὸ πύσιν, quia illo mense Apollinis oraculum sciscitari licebat, quæ est genuina illius populi dialectus. Illius mensis dies septimus dicebatur Apollinis natalis, cognominatus πολύφθοος, (male λύφθονος, ut quidam legunt) non quia illo die libi genus, quod dicitur φθόϊς, coquere solebant, sed quia Deus oracula libere & abunde proferebat; ab initio Pythia hoc solo die responsa reddebat, testibus Callisthene & Anaxandride apud Plutarchum; imo recentioribus sæculis semel singulis mensibus oracula pandi solebant.

Qui oraculum consulebat, ampla munera Deo offerre tenebatur; unde lapsu temporis hoc templum reliqua in toto terrarum orbe opulentia, dignitate, & decore superavit: necnon Aphetoriæ opes (ab Ἀφήτωρ Apollinis cognomine, quia oracula proferebat, ut nonnulli afferunt) vulgari proverbio pro abundantia & opulentia ponuntur. Præterea qui responsa quærebant, suas interrogationes paucissimis verbis, quantum fieri posset, exprimere debebant: prout a Philostrato in *Vita*

Apollonii l. VI. c. V. traditur. Cæterum Apollini sacrificia facere solebant, quorum si omina inauspicata viderentur, vates responsum denegabat. In illis sacrificiis quinque sacerdotes, dictos ὁσίους, id est, *sanctos*, vatibus ministrasse simulque cum iis plura alia munera obiisse, & a Deucalione oriri creditos, refert Plutarchus *loco citato*; fuit & illorum antistes vocatus ὁσιωτὴρ, id est, *purificator*; licet Plutarchus scribat hostiam, quæ in ὁσίοις initiandis mactabatur, illo nomine efferri solitam esse; nisi pro τὸ θυόμενον ἱερεῖον, seu *sacrificium mactatum*, nobis liceat legere ὁ θυόμενον ἱερεῖον, vel *sacerdotem qui hostiam mactabat*. Denique sacerdos dictus ἀφήτωρ eadem de causa, qua ipsemet Apollo hoc nomine insigniri solet, vati semper præsto aderat in oraculis administrandis.

Responsa semper Græce reddita fuisse liquet ex Ciceronis *l.* II. *de Divinatione*, qui oraculum apud Ennium ab Apolline Pyrrho Epirotarum Regi redditum hoc versiculo,

Ajo te, Æacida, Romanos vincere posse,

inde genuinum esse colligit, quia Latine oracula eloqui nunquam assueverat Pythia: necnon ex eo quod Pyrrhi temporibus a responsis carmine proferendis desuevissent, qui mos (ut jam dictum est) superioribus sæculis a prima oraculi origine & ex Phemonoes Pythiarum primæ institutione obtinuerat. Imo antiqui Græci leges versibus tradebant; unde, teste Aristotele, νόμος, qui proprie denotat *legem* sæpius pro carmine aut hymno ponitur. Ipsi veteres Philosophi placita sua, quæ in lucem edere vellent, carminibus mandare solebant; ut paucis dicam, vix quidquid egregium, eximium, ac momentosum illis temporibus scriptum est, quod versu non donatum fuerit. Pythiæ carmina plerumque incompta & inconcinna, nec Homericis aut Hesiodeis æquiparanda fuisse narrat Plutarch. *Tract. de Pyth. Orac.* quod tamen, addit ille, Apollini Poetarum Deo minime vertitur culpæ, quia rem solam Pythiæ pandebat, quam sub qualibet forma proferre vati licitum fuit; sensus ab Apolline, verba vero a Pythia manabant. Eodem *Tract.* scribit, ex nonnullorum sententia plures Poetas in templo alitos fuisse, qui oracula eo ipso tempore quo proferebantur accepta versu ornare callebant. Carmina utplurimum exametra erant; quocirca sequens oraculum, juxta Suidam in *Voc.* Σοφὸς, Apolline tanto Auctore indignum fuisse creditum est, quia longius a cothurno heroico recedebat:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερός γ' Εὐριπίδης,
Ἀνδρῶν δ' ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.
Sapiens Sophocles, sapientiorque Euripides,
Hominum autem omnium Socrates sapientissimus.

Recentioribus sæculis, quibus oracula in contemptum adduci cœperunt, illa carmine efferri desierunt, cujus rei causæ abunde ventilantur a Plutarcho in *Tractatu* de hac materia composito, qui a Lectore consulendus est. Unum tantum notabo: nimirum, ut mos responsa carmine reddendi non tam universe obtinuit, quin prosa sæpius illa reddita fuerint, (quod Plutarchus innumeris exemplis demonstrat) ita vice versa non adeo obsoleverunt carmina, quin sæpius oracula illis mandata fuerint, cujusmodi exemplum suæ ætatis nobis tradit idem Scriptor. Et in Augusti tempore, etsi prius desiisset metrice fari Apollo, oraculum fertur de Salvatore nostro versu redditum, cum Imperator ille de successore Imperii sciscitaretur: de quo vid. Eusebius, Zonaras, & Cedrenus. Denique me-

A moratur oraculum Juliano τῷ παραβάτῃ versibus datum, quod postea describetur.

Oracula Delphica, comparate ad nonnulla alia, clara & perspicua jure merito dicuntur; quapropter eos, qui a Jove Dodonæo obscurum responsum acceperant, ab Apolline Delphico, qui innumera explicuerat, illius interpretationem quærere solitos fuisse refert Hermeas Philosophus. Nihilominus vulgo obscura & ambigua erant, ita ut Apollo dictus fuerit Λοξίας, quia ejus responsa λοξὰ καὶ σκολιὰ, id est, *flexuosa & intellectu difficilia*, erant. Heraclitus apud Plutarchum de Apolline hæc habet, οὔτε λέγει, οὔτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει, hoc est,
B *veritatem nec dilucide profert, nec omnino celat, sed tantum subindicat*; quocirca, si rerum exitus hominum spem fefellisset, culpari potius debebant illorum imperitia & sinistra oraculi interpretatio, quam Apollinis perfecta scientia & veracitas in dubium adducerentur. Sed hujus obscuritatis causa, quam assignabant Veteres, est apud Clementem Alex. *Strom.* V. Οὐ καθαρῷ γὰρ καθαρὸν ἐφάπτεσθαι οὐ θεμιτὸν, &c. *Impuro enim purum contrectare nefas*, &c. nempe res divinas existimabant non esse temere vulgandas, ne in profanorum hominum contemptum inciderent.

C Illius oraculi veritas tanti nominis fuit, ut τὰ ἐκ τρίποδος, id est, *responsa a tripode reddita*, trito proverbio dicerentur de rebus certis & indubiis: quapropter Cicero recte arguit Delphicum oraculum ad tantam existimationem nunquam pervenisse, nec ab omnibus fere regibus & gentibus opulentissimis muneribus ditatum fuisse, ni suarum prædictionum certitudo omnium præteritorum sæculorum experientia abunde comprobata fuisset. Sed recentioribus sæculis, diu ante sua tempora, inquit Cicero, malam famam sibi conflavit illud oraculum; imo Pythiam Φιλιππίζειν, *Philippizare*, id est, Philippi Macedonis voluntati plus nimio
D parere, conqueritur Demosthenes, qui trecentis annis ante Ciceronem floruit. Iterum munus a Clisthene accepisse dicitur, ut Lacedæmonios ad Athenienses a Tyrannorum jugo liberandos adduceret. Denique Perialla Pythia a munere excidit, quia viri cujusdam a Cleomene subrogati artibus corrupta fuit, ut diceret Demaratum Cleomenis Collegam non genuinum fuisse Aristonis filium, quibus auditis fore ut tanquam illegitimus hæres de throno pelleretur sperabat.

Quando & cur illud oraculum cessaverit, incertum est; ejus antiquam existimationem suo tempore periisse tradit Strabo *l.* IX. Dio narrat a Nerone
E sublatum hoc oraculum fuisse, cum ille mactasset homines εἰς τὸ στόμιον, ἐξ οὗ ἱερὸν τὸ πνεῦμα ἀνῄει, *in os illud, unde sacer spiritus exibat*. Iterum Juvenalis ævo Dii illum locum deseruerant, si illius Poetæ verbis *Sat.* IV. *vers.* 554. credere fas est:

—— *Delphis oracula cessant*.

Minutius Felix suo quoque tempore siluisse testatur: *De Pyrrho* (inquit) *Ennius Apollinis Pythis responsa confinxit; cum jam Apollo versus facere desiisset: cujus nunc cautum illud & ambiguum defecit oraculum, cum & politiores homines & minus
F creduli esse cœperunt*. Imo diu ante pugnam Pharsalicam cessasse tradit Lucanus *l.* V.

—— *non ullo sæcula dono*
Nostra carent majore Deum, quam Delphica sedes,
Quod siluit. ——

Quæ non ita intelligenda sunt, quasi penitus periisse & in perpetuum siluisse illud oraculum vellent hi Scriptores, quod tum cessasse tum iterum viguisse abunde demonstravit Van Dale *Dissert. de Oraculis*. Responsa ibi reddita sua ætate, quæ in

Marci Aurelii ejusque filii Commodi Imperium circiter incidit, testatur Lucianus *Alexandro Pseudomante*; sed, an ab Apolline processerint, an vero supposititia fuerint, definire non audet. Præterea hoc, Delium, Dodonæum, pluraque alia oracula usque ad tempora Juliani Apostatæ, qui illa interrogare solebat teste Theodoreto, exstitisse certum est, & quidem ab Apolline Delphico tale responsum habuit:

Εἴπατε τῷ βασιλῆϊ, χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλά,
Οὐκέτι Φοῖβος ἔχει καλύβαν, οὐ μαντίδα δάφνην,
Οὐ παγὰν λαλέουσαν, ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ.
Dicite regi, ad terram cecidit pulcra domus,
Non amplius Phœbus tugurium, non laurum vaticinatricem,
Non fontem loquacem, exstincta enim est amœna aqua.

Ex quibus post hoc tempus siluisse oraculum hoc colligitur: verum an iterum frequenter responderit, aut quando alia penitus exstincta fuerint, omnino incertum est. Qui plura velit scire de oraculorum cessatione, consulat Van Dale *Tractatum* de hac materia scriptum.

Relictis Delphis, ad Scythas Hyperboreos se recepisse Apollinem discimus ex Claudiano:

—— pulcher Apollo
Lustrat Hyperboreas Delphis cessantibus aras.

Librum de illius Dei oraculis eorumque in hunc locum transmigratione scripsisse dicitur Abaris Scytha Apollinis sacerdos. Imo, dum pestis per totam Græciam grassaretur, oraculum hinc petierunt Athenienses, quo vota & preces pro reliquis Græcis facere jussi sunt; & in posterum dona muneraque, quæ olim Delphis dicare solebant, eo miserunt.

De templi Delphici opulentia & dignitate plura adderem, ni Lectori jam plus nimio tædio fuisse non immerito meruerem; si autem quis cupiat tempus & otium illis minutiis legendis insumere, splendidorum ædificiorum, pretiosorum munerum, opificiorum summa arte elaboratorum plurium aliarum illius loci rerum selectissimarum, amplam & accuratam descriptionem ipsi exhibet Pausanias.

Cirrha, Delphorum navale, & ab iis stadiis LX. distans, oraculo Apollinis celebris erat. Statius *Thebaid. l.* VII. *vers.* 411.

Tunc & Apollineæ tacuere oracula Cirrhæ.

Ubi Lutatius hæc habet: *In Cirrha tantum prospera Deorum dabantur oracula: nam cui exitium imminebat, taciturnitate templi penitus damnabatur.* Alii quoque plures meminere: quamvis neque Strabo, nec Pausanias quidquam de oraculo tradunt, & posterior Cirrhæum agrum Apollini dicatum, & templum, in quo visebantur Apollinis, Latonæ, Dianæque statuæ, memoret, cæteraque sigillatim describat, quæ ad Cirrhæos pertinent. Quidam de Cirrhæo oraculo ita loquuntur, quasi propter urbium viciniam eo nomine Delphicum appellarent: id occiso Pythone obtinuisse Apollinem tradit Seneca, quod Delphico convenire sciunt omnes, *Herc. Oetæo vers.* 92.

Cirrhæa Pæan templa, & ætheriam domum
Serpente cæso meruit.

Et sicuti Delphis Pythia fœmina responsa dedit, ita Cirrhæa vates ab eodem Tragico memoratur *Oedip. vers.* 269.

Et ipse nostris vocibus testis veni,
Fatidicæ vatis ora Cirrhææ movens.

Statius Cyrrhæum antrum memorat, quod Delphico specui apprime convenit, *Theb. l.* III. *vers.* 474.

—— non Cirrha pro[illegible]
Certius, aut frondes lucis quas fama Molossis
Chaonia sonuisse tibi. ——

Ex insularum Cycladum congerie in mari Ægeo celeberrima fuit Delos. A Poetis autem celebratur, eo quod Apollinis & Dianæ locus natalis fuerit, quia ea de causa ita sacer & intemeratus habebatur, ut Persæ, dum cætera fere omnia Græciæ templa diriperent & everterent, templo Delio pepercerint, quod in littore ex opposito Eubœæ eo ipso loco, quo Apollo natus esse fingebatur, situm erat. Hoc in loco imago draconis Apollini dicata est, responsa reddens, quæ non solum Delphicis minime cedebant, sed ea & reliqua Apollinis oracula, prout nonnulli tradunt, longe superabant; quia clare & perspicue proponebantur sine ulla ambiguitate & tenebris. Sed illa responsa toto anno reddita fuisse minime credendum est; Apollo enim hic stationem æstivam solummodo tenebat, hyeme vero se recipiebat Pataram Lyciæ civitatem, prout notavit Servius *Commentario in hæc Virgilii carmina Æneid. l.* IV. *vers.* 143.

Qualis ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo.

Ara Delia inter septem mundi miracula a nonnullis annumeratur; ab Apolline autem puero quartum annum agente posita est, & ex cornibus caprorum a Diana in monte Cytho occisorum mirum in modum sine ullo conspicuo vinculo aut cæmento concinnatis condita est, prout ab Ovidio edocemur:

Miror & innumeris structam de cornibus aram.

Viva animalia ad hanc aram mactare illicitum fuit, imo locus ille, quem a cæde & omni pollutione purum Dii servandum edixerant, sanguine contaminabatur. Nec canes in insulam venire, nec quemquam ibidem mori aut nasci permissos fuisse tradit Thucydides *l.* IV. quapropter Athenienses, ut ex oraculi jussu insulam purgarent, ipsa cadavera ex monumentis effossa in vicinam insulam inhumanda transmiserunt; ut autem in posterum ab hujusmodi pollutione tutam servarent, edictum latum est, quo quivis lethifero aut periculoso morbo detentus, & mulieres gravidæ in parvam insulam dictam Rhenam migrare tenebantur.

Hoc loco non prætermittendum est, Ambarvalia in honorem Apollinis ab Atheniensibus in insula Delo quotannis celebrata fuisse. Illa autem festa instituit Theseus, quum ipse & reliqui Athenienses adolescentes in Cretam trajecti, ut a Minotauro vorarentur, Apollini voverunt, si unquam salvos & incolumes domum reducere dignaretur, se singulis annis ejus templum Delium religionis causa inviſuros. Festa vocabantur Θεωρία, qui illa celebrabant Θεωροὶ & Δηλιασταὶ, a nomine insulæ, præses Ἀρχιθέωρος, navis vero, quam conscendebant, Θεωρὶς & Δηλιὰς, qua ipsa navi in Cretam vectus est Theseus ejusque socii; Plutarchus autem tradit illam usque ad Demetrii Phalerei tempora Athenis exstitisse, quia continuo reficiebatur, & antiqua carieque confecta tabulata recentibus & sanis resarciebantur; ita ut Philosophis præbuerit materiam disputandi & inquirendi, an quæ tot instaurationes & immutationes passa fuisset, eadem individua navis dici posset, necne? imo plures inde suam opinionem illustrare conabantur, qui tuebantur corpus humanum eamdem numericam substantiam semper manere, etsi per totum vitæ curriculum antiquæ partes continuo

dissiparentur, & novæ accederent; qua de causa navem sempiternam vocat Callimachus *Hymno in Delum*:

Ενθεν ἀειζώοντα Θεωρίδος, ἱερὰ Φοίβῳ,
Κεκροπίδαι πέμπουσι τοπήϊα νηὸς ἐκείνης.

Hinc sempiterna Theoridis, sacra Phœbo,
Cecropidæ mittunt armamenta navis istius.

Iter incipiebant quamprimum Apollinis sacerdos navis clavum sertis coronaverat, teste Platone in *Phædone*; exinde urbem purgare & lustrare assueverant; nec ullum sontem morte plectere licitum fuit, donec domum rediisset; quam ob causam Socratis pœnam ad trigesimum diem a sententia lata productam esse nos docet Xenophon *Memorab. lib.* IV. Theori coronas ex lauro in capite gestabant, stipati duobus viris ex familia dicta Κήρυκες, qui hoc anno munere παρασίτων (de quo superius actum est) fungi debebant. Iis præibant viri secures præ manibus gestantes, quibus in prædones excurrere viderentur in memoriam Thesei præclari facti, qui Trœzene Athenas rediens regionem interjacentem a latronibus hinc inde grassantibus liberavit. Ad quem morem alludere videtur Æschylus *Eumenid.* initio:

Πέμπουσι δ' αὐτὸν, καὶ σεβίζουσι μέγα
Κελευθοποιοὶ παῖδες Ηφαίστου, χθόνα
Ανήμερον τιθέντες ἡμερωμένην.

In pompa vero deducunt eum, & plurimum colunt
Vias exscindentes filii Vulcani, terram
Horridam reddentes frugiferam.

Eo tendentes ἀναβαίνειν, *adscendere*; redeuntes vero καταβαίνειν, *descendere*, dicebantur. Appulsi ad insulam sacrificia & festa in honorem Apollinis celebrabant: quibus peractis in navem reversi domum repetebant. Iis in patriam reducibus populus obviam ire, & foribus apertis prætereuntes salutare solebat; quem honorem sibi non persolutum esse conqueritur Theseus in Euripidis *Hippolyto vers.* 79v.

Οὐ γάρ τί μ' ὡς θεωρὸν ἀξιοῖ δόμος
Πύλας ἀνοίξας εὐφρόνως προσεννέπειν.

Haud enim me ut peregre advenientem dignatur familia
Portis apertis hilariter salutare.

Sed agamus de oraculo Apollinis Didymæi sic dicti (teste Macrobio *Saturnal.* l. I. c. XVII.) a duplice luce, altera diurna a se directe & immediate procedente, altera vero nocturna mediate a lunæ corpore reflexa, quam generi humano impertitur. Locus, qui pariter Didyma dicitur, in agro Milesio fuit, unde Apollo *Milesius* dictus est. Iterum vocabatur oraculum Branchidarum, & ipsemet Apollo Branchides a Brancho, qui Macharei filius putatitius ab Apolline genitus erat; sollenne enim antiquis Heroibus, ut duplicis patris, alterius mortalis, qui illorum matris sponsus erat, alterius vero cujusdam Dei mœchi, qui illius amore ardebat, filii dicerentur; exempli gratia, Hercules Jovis & Amphitryonis filius, Hector Priami & Apollinis credebatur, & sic de cæteris. Ille Branchus, ab Apolline, cui osculum singulari casu dederat, corona & sceptro simulque vaticinandi dono acceptis, derepente disparuit. Paulo post tempore splendidum templum in ipsius & Apollinis honorem conditum est, unde Statius canit *Thebaid. lib.* III.

—— *patrioque æqualis honori.*

Alii illud nomen deducunt a Brancho Thessalo

A adolescente, quem deperibat Apollo, quemque in suum templum introductum summis honoribus donavit vita defunctum. Sed illud templum Jovi & Apollini sacrum tradit Stephanus Byzantius in *Voc.* Δίδυμα: forsan tribus simul dicatum fuit. Varro oraculi originem sic describit, de Branchi matre agens: *Illa cum prægnans ex eo esset, vidit in somnis per fauces suas introisse solem, & exisse per ventrem: ideo infans editus Branchus vocatus est, quia mater ejus per fauces* (βρόγχον) *sibi viderat uterum penetrasse. Hic cum in sylvis Apollinem osculatus fuisset, comprehensus est ab eo, & accepta corona virgaque, vaticinari cœpit, & subito nusquam comparuit. Templum ei factum est, quod Branchiadon nominatur,* B *& Apollini* Philesio *consecrata sunt templa, quæ ab* osculo *Branchi, sive certamine puerorum,* Philesia *nuncupantur.* Oraculum hoc erat (ut Herodoti verbis utar) ἐκ παλαιοῦ ἱδρυμένον, τῷ Ἴωνές τε πάντες καὶ Αἰολέες εἰώθεσαν χρέεσθαι, *pervetustum, eoque tum Iones universi, tum Æoles uti consueverunt.* Habebatur autem χρηστηρίων Ἑλληνικῶν μετὰ Δελφοὺς κράτιστον, *oraculorum Græcorum post Delphos optimum*, tradente Conone in *Photii Bibliotheca.*

Illud templum (juxta Strabonem *lib.* XIV. & Suidam in *Voc.* Βραγχίδαι) tempore belli Persici dirutum & igne consumptum est, quum proditio- C ne Branchidarum sacerdotum in barbarorum potestatem venisset: ii autem justam sui sceleris pœnam non immerito veriti, Xerxem pro officio Persis præstito rogarunt sedem in remotissimis Asiæ finibus, unde in Græciam nunquam redire possent, sed ubi a quæsitoris persecutione tuti tectique forent; qui, petitione ab Xerxe ratihabita, profecti, licet plura inauspicata omina iis visa fuissent, urbem condiderunt, eamque fecerunt suo nomine Branchidarum. Sed parentum crimina divina vindicta ulta est in liberos, quos Alexander Magnus devicto Dario & subjugata Asia internecione dele- D vit, civitatemque solo æquavit, ut significaret se illorum impiorum hominum ipsam progeniem execrari.

Persis debellatis, & pace Græciæ reddita, ex Strabonis *loco citato*, tam amplifice a Milesiis reædificatum est illud templum, ut cætera Græciæ templa magnitudine superaret, & ad tantam molem excreverat, ut infectum relinquere coacti fuerint; oppidi enim & ad minimum quatuor aut quinque stadiorum ambitum æquabat.

Aliud Apollinis oraculum Abis Phocidis civitate memoratur apud Herodotum *lib.* I. *cap.* XLVI. & Stephanum Byzantium *Voc.* Ἀβαι, item Hesy- E chium & Phavorinum *ead. Voc.* Stephanus Delphico antiquius facit. Sophocles illius pariter meminit *Oedip. Tyr. vers.* 908.

Οὐκέτι τὸν ἄθικτον εἶμι
Γᾶς ἐπ' ὀμφαλὸν σέβων,
Οὐδ' εἰς τὸν Ἀβαῖσι ναόν.

Non est ut ad sanctum posthac eam
Terræ umbilicum religionis causa,
Neque ad delubrum, quod est Abis.

Scholiastæ *in hunc locum* censent Abas Lyciæ civi- F tatem fuisse, quorum sententia abunde refellitur testimoniis mox allatis. Hoc vetustissimum oraculum a Xerxe incensum fuisse refert in *Phocicis* Pausanias.

Clari Ioniæ civitate non procul Colophone fuit similiter oraculum Apollini sacrum, quod erectum fuit a Manto Tiresiæ filia, quæ eo confugit tempore secundi belli Thebani, cum Epigoni, id est, filii illorum, qui superiore bello occubuerant, duce Alcmæone, ut mortis parentum vindices se

præstarent, Thebas invaserunt. Virum, vulgo ex certis familiis, plerumque Milesiis, accersitum, responsa reddidisse asserit Cœlius Rhodiginus *Antiq. Lect. l.* XXVII. cap. V. licet autem literarum plane ignarus, attamen oracula, quæ consulentibus mire conveniebant, eorumque vota implebant, carmine proferre solebat ope fonticuli, qui ex lacrymis Manto suæ patriæ ruinam deflentis manasse dicitur: quum autem sciscitantibus responsa reddere vellet, eo descendebat vates; qui scientiam inde petitam magno pretio comparabat, quia aquas illius sanitati nocuisse, unde ejus vita brevior prædicebatur, tradit Plinius *Nat. Hist. l.* II. c. CIII. Taciti de hoc oraculo luculentissimum exstat testimonium *Annal. l.* II. c. LIV. *Appellit Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non fœmina illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis, & ferme Mileto accitus sacerdos, numerum modo consultantium & nomina audit: tum in specum degressus, hausta fontis arcani aqua ignarus plerumque literarum & carminum, edit responsa versibus compositis, super rebus quas quisque mente concepit. Et ferebatur Germanico per ambages, ut mos est oraculis, maturum exitium cecinisse.*

Fuit & Larissæ Argivorum munimenti oraculum Apollinis, qui dicebatur Δειραδιώτης a Dirade agri Argivi tractu. Mulier, quæ ab omni hominum consortio abstinebat, in hoc loco vaticinia proferebat; singulis autem mensibus agni noctu mactati sanguine degustato, furore divino illico corripiebatur. Vid. Pausanias *Corinthiacis*.

Oropæi Apollinis oraculum apud Oropen, Eubœæ urbem, memorat Stephanus.

Corypæi Apollinis oraculum in Corype, Thessaliæ urbe, memoratur a Nicandro in *Theriacis*:

Μαντείας Κορυπαῖος ἐθήκατο, καὶ θέμιν ἀνδρῶν.
Vaticinia Corypæus posuit, & justitiam hominum.

Selinuntii Apollinis apud Oropias erat μαντεῖον ἀψευδέστατον, *oraculum veracissimum*, ut refert Strabo in descriptione Eubœæ, haud longe ab initio *lib.* X.

Apollinis oraculum apud Hyblam a Caribus quodam tempore consultum memorat Athenæus *Deipnosoph. l.* XV. c. IV. ubi pro Ὕβλαν Casaubonus reponere voluit Ἄβας, verum nulla firmiori ratione nixus, quam quod nullo alio loco Hyblæi Apollinis ullam esse mentionem meminerit.

Apollinis Ichnæi oraculum fuisse in Macedonia refert Hesychius *Voc.* Ἰχναίην. Ichnæ enim urbs quædam Macedoniæ dicta fuit.

Iterum Apollini sacrum erat oraculum Eutresi Bœotiæ pago inter Thespias & Platæas sito. Leg. Stephanus in *Voc.* Εὔτρησις.

Tegyris Bœotiæ civitate oraculum tenuit Apollo a loco dictus *Tegyræus*, quod magna sciscitantium frequentia cultum est usque ad bellum Persicum, a quo tempore in perpetuum siluisse refert Plutarchus in *Pelopida*.

Nec minus celebre fuit oraculum Apollinis Ptoi a Ptoo monte Bœotiæ, ubi templum eidem Numini dicatum est: illud autem cessavit, quum Thebæ ab Alexandro eversæ sunt, teste Pausania *Bœoticis*.

Apollo cognomine Δαφναῖος, vel a Daphne charissima ejus amasia, vel a lauro, in quam mutata est, vaticinabatur ad fontem Castalium, cujus aquas fuisse fatidicas testatur Clemens *Protrept.*

Apollo dictus est Ismenius a flumine & monte Bœotiæ, ubi ejus templum & oraculum exstiterunt.

Pausanias *Bœoticis* meminit alius loci Bœotiæ, ubi Apollo responsa reddebat: nimirum fuit lapis dictus Σωφρονιστὴρ, cui superstructa erat ara ex cineribus hostiarum in hujus Dei honorem mactatarum; unde Apollo dictus est *Spodius*, ab σποδὸς, id est, *cinis*; quapropter pro Σπόνδιος apud Pausaniam legendum est Σπόδιος. Hic non viva voce, ut aliis in locis, sed ominibus vaticinabatur Apollo, quorum scientia plures ab illo Deo instituti erant, ut data occasione per illa prædicerent: hæc enim ars divinandi obtinuit apud Græcos, præsertim Smyrnæ, (inquit Auctor jam sæpius citatus) ubi templum hunc in finem ad exteriora civitatis mœnia conditum est. Sed hæc sufficiant de Apollinis oraculis.

CAP. X.

De Trophonii Oraculo.

TRophonius, Eresini filius, & Agamedis frater (juxta Suidam in *Voc.* Τροφώνιος) ex nimia gloriæ cupidine Lebadeæ civitate Bœotiæ domicilium subterraneum sibi exstruxit, in quod ingressus insolita futurorum scientia se illico inspirari jactitabat; tandem vero, sive ut plebi persuaderet se ad Deos evectum fuisse, aut alias ad id coactus, in hoc antro periit, teste Phavorino. Cicero *Tuscul. Quæst. lib.* I interitum illius longe aliter describit, ait enim: *Cum Trophonius & Agamedes Apollini Delphis templum exædificassent, venerantes Deum petierunt mercedem non parvam quidem operis & laboris sui, nil certi, sed quod esset optimum homini; quibus Apollo se id daturum ostendit, post ejus diei diem tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti.* Plurima alia de Trophonio mortisque suæ genere figmenta indicabit Aristophanis Scholiastes *ad Nubes*.

Quomodocumque se res habuerit, divinis honoribus post mortem decoratus est Trophonius, ac Jovis Trophonii nomine cultus fuit, secundum Strabonem *Geogr. l.* IX. nec insolitum homines in Deorum numero adscriptos ornari nomine alicujus Dei; ex pluribus exemplis illud Agamemnonis solummodo afferam, quem Spartani coluerunt ceu Jovem Agamemnonem, prout testatur Lycophron *Cassandra vers.* 1123.

Εμὸς δ' ἀκοίτης, δμωΐδος νύμφης ἄναξ,
Ζεὺς Σπαρτιάταις αἱμύλοις κληθήσεται,
Τιμὰς μεγίστας Οἴβαλυ τέκνοις λαχών.
Meus deinde maritus, captivæ dominus sponsæ,
Jupiter a Spartanis argutis vocabitur,
Summos honores ab Oebali posteris consequens.

Ubi loquitur Cassandra de Agamemnone, cujus captiva & pellex post excidium Trojæ fuerat.

Istud oraculum hac de causa primo inclaruit, nimirum; Cum per biennium in Bœotia non pluisset, universæ civitates hujus regionis unanimi consensu delegerunt viros quosdam, qui Delphos venirent, ibi Apollinem nomine regionis pie colerent, ejusque consilium & opem peterent: illorum sacra vota Deo quidem grata fuere, sed nullum aliud responsum ab eo retulerunt, quam quod domum redirent, ac Lebadeæ Trophonium consulerent. Legati jussis sine mora obtemperantes Lebadeam repetierunt, etiamnum æque ignari ac antea, cum ibi oraculi cujusdam ne minimum indicium aut vestigium conspiceretur: tandem postquam diu frustraque quæsiissent ac successum desperare inciperent, Saon Acrephiensis Legatorum major natu vidit examen apum, & illico statuit illas sequi; hac ratione venit ad speluncam quamdam, in quam simul atque ingressus esset, quibusdam claris indiciis percepit, ibi exstare oraculum, quod sciscitari Apollo jusserat. Interim cultum reli-

religiosum Trophonio præstitit, & ab ipso tulit responsum gratum propitiumque, ab eoque edoctus quem in modum & quibus ritibus sacris eum adirent consulturi. Vid. Pausanias in *Bœoticis*.

Istius oraculi sedes infra terræ superficiem erat, ideoque vulgo dicebatur *καταβάσιν*, quique illud petebant *καταβαίνοντες*, quia descendendo huc perveniebatur. De eo multæ narrantur fabulæ, quæ hic loci memorari non merentur; idcirco illis prætermissis, solummodo adducam quæ de eo memoriæ prodiderunt Pausanias & Plutarchus; quorum prior ipsemet sciscitatus illud est, & eorum, quæ refert, testis oculatus fuit. En illius verba in *Bœoticis*: *Επειδὰν ἀνδρὶ ἐς τοῦ Τροφωνίου κατιέναι δόξῃ, πρῶτα μὲν τεταγμένων ἡμερῶν δίαιταν ἐν οἰκήματι ἔχει· τὸ δὲ οἴκημα Δαίμονός τε ἀγαθοῦ καὶ Τύχης ἱερόν ἐστιν ἀγαθῆς. Διαιτώμενός τε ἐνταῦθα τά τε ἄλλα καθαρεύει, καὶ λουτρῶν εἴργεται θερμῶν· τὸ δὲ λουτρὸν ὁ ποταμός ἐστιν ἡ Ερκυνα, καὶ οἱ κρέα ἄφθονά ἐστιν ἀπὸ τῶν θυσιῶν. Θύει γὰρ δὴ ὁ κατιὼν αὐτῷ τε τῷ Τροφωνίῳ, καὶ τοῦ Τροφωνίου τοῖς παισὶ, πρὸς δὲ Απόλλωνί τε, καὶ Κρόνῳ, καὶ Διὶ ἐπίκλησιν Βασιλεῖ, καὶ Ηρᾳ τε Ηνιόχῃ, καὶ Δήμητρι, ἣν ἐπονομάζοντες Εὐρώπην, τοῦ Τροφωνίου φασὶν εἶναι τροφόν. Καθ' ἑκάστην δὲ τῶν θυσιῶν ἀνὴρ μάντις παρὼν, ἐς τοῦ ἱερείου τὰ σπλάγχνα ἐνορᾷ. ἐνιδὼν δὲ προθεσπίζει τῷ κατιόντι, εἰ δὴ αὐτὸν εὐμενὴς ὁ Τροφώνιος καὶ ἵλεως δέξεται. Τῶν μὲν δὴ ἄλλων ἱερείων τὰ σπλάγχνα οὐχ ὁμοίως δηλοῖ τοῦ Τροφωνίου τὴν γνώμην· ἐν δὲ νυκτὶ, ᾗ κάτεισιν ἕκαστος, ἐν ταύτῃ κριὸν θύουσιν ἐς βόθρον, ἐπικαλούμενοι τὸν Αγαμήδην. Θυμάτων δὲ τῶν πρότερον πεφηνότων αἰσίων, λόγος ἐστὶν οὐδεὶς, εἰ μὴ τοῦδε τοῦ κριοῦ τὰ σπλάγχνα τὸ αὐτὸ θέλει λέγειν. Ομολογούντων δὲ καὶ τούτων, τότε ἕκαστος ἤδη κάτεισιν εὔελπις· κάτεισι δὲ οὕτω. Πρῶτα μὲν τῇ νυκτὶ αὐτὸν ἄγουσιν ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὴν Ερκυναν· ἀγαγόντες δὲ, ἐλαίῳ χρίουσι καὶ λούουσι δύο παῖδες τῶν ἀστῶν, ἔτη τρία που καὶ δέκα γεγονότες, οὓς Ερμᾶς ἐπονομάζουσιν· οὗτοι καταβαίνοντα εἰσιν οἱ λούοντες, καὶ ὁπόσα χρὴ διακονούμενοι, ἅτε παῖδες. Τὸ ἐντεῦθεν ὑπὸ τῶν ἱερέων οὐκ αὐτίκα ἐπὶ τὸ μαντεῖον, ἐπὶ δὲ ὕδατος πηγὰς ἄγεται· αἱ δὲ ἐγγύτατά εἰσιν ἀλλήλων· ἐνταῦθα δὴ χρὴ πιεῖν αὐτοὶ Λήθης τε ὕδωρ καλούμενον, ἵνα λήθη γένηταί οἱ πάντων, ἃ τέως ἐφρόντιζε· καὶ ἐπὶ τῷδε ἄλλο αὖθις ὕδωρ πίνειν Μνημοσύνης ἀπὸ τούτου, το μνημονεύειν τὰ ὀφθέντα οἱ καταβάντι. Θεασάμενος δὲ ἄγαλμα, ὃ ποιῆσαι Δαίδαλόν φασιν, ὑπὸ δὲ τῶν ἱερέων οὐκ ἐπιδείκνυται πλὴν ὅσοι παρὰ τὸν Τροφώνιον μέλλουσιν ἔρχεσθαι, τοῦτο τὸ ἄγαλμα ἰδὼν, καὶ θεραπεύσας τε καὶ εὐξάμενος, ἔρχεται πρὸς τὸ μαντεῖον, χιτῶνα ἐνδεδυκὼς λινοῦν, καὶ ταινίαις τὸν χιτῶνα ἐπιζωσθεὶς, καὶ ὑποδησάμενος ἐπιχωρίας κρηπῖδας. Εστι δὲ τὸ μαντεῖον ὑπὲρ τὸ ἄλσος ἐπὶ τοῦ ὄρους· κρηπὶς μὲν ἐν κύκλῳ περιβέβληται λίθου λευκοῦ, περίοδος δὲ τῆς κρηπῖδος κατὰ ἅλων τὴν ἐλαχίστην ἐστίν· ὕψος δὲ ἀποδέουσι δύο εἶναι πήχεις· ἐφεστήκασι δὲ ἐπὶ τῇ κρηπῖδι ὀβελοὶ καὶ αὐτοὶ χαλκοῖ. καὶ αἱ συνέχουσαι σφᾶς ζῶναι· διὰ δὲ αὐτῶν θύραι πεποίηνται. Τοῦ περιβόλου δ' ἐντὸς χάσμα γῆς ἐστὶν, οὐκ αὐτόματον, ἀλλὰ σὺν τέχνῃ καὶ ἁρμονίᾳ πρὸς τὸ ἀκριβέστατον ᾠκοδομημένον· τοῦ δὲ οἰκοδομήματος τούτου τὸ σχῆμα εἴκασται κριβάνῳ· τὸ δὲ εὖρος ἡ διάμετρος αὐτοῦ τέσσαρας παρέχοιτο ἂν ὡς εἰκάσαι πήχεις· βάθος δὲ τοῦ οἰκοδομήματος, οὐκ ἂν οὐδὲ τοῦτο εἰκάζοι τὶς ἐς πλέον ὀκτὼ καθήκειν πηχῶν· κατάβασις δὲ οὐκ ἐστὶ πεποιημένη σφίσιν ἐς τὸ ἔδαφος. Επειδὰν δὲ ἀνὴρ ἔρχηται παρὰ τὸν Τροφώνιον, κλίμακα αὐτῷ κομίζουσι στενὴν καὶ ἐλαφράν· καταβάντι δὲ ἐστιν ὀπὴ μεταξὺ τοῦ τε ἐδάφους καὶ τοῦ οἰκοδομήματος, σπιθαμῶν τὸ εὖρος δύο, τὸ δὲ ὕψος φαίνετο εἶναι σπιθαμῆς. Ο οὖν κατιὼν, κατακλίνας ἑαυτὸν ἐς τὸ ἔδαφος, ἔχων μάζας μεμαγμένας μέλιτι, προεμβάλλει τε ἐς τὴν ὀπὴν τοὺς πόδας, καὶ αὐτὸς ἐπιχωρεῖ, τὰ γόνατά οἱ τῆς ὀπῆς ἐντὸς γενέσθαι προθυμούμενος. τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα αὐτίκα ἐφελκύσθη τε καὶ τοῖς γόνασιν ἐπέδραμεν, ὥσπερ ποταμῶν ὁ μέγιστος καὶ ὠκύτατος συνδεθέντα ὑπὸ δίνης ἀποκρύψειεν ἄνθρωπον. Τὸ δὲ ἐντεῦθεν τοῖς ἐντὸς τοῦ ἀδύτου γενομένοις, οὐχ εἷς οὐδὲ ὁ αὐτὸς τρόπος ἐστὶν ὅτῳ διδάσκονται τὰ μέλλοντα· ἀλλά που τὶς καὶ εἶδε, καὶ ἄλλος ἤκουσεν. Αναστρέψαι δὲ ὀπίσω τοῖς καταβᾶσι διὰ στομίου τε ἐστι τοῦ αὐτοῦ, καὶ προεκθεόντων σφίσι τῶν ποδῶν. Αποθανεῖν δὲ οὐδένα τῶν καταβάντων λέγουσιν, ὅτι μὴ μόνον τῶν Δημητρίου τινὰ δορυφόρων· τοῦτον δὲ οὔτε ποιῆσαι περὶ τὸ ἱερόν φασιν οὐδὲν τῶν νενομισμένων, οὔτε χρησόμενον τῷ Θεῷ καταβῆναι, χρυσὸν δὲ καὶ ἄργυρον ἐκκομιεῖν ἐλπίσαντα ἐκ τοῦ ἀδύτου· λέγεται δὲ τούτου τὸν νεκρὸν ἑτέρωθι ἀναφανῆναι, καὶ οὐ κατὰ στόμα ἐκβληθῆναι τὸ ἱερόν. Ες μὲν δὴ τὸν ἄνθρωπον λεγομένων τῶν ἄλλων, εἴρηταί μοι τὰ ἀξιολογώτατα. Τὸν δὲ ἀναβάντα παρὰ τοῦ Τροφωνίου παραλαβόντες εὐθὺς οἱ ἱερεῖς, καθίζουσιν ἐπὶ θρόνον Μνημοσύνης καλούμενον· κεῖται δὲ οὐ πόῤῥω τοῦ ἀδύτου. Καθεσθέντα δὲ ἐνταῦθα ἀνερωτῶσιν ὁπόσα εἶδέ τε καὶ ἐπύθετο. Μαθόντες δὲ ἐπιτρέπουσιν αὐτὸν ἤδη τοῖς προσήκουσιν. Οἱ δὲ ἐς τὸ οἴκημα ἔνθα καὶ πρότερον διῃτᾶτο παρά τε Τύχῃ καὶ Δαίμοσιν ἀγαθοῖς, ἐς τοῦτο ἀράμενοι κομίζουσι, κάτοχόν τε ἔτι τῷ δείματι καὶ ἀγνῶτα ὁμοίως αὑτοῦ τε καὶ τῶν πέλας· ὕστερον μέντοι τά τε ἄλλα οὐδέν τι φρονήσει μεῖον ἢ πρότερον, καὶ γέλως ἐπάνεισίν οἱ. Γράφω δὲ οὐκ ἀκοὴν, ἀλλὰ ἑτέρους τε ἰδὼν, καὶ αὐτὸς Τροφωνίῳ χρησάμενος. Τοὺς δὲ ἐς τοῦ Τροφωνίου κατελθόντας, ἀνάγκη σφᾶς ὁπόσα ἤκουσεν ἕκαστος, ἢ εἶδεν, ἀναθεῖναι γεγραμμένα ἐν πίνακι.* *Ubi statuerit quis in Trophonii descendere, primum dierum certum numerum est ei in ædicula quadam commorandum: est illa Bono Genio & Bonæ Fortunæ sacra. Illic degens & alia suscipit expiationum genera, & calidis abstinet aquis: Hercyna fluvio se abluit, eique carnes de victimis large suppeditant. Immolat enim, qui huc descendit, Trophonio, ejusque filiis, Apollini præterea, Saturno, Jovi cognominato Regi, Junoni Heniochæ, & Cereri, quam Europen vocant, ac fuisse Trophonii nutricem perhibent. Adest haruspex, qui cæsarum hostiarum viscera inspectat: ex ea inspectione vaticinatur, numquid Trophonius placatus jam & propitius consultorem sit accepturus. Alia tamen exta non tam perspicue Trophonii mentem declarant: verum ea nocte, qua quis descendit, arietem mactat ad ipsam foveam, invocato Agamedis numine. Exta priora pro nihilo ducuntur, etiamsi maxime fuerint læta, nisi eo ipso ariete litatum fuerit. Id ubi ita evenerit, ut extorum consentiat significatio, bona cum spe descendit consultor: atque hoc maxime modo* initiatus, hocque ritu *descendit. Primo quidem deducunt* sacrificuli *eum noctu ad Hercynam fluvium:* huc *autem deductum* oleo *perungunt & abluunt duo pueri ex oppidanis, annos ferme tredecim nati, quos Hermas nuncupant: hi sunt qui descendentem lavant, quique ministrant quæ sunt opus omnia, ut puerorum est captus. Hinc non statim ad oraculum a sacrificulis, sed* prius *ad amnis fontes ducitur: sunt vero* duo *inter se proximi: ibi sane bibenda est ei Lethes quæ dicitur aqua, ut cunctorum, quæ memoria complectebatur, oblivio ei contingat: Mnemosynes deinde aquas potat, ut, quæ intra ea penetralia viderit, memoria contineat. Jam simulacrum, quod fecisse Dædalum autumant, contemplatus, (nemini prorsus id ostenditur a sacrificulis, præterquam iis, qui ad Trophonium sunt accessuri) eo signo conspecto, & cum multa religione votis nuncupatis, ad oraculum progreditur, tunicam indutus lineam, ac tæniis incinctus, soleisque popularibus pedes inductis. Est vero oraculum supra lucum in monte: crepido quidem in orbem candido saxo circumducta est, cujus ambitus est instar areæ minimæ: altitudo vero minor duobus cubitis: erecti autem sunt super crepidine obelisci ænei, ut & zo-*

næ, quibus continentur: interque eos media sunt ostia. Intra ambitum specus est, non natura, sed arte & certo proportionis modulo quam solertissime exstructa: ejus subterraneæ *cellulæ forma furno persimilis est: cujus latitudo dimensa per rectam lineam cubitos plus minus quatuor æquarit: in altum subsidit hiatus haud amplius octo fere cubitorum: nulli vero gradus constructi sunt, qui ingressos ad imum solum demittant. Sed ad Trophonium descensuri, scalam admovent angustam ac levem: ubi descensum fuerit, medium inter solum & antri testudinem cavernula est, latitudine duorum dodrantum, altitudine vero dodrantali, videtur esse.* B *Qui eo penetrarit, humi prostratus, melle subactas offas tenens, pedes in illam cavernulam prius immittit, mox genua properat ad pedes adjungere: reliquum vero corpus statim ad genua contractum, eodem prope modo, quo si maximi & concitatissimi amnis aquarum vortice correptum fuisset, intro abripitur. Qui certe intra penetrale pervenerint, futura non uno & eodem cognoscunt modo: ex visis alius, ex auditis alius. Per easdem fauces patet* omnibus *reditus, in pedes vero retrogrediuntur. Nullum omnino ex iis, qui eo pervaserint, non reducem evasisse affirmant, uno excepto, qui de spiculatoribus Demetrii fuit: illum sane neque eorum* C *quidquam sacrorum, quæ fieri ad fanum illud religione sancitum est, fecisse, neque ut Deum sciscitaretur, sed quod aurum & argentum ex penetrali se asportaturum speraret, introiisse ajunt: ejus itaque cadaver in diversam partem apparuisse, & non per sacrum illud ostium ejectum fuisse. De quo quidem homine quum multa dicantur alia, ea ipse quæ narratu duxi dignissima exposui.. Consultorem a Trophonio reversum, atque a sacrificulis exceptum, statim in solio collocant, quod Mnemosynes vocant, quodque positum est non longe ab adyto. Ab eo sic collocato percontantur quæcumque vel visa vel au*D*dita reportarit. Ea ubi accepere, suis illum reddunt. Hi sublatum hominem in cellam Bonæ Fortunæ ac Boni Genii, in qua prius commoratus fuerat, reducunt, correptum adhuc terrore ac suimet omniumque adstantium oblitum: resipiscit tamen paulo post, & pristina ei mens ac risus redit. Scribo autem non solum audita, sed quæ & aliis accidisse vidi, & egomet sum expertus, quum ad Trophonium consulendi causa ipse etiam venerim. Coguntur sane omnes, qui a Trophonio redeunt, quæcumque vel audiverunt, vel viderunt, a se conscripta in tabulam referre.* Huc usque Pausanias.

Quæ a Plutarcho narrantur, ad visiones consul- E toribus exhibitas spectant, quæ etsi multiformes & rarissime sub eadem specie apparerent, quia tamen in illis aliquid notatu dignum occurrit memoratum a Plutarcho *de Socratis Genio*, ob oculos ponam ejusdem verba: Οὗτος οὖν ποθῶν γνῶναι τοῦ Σωκράτους δαιμόνιον ἣν ἔχει δύναμιν, ἅτε δὴ νέος οὐκ ἀγεννὴς ἄρτι γεγευμένος φιλοσοφίας· ἐμοὶ καὶ Κέβητι κοινωσάμενος μόνοις, εἰς Τροφωνίου κατῆλθε, δράσας τὰ νομιζόμενα περὶ τὸ μαντεῖον· ἐμμείνας δὲ δύο νύκτας κάτω καὶ μίαν ἡμέραν, τῶν πολλῶν ἀπεγνωκότων αὐτὸν ἤδη καὶ τῶν οἰκείων ὀδυρομένων, πρωῒ μάλα φαιδρὸς ἀνῆλθε· προσκυνήσας δὲ τὸν Θεὸν, ὡς πρῶτον διέφυγε τὸν ὄχλον, διηγεῖτο ἡμῖν θαυμάσια πολλὰ καὶ F ἰδεῖν καὶ ἀκοῦσαι. Ἔφη δὲ, καταβὰς εἰς τὸ μαντεῖον, περιτυχεῖν σκότῳ πολλῷ τὸ πρῶτον· εἶτα ἐπευξάμενος κεῖσθαι πολὺν χρόνον, οὐ μάλα συμφρονῶν ἐναργῶς εἴτ᾽ ἐγρηγορεν, εἴτε ὀνειροπόλει· πλὴν δόξαι γε τῆς κεφαλῆς ἅμα ψόφῳ προσπεσόντι πληγείσης, τὰς ῥαφὰς διαστάσας μεθιέναι τὴν ψυχήν· ὡς δ᾽ ἀναχωροῦσα κατεμίγνυτο πρὸς ἀέρα διαυγῆ καὶ καθαρὸν ἀσμένη, πρῶτον μὲν ἀναπνεῦσαι τότε δοκεῖν διὰ χρόνου συχνοῦ, τεινομένην τέως, καὶ πλείονα γίνεσθαι τῆς πρότερον, ὥσπερ ἱστίον ἐκτεινόμενον. Ἔπειτα κατακούειν ἀ-

A μαυρῶς ῥοίζου τινὸς ὑπὲρ κεφαλῆς περιελαυνομένου φωνὴν ἡδεῖαν ἱέντος. ἀναβλέψας δὲ, τὴν μὲν γῆν οὐδαμοῦ καθορᾶν, νήσους δὲ λαμπομένας μαλακῷ πυρὶ, κατ᾽ ἀλλήλων ἐξαμειβούσας ἄλλην ἄλλοτε χρόαν, ὥσπερ βαφὴν τῷ φωτὶ ποικιλλομένῳ κατὰ τὰς μεταβολάς· φαίνεσθαι δὲ, πλήθει μὲν ἀναρίθμους, μεγέθει δὲ ὑπερφυεῖς, οὐκ ἴσας δὲ πάσας, ἀλλ᾽ ὁμοίως κυκλοτερεῖς· οἴεσθαι δὲ ταύταις τὸν αἰθέρα κύκλῳ φερομένας ὑπορροιζεῖν........ εἶναι γὰρ ὁμολογουμένην τῇ τῆς κινήσεως λειότητι τὴν πρᾳότητα τῆς φωνῆς ἐκ πασῶν συνηρμοσμένης· διὰ μέσου δὲ αὐτῶν θάλασσαν ἢ λίμνην ὑποκεχύσθαι τοῖς χρώμασι διαλάμπουσαν διὰ τῆς γλαυκότητος ἐπιμιγνυμένοις· καὶ τῶν νήσων ὀλίγας μὲν ἐκ- B πλεῖν κατὰ πόρον, καὶ διακομίζεσθαι πέραν τοῦ ῥεύματος, ἄλλας δὲ πολλάς........ ἐφέλκεσθαι τῇ............ σχεδὸν ὑποφερομένοις· εἶναι δὲ τῆς θαλάσσης πῆ μὲν πολὺ βάθος κατὰ νότον· μάλιστα δὲ ἀραιὰ τενάγη καὶ βραχέα· πολλαχῆ δὲ καὶ ὑπερχεῖσθαι καὶ ἀπολιπεῖν αὖθις οὐ μεγάλας ἐκβολὰς λαμβανούσαν, καὶ τὰς χρόας, τὸ μὲν ἄκρατον καὶ πελάγιον, τὸ δὲ οὐ καθαρὸν, ἀλλὰ συγκεχυμένον καὶ λιμνῶδες. Τῶν δὲ ῥοθίων τὰς νήσους ἅμα παραφερομένας ἐπανάγειν· οὐδὲν εἰς ταυτὸ συνάπτειν τὸ πέρας τῇ ἀρχῇ, οὐδὲ ποιεῖν κύκλον, ἀλλ᾽ ἠσυχῆ παραλλάσσειν τὰς ἐπιβολὰς, ἕλικα ποιούσας μίαν ἐν τῷ περιστρέφεσθαι. Τούτων δὲ πρὸς τὸ μέ- C σον μάλιστα τοῦ περιέχοντος καὶ μέγιστον ἐγκεκλίσθαι τὴν θάλασσαν ὀλίγῳ τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ παντὸς ἔλαττον, ὡς αὐτῷ κατεφαίνετο· δύο δὲ αὐτὴν ἔχειν ἀναστομώσεις πυρὸς ἐμβαλόντος ἐναντίους ποταμοὺς δεχομένας, ὡς ἐπὶ πλεῖστον ἀνακοπτομένην κοχλάζειν καὶ ἀπολευκαίνεσθαι τὴν γλαυκότητα. Ταῦτα μὲν οὖν ὁρᾶν τερπόμενος τῇ θέᾳ· κάτω δ᾽ ἀπιδόντι φαίνεσθαι χάσμα μέγα στρογγύλον, οἷον ἐκτετμημένης σφαίρας, φοβερὸν δὲ δεινῶς καὶ βαθὺ, πολλοῦ σκότους πλῆρες οὐχ ἡσυχάζοντος, ἀλλ᾽ ἐκταραττομένου καὶ ἀνακλύζοντος πολλάκις. Ὅθεν ἀκούεσθαι μυρίας μὲν ὠρυγὰς καὶ στεναγμοὺς ζώων, μυρίων δὲ κλαυθμὸν βρεφῶν, καὶ μεμιγμένους ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ὀδυρμοὺς, ψόφους δὲ παν- D τοδαποὺς καὶ θορύβους ἐκ βάθους πόρρωθεν ἀμυδροὺς ἀναπεμπομένους, οἷς οὐ μετρίως αὐτὸς ἐκπεπλῆχθαι. Χρόνου δὲ προϊόντος εἰπεῖν τινα πρὸς αὐτὸν οὐχ ὁρώμενον, &c. *Is ergo* (Timarchus) *cupiens cognoscere quam vim haberet Socratis genius, utpote juvenis generosa indole, qui recens philosophiam gustaverat: re mecum & cum Cebete tantum communicata, in* antrum *Trophonii descendit, rite peractis omnibus ad consultationem: cumque duas noctes & unum diem ibi exegisset, jam plerisque actum de eo esse putantibus, atque familiaribus eum deplorantibus, mane admodum hilaris rediit: cumque Deum adorasset, ut primum turbam evasit,* E *nobis mira multa narravit visa sibi & audita. Ajebat autem se, cum descendisset in oraculum, initio in magnas incidisse tenebras: votis deinde factis diu jacuisse, non satis sentientem vigilaretne an somniaret; visum autem sibi caput strepitu una accidente percussum fuisse, & suturis invicem discedentibus animam exivisse: quæ simul atque recedens aeri pellucido ac puro permiscebatur, idque lubens, tunc primum longa post tempore sibi respirare visa est, hactenus oppressa, majorque priore facta fuit, instar veli expansi. Postea audivi obscure quemdam strepitum supra caput circumagitatum & suavem emittentem vocem: suspiciens autem, terram nusquam vidi, sed insulas splendentes molli igne, mu-* F *tantes alium ex alio colorem, unde varie quasi tingeretur lumen istis mutationibus: visæ autem sunt illæ mihi, numero quidem infinitæ, magnitudine immodica, non æquales omnes inter se, sed æque rotundæ: his in orbem circumvectis putabam ætherem substrepere........ nam levitati motus respondebat lenitas vocis illius ex omnibus concinnatæ: per medium earum mare aut palus diffundebatur coloribus glauco admixtis refulgens: insularum autem paucæ*

per fretum enabant, & trans paludem efferebantur, aliæ multæ...... attrahebantur.......... fere subsidentibus, marisque profunditas quibusdam in locis versus austrum magna erat: maxime autem angusta stagna & brevia: passim etiam effundebatur & recedebat non magnis æstibus, color vero alibi sincerus & marinus, alibi non purus, sed commixtus & palustris. Insulæ simul etiam trajicientes impetu fluctuum revertebantur: neque motus earum finis ad principium redibat, neque circulum conficiebant, sed conversione sua paulatim loco excedentes gyrum in se non redeuntem trahebant. Harum ad medium maxime ambientis inclinatum erat mare, paulo minus octava universi parte, ut mihi videbatur: habet autem duos apertos meatus, quibus adversi fluvii ignis irrumpentis excipiuntur, quo igni magna pars glauci coloris in albedinem vitiatur. Hoc quidem spectaculum mihi fuit jucundum: deorsum autem intuenti apparuit hiatus ingens, teres instar globi excisi, terribilis valde ac profundus, plenus multa caligine non quiescente, sed subinde conturbata & exæstuante. Hinc exaudiebantur infiniti rugitus gemitusque animalium, vagitus multorum infantium, mixti virorum ac mulierum ejulatus, omnisque generis soni & tumultus e profundo sursum obtuse elati, quibus haud mediocriter fui ipsemet perterritus. Paulo post quidam a me non conspectus dixit mihi, &c.

Quæ sequuntur nil nisi diffusa atque odiosa super varia argumenta oratio. Unum hic potissimum notatu dignum, nempe, Trophonium effecisse, ut Timarchus fronte serena & hilari ex oraculo rediret, quum alias, qui illud consulebant, fierent mœsti ac melancholici, animus æger durusque, & vultus, utut antea lætus atque jucundus, languidus ac tristis; hinc de homine mœsto, melancholico, vel nimium severo, utplurimum dicebatur, εἰς Τροφωνίου μεμάντευται, id est, *Trophonii oraculum sciscitatus est*, accommodatum ἐπὶ τῶν ὠχρώντων καὶ ἀγελάστων, ut loquuntur Grammatici. Sed hoc solummodo accipiendum de tempore, postquam consuluissent, statim subsequente; nam (ut discimus ex Pausania) quicumque istud oraculum petierant, pristinam hilaritatem in templo Boni Genii & Bonæ Fortunæ recuperabant.

CAP. XI.

De aliis Græcorum Oraculis.

AMphiaraus, Oiclei filius, & Eriphyles Adrasti Argivorum Regis sororis conjux, artis magicæ peritissimus fuit, qua prædixit se in bello Thebano periturum. Ut autem certam mortem effugeret delituit; sed ab uxore Eriphyle, quam aureæ catenæ munere corruperat Polynices, detectus, jussu Adrasti Thebas ire militatum coactus est, ubi ei accidit prout vaticinatus erat; ipse enim simulque currus & equi, quibus vehebatur, terra dehiscente absorpti sunt. Eo alludens Ovidius hæc habet:

Notus humo mersis Amphiaraus equis.

Alii volunt illum sinistrum casum obtigisse in itinere inter Thebas & Chalcidem, qua de causa illum locum hunc usque diem dictum fuisse ἅρμα, id est, *currum*, tradit Pausanias in *Atticis*.

Vita functus summis honoribus decoratus est primo ab Oropiis & in posterum a reliquis Græcis: imo sumptuosum templum & statuam ex candido marmore eo ipso loco, quo humo mersus est, duodecim circiter stadiis Oropo in confiniis Atticæ & Bœotiæ civitate, quæ idcirco utrique regioni indiscriminatim tribuitur, distante, in ejus honorem erecta fuisse asserit Auctor mox citatus. Pariter ibidem exstitit ara insignis in quinque partes distincta, quarum prima Herculi, Jovi, & Apollini Pæonio; secunda Heroibus eorumque uxoribus; tertia Vestæ, Mercurio, Amphiarao, & Amphilochi filiis; (Alcmæoni enim Amphiarai filio nulli honores, qui Amphilocho aut Amphiarao persolvebantur, tributi sunt, eo quod matrem Eriphylen occidisset) quarta Veneri, Panaceæ, Jasoni, Hygiæ, & Minervæ Pæoniæ; quinta vero Nymphis, Pani, & fluminibus Acheloo & Cephiso sacra erat.

Responsa non per Pythonissam, (prout in oraculis Apollinis usu veniebat) sed per somnia reddi solebant. Amphiaraum semel versu respondisse tradit Jophon Gnossius, qui antiqua oracula carminibus heroicis composuit; sed hac in re ei adversatur Scriptor sæpe citatus, qui præterea tradit hanc vulgarem fuisse opinionem, sola Apollinis oracula carmine, cætera vero somniis, auspiciis, & haruspiciis edita fuisse. Imo firmissimum argumentum, quo demonstrentur responsa ibi reddita fuisse in somniis, inde colligere vult, quia Amphiaraus somniorum interpres peritissimus, & pro illa arte inventa in Deorum numerum relatus fuit.

Qui oraculum inquirebant, primo purgabantur sacrificio facto Amphiarao & cæteris Diis, quorum nomina aræ inscripta erant: eos viginti quatuor horarum spatio præterea jejunasse, & triduo a vino abstinuisse tradit Philostratus *Vita Apollonii Tyanei lib.* II. Tandem arietem Amphiarao mactabant, in cujus substrata pelle dormiebant, ac responsa in somnis accipiebant. Sic se habebat in Apulia Daunia Podalirii oraculum, qui in illis partibus mortuus sciscitantibus in somnio futura pandebat; qui interrogabant, ad aram in vellere ovino dormiebant, prout discimus ex hoc Lycophronis disticho *Cassandra vers.* 1050.

Δοραῖς δὲ μήλων τύμβος ἐγκοιμωμένοις
Χρήσει καθ' ὕπνον πᾶσι νημερτῆ φάτιν.
Et in ovillis super hercum cubantibus
Reddet in somnis vera cunctis oracula.

Sed e diverticulo in viam. Illud oraculum adire omnibus licebat, si Thebanos excipias, qui Amphiarai ope hac in parte uti non permittebantur: iis enim (referente Herodoto *lib.* VIII. *c.* CXXXIV.) quorum unum eligerent duobus propositis, vel consilio, quo uterentur urgente necessitate, vel auxilio, quo in periculo iis adfuturus esset, posterius maluerunt, existimantes se præsidio magis quam consilio, quod iis abunde suppetebat ex Apolline Delphico, indiguisse.

Istud oraculum in maxima fuit existimatione: ab Herodoto enim *lib.* I. *cap.* XLVI. recensetur inter quinque præcipua Græciæ oracula, nimirum Delphicum, Dodonæum, Amphiarai, Trophonii, & Didymæum, quæ Crœsus interrogavit, antequam bellum Cyro inferret; imo duobus primis mox memoratis, ipsiusque Jovis Ammonis oraculis non cessisse tradit Valerius Maximus *lib.* VIII. *cap.* XV.

Templo vicinus fuit fons, ex quo Amphiaraus, quum in numerum Deorum receptus est, in cœlum adscendisse credebatur, qui idcirco de ejus nomine dictus est: sed ita sacer habitus est ille fons, ut crimen capitale censeretur, si quis ejus aquas prophano usu, qualis manuum lotio, aut purificatio, adhibuisset; imo juxta illum sacrificia facere, quod in aliis fontibus obtinebat, minime licitum erat. Primaria, fere dixerim unica, hac in re inserviebat, ut, quorum morbi oraculi consilio sanati fuerant, nummum aureum aut argenteum eo injicerent; quem morem ab antiquis & primi-

tivis temporibus obtinuisse tradit Pausanias in *Arcticis*.

Pharis Achajæ civitate vaticinabatur Mercurius dictus Ἀγοραῖος, ab ἀγορᾶ, id est, *mercatu*, ubi statua lapidea barbata (quod in illius Dei statuis insolitum erat) ei erecta stabat: ante posita erat humilis ara lapidea, cui incumbebant pelves æneí plumbo solidati. Qui consultum veniebant, primum thure in ara oblato, lampadibus accensis, oleum superfundebant, deinde nummo singulorum patria insignia ferente dicto χαλκῷ ad latus aræ dextrum deposito, dubia, quibus torquebantur, proponebant aure statuæ admota; quibus peractis abibant ambas aures manibus obturantes, donec mercatum excurrissent, tum manibus retractis primam vocem, quæ illorum aures feriebat, loco divini oraculi habebant. In Ægypto eosdem ritus usuvenisse in Sarapidis oraculo refert Pausanias *Achaicis*.

Buræ Achajæ civitatis in antro quodam fuisse Herculis dicti *Buraici* oraculum & statuam, ubi talorum jactu futura prædicebantur, asserit Pausanias *ibidem*. Qui oraculum inquirebant, supplicibus votis ante omnia Deo factis, & ex pluribus tesseris ibi paratis, quæ certis notulis in libro hunc in usum servato expositis a se invicem distinguebantur, quatuor in mensam projectis, librum illum adibant & inspiciebant, in quo singulis fata dicebantur.

Patris Achajæ civitate in maris littore sita, non longe a luco Apollini sacro, ex Pausania *ibidem* exstitit Cereris templum, in quo tres statuæ, Cereri & Proserpinæ stantibus duæ, tertia vero Telluri in throno sedenti dicatæ erant. Ex fonte e regione templi scaturiente oracula, quorum veritas maxime celebratur, reddebantur. Ea autem non circa quamlibet rem, sed circa morborum exitum prædicendum versabantur. En tibi morem, quo illud oraculum inquirebatur: Speculo funiculi ope in fontem demisso, ita ut extremam aquarum superficiem tantum tangeret, nec in eas immerso, præterea suffimentis & votis Deæ factis, ex diversis figuris & imaginibus, quæ in speculo exhibebantur, de morborum exitu divinabant.

Panis oraculum apud Pisæos erat, si Statio fides habenda sit, qui hos versus habet *Theb. lib.* III. *vers.* 476.

—— licet aridus Ammon
Invideat, Lyciæque parent contendere sortes,
Niliacumque pecus, patrioque æqualis honori
Branchus, & undosæ qui rusticus accola Pisæ
Pana Lycaonia nocturnum exaudit in umbra.

Terræ oraculum priscis temporibus fuisse apud Eleos docet Pausanias *Eliacis* α.

Oraculum fuit Mycenis, si Senecæ credamus *Thyeste vers.* 677.

—— hinc orantibus
Responsa dantur certa, cum ingenti sono
Laxantur adyto fata, & immugit specus
Vocem Deo solvente. ——

Trœzene Peloponnesi civitate ab antiquis temporibus Musis & Somno aram dicasse Ardalum Vulcani filium, tibiæ inventorem & Musarum gratiosum, a quo dictæ sunt *Ardalides*, nos docet Pausanias. Qui oraculum sciscitabantur, a vino per aliquot dies abstinere solebant; deinde juxta aram decumbentibus remedia suis morbis sanandis propria tacito Musarum afflatu in somnis revelabantur.

Epidauri Peloponnesi civitatis Æsculapii ob morborum sanandorum facultatem, quorum præsidia in somnio indicabantur, templum fuisse narrat Pausanias in *Corinthiacis*. Senatorum autem nomina simulque sanatio in sacras templi tabulas referebantur. Sequentibus sæculis illud Numen Romam transiit jussu Apollinis Delphici, qui cum Romanis interrogantibus respondisset, pestem, quæ nunc temporis inter illos grassabatur, se sola illius Dei ope pulsuros, legati Epidaurum missi sunt, ut inde sacram effigiem accerserent; sed Epidauriis tam benefici hospitis jacturam facere nolentibus, Æsculapius sub ingentis serpentis forma navem Romanam sua sponte petiit, in qua confidens magna cum pompa Romam transvectus ibique ingenti omnium gaudio exceptus est, qui, plaga amota, in exigua fluminis Tiberis insula templo donatus, & sub illa ipsa forma, quam assumpserat, cultus est. Hæc a Plinio *Nat. Hist. lib.* IV. & ab Ovidio *Metamorph. lib.* XV. pluribus verbis narrantur.

Amphicleæ (quæ ab Herodoto Ophitea, Amphicæa vero ab Stephano dicitur) templum, in quo nulla imago, saltem quæ conspiceretur, Baccho dicatum erat, quem morbos sanasse medicina per somnia indicata, & ope vatum, quos suo Numine afflabat, futura prædixisse dictitabant Amphiclei, referente Pausania in *Phocicis*.

In ditione Corinthiaca inter Lechæum & Pagas Junonem oraculum tenuisse tradit Strabo in *Corinthi descriptione*.

Fuit & in Laconia stagnum fatidicum Junoni sacrum, in quod placentæ injectæ si mergerentur quid boni, sin vero emergerent, quid mali ominis portendere credebantur.

Lesbi Orphei caput oracula edidisse in gratiam quorumlibet interrogantium, sed præsertim Græcorum, quibus prædixit sine Herculis sagittis Trojam se nunquam expugnaturos, nos docet ex Philostrato Cœlius Rhodiginus *Antiq. Lect. lib.* XV. *cap.* IX. Præterea addit Persiæ & Babylonis Reges per legatos illud oraculum sæpius consuluisse, præsertim Cyrum, cui sciscitanti de genere mortis, quo occubiturus esset, responsum redditum est, Τὰ ἐμὰ, ὦ Κῦρε, τὰ σά, id est, *Mea fata, o Cyre, sunt tua*; quibus verbis significabatur Regis illius obtruncatio: Orpheus enim illa morte periit in Thracia a mulieribus rabie in eum percitis, eo quod ab illarum sexu abhorreret: cujus viri caput in mare projectum Lesbum appulit, ubi vaticinabatur in antro subterraneo. Porro notandum plures initiatos fuisse Orphei sacris, dictos idcirco Ὀρφεοτελεστάς, qui suis discipulis certum fœlicitatis gradum post mortem pollicebantur: cuidam enim Philippo, illius sacræ disciplinæ assectæ pauperrimo, illam prærogativam jactanti, Leotychidas Spartanus respondisse dicitur, *Cur non moreris, stulte, ut morte ærumnis tuis finem imponas?* Quum quis illius societatis mysta fiebat, præsertim ad arcana celanda juramento obstringebatur.

In Laconia inter Oetylum & Thalamas fuisse templum & oraculum Inus, quæ in somnio responsa inquirentibus reddebat, asserit Pausanias in *Laconicis*.

Plutarchus in *Agide* meminit alius celebris oraculi Thalamiis Laconiæ civitate sacri Paliphae, quæ juxta nonnullos existimatur Atlantis filia, & ex Jove filium Ammonem peperit. Alii vero censent illam fuisse Cassandram Regis Priami filiam, quæ hoc in loco fatis cedens dicta est Pasiphae, Παρὰ τὸ πᾶσι φαίνειν τὰ μαντεῖα, id est, *a revelandis oraculis*. Iterum alii opinantur fuisse Daphnen Amyclæ filiam, quæ ab Apollinis facie fugiens & in laurum mutata, dono vaticinandi ab illo Deo ornata est. Agim Spartæ Regem, Lacedæmoniis ad priscos mores revocandis & Lycurgi legibus antiquatis auctoritati reddendæ studentem, non parum adjuvit & animavit istud oraculum,

quo populus jussus est ad pristinam æqualitatem redire. Cleomene idem iterum tentante, idem consilium ab oraculo acceperunt hunc in modum, prout tradit Scriptor mox citatus in *Cleomene*: Συνέβη δὲ περὶ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, καὶ τῶν Ἐφόρων ἕνα κοιμώμενον ἐν Πασιφάας ὄναρ ἰδεῖν θαυμαστόν. ἐδόκει γὰρ ἐν ᾧ τόπῳ τοῖς Ἐφόροις ἐστὶ καθεζομένοις χρηματίζειν, ἕνα δίφρον κεῖσθαι, τοὺς δὲ τέτταρας ἀνῃρῆσθαι· καὶ θαυμάζοντος αὐτοῦ, φωνὴν ἐκ τοῦ ἱεροῦ γενέσθαι, φράζουσαν, ὡς τοῦτο τῇ Σπάρτῃ λῷόν ἐστι. *Per eosdem forte dies, uni Ephororum in Pasiphaes templo dormienti mirum somnium ostensum fuit; ei enim videbatur, quo loco considere Ephoris solenne est ad jus dicendum, una sella posita, quatuor vero sublatæ; quum autem obstupesceret, vox e fano reddita, dicens, hoc Spartæ conducibilius esse.*

In cacumine Cithæronis montis Bœotiæ exstitit antrum dictum Sphradigium, in quo plures illius regionis incolæ a Nymphis dictis Sphragitidibus inspirari credebantur, qui idcirco Νυμφόληπτοι, id est, *a Nymphis afflati*, vocabantur.

Ulysses tenuit oraculum apud Eurytanes gentem Ætolicam, prout ex Aristotele in *Ithac. Polit.* refert Tzetzes *Commentario in hæc Lycophronis verba Cassandra vers.* 799.

Μάντιν δὲ νεκρὸν Εὐρυταὶ στέψει λεώς,
Ὅ τ' αἰπὺ ναίων Τραμπύας ἑδέθλιον.
Vaticinans autem cadaver Eurytanus coronabit populus,
Quique altas habitat sedes Trampyæ.

Plura alia oracula, præsertim Tiresiæ, Ægei, & alia minoris notæ, quæ idcirco prætermitto, apud Veteres memorantur.

CAP. XII.

De Theomantia.

DEscriptis celeberrimis Græciæ oraculis, quæ pro primaria & nobilissima naturalis divinationis specie jure merito habentur, ad secundam, quæ Græce Θεομαντεία dicitur, pergam: componitur autem ex duabus vocibus, quibus simul sumptis a cæteris divinandi artibus distinguitur; priore, nempe Θεός, discernitur ab artificiali divinatione, quæ etsi Diis tribui liceat, attamen ab iis non immediate manat, quum experientia & industria acquiratur: posteriore vero, nimirum μαντεία, oraculorum vaticinationibus opponitur, quæ licet generaliore nomine quamlibet divinandi speciem denotet, nihilominus strictiore sensu tribuitur tantum prædictionibus ab hominibus prolatis; qua significatione opponitur χρησμῷ, sicut observavit Sophoclis Scholiastes *in Oedip. Tyr.*

Hæc de nomine. Quoad rem ipsam, Θεομαντεία distinguitur ab oraculorum divinatione (nimirum illa, quæ per interpretes tradebatur, ut Delphis moris erat, in cæteris enim speciebus discrimen clarius patet) in eo quod posterior certo tempori & loco semper alligata erat: Pythia enim nullo alio loco quam Apollinis templo & in sacro tripode a Numine afflabatur; econtra Θεομάντεις liberi nec loco aut tempori adstricti erant, sed (sacrificiis aliisque solitis ritibus peractis) semper & ubique vaticinari poterant.

Diversi vates divinum afflatum diverso modo non semper accipiebant; Pythia enim ipsæque Sibyllæ & plures alii fatidici furore divino correpti rabie intumescebant, quasi furerent & insanirent; quem horridum adspectum Sibyllæ tribuit Virgilius *Æneid. lib.* VI. *vers.* 47.

——*Cui talia fanti*
Ante fores subito non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; majorque videri,
Nec mortale sonans: afflata est numine quando
Jam propiore Dei. ——

Omnes vates sic furere solebant, spumantes, ululantes, & peregrinos horrendosque sonos edentes; imo sæpius dentibus frendebant, trepidabant, tremebant, & innumeros alios insolitos gestus agebant; unde plures putant vocem μάντις dici ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, *ab insaniendo*.

Alii mores iis cum Pythia communes erant, illos tantum notabo, qui peragebantur lauro, quæ Apollini vaticiniorum Deo a Daphnes illius dilectissimæ amasiæ morte & mutatione sacra fuit, quæque inspirationem multum adjuvare credebatur, quocirca dicitur μαντικὸν φυτόν, *planta fatidica*, ut canit Claudianus:

——*venturi præscia laurus.*

Illius autem arboris ramo eorum capita coronari solita fuisse patet ex iis, quæ Euripides in *Andromache* de Cassandra habet; cui accinit Æschylus in *Agamemnone vers.* 1274. *Edit. Lond. pag.* 380.

Καὶ σκῆπτρα καὶ μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη.
Et sceptra & fatidicas circa collum corollas.

Quo in loco σκῆπτρον sumitur pro *baculo ex lauro*, quem vates in manibus gestare solebant; Græce dici ἰσθωπήειον nos docet Hesychius. Præterea, illius arboris folia comedere iis solenne erat, unde Lycophron *Cassandra vers.* 6. hæc Cassandræ tribuit:

Δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα.
Laurivoro vaticinata est ore.

Imo ipsa Sibylla apud Tibullum lauri esum tantam prærogativam existimat, ut virginitati æquiparet, quæ etsi ab aliis vatibus sæpius neglecta, attamen huic sacratissima semper fuit: Cassandra enim Agamemnonis pellex fuit; si quis autem objiciat ei captivæ vim illatam fuisse, apud omnes in confesso est Helenum Andromachen duxisse uxorem; nec minus notum Manto filiam patrem Tiresiam cœcum circumducere solitam. Sed ad Sibyllam redeamus, cujus verba apud Tibullum *lib.* II. *eleg.* V. hæc sunt:

——*sic usque sacras innoxia laurus*
Vescar, & æternum sit mihi virginitas.

Nec laurum modo, sed etiam avium, animaliumque, quibus vis divinatrix inesse credebatur, corda, jecinora, & alia forte membra deglutiebant, sperantes animas eorum cum carne sibi uniri. Memorabilis est ea de re Porphyrii locus in *lib.* II. *de Abstinentia ab animal.* Ὅτι γὰρ ὁλκὸς τῆς ψυχῆς ἡ τοῦ συγγενοῦς σώματος φύσις, ἡ πεῖρα ἐδίδαξεν· οἱ γοῦν ζώων μαντικῶν ψυχὰς δέξασθαι βουλόμενοι εἰς ἑαυτοὺς, τὰ κυριώτατα μόρια καταπιόντες, οἷον καρδίας κοράκων, ἢ ἀσπαλάκων, ἢ ἱεράκων, ἔχουσι παροῦσαν τὴν ψυχὴν, καὶ χρηματίζουσι, ὡς Θεοῦ εἰσιόντος εἰς αὐτοὺς ἅμα τῇ ἐνθέσει τῇ τοῦ σώματος. *Experientia docuit naturam corporis congeniti animam attrahere ad se: quare qui capiunt intra se animantium divinorum animas recipere, deglutientes præcipuas eorum partes, ut corda corvorum, talparum, aut vulturum, habent animam præsentem, & respondent, quasi Deus cum buccella corporis eos sit ingressus.*

Hæc sufficiant de illis vatibus in genere; tantum addam hos ut cæteros divinatores Athenis publicis sumptibus ex Prytaneo vel publico foro alitos fuisse, prout Aristophanis Scholiastes jamdiu notavit.

Θεομάντεις apud Græcos triplices fuerunt, modo, quo divinum afflatum accipiebant, a se invicem diversi.

Primi a Dæmonibus fatidicis invadebantur, qui vel iis responsa dictabant, vel ex illorum ventre aut pectore loquebantur, dum ipsi Dæmoniaci obmutescebant, nec linguam aut labia ullo modo movebant; vel potius ipsa Dæmonia responsa reddebant per Dæmoniacorum membra. Vocabantur autem Δαιμονόληπτοι, id est, *a Dæmonibus possessi*; & quia Spiritus in illis habitabat & intra illorum corpora loquebatur, dicebantur pariter ἐγγαστρίμυθοι, (quo nomine insigniebantur quoque Dæmones) ἐγγαστριμάντεις, στερνομάντεις, ἐγγαστρῖται, &c. Qui divinandi modus ut & Necromantia apud alias gentes, præsertim apud Judæos, obtinuisse videntur: iis enim, qui utravis illarum artium magicarum utebantur, Dei gravissima judicia comminatur Propheta Esaias *cap.* VIII. *vers.* 19. cujus verba a LXX. Senioribus sic reddita sunt: Καὶ ἐὰν εἴπωσι πρὸς ὑμᾶς, Ζητήσατε τοὺς ἐγγαστριμύθους, καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς γῆς φωνοῦντας, τοὺς κενολογοῦντας, οἳ ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦσιν. οὐκ ἔθνος πρὸς Θεὸν αὐτοῦ ἐκζητήσουσι; τί ἐκζητοῦσι περὶ τῶν ζώντων τοὺς νεκρούς; Nostri Interpretes Angli ita verterunt: *And if they say unto you, Seek unto them, vvhose speech is in their belly, and those that speak out of the earth, those that utter vain vvords, that speak out of their belly: shall not a nation seek unto their God? vvhy do they enquire of the dead concerning the living?* Latine sic sonant: *Et si vobis dixerint, Inquirite illos, quorum sermo est in ventre suo, & qui ex terra loquuntur, qui vana verba proferunt, qui ex suo ventre loquuntur: annon gens quæret Deum suum? cur inquiritis mortuos de vivis?* Ut e diverticulo redeamus, illi divinatores dicuntur Εὐρυκλεῖς & Εὐρυκλεῖται ab Eurycle, qui primus illam artem Athenis exercuit, prout nos docet Aristophanis Scholiastes *in Vespas Edit. Amstelod. pag.* 482.

Μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
Εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς, κωμῳδικὰ πολλὰ
χέασθαι.

Imitatus Euryclei vaticinium mentemque,
In alienos ventres ingressus, comica multa effudit.

Dicebantur etiam Πύθωνες aut Πυθωνικοὶ, a Πύθων, id est, *Dæmon divinator*, juxta Hesychium & Suidam; cujus mentio fit *Actor. cap.* XVI. *vers.* 16. Ἐγένετο δὲ, πορευομένων ἡμῶν εἰς προσευχὴν, παιδίσκην τινὰ ἔχουσαν πνεῦμα Πύθωνος ἀπαντῆσαι ἡμῖν. Angli ita reddiderunt: *And it came to pass, as vve vvent to prayer, a certain Damsel possessed vvith a spirit of Divination met us.* (Sed in margine legitur *Python*, pro *Divination*, quod est nomen generale, & isto in loco adhiberi potest, ut plebi intellectu facilius) Latine sic efferuntur: *Factum est autem, euntibus nobis ad precationem, puellam quamdam habentem spiritum Pythonis nobis occurrisse*. Hæc Dæmonia antiquitus dicta fuisse Εὐρυκλεῖς, recentioribus vero sæculis Πυθῶνας, tradit Plutarchus in *Tractatu de Oraculorum defectu*: Εὔηθες γάρ ἐστι καὶ παιδικὸν κομιδῇ τὸ οἴεσθαι τὸν Θεὸν αὐτὸν, ὥσπερ τοὺς ἐγγαστριμύθους, Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ δὲ Πυθῶνας προσαγορευομένους, ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῶν προφητῶν, ὑποφθέγγεσθαι τοῖς ἐκείνων στόμασι, καὶ φωναῖς χρώμενον ὀργάνοις. *Est enim fatuum nimisque puerile opinari ipsum Deum, sicut ventriloquos, Eurycleas olim, nunc vero Pythonas vocatos, se immittentem in corpora vatum, loqui eorum ore, & voce pro instrumento uti.*

De origine nominis Python variæ exstant sententiæ, quarum probabilior videtur illorum, qui hanc vocem deducunt ab Apolline Pythio omnium divinationum præside Numine credito, sed in posterum usuvenit, ut huic soli speciei tribueretur; multa enim reperiuntur vocabula, quæ primitiva significatione universaliter accipiebantur, postea vero uni tantum rei adscripta sunt: ex. gr. Τύραννος, qui ab antiquis Græcis omnibus Regibus justis & clementibus æque ac crudelibus & injustis tribuebatur, recentioribus sæculis ad posteriorem sensum reductus est, nomenque maxime infame & exosum evasit. Econtra vocabula, quæ primum strictiore sensu sumebantur, generaliorem tandem sortita sunt: ut μαντεία, quæ ab initio de illa sola divinandi specie, in qua vates insanire & furere solebat, intelligebatur, (quia juxta Platonem & alios ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, *a furendo*, venit, quo sensu usurpatur ab Homero *Iliad. α.*) cæterisque divinandi artibus, ut quæ per solemnia aut viscerum inspectionem peragebantur, opponebatur, sed lapsu temporis quaslibet divinandi species denotavit.

Secundi Θεομάντεις vocabantur ἐνθουσιασταὶ, ἐνθεαστικοὶ, & θεοπνευσταὶ, qui quod enthusiasmum vocamus sibi tribuebant: diversi autem erant a prioribus in eo quod Numen ipsum in illis habitabat, hi vero a Numine tantum regebantur, agebantur, aut afflabantur, & futurorum præscientiam accipiebant; cujusmodi fuerunt Orpheus, Amphion, Musæus, & plures Sibyllæ.

Tertii denique nuncupabantur ἐκστατικοὶ, qui animi raptum vel extasim patiebantur, quique tanquam morte aut somno obruti, omnique sensu & motu exuti jacebant, sed aliquo temporis spatio elapso (sæpius diebus, mensibus, imo annis integris, Epimenides enim Cretensis per septuaginta quinque annos sic jacuisse traditur) ad vitam revocati mira & stupenda quæ viderant aut audierant enarrabant: animæ enim humanæ corpora sæpius deserere & in has auras superiores hinc inde vagari, imo mortuorum sedem & quæ ibi agebantur invisisse, & in Deorum Heroumque consortio plura, quæ vitæ humanæ recte instituendæ inserviebant & conducebant, didicisse, vulgo creditæ sunt. Quemdam Pamphilum Pheræum, postquam inter occisorum cadavera decem dierum spatio decubuerat, in rogo positum igne comburendum ad vivos rediisse, ac loca, quæ in cœlis, terra, & inferis perlustrarat, & quidquid ibidem agebatur, mirantibus auditoribus retulisse tradit Plato *Politicorum lib.* X. Iterum Plutarchus in *Tractatu de Socratis Dæmone* narrat Hermodori Clazomenii animam per plures noctes diesque e corpore cessisse, per diversas regiones iter fecisse, & postquam in remotissimis locis res perlustrasset, & cum hominibus confabulata fuisset, iterum rediisse vulgo dictam esse, donec cujusdam mulieris fraude corpus ejus exanime proditum est in potestatem hostium, qui domum combusserunt, dum incola peregre abierat. Plura alia hujus farinæ, quæ vera fuerint necne non multum nostra refert, dummodo pro veris credita & accepta fuerint, apud Historicos narrantur.

Denique, aliud his genus, si libeat, addamus: morientes enim futura præsentire credebantur, cum jam anima pene soluta corporis vinculis divinam quamdam vim haberet. Ita apud Homerum Hector moribundus Achilli mortis locum & auctores prænuntiat *Iliad.* χ'. *vers.* 355. Quem locum imitatus est Virgilius, apud quem Orodes exspirans Mezentii futuram mortem prædicit *Æneid. lib.* X. *vers.* 739. Tertium exemplum addam e Cicerone *Divinat. lib.* II. *Calanus Indus*, inquit, *cum Alexander eum rogaret, si quid vellet ut diceret*; Optime, *inquit*, propediem te videbo. *Quod ita contigit.*

Hæc de naturali divinatione sufficiant. Proximo loco agemus de artificiali; sed quia divinandi modus per somnia ad naturalem propius accedit præ cæteris, & quia a nonnullis ad hanc speciem reducitur, illius ritus proxime describam.

CAP. XIII.

De Divinationibus per somnia.

HOc in loco Lectorem non detinebo variis somniorum divisionibus, quæ ad meum institutum nequaquam spectant; cum statuerim illa solummodo recensere, quibus vaticinationes utplurimum fiebant, ac vulgo dicta *divina*, quorum tria erant genera.

I. Χρηματισμὸς, quando Dii aut Dæmones per seipsos aliave specie, quam sumebant, visionibus colloquiisque nocturnis homines dignabantur. Hujusmodi erat Agamemnonis somnium, quod occurrit initio *Iliad. β'*. ubi somniorum Deus, figura Nestoris indutus, ipsum monet prælium cum Trojanis committere, eoque incitat spe non dubia victoriæ adipiscendæ. Sic illud Pindari, in quo (prout Pausanias in *Bœoticis* scribit) Proserpina ei apparuit, querens de injuria quam sibi fecerat, nimirum quod hymnis in honorem omnium Deorum compositis se solam præteriisset, itemque quod cum in suam ditionem venisset, saltem laudes suas dicturus esset. Paucis post diebus Poeta mortem obiit, brevique in somnis visus est anui cuidam ejus cognatæ, quæ in ipsius carminibus legendis & cantandis maximam temporis partem insumebat, eique cecinit hymnum in honorem Proserpinæ ab eo compositum.

II. Ὅραμα, in quo ideæ seu imagines rerum futurarum plene ac perspicue exhibentur, & quando res conspiciuntur ut sunt, diciturque a nonnullis Θεωρηματικόν. Hujus generis erat illud Alexandri Magni, a Valerio Maximo *lib.* I. *cap.* VII. memoratum, quando somniavit se a Cassandro trucidandum fore. Item illud Crœsi Regis Lydiæ, cum in somnis sibi visus est filius Atys, quem in regno hæredem instituerat, hasta ferrea occidendus, prout narrat Herodotus *lib.* I. *cap.* XXXIV.

III. Ὄνειρος, per quem futura quibusdam typis seu figuris declarabantur; unde appellatus Ἀλληγορικός; nam allegoria (prout illam definit Heraclides Ponticus *de Alleg. Hom.*) est figura rhetorica, per quam una res exprimitur, & alia significatur. Ejusmodi erat somnium Hecubæ, quando somniavit se concepisse torrem; ut & illud Cæsaris, quo in quiete visus est concumbere matri; per quod intelligebatur illum potiturum imperio Terræ, omnium animantium communis parentis. Hinc nomen acceperunt, qui somnia interpretari profitebantur; quippe nuncupati ὀνειροκρίται, ὀνειράτων ὑποκριταὶ, a dijudicandis somniis; ὀνειροσκόποι, a rimandis & inspiciendis illis; & ὀνειροπόλοι, quia circa ea versabantur. Ad unam ex tribus illis speciebus referri possunt omnia prophetica somnia; sed illorum nomina non semper accurate ac secundum criticæ leges distinguuntur.

Primus inventor omnium somniorum, ut & aliarum vaticinationum, fuit Jupiter, sicut jam innuimus:

—— καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν,
—— *etenim somnium quoque a Jove est*,

inquit Homerus *Iliad. ά. vers.* 63. Hoc autem non est intelligendum, ac si a Jove immediate procedere somnia existimarentur: infra suam dignitatem ac majestatem putabat hujusmodi tenuia officia facere, ideoque inferiora Numina in his similibusve ministeriis occupabantur.

Quamobrem prætermissis Deorum ac Dæmonum per somnos visionibus in singulis occasionibus, (cujusmodi illa Patrocli Manium Achilli

A ostensa, cupientis ut corpus suum inhumaretur) Tellus somnia concitare credebatur, teste Euripide in *Hecuba vers.* 70.

—— ὦ πότνια Χθὼν,
Μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων.
—— *o veneranda Terra*,
Nigras alas habentium mater somniorum.

Ubi Scholiastes hanc reddit rationem, nimirum: Quod terra impediente meatus radiorum solis fiat nox, per quam homines dormientes somnia vident, & ob hanc causam tribuuntur Telluri tanquam eorum matri; aut secundum alios, quia ex
B terra provenit cibus, ex cibo somnus, (cum somnus nihil aliud sit quam obstructio sensuum externorum, quam pariunt humidi vapores ab stomacho in cerebrum adscendentes, ibique sistentes motum spirituum animalium, quorum ope sensationes cæteræque omnes operationes animales fiunt) & ex somno somnia; sed hæc potius habentur fraudes ac præstigiæ, quemadmodum observavit Eustathius *Comment. in ιθ'. Hom. Odyss.* sub finem: aitque Poetam de hujuscemodi loqui, cum statuit somnia juxta Oceanum habitare, humidi elementi vastissimum receptaculum, *Odyss. ώ. v.* 11.

C
Πὰρ δ' ἴσαν Ὠκεανοῦ τε ῥοὰς, καὶ Λευκάδα πέτραν,
Ἠδὲ παρ' ἠελίοιο πύλας, καὶ δῆμον ὀνείρων.
Ibant autem ad Oceani fluxus, & Leucadem petram,
Et ad solis januas, & populum somniorum.

Nonnulla Manibus attribuebantur, ut cecinit Virgilius *Æneid. lib.* VI. *vers.* 897.

Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes.

Id ipsum quoque testatur Sophocles in *Electra v.* 480. quando inducit Electram dicentem, quod Agamemnon, in gratiam Orestis, diris somniis Clytæmnestram infestaret:

D
Οἶμαι μὲν οὖν, οἶμαί τι κἀκείνῳ μέλον,
Πέμψαι τάδ' αὐτῇ δυσπρόσοπτ' ὀνείρατα.
Arbitror enim ipsum cura istarum rerum
Misisse ei (matri) *hæc tristia somnia.*

Alia adscribebatur Hecate ac Lunæ, noctis Deabus, pro una eademque interdum acceptis, quæ vim peculiarem in omnia, quæ per noctem eveniebant, habere iisque præesse existimabantur, ideoque in incantamentis aliisque nocturnis mysteriis invocatæ, ut infra ostendam.

Verum potissima eorumdem causa erat Deus
E Somnus, cujus sedes (prout describit Ovidius *Metam. lib.* XI. *fab.* X.) posita apud Cimmerios in antro summe obscuro ac via quæ eo ducebat; ipsum circumstabant examina somniorum omnis generis ac magnitudinis, quæ emittebat quando & quo libebat; Virgilius autem somniis vanis ac fallacibus alium locum tribuit, nimirum in ulmo ad fauces Orci plantata *Æneid. lib.* VI. *vers.* 282.

In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens; quam sedem somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.

F Forsitan Poeta putavit eorum nonnulla ibi loci mansisse, cæteraque Deum Somnum stipasse. Ovidius tradit ipsi fuisse tres comites reliquis solertiores, qui multis modis se transformare ac varias figuras sumere poterant, quorumque nomina hæc erant, Morpheus, Phobetor seu Icelos, & Phantasus; primi officium erat simulare figuram hominis, secundi assimilare bruta, ultimique res inanimas; ut apparet ex his carminibus *Metam. lib.* XI. *fab.* X.

Excitat artificem simulatoremque figuræ
Morphea; non illo jussus solertior alter
Exprimit incessus, vultumque, sonumque loquendi;
Adjicit & vestes & consuetissima cuique
Verba, sed hic solos homines imitatur. At alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens,
Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Est etiam diversæ tertius artis
Phantasos; ille in humum, saxumque, undamque, trabemque,
Quæque vacant anima fœliciter omnia transit.

Apud Virgilium Deus Somnus ab cœlo super Palinurum delabitur; quod non accipiendum est, quasi cœlum foret propria sua sedes, sed quod hinc missus esset a quibusdam Diis cœlestibus, a quibus huc accersitus fuerat: aut alioquin existimandus est per cœlum sive aerem circumcursare, ad somnia inter homines pro lubitu spargenda. En Poetæ verba *Æneid. lib.* v. *vers.* 838.

—— levis æthereis delapsus Somnus ab astris
Aera dimovit tenebrosum, & dispulit umbras;
Te, Palinure, petens, tibi tristia somnia portans.

Porro aliud erat Numen, cui cura somniorum demandata, appellatum Brizo, a veteri verbo Græco βρίζω, quod interpretatur *dormio*. Cœlius Rhodiginus *Antiq. Lect. lib.* XXVII. *cap.* X. asserit, illam in insula Delo cultam fuisse, cymbasque omnigenis rebus, quæ ipsi offerebantur, præter pisces, plenas habuisse. Verum credebatur potius interesse interpretationi somniorum, quam ea excitare; ideoque ab Hesychio dicta Βριζόμαντις. Id hausit Cœlius ex Athenæi *Deipnosoph. lib.* VIII. qui præterea addit, quod consueverant eam precari pro salute & incolumitate publica, maxime vero ut naves suas tutari atque servare dignaretur.

Denique credebant accipitres mortuos somnia mittere, quemadmodum ex Æliano discimus, *de Animal. lib.* XI. *cap.* XXXIX. Τὸν ἱέρακα βίου ἀπελθόντα καὶ μαντεύεσθαι, καὶ ὀνείρατα ἐπιπέμπειν, ἀποδυσάμενον τὸ σῶμα, καὶ ψυχὴ γεγενημένον γυμνή. *Accipitrem mortuum futura ostendere, & somnia immittere, postquam exuerit corpus, & nuda anima fuerit.*

Postquam egerimus de illis, qui somnia concitare crediti, pauca hoc loco dicenda sunt de modo, quo utplurimum contingere existimabantur. Duplex ille erat, unus ad somnia falsa spectans, quæ per portam eburneam transibant, & alter ad vera, quæ exibant porta cornea. Duarum istarum portarum descriptiones ubique tam apud Græcos quam Latinos Poetas reperire licet, quibus omnibus prætermissis, unam solummodo in utraque lingua in medium proferam; tum ex Homero *Odyss.* τ'. *vers.* 562. ubi de somniis differens inquit:

Τῶν οἳ μέν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος,
Οἵ ῥ' ἐλεφαίρονται, ἔπε' ἀκράαντα φέροντες·
Οἳ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων ἔλθωσι θύραζε,
Οἵ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι, βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδηται.

Horum qui quidem egressi fuerint per sectum ebur,
Spe frustrantur verba imperfecta portantes.
Qui autem per polita cornua iverint foras,
Vera perficiunt, hominum quando quis videt.

Tum ex Virgilio *Æneid. lib.* VI. *vers.* 893. qui hanc sequitur:

Sunt geminæ Somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus Umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes.

Philostratus ad illas portas alludens dicit, somnia repræsentari solita cum veste alba, quemdam coloris nigri circumvoluta, præ manibus cornu gestantem. Et Eustathius *ad locum Homeri mox adductum* diversas hac de re conjecturas affert, quarum pleræque adeo ineptæ ac nugatoriæ, ut eas tantum memorare operam ludere esset; qui autem plura desiderat, si vacat, ipsum Scholiastem adire potest.

Tempus, quo vera somnia expectabantur, erat νυκτὸς ἀμολγὸς, ideoque Homerus tradit, Penelopen, viso auspicato somnio de filio Telemacho, qui sollicite quærebat patrem Ulyssem, magis lætatam fuisse, quia tunc temporis ostensum est sibi *Odyss.* δ'. ad finem:

—— ἡ δ' ἐξ ὕπνου ἀνόρουσε
Κούρη Ἰκαρίοιο, φίλον δέ οἱ ἦτορ ἰάνθη,
Ὥς οἱ ἐναργὲς ὄνειρον ἐπέσσυτο νυκτὸς ἀμολγῷ.

—— ipsa vero ex somno excitata est
Filia Icarii, amicum autem illi pectus refloruit,
Quando ipsi evidens somnium apparuisset nocte liquida.

Quodnam tempus fuerit, non convenit inter Grammaticos; nonnulli illam vocem deducunt (ait Eustathius) ex particula privandi α & verbo μολέω, *ambulo*, aut μογέω, *laboro*, quasi esset ἄμολος vel ἄμογος, & per epenthesim ἀμολγὸς, tanquam denotaret *concubiam noctem*, per quam homines nec operantur nec obambulant. Alii putant ea significari posse *mediam* aut *profundam noctem*, sed aliam ob causam; quippe ἀμολγὸς secundum illos idem est ac πυκνὸς, *densus* vel *compactus*; & Hesiodus istud vocabulum hoc sensu usurpavit, quando ait *Oper. & Dieb. vers.* 588.

Μάζα τ' ἀμολγαίη. ——
Libumque lacteum. ——

Quod est, juxta Athenæi interpretationem, ποιμενικὴ ἀμμιαία, spissa placenta, qualis in cibum pastorum & aratorum. Alii admittunt eumdem significatum, sed tertiam ob rationem, nimirum, ἀμολγὸς apud Achæos, secundum Glossographos, idem est ac ἀκμὴ, quod denotat *medium* vel *summum* alicujus rei, ut ἀκμὴ θέρους, tempus illud æstatis, quo calores sunt fervidi, solstitium æstivum; hominesque dicuntur esse ἐν ἀκμῇ, quando ætate & viribus valent; quapropter ἀμολγὸς, vel ἀκμὴ νυκτὸς, debet esse *profunda* aut *media nox*. Verum ista interpretatio nihil ad rem nostram; nullibi enim legimus, somnia aliquanto majorem auctoritatem habuisse, quando nocte concubia contingebant. Itaque ἀμολγὸς in alium sensum usurpabatur, scil. pro tempore, quo pecora mulgere consueverant, deduciturque a verbo ἀμέλγω, *mulgeo*; tumque ἀμολγὸς νυκτὸς significabit *matutinum mulgendi tempus*, contraoppositum ἡμέρας ἀμολγῷ, seu *vespertino mulgendi tempori*: quod autem hoc sensu acciperetur, patet ex Homeri *Iliad.* χ'. *vers.* 26. ubi ait caniculam (quæ oritur paulo ante solem) lucere ἐν νυκτὸς ἀμολγῷ. En ipsius verba:

Παμφαίνονθ' ὥς τ' ἀστέρ' ἐπεσσύμενον πεδίοιο,
Ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν· ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ
Φαίνονται πολλοῖσι μετ' ἄστρασι νυκτὸς ἀμολγῷ,
Ὅν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσι.
Collucentem tanquam stellam ruentem per campum,
Quæ nempe autumno oritur: per illustres autem ejus radii
Lucent multa inter astra nocte intempesta,
Quam canem Orionis vulgo vocant.

Somnia vero hoc tempore potissimum accidisse, Horatius *lib.* I. *sat.* X. non sinit nos dubitare:

Ast ego quum Græcos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, quum somnia vera.

Ovidius quoque idem sentiebat, sic canens:

Namque sub auroram jam dormitante lucerna,
Tempore quo cerni somnia vera solent.

His accinit Theocritus *Europa* seu *Idyll.* XIX. init.

—— ἐγγύθι δ' ἠώς,
Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.
—— *& prope* (erat) *aurora,*
Cum & veracium pascitur turba somniorum.

Istius sententiæ ratio hæc erat, nimir. Existimabant cibos in stomacho residuos probe concoctos hoc tempore fuisse; nam eousque somnia a vaporibus proximæ cœnæ potius quam ab ulla causa supernaturali excitari credebantur; ideoque Plinius asserit somnium nunquam esse verum post cibum aut potum; & Artemidorus paulo longius progreditur, quum ait non multam fidem adhibendam esse somnio matutino, si nocte proxime præterita plus nimio comederis; quoniam non verisimile fit omnes cruditates tunc egestas esse.

Eapropter qui somnium præsagum cernere volebant, peculiarem diætam servare soliti erant, ita ut nihil concoctu difficile manducarent, cujusmodi fabas, aut crudos fructus. Nonnulli ad fumos tuto cavendos ac stomacho vacuo dormiendum eo superstitionis deveniebant, ut per unum diem a cibo & per tres a vino abstinerent. Pisces, cum cito aut facile non digerantur, somnia vera impedire verisimiliter credebantur; hincque colligi posse videntur, cur tot & tanti in honorem Deæ Brizo sacrificarentur; quæ enim Diis gratissima, aut quæ ipsi multum abhorrebant, offerri consueverant; ista, quoniam ipsis maxime placere existimabantur; hæc vero, quia plurimum aversabantur, ideoque iis ad ipsorum aras adolendis & consumendis minime delectari creditum. Plutarch. in *Tract. de audiendis Poetis* observat, polypodis caput nocere iis, qui somnia prophetica exoptabant:

Πουλύποδος κεφαλῇ ἐν μὲν κακὸν, ἐν δὲ καὶ ἐσθλόν.
Polypodis capiti perbibent bonum inesse malumque.

Propterea quod gustui suave ac gratum est, sed homines inter dormiendum perturbat ac inquietos reddit, tumultuosa & dira somnia excitans; idcirco huic Poesim assimilat, quoniam plurima æque utilia ac jucunda iis, qui bene utuntur, complectitur; qui vero male utuntur, valde damnosa, ipsorum cerebro varias inanes, si non impias, ideas atque opiniones ingerens. Summatim vitanda sunt, quæcumque stomachum gravare, sanguinem fermentare, spiritus nimio vehementer movere, vanas & insolitas cogitationes patere, hominum quietem turbare, aut liberas & ordinarias mentis operationes ullo modo impedire valent; ita ut in mentem ac phantasiam defæcatas, & ab omni insolita externaque impressione liberas, facilius irrepant inspirationes divinæ. Sic quorumdam colorum vestes adhibebantur, quippe Suidas memoriæ prodidit, maxime conveniens fuisse si dormirent candida veste tecti, quasi ad clariora reddenda somnia & visiones conferret.

Porro (ut nihil dicam de illis, qui ab Amphiarao aliisve Numinibus expectabant somnia per sortes, quæ superius adduxi) antequam irent cubitum, Mercurio sacra facere solebant; ita Calasiris apud Heliodorum, precatus omnes cæteros Deos, Mercurium supplex orat, ut ipsi largiatur εὐόνειρον νύκτα, hoc est, *noctem bonorum somniorum.* Jam sciendum est, Mercurium creditum fuisse ὕπνου δοτῆρα, *somni largitorem*, teste Eustathio; ideoque illius imaginem insculpebant lecti fulcris, ob hanc rationem nuncupatis ἑρμῖσι, quam vocem adhibet Homerus *Odyss.* θ'. *vers.* 278. ubi asserit Vulcanum cancellis inclusisse Martem cum Venere in lecto cubantem:

Ἀμφὶ δ' ἄρ' ἑρμῖσιν χέε δέσματα κύκλῳ ἁπάντῃ.
Circumfudit e lecti fulcris vincula circulo undique.

Iterum in *Odyss.* ψ'. *vers.* 198. idem vocabulum exstat:

—— καὶ ἐπὶ στάθμην ἴθυνα
Ἑρμῖν' ἀσκήσας. ——
—— *& ad amussim direxi*
Lecti fulcro elaborato. ——

Alii contendunt ἑρμῖς derivari ab ἕρμα, id est, *fulcrum* aut *sustentaculum*, quippe lectus eo fulciebatur ac substinebatur. Quomodocumque se res habeat, certum est Mercurium peculiariter præfuisse somno, somniis, nocti quoque, una cum omnibus quæ ad illam spectant; sic enim indicavit Homerus *Hymno in hunc Deum vers.* 14. ubi illum vocat:

Ληϊστῆρ', ἐλατῆρα βοῶν, ἡγήτορ' ὀνείρων,
Νυκτὸς ὀπωπητῆρα, πυληδόκον. ——
Prædonem, abactorem boum, ducem somniorum,
Noctis spectatorem, janitorem. ——

Istis omnibus ita dispositis, lectum petebant, inflati spe cognoscendi ante diluculum quæcumque expetebant, aut de quibus solliciti erant: si vero quod ipsis eventurum foret, verbis obscuris seu allegoricis enunciatum esset, ita ut ipsimet sensum expiscari nequirent, extemplo consulendus interpres. Eorum primus (ut tradit Plin. *Nat. Hist. lib.* VII. *cap.* V.) fuit Amphictyon Deucalionis filius: Pausanias (prout antea dictum est) contendit fuisse Amphiaraum, qui ob inventam hujusmodi artem sacris honoribus decoratus est; verum quisquis fuerit ejus inventor, constat fuisse in magna auctoritate ac fama apud Græcos, ut patet ex numero Librorum de illa arte conscriptorum; nam Geminus Pyrius tres, Artemon Milesius viginti duo composuit, præter Panyasim Halicarnassensem, Alexandrum Mindium, Phœbum Antiochenum, Demetrium Phalereum, Nicostratum Ephesium, Antiphontem Atheniensem, aliosque, quorum scripta adhuc exstant, quales Artemidorus, Astrampsychus, Philo Judæus, Achines filius Scyrimi, Nicephorus, &c. Sed nihilosecius hæc nunquam in tanto honore ac pretio fuit, quanto aliæ divinationum species; ob multa falsa & inania somnia, quæ singulis hominibus accidunt, reliqua omnia in suspicionem adducuntur; & quæ nil nisi præstigiæ erant, in dubium vocabant quæ vere διόπεμπτοι seu *prophetica*; ideoque Heros apud Homerum *Iliad* α'. *vers.* 62. admonens Græcos ut a quodam propheta sciscitentur, qua ratione iram Deorum placare valerent, audacter ac proterve loquitur de μάντει, seu *vate numine afflato*, & de ἱερεῖ, seu *haruspice*; (ibi enim sic interpretanda vox ἱερεὺς) sed quando venit ad ὀνειροπόλιν, vel *somniorum interpretem*, quadam verborum suorum defensione uti coactus est, hunc in modum:

Ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα.
Ἢ καὶ ὀνειροπόλον, (καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.)
Sed age jam aliquem vatem consulamus, aut sacerdotem,
Vel & somniorum interpretem, (etenim somnium a Jove est.)

Hac ratione occurrit difficultati, quam sibi fieri posse videbat, nimir. Cur autem illum consuleremus, qui in vanis & fallacibus præstigiis explicandis solummodo occupatur? Cur sic dicto deceptori vaferrimo universi exercitus salutem commendaremus? Ad hoc respondet: Revera dari innumera falsa & mendacia somnia, sed omnia sic se habere inde concludendum neutiquam esse; nam licet quamplurimæ fiant præstigiæ, tamen nonnulla somnia vera existunt, prodeuntque a Iove auctore communi omnium vaticinationum, & idcirco ei fidere possumus. Poetæ verba sic commentatur Eustathius. Posterioribus temporibus somnia parvi habita sunt, præterquam a vetulis delirantibus, quæ in illis observandis valde superstitiosæ erant, quemadmodum indicat Propert. *lib.* II. *eleg.* III.

Quæ mea non decies somnia versat anus.

Multis post sæculis populi Gaditani & Borysthenidæ, incolæ quoque Telmissi & Hyblæ Gereatidis civitatis sub potestate Cataneorum in Sicilia, fuerunt inclyti ac peritissimi illa arte, quam invenisse a nonnullis perhibentur. Sic enim Clemens Alexandrinus *Strom.* I. *pag.* 306. loquitur: Ισαυροι δὲ καὶ Αραβες ἐξεπόνησαν τὴν οἰωνιστικὴν, ὥσπερ Τελμισσεῖς τὴν διὰ ὀνείρων μαντικήν. *Isauri autem & Arabes exercuerunt artem augurandi, quemadmodum Telmissenses artem divinandi per somnia.* Singula indicia, quibus divinare credebant, hoc loco recensere permolestum foret; si cui tamen tantum otii sit, aut usque adeo insanire velit, ut delectetur hujusmodi insulsis ac ridiculis nugis legendis, Artemidorum adire potest.

Si somnia aliquid diri horrendique continerent, quibusdam Diis terrores suos aperire consueverant, thus aliaque dona offerentes, atque orantes, ut si quid boni ominis esset, ratum haberetur; sin contra, ut Dii, quidquid mali ex iis portenderetur, avertere dignarentur. Cuidam singulari Numini non enarrabantur somnia; nonnulli enim Mercurio, alii Jovi illa detegebant, ut nonnemo facit apud Plautum; utcumque sit, quoniam Penates proxime aderant, domosque, in quibus culti, præcipue curare credebantur, idcirco somnia ipsis, ac præsertim Vestæ, declarare moris erat, quemadmodum discere est ex Propertio *lib.* II. *eleg.* XXII.

Vadit & hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Quæ sibi, quæque mihi non nocitura forent.

Apollini quoque peculiariter ac jure merito tribuebatur iste cultus, nomine ἐξακεστηρίε, ἀποτροπαίε, seu *averrunci*, ita cognominari ab avveruncandis malis, & προστατηρίε, quia ædium præses eas tutabatur, ideoque (prout nos docet vetus Sophoclis Scholiastes) ipsius simulacra in vestibulis exstabant. Hinc Clytæmnestra, viso diro somnio, ancillam sic alloquitur apud Sophocl. *Electra vers.* 635.

ΚΛ. Επαιρε δὴ σὺ θύμαθ᾽ ἡ παροῦσά μοι
Πάγκαρπ᾽, ἄνακτι τῷδ᾽ ὅπως λυτηρίοις
Εὐχὰς ἀνάσχω δειμάτων ἃ νῦν ἔχω.
CL. *Tu* ancilla, *quæ ades, aufer incensa*
Ex variis frugibus, ut regi Phœbo *preces,*
Quæ me bis terroribus liberent, effundam.

Tumque precationem inchoat *ibid. vers.* 639.

Κλύοις ἂν ἤδη, Φοῖβε προστατήριε,
Κεκρυμμένην μου βάξιν.
Αλλ᾽ ὧδ᾽ ἄκουε· τῇδε γὰρ κἀγὼ φράσω.
Α γὰρ προσεῖδον νυκτὶ τῇδε φάσματα
Διοσῶν ὀνείρων, ταῦτά μοι, Λύκει᾽ ἄναξ,
Εἰ μὲν πέφηνεν ἐσθλὰ, δὸς τελεσφόρα.
Εἰ δ᾽ ἐχθρὰ, τοῖς ἐχθροῖσιν ἔμπαλιν μέθες.
Audi nunc Apollo, qui in foribus sedem habes,
Occultam hanc meam precationem. ——
Verum sic audi, quemadmodum & ego dicam.
Nam quæ hac nocte spectra vidi
Geminorum somniorum, hæc mihi, Lycie rex,
Si quidem fausta sunt, ac ut rata eveniant:
Sin autem adversa, ad inimicos meos *illa transmitte.*

Verum Soli metum antea patefacerat; Chrysothemis enim Electræ dicit, se hac ratione somnium ipsius intellexisse, edoctam a quodam, qui verba ejus audierat, *ibid. vers.* 435.

Τοιαῦτά του παρόντος, ἡνίχ᾽ ἡλίῳ
Δείκνυσι τοὔναρ, ἔκλυον ἐξηγουμένου.
Hoc mihi quidam, qui tunc audivit, cum ipsa soli
Narravit somnium, indicavit.

Ambo Scholiastæ *in hunc locum* tradunt, hæc facta fuisse secundum antiquam consuetudinem renunciandi somnia Soli; horumque istam rationem profert Triclinius, nimir. Quod, cum Sol noctis contrarium sit, omnia mala ab illa prodeuntia avertere ac propulsare valet. Eumdem morem usurpat Iphigenia, cum ista tamen differentia, quod Cœlo mentem suam revelat, cum Clytemnestra Soli tantum; en Iphigeniæ verba apud Euripidem *Iphig. Taur. vers.* 42.

Α καινὰ δ᾽ ἥκει νὺξ φέρουσα φάσματα,
Λέξω πρὸς αἰθέρ᾽, εἴ τι δὴ τόδ᾽ ἔστ᾽ ἄκος.
Jam vero quæ nox præsens attulit recentia visa,
Dicam ad aerem: si quod hoc est remedium.

Quando hoc agebant, dicebatur ἀποπέμπεσθαι, ἀποδιαπομπεῖσθαι, & ἀποτρέπεσθαι ἐνυπνίον ὄψιν, seu ἀποτροπιάζεσθαι τῷ ἡλίῳ, &c.

Antequam autem Deorum aras accedere ipsis permitteretur, ab omnibus nocturnis inquinamentis se purgare tenebantur; propterea quidam sic loquitur apud Æschylum in *Persis vers.* 201. *Edit. Lond. pag.* 238.

Επεὶ δ᾽ ἀνέστην, καὶ χεροῖν καλλιῤῥόου
Εψαυσα πηγῆς, σὺν θυηπόλῳ χερὶ
Βωμῷ προσέστην, ἀποτροπαίοις Δαίμοσι
Θέλουσα θῦσαι πέλανον. ——
Postquam vero surrexi, & manibus pulchrifluum
Tetigi fontem, sacrifica manu
Altari adstiti, averruncis Diis
Oblatura libum. ——

Simili ritu Æneas apud Virgilium se lustrat, aqua manibus e flumine sublata, idque ad orientem solem conversus, *Æneid. lib.* VIII. *vers.* 67.

—— *nox Æneam somnusque reliquit:*
Surgit, & ætherii spectans orientia solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effudit ad æthera voces.

Verum alii operosiori lustratione utebantur, & totum corpus flumine purgabant: quod e Silio discimus *lib.* VIII.

—— *sub lucem ut visa secundent*
Oro cœlicolas, & vivo purgor in amne.

Nefas enim erat Deos unquam venerari, donec aqua purgati essent, (ut antea dictum) imo hoc tempore potissimum exigebatur. Præterea Persius *Sat.* II. *vers.* 15. addit, Romanos, antequam preces matutinas funderent, in aqua caput quinquies immergere solitos fuisse:

Hæc ſanctè ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque,& noctem flumine purgas.

CAP. XIV.

De Divinatione per ſacrificia.

Ἱερομαντεία aut Ἱεροσκοπία, id eſt, *Divinatio per ſacrificia*, in diverſa genera juxta diverſam ſacrificiorum materiam diſtinguitur. Divinare enim ſolebant primo per ſigna in partibus exterioribus & victimæ motibus obſervata; deinde per viſcera, per flammam qua abſumebatur, per placentas & ſimilaginem, per vinum & aquam, & per plura alia ſimilia, de quibus ſuo loco.

Primo ars θυτικὴ dicitur, qua omnia in hoſtia mactanda aut diſsecanda dignoſcebantur. Si hoſtia vel ad aram vi adducta fuiſset, vel dum eo iret aufugiſset, vel ictui lethifero ſe ſubduxiſset, vel renitens & tumultuans procubuiſset, vel calcitraſſet, ſubſiliiſset, mugiiſset, ſanguinem ultro non emiſiſset, diu cum morte reluctata fuiſset, intenſioris ſolito doloris indicia edidiſset, humum capite collidiſset, in motu convulſivo occubuiſset, aut quid aliud præter morem pecorum mactatorum accidiſset, pro inauſpicatis omnibus & iræ divinæ indubiis portentis habebantur. Omen omnium fere peſſimum erat, ſi victima ſponte moreretur: unde quum Pyrrhus Epirota cum aliis duobus Regibus fœdus initurus eſset, haruſpex Theodotus eum jurare vetuit, unique e tribus Regibus mortem denunciavit, quod ex tribus victimis, quæ ad aram adductæ erant, una mortua ante ictum concidiſſet. Vid. Plutarch. in *Pyrrho*. Econtra, Dii propitii & pietatis officia iis perſoluta in bonam partem accipere credebantur, ſi omnia expedite perficerentur, ſi victima ad cædem ultro, non coacte, acceſſiſset, ictum tranquille excepiſset, placide collapſa fuiſset, ejus ſanguis liberior & abundantior erupiſset, & ſine gemitu exſpiraſset. Nempe propitios fore Deos expectabant, ſi victima ſponte ſe traderet eorum in honorem mactandam. Unde fœliciſſimum ſignum eſt, quod apud Senecam habemus in *Herc. Fur.*

Stat ecce ad aras hoſtia, expectat manum
Cervice prona. ——

Atque hinc aqua in ejus aurem ſæpe injiciebatur, ut quodam capitis motu ſe immolandam eſse annueret. Myrrilus *lib.* I. *Lesbicorum*: Οἱ μὲν ἱερεῖς τὸ ὕδωρ εἰώθασιν ἐμβαλεῖν εἰς τὸ οὖς τοῦ ἱερείου, ὡς ἐπινεύῃ ταῖς τελεταῖς. *Sacerdotes aquam in aurem victimæ injicere ſolebant, ut ſacris annueret.* Imo in ipſa caudæ agitatione quid ominoſi obſervare ſolebant; quod patet ex hoc Poetæ verſiculo:

—— κέρκος ποιεῖ καλῶς.
—— *cauda bene ſe habet.*

Quem in finem videntur cultrum a fronte ad caudam victimæ duxiſse. Sed etiam cauda victimæ in ignem injectæ ſi motu flammæ incurvaretur, moleſtias & difficultates affuturas prænotabat: ſi penitus concideret & demiſsa verſus terram penderet, cladem & infortunium: ſin in altum erigeretur, victoriæ & fœlicitatis omnem erat. Euripidis Scholiaſtes in *Phœniſſ.* Ἡ οὐρὰ τοῦ ἱερείου καμπτομένη ὑπὸ τοῦ πυρὸς, σημαίνει δυσχέρειαν· ἁπλωμένη δὲ ἐς κάτω νεύουσα, ἧτταν· ἀνατεταμένη δὲ εἰς ὕψος, νίκην.

Deinde hoſtiæ diſsectæ viſcera obſervabantur; ea Græce ἔμπυρα dicta ſunt ab *igne*, quo victima immolabatur, & hæc divinatio δι' ἐμπύρων μαντεία, unde τὰ ἔμπυρα σήματα apud Platonem dicuntur

A ea ſigna, quæ ex hoſtiis igne calentibus capiebantur. Hæc autem divinatio aut originem habuiſſe, aut perfectionem aliquam ex morte Delphicæ Sibyllæ fingitur, quod ejus corpus in pulverem & poſtea in herbas mutatum, beſtiis id guſtantibus aliquam futurorum præſenſionem indiderit: ſicuti partes, quæ in aerem receſſere, vocibus ominatis futura prædicebant. Fabula eſt apud Clementem Alexandrinum *Strom.* I. *pag.* 304. ſed a fabulis ad mores & ritus redeo. Itaque ſi in extis integra & ſana, locum, colorem, & juſtam analogiam obtinentia deprehenderentur omnia, res proſpere ſe habebant: ſin vero dilapſa fuiſſent, aut deeſſent,
B aut incompoſita, aut quid in illis naturæ legibus adverſaretur, aliquid mali portendebatur. Unicum hujus rei exemplum e Senecæ *Oedipo* deſcribam *verſ.* 367.

Mutatus ordo eſt, ſede nil propria jacet:
Sed acta retro cuncta. Non animæ capax
In parte dextra pulmo ſanguineus jacet:
Non læva cordis regio. ——

Etiam ſi valde palpitarent & tremerent exta, malum erat omen. *Ibidem verſ.* 353.

—— *non levi motu, ut ſolent,*
Agitata trepidant exta, ſed totas manus
C *Quatiunt.* ——

Eodem in *loco* alia triſtia ſigna multis verſibus enumerata reperies.

Ex omnibus partibus hepar primo & præſertim inſpicebatur, atque id divinationum quaſi *tripodem*, hoc eſt, principem, appellant Veteres: Ἐν ἥπατι φασὶ τὸν τῆς αὐτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα οἱ δεινοὶ ταῦτα, inquit Philoſtratus in *Apollonio lib.* VIII. Quod corruptum foret, ſanguinem, imo integrum corpus, pariter ſe habere inde colligebant; qua de cauſa ibi ſubſiſtebant, cæteris partibus neglectis, cujuſmodi omnia dicta ſunt ἀκέλευθα, quia ne ulterius inquirerent impediebant. Heſychius: Ἀκέλευθα, ἐν θυ-
D τικῇ σημεῖον, ὅταν μὴ ᾖ κέλευθος. Quæ vox aliis etiam membris, quæ diro aliquo omine ulteriorem progreſſum impediunt, applicanda eſt. Jecoris inſpectio dicitur Ἡπατοσκοπία, quæ deinde pro haruſpicina in genere ſumpta eſt, eo quod hepar viſcerum præcipuum exiſtimabatur. Si jecur nitido & nativo colore ruberet, ſi ſanum, omni macula & nævo carens, ſi lobi patuli, ſi bini, ſi ad interiora reſpicerent, omnia proſpera & fœlicia ſibi promittebant. Vice verſa, pericula, infortunia, & ærumnæ portendebantur, ſi in jecore foret δίψας, (prout vocari ſolet) hoc eſt, *nimia ariditas*, vel ſi
E δεσμὸς, aut *vinculum*, quo partes ſibi invicem junguntur, id eſt, ſi *continuum*, præſertim ſi ἄλοβος, *lobis careret*, vel ſi omnino defeciſſet ipſum jecur; nam extremitas jecoris, ſicut aliarum rerum, λοβὸς dicitur: Pythagoras aruſpex Alexandro mortem prænunciavit, ὅτι ἄλοβον αὐτῷ τὸ ἧπαρ ἦν ἱερείου. Uti etiam Hephæſtionis obitus eodem omine ſignificatus fuiſſe dicitur. Vid. Arrianus *lib.* VII. Præterea, ſi puſtuloſum, ulceroſum, corrugatum, emaciatum, durum fuiſſet jecur, triſtem nigrumque colorem contraxiſſet, ſi ſanie & putridis humoribus vitiatum, aut e loco ſuo dejectum; tandem, ſi dum elixaretur inter cætera viſcera non manifeſto con-
F ſpiceretur, ſi fœtido tabo corruptum, ſi plus ſolito molle, & ut ita dicam, in gelatam coagulatum videretur. Concava hepatis pars dicebatur ἑστιὰς, id eſt, *familiaris*, qua per illam de ſe & ſuis conjicere ſolebant conſultores; gibboſa vero & exterior ἐπιβολὴς aut ἀντιστάτιος vocabatur, quia ad hoſtes ſpectabat: ſi utravis ſuperficies rugoſa, corrupta, aut ægra fuiſſet, exitium minari credebatur; ſin vero patula, ſana, & ſolito craſſior, pro auſpicato omine accipiebatur. Seneca ad hunc morem

A

allusit *Tragœdia* modo *laudata vers.* 360. ubi Manto jecoris capita describit:

Et capita paribus bina consurgunt toris,
Sed utrumque cæsum tenuis abscondit caput
Membrana, latebram rebus occultis negans
Hostile valido robore insurgit latus,
Septemque venas tendit. ——

Illa divinatione utebantur Romani; victoriam enim, quam Julius Cæsar in Pompejum adeptus est, per inspectionem jecoris prædictam fuisse tradit Lucanus his *versibus*:

B

Quodque nefas nullis impune apparuit extis,
Ecce vidit capiti fibrarum increscere molem,
Alterius capitis pars ægra & marcida pendet,
Pars micat, & celeri venas movet improba pulsu.

Locus, qui integrum hepar capit, dicebatur δέξις & δοχή. Medium spatium, quod inter lobos interjacet, πυλαία & εὐρυχορία a pluribus nuncupatum. Interpres Demosthenis *in Orat. de Corona*, πυλαία, ἡ μέση τοῦ ἥπατος εὐρυχωρία. Ὁδοὶ autem ἐκτροπαὶ ab Hesychio, πύλαι ab Euripide in *Electra vers.* 828. vocatur:

C

—— πύλαι δὲ καὶ δοχαὶ χολῆς πέλας
Κακὰς ἔφαινον τῷ σκοποῦντι προσβολάς.
—— *aditus autem & cellulæ juxta bilem*
Adversos inspicienti portendebant casus.

Hæc malo erant omini, si compressa & quasi clausa apparerent: unde Dio in *Caracalla* tradit, aruspices monuisse ut sibi caveret, ὅτι αἱ τοῦ ἥπατος πύλαι κέκλεινται, *quia jecoris portæ clausæ sunt.*

Proxime sequitur cor, quod si plus solito exiguum fuisset, nimio palpitasset, subsiliisset, rugas contraxisset, adipe omnino caruisset, malam fortunam præsagiebat; si plane defuisset, lethiferum omen censebatur.

D

Cor excipiebant fel, lien, pulmones, & membranæ, quæ viscera capiunt, inspicienda. Si fel duplex, si tumidum, & membranam ambientem perrumpere videretur, acerrimas & cruentas, licet prosperas, pugnas portendebat. Si splen locum solitum occupare, si purus & sanus, si nativo colore nitens, si pustulis, callis, & rugis carens deprehensus fuisset, bonam, contraria vero omina malam fortunam præsagire credebantur: ut & viscera, si e sacrificuli manibus elapsa, si sanguine polluta, si lividis maculis interpuncta, si papulis, variis, sanie, aut salsugine corrupta, mutilata aut lacerata, si putrida & fœtida fuissent, si in iis serpentes reptassent, aut quid aliud portentosum & insolitum visum fuisset. Si pulmones lacerati forent, consilia ad aliud tempus differenda; sin vero sani & integri, omni mora & desidia excussis expedienda censebantur.

E

Per cæteras hostiæ partes futura prædici pariter solebant, præsertim si quid insolitum & præter naturæ leges in iis visum fuisset. Exempli gratia, Regis Pyrrhi eo ipso die, quo Argis occisus est, mortem ominata fuisse hostiarum capita a corpore abscissa, eo quod sanguinem, quem effuderant, elamberint, refert Plin. *Nat. Hist. l.* XI. *c.* XXXVII. Cimoni Atheniensium duci inauspicatum omen non diu ante mortem itidem obtigit: sanguis enim victimæ a sacerdote pro more mactatæ, qui humi concreverat, ab innumeris formicis collectus, in Cimonis hallucem appositus est: quod cum adstantium nullus diu percepisset, Cimoni primo animadvertenti augur annunciavit hepar hostiæ capite carere: brevi autem abhinc tempore occubuit ille insignis dux.

F

Huc reducendæ sunt plures aliæ divinandi artes per ea, quorum usus in sacrificiis obtinebat. Primo Πυρομαντεία id est, *divinatio per sacrificiorum ignem*: si enim flammæ omnes hostiæ partes simul & rapido motu correptas consumpsissent, quod ut fœliciter succederet, τὰ φρύγανα, id est, *cremia*, quæ facile accenduntur, aræ imponi solebant; iterum, si flammæ micarent, niterent, nullum strepitum aut fumum edidissent, si sub forma pyramidali sursum ascendissent, nec exstinctæ fuissent donec omnia in cineres redacta fuissent, pro bonis omnibus credita sunt. Vice versa, si ignis ægre accensus fuisset, si flammæ divisæ fuissent, nec omnes victimæ partes simul derepente pervasissent, sed serpendo & gradatim illas absumpsissent; rursus, si recta non adscendissent, sed in circulum actæ fuissent, aut dextrorsum aut sinistrorsum aut deorsum deflexissent, si a ventis, imbribus, aut alio inauspicato casu exstinctæ fuisent, si præter morem solitum crepuissent, si tenebrosæ fuisent, fumum aut scintillas emisissent, & ante hostiam consumptam restinctæ fuissent. Hæc & similia infœlicia omina & iræ divinæ indicia censebantur. Quorum nonnulla lethifera & exitiosa pronunciat senex Tiresias apud Sophoclem *Antigone vers.* 1122.

—— ἐκ δὲ θυμάτων
Ἥφαιστος οὐκ ἔλαμπεν· ἀλλ' ἐπὶ σποδῷ
Μυδῶσα κηκὶς μηρίων ἐτήκετο.
Κἄτυφε, κἀνέπτυε· καὶ μετάρσιοι
Χολαὶ διεσπείροντο, καὶ καταῤῥυεῖς
Μηροὶ καλυπτῆς ἐξέκειντο πιμελῆς.
—— *exque hostiis*
Ignis non fulgebat; sed in cinere
Humidus nidor femorum consumebatur,
Fumabat, & exspuebat; & levata
Exta dissipabantur, & corrupta
Femora jacebant extra tectum adipem.

Sed hæc signa latissime a Tiresia & Manto ejus filia describuntur apud Senecam *Oedip. vers.* 309.

TIR. *Utrumne clarus ignis & nitidus stetit,*
Rectusque purum verticem cœlo tulit,
Et summam in auras fusus explicuit comam?
An latera circa serpit incertus viæ,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
MAN. *Non una facies mobilis flammæ fuit:*
Imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curvata picto nunciat nimbos sinu;
Quis desit illi, quisve sit, dubites, color:
Cærulea fulvis mista oberravit notis,
Sanguinea rursus, ultimum in tenebras abit.
Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit, & se scindit unius sacri
Discors favilla. Genitor, horresco intuens,
Libata Bacchi dona permutat cruor,
Ambitque densus regium fumus caput,
Ipsosque circa spissior vultus sedet,
Et nube densa sordidam lucem abdidit.

Aliquando, si ex visceribus dissectis nil certi prædici posset, ex iis accensis omnia abunde eliciebat sacerdos; vesicam enim, collo lana obligato, (idcirco Sophocles μαλλοδέτους κύστεις vocat) in ignem projectam, ubi rumperetur, & quo urina prosiliret, observare solebant. Euripidis Scholiastes *Phœnissis*: Τῆς κύστεως τὸ στόμα ἐρίῳ δεσμοῦντες ἐπετίθεσαν τῷ πυρί, καὶ παρετήρουν πῶς ῥαγήσεται, καὶ ποῦ τὸν οὖρον ἀκοντίζει. Rursus per picem a tædis desumptam & in ignem conjectam divinabant, quæ si in integram flammam uno impetu exarsisset, bonum omnem credebatur. Quum de bello

aut hostili odio omnia quærebantur, *ἄκρα λαμπὰς*, id est, *summitas flammæ*, & fel (*πικροὶ γὰρ ἐχθροὶ*, hostes enim æque amari erant ac fel quod ardebat) ab iis præsertim observabantur.

Καπνομαντεία dicebatur *divinatio per sacrificiorum fumum*, in cujus versatione & diversa inflexione, si vel altius adscendisset, vel rectus vel obliquus vel in turbinem latus fuisset, si vel carnem, quæ comburebatur, vel quid aliud redoluisset, omina quærebantur. Hujus divinationis exemplum, sicut etiam *Οἰνομαντείας*, quæ postea sequitur, in *versibus* e Seneca modo *citatis* exstat.

Λιβανομαντεία est *divinandi ars per thus*, quod si ignem subito concepisset, vel fragrantiam exhalasset, fœlix omen existimabatur; sin vero ignis accendi nollet, vel fœtorem præter thuris ardentis morem emisisset, infausta omnia erant.

Οἰνομαντεία & *Ὑδρομαντεία*, artes vaticinandi per vinum libatum & per aquam lustralem, qua hostiæ lavabantur earumque nonnullæ partes coquebantur, ex illorum colore, motu, sonitu, & aliis similibus signis omina elicere soliti. Virgilius utriusque artis meminit, de Didone agens *Æneid. lib.* IV. *vers.* 453.

Vidit, thuricremis cum dona imponeret aris,
Horrendum dictu! latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscœnum se vertere vina cruorem.

Κριθομαντεία & *Ἀλφιτομαντεία*, ars divinandi per similam hordeaceam & triticeam, qua hostiæ adspergebantur.

Huc referri debet *Ἰχθυομαντεία ars divinandi per piscium exta*, cujus peritissimi traduntur Tiresias & Polydamas; ut & *Ὠοσκοπία ars divinandi per ova*, & plures aliæ similes artes fatidicæ. Sed harum divinationum & variorum in illis signorum exempla sigillatim afferre. vix operæ pretium foret, quamobrem erudito Lectori satis futurum spero, si generalia duntaxat capita hic observata esse, & paucis aliquando testimoniis illustrata reperiet.

Quis Hieromantiæ inventor fuerit, incertum est, nisi quod nonnulli illam tribuunt Prometheo, qui plerarumque artium auctor creditur. Clemens Alexandrinus Tuscis adscribit *Strom.* I. *pag.* 306. Et Tuscis Tagi cuidam honos iste tribui solet. Sic Lucanus *lib.* I.

Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages. ——

Atque ejusdem meminit Cicero *lib.* II. *de Divinat.* ubi originem ipsius & formam describit: *Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur, & sulcus esset altius impressus, exstitisse repente, & eum affatus esse qui arabat: is autem Tages, ut est in libris Hetruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senilis fuisse prudentiæ*, &c. Atque alii forte aliis extispicii inventionem adscribunt: verum ab antiquo obtinuisse illam artem certum est, & in tanta existimatione fuisse, ut ab inceptis maximi momenti & optimæ spei abstiterint homines, si haruspicina iis adversaretur; econtra periculosissima & perdifficilia quævis auserint, si per hostiarum viscera inspecta liceret. Unicum exemplum ex Plutarcho in *Vita Aristidis* afferam. Quum Mardonius Persa Græcis bellum intulisset & ad certamen ventum esset, Pausanias Lacedæmonius sacrificium, quod obtulerat, Diis minime gratum fuisse deprehendens, ut clypeis depositis quiescerent, & ejus consilio obsequiosi hostibus obsistere nollent, Spartanos suasit. Deinde secundo sacrificio oblato, (si enim ex prima victima nullum auspicatum omen affulsisset, aliam mactare solebant, donec vota consequerentur) ab equitatu hostium irruente unus Lacedæmoniorum vulneratus est, & alter Callicrates, qui totius exercitus venustissimus & expeditissimus juvenis dicebatur, sagitta confossus ait se non mori recusare, (quia pro Græcia militatum venerat suæ vitæ dispendio) sed quia morte ingloria peribat dolere: quibus auditis ab hostibus ingruentibus repellendis nihilominus abstinuerunt, Deorumque & imperatoris voluntati parentes, donec meliora affulsissent, suas acies vulneribus & morte oppeti passi sunt, imo in suo proposito ita perviçaciter perstiterunt, ut licet plures victimas frustra mactassent sacerdotes, & hostes majore impetu in illos ruerent, ne quidem pedem dimoverunt, quousque sacrificia iis favisse audirent, & haruspices certam victoriam prædixissent.

CAP. XV.

De Oscino.

HOc loco agemus de arte divinandi per aves, cujus inventio a nonnullis adscribitur Prometheo aut Melampo Amythaonis & Dorippes filio; sed Carem, a quo Caria dicta, per oscines primum vaticinatum fuisse tradit Plin. *Hist. Nat. lib.* VII. *cap.* LV. Orpheum vero per alia animalia. Econtra Pausan. in *Phocicis* asserit Parnassum, qui monti Parnasso nomen indidit, avium volatum observasse primum; at si Clementi Alexand. credimus, Phryges *πτήσεις ὀρνίθων παρεφυλάξαντο πρῶτοι*, *primi observarunt avium volatus*. Hanc autem artem plurimum profecit Calchas referente Homero *Iliad.* ά. *vers.* 69.

Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ᾽ ἄριστος.
Calchas Thestorides augurum longe optimus.

Demum ad tantam perfectionem & dignitatem pervenit illa ars, ut vix quidquam momenti susceptum bello aut pace, ulli honores collati, ulli magistratus creati fuerint, nisi auspicia favissent: imo alia vaticinia neglecta sunt, nisi iis suffulta. Lacedæmonis Rex & Senatus auguris consilio semper utebantur; ipsosque Reges illi arti studuisse refert Cœlius Rhodiginus *Antiq. Lect. lib.* VIII. *cap.* I. Quia enim aves hinc inde circumvolant, idcirco hominum privatissimas actiones observare & inspicere, necnon omnes eventus nosse credebantur; unde illud Aristophanis in *Avibus Edit. Amstelod. pag.* 546.

Οὐδεὶς οἶδε τὸν θησαυρὸν τὸν ἐμὸν, πλὴν εἴ τις ἄρ᾽ ὄρνις.
Nullus scit thesaurum meum, nisi quæpiam avis.

Simile dictum ex eodem Comico affert ejus Scholiastes *in hunc locum:*

Οὐδείς με θεωρεῖ, πλὴν ὁ περιπτάμενος ὄρνις.
Nemo me videt, præterquam circumvolans avis.

Fuit & proverbium tritum, cujus sensus eodem redit; quum enim omnium hominum cognitionem fugisse putarent, dicere solebant, *Οὐδεὶς οἶδε τί ὡμίλησα, πλὴν γε εἴ τις ὄρνις*, *Nemo novit quid fecerim, nisi forte avis quædam.* Ipsas aves reverentiam ab hominibus sibi præstitam dictitantes inducit Aristophanes *Avib. Edit. Amstelodam. pag.* 554.

Ἐσμὲν δ᾽ ὑμῖν Ἄμμων, Δελφοὶ, Δωδώνη, Φοῖβος Ἀπόλλων·
Ἐλθόντες γὰρ πρῶτον ἐπ᾽ ὄρνεις, οὕτω πρὸς ἅπαντα τρέπεσθε.
Sumus autem vobis Ammon, Delphi, Dodona, Phœbus Apollo:
Venientes enim primum ad aves, sic ad omnia vertimini.

Omina per aves elicita nuncupabantur a Græcis ὄρνιες, ὀρνεοσκοπικὰ, αἴσιμα, οἰωνοὶ, οἰωνίσματα, &c. Auſpices vero vocabantur ὀρνεοσκόποι, ὀρνιθομάντεις, ὀρνιθοσκόποι, οἰωνισαὶ, οἰωνοπόλοι, &c. Sed in poſterum illa nomina pro qualibet artificiali divinandi ſpecie promiſcue ſumpta ſunt, æque ac *auſpicium* & *augurium* apud Latinos. Atque vix ullum eſt ominis genus, quod non poſſit appellari ὄρνις. Nam, ut docet Ariſtophanis Scholiaſtes, πᾶν σύμβολον ἐκφοβητικὸν, ἢ προτρεπτικὸν, λέγεται ὄρνις. Vel etiam οἰωνὸς, nam, ut idem Grammaticus tradit, οἰωνὺς καλῦσι καὶ τὰ μὴ ὄρνεα. Vocem οἰονιστικὴ a prima origine per ο μικρὸν, id eſt, *o parvum*, ſcriptam in genere denotaſſe quidquid, δι' ὃ οἰόμεθα τὰ μέλλοντα, *per quod futura prædicimus*, cenſet Plato: ſed nunc (inquit Ariſtides) ſcribitur per ω μέγα, hoc eſt, *o magnum*, τὸ ω σεμνυνόντες, *ad majorem nominis decorem*.

Græci Augures non purpura & coccino, (prout Romani ſolebant) ſed albo induti erant, coronam auream, dum auſpiciis vacarent, in capite geſtantes, teſte Alexandro *Genial. Dier. lib.* XV. *cap.* X. Fuit & οἰωνιστήριον locus aut ſedes ubi artem ſuam exercebant, qui ſæpius generaliore nomine dicitur θᾶκος & θῶκος, quorum poſterius Tireſias omina aucupans adhibuit apud Sophoclem *Antigone verſ.* 1115.

Εἰς γὰρ παλαιὸν θῶκον ὀρνιθοσκόπον
Ἵζων, ἵν' ἦν μοι παντὸς οἰωνοῦ λιμήν.
Nam in veterem ſedem augurii
Sedens, ubi erat mihi omnis augurii portus.

Imo Scholiaſtes *in hunc locum* teſtatur, illius Auguris ſedem peculiari nomine dictam fuiſſe θῶκον, quo, quando vellet, aves ex omnibus mundi partibus involabant. Pariter tabulas, in quibus nomina & volatus avium, pluraque alia ad hanc artem ſpectantia, ne minima circumſtantia illorum memoriam fugeret, inſcripta legebantur, circumferre ſolebant.

Omnia, quæ ab oriente oſtendebantur, Græcis, Romanis, & aliis gentibus auſpicata credebantur; quia ex illa mundi plaga ſol lucem & & calorem, motum & vitam creaturis impertitur. Econtra, quæ ab occidente videbantur, infœlicia habita, quia ſol illa in plaga ſe inclinat.

Græci Augures, facie ſeptentrionem, manu dextra ortum, ſiniſtra vero occaſum reſpiciente, omnia obſervare ſolebant; ut patet ex iis, quæ de avium volatu Hector Polydamæ referens inducitur ab Homero *Iliad.* μ'. *verſ.* 239.

Εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.
Sive ad dextram vadant ad auroram ſolemque,
Sive ad ſiniſtram iſti ad occaſum obſcurum.

Cauſa erat, quod ſolis cœlique motus ab oriente inciperet, ideoque ea dignior mundi plaga haberi merito videbatur: Δεξιὰ τοῦ κόσμου, τὰ ἀνατολικὰ μέρη, ἀφ' ὧν ἀρχὴ τῆς κινήσεως· ἀριστερὰ δὲ, τὰ δυτικά. *Dextra mundi pars, oriens eſt, ex qua motus incipit: ſiniſtra vero, occidens*: ut docet Plutarchus ex Platone & Ariſtotele. Quapropter omina dextrorſum oſtenſa fœlicia, ſiniſtrorſum vero infœlicia dicebantur. Econtra Romani, facie ad meridiem, ſiniſtra manu ad ortum, dextra vero ad occaſum obverſa, omnia quærere ſolebant, quod innumeris argumentis probari poſſet; ſed quia brevitati ſtudeo, illa prætermitto, qui autem plura voluerit, conſulat Varronem, & alios Latinos Scriptores. Idcirco felix omen a Græcis δεξιὸν, a Romanis vero *ſiniſtrum* dicebatur, a quacumque manu viſum fuiſſet. Quum autem Poetæ Latini infauſta per *ſiniſtra* ſæpius efferunt, more Græco loquuntur: ut Virgil. *Ecloga* 1. *verſ.* 18.

Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.

Econtra Statius, quum de ipſis Græcis agitur, more Latino loquitur in *Thebaide*:

Signa feras, lævumque tones. ——

Unde quævis præpoſtera & væcordia conſilia dicta ſunt *ſiniſtra*; quo ſenſu illud vocabulum uſurpat Virgil. *Ecloga* 1. *verſ.* 16.

Sæpe malum hoc nobis (ſi mens non læva fuiſſet)
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Pariter apud Sophoclem *Ajace verſ.* 184. ἀριστερὸς idem ſonat:

Οὔποτε γὰρ φρενόθεν γ' ἐπ' ἀριστερὰ,
Παῖ Τελαμῶνος, ἔβας.
Nunquam enim mentis compos ad ſiniſtra,
O fili Telamonis, proceſſiſſes.

Intelligit enim Ajacem, ſi mentis compos fuiſſet, ita inſane & inſulſe nunquam egiſſe; in quem *locum* vetus Scholiaſtes totidem verbis aſſerit, dextera manu prudentiam, ſiniſtra vero væcordiam ſignificari; ait enim: Ἀριστερὰ οἱ παλαιοὶ τὰ μωρὰ ἐκάλουν, δεξιὰ δὲ τὰ συνετά.

Aves vel a natura, vel a loco, vel a volatu auſpicatæ aut inauſpicatæ credebantur: eædem enim volucres diverſis temporibus diverſa imo contraria ominabantur. Aves mali ominis dicebantur ἐξώλαιμοι, id eſt, *exitioſæ*; ἀποθύμοι, *exoſæ* & *diſplicentes*; ἀεικέλιοι, *moleſtæ*, ab α privativo & εἴκω, *cedo*, quaſi *non ſiniſtræ*, id eſt, *non ſinentes*, quia homines a ſuis incœptis abſterrerent: ſiniſtra enim (ſi Feſto credere fas eſt) non tam a *ſinendo* quam a *ſiniſtra* manu derivantur. Eadem de cauſa dictæ ſunt κωλυτικαὶ & εἰρκτικαὶ, quia homines *cohibent* quominus ſua conſilia ſuſcipiant. Quæ a loco ſolito, aut a loco ominoſo videbantur, dici ſolebant δίεδροι & ἔξεδροι, quæ voces licet Augurum propriæ ſint, nihilominus pluribus aliis, quæ de loco dejecta ſunt, ſæpius tribuuntur, ut quum ab Euripide ἔξεδροι χθονὸς pro *exſulibus* & *extorribus* uſurpantur: & ἔξεδρος φρενῶν *inſanus* & *mentis impos* homo dicitur apud eumdem in *Hippolyto verſ.* 934.

—— σοὶ γὰρ ἐκπλήσσουσί με
Φόνοι, παραλλάσσοντες ἔξεδροι φρενῶν.
—— nam perterrefaciunt me tuæ
Cædes, tranſmutantes ſedem mentis.

Econtra aves boni ominis vocabantur αἴσιοι, αἴσιμοι, ἐναίσιμοι, ὅδιοι, & σ ὑνεδροι. Singulas earumque portenta breviter deſcribam. Ante omnia notandum eſt, avium ominoſarum genera duplicia fuiſſe, nimirum πανυπτέρυγες vel *alites*, quæ volatu; ᾠδικαὶ vel *oſcines*, quæ garritu futura prædicere credebantur.

Primo quidem, ſi omnigenæ aves cuidam gregatim circumvolaſſent, pro optimo & ſupra modum fœliciſſimo omine arripiebatur; quod Gordio a tenui fundo ad ſolium evecto obtigiſſe tradit Diodorus Siculus.

Aquila læta, alis plodens, in aere ludens, & a dextra ad ſiniſtram volans viſa pro fœliciſſimo omine interpretabatur, prout nos docet ex Appione Niphus de *Auguriis lib.* 1. *cap.* IX. Unde Rex Priamus, quum Græcorum claſſem armis adoriri moliretur ut filium Hectorem in libertatem aſſereret, Jovem ſupplicibus fatigat votis, ut in bonum omen dilectam alitem aquilam mittere dignetur *Iliad.* ώ. *verſ.* 310.

Πέμψον δ' οἰωνὸν ταχὺν ἄγγελον, ὅς τέ σοι αὐτῷ
Φίλτατος οἰωνῶν, καὶ εὖ κράτος ἐστὶ μέγιστον,
Δεξιόν· ὄφρα μιν αὐτὸς ἐν ὀφθαλμοῖσι νοήσας,
Τῷ πίσυνος ἐπὶ νῆας ἴω Δαναῶν ταχυπώλων.

Mitte autem alitem velocem nuncium, qui tibi ipsi
Gratissimus alitum, & cujus robur est maximum,
Dextrum: ut eum ipse oculis conspicatus,
Eo fretus ad naves eam Danaorum pernicium equitum.

Quum aquilam a suis castris ad hostes transvolantem vidisset Aristander, Alexandrum victoriam assecuturum prædixit. Præterea quid ominosi inesse credebatur modo quo alites prædam rapiebant: pro exemplo sit Telemachus apud Homer. *Odyss. ο. vers.* 160. patrem Ulyssem quærens, cujus, dum Spartæ esset, a dextera manu advolavit aquila cicurem anserem unguibus & rostro tenens, ex quo omine Ulyssem domum rediturum, omnesque Penelopes procos in suis ædibus ex improviso deprehensurum, & illos condigna pœna affecturum prædixit Helena. Itidem ex eo quod aquila viginti anseres domi suæ saginatos rapuisset, idem conjecisse fertur Penelope. Iterum aquila hinnulum pedibus raptans, qui in Jovis Panomphæi aram delapsus erat, Græcis jam fatiscentibus tantum animum addidit, ut in Trojanos impetu facto ingenti clade affecerint. Vice versa, Hectori naves Græcas comburere molienti aquila ungulis tenente serpentem, qui eluctatus est, quemque ad nidum deferre non valuit, a sinistra avolante, Hectorem suum incœptum missurum vaticinatus est Polydamas. Rursus, a Penelopes procis Telemacho insidias struentibus visa sinistrorsum aquila unguibus columbam gestante, illorum consilia infœliciter successura auguratus est Amphinomus. Duabus aquilis visis, ungulis sese invicem discerpentibus & procorum conventui circumvolantibus, fore ut omnes ab Ulysse occiderentur, prædixit Halitherses. Denique, ut unicum exemplum addam, aquila jaculum a manu cujusdam militis Dionysii Syracusani abripiens, in altum sublatum, in profundum iterum demittendo, illius Tyranni ruinam & malam fortunam portendisse credita est. Plutarch. in *Dione*: *Καὶ τῷ Διονυσίῳ πολλὰ τερατώδη παρὰ τοῦ δαιμονίου γενέσθαι σημεῖα· ἀετὸς μὲν ἁρπάσας δοράτιόν τινος τῶν δορυφόρων, ἀράμενος ὕψου, καὶ φέρων ἀφῆκεν εἰς βυθόν.*

Vulturum, qui Græcis γῦπες dicuntur, volatum sollicite observare solebant, quia (ut nonnulli volunt) raro visuntur, eorumque nidi rarius vel nunquam reperiuntur; unde res tam insolita quid novi portendere credebatur: vel quia vultures cadaveribus, non viventium carne, vescuntur; & tantum abest, ut avibus vitam eripiant, ut iis omnibus, etiam mortuis, penitus abstineant. Unde Herculem, si vultur ei visus fuisset, bonam sui incœpti spem fovisse tradit Herodorus Ponticus; quia omnium avium rapacium æquissimam reputabat. Vid. Plutarchus in *Romulo pag.* 23. *Edit. Paris.* ubi hæc res fuse explicatur. Econtra inter inauspicatas aves vulturem recensent Aristoteles & Plinius, adduntque illas aves biduo aut triduo ante cruentam stragem videri solitas esse; imo vultures, aquilas, milvos, & alias aves rapaces, quum exercitui circumvolitabant, & alicubi diutius immorabantur, mortis & cædium portenta vulgus hominum credidisse.

Accipitrem pro ave rapace & pro malo omine mortem præsagiente, si prædam rapiens visus fuisset, habitum fuisse, sin vero præda illius ungulas aut persecutionem effugisset, liberationem a periculis significatam fuisse, asserit Niphus. Buteo, a Græcis dictus τριόρχης ob tres testiculos, quibus natura illum donavit, a Phemonoe avis ominosa habita est. Falconem Græce κίρκον iis, qui rem matrimonialem aut pecuniariam tractabant, bona omnia tulisse refert Plinius *Nat. Hist. lib.* x. *cap.* XIII. Hæc avis Apollini sacra fuit, teste Homero *Odyss. ο. vers.* 525. Telemacho autem diversis curis distracto & matris suæ procos ægre ferenti hunc in modum apparuisse falco dicitur, ex quo omine Telemachum hostes victurum prædixit Theoclymenus *ibid.*

Ὣς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις,
Κίρκος, Ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος, ἐν δὲ πόδεσσι
Τίλλε πέλειαν ἔχων, κατὰ δὲ πτερὰ χεῦεν ἔραζε
Μεσσηγὺς νεός τε καὶ αὐτοῦ Τηλεμάχοιο.

Sic igitur ei loquuto advolavit dextra avis,
Accipiter, Apollinis velox nuncius, inque pedibus
Vellebat columbam tenens, pennas autem deorsum fundebat
In medio navis & ipsius Telemachi.

Hirundines loco circumvolantes aut insidentes pro infœlici omine accipiebantur. Dario Scythiæ bellum inferenti visæ illæ aves malam fortunam, qua in posterum obrutus est, quum illius exercitum penitus profligarunt Scythæ, portendisse credebantur. Eædem aliter Pyrrhi tentorio & Antonii navi insidentes cladem, qua utriusque ducis exercitus affectus est, ominatæ sunt.

Noctuæ pro inauspicatis alitibus plerumque habebantur; sed Athenis victoriam & res prosperas ominabantur, quia Minervæ illius civitatis præsidi Numini sacræ erant; unde natum est proverbium, Γλαὺξ ἵπταται, quod de iis, qui suorum incœptorum fœlicem exitum assequuntur, vulgo dicebatur. Themistocli enim in summo navis tabulato consilia cum cæteris præfectis agitanti, iisque in diversam ab illo sententiam abeuntibus, qui pugnæ fortunam tentare recusabant, noctuam a dextro navis latere visam & malo insidentem illorum animum ita accendisse, ut pugnandum esse unanimiter consenserint, & ad prælium sine mora se accinxerint, tradit Plutarchus in *Themistocle.* Sed aliis in locis noctuas pro infœlicibus ominibus acceptas fuisse, si iis, qui rem feriam agebant, apparuissent, narrat Ælianus *Histor. Animal. lib.* XV. *cap.* LIX. Exemplum nobis suppetit in Rege Pyrrho, cujus mortem dedecorosam, qua Argis occubuit, noctuam in summitate hastæ, quam manu gestabat, residentem prædixisse refertur. Quocirca Diomedi & Ulyssi castra Trojana nocte, quo tempore noctuæ in publicum prodire solent, explorantibus pro bono omine ἐρωδιὸν aut *ardeam* misisse Minervam tradit Homer. *Iliad. κ. vers.* 274.

Τοῖσι δὲ δεξιὸν ἧκεν ἐρωδιὸν ἐγγὺς ὁδοῖο
Παλλὰς Ἀθηναίη.
Illis autem dextram misit ardeam prope viam.
Pallas Minerva. ——

In quem *locum* Eustathius asserit, illam alitem iis, qui insidias aut alios quosvis dolos struebant, fœlicia omnia tulisse. Noctuas autem non semper inauspicatas fuisse patet exemplo Hieronis, cujus, quum militiæ nomen dedisset, clypeo aquila, hastæ vero noctua insidens prædixit fore ut fortitudine & consilio polleret, tandemque ad solium evveheretur. Hæc refert Justinus *ad calcem lib.* III.

Columba apud Homerum dicitur avis boni ominis. Similiter cygnum, præsertim nautis, quibus sudum præsagire solebat, cujus rei causam ex Æmilio reddit Niphus:

Cygnus in auſpiciis ſemper lætiſſimus ales,
Hunc optant nautæ, quia nunquam mergitur undis.

Cornices & corvi, ſi exercitui circumvolitaſſent, mala omina credebantur. Quum a dextera crocitabant, pro omine utcumque bono, ſin vero a ſiniſtra, pro infauſtiſſimo accipiebantur, æque ac picarum garritus. Alexandri Babylonem ſubeuntis, & Ciceronis ab Antonii facie fugientis, mors corvorum crocitatione prædicta traditur. Hæ autem alites ſuorum vaticiniorum conſciæ ſolæ credebantur; quia quum omnia infauſtiſſima ferebant, lugubrem ſonum edere & voce glutire ſolebant, quaſi ſuffocatæ fuiſſent, prout refert Plinius *Nat. Hiſt. lib.* x. *cap.* XII. Porro corvus divinationem ſuam ab Apolline accepiſſe putabatur; nam κόρακα ὄρνιν φασὶν ἱερὸν Ἀπόλλωνος ϗ ἀκόλουθον, ϗ μαντικῆς συμβόλοις ἀγαθὸν, *corvum avem dicunt ſacrum Apollini & comitem, divinationiſque ſymbolis aptum*, ut utar verbis Æliani *de Animal. lib.* I. *cap.* XLVIII.

Galli gallinacei ſimiliter aves fatidicæ credebantur, præſertim in rebus bellicis, quia Marti ſacri erant, cui mactari & quicum depingi ſolebant, unde ab Ariſtophane dicuntur Ἄρεος νεοττοί. Gallorum cantus fœlix omen exiſtimabatur; ii enim victoriam a Themiſtocle in Perſas adeptam prædixiſſe traduntur; in cujus rei monumentum feſtum annuum, dictum ἀλεκτρυόνων ἀγών, quod gallorum pugna in theatro celebrari ſolebat, ab illo inſtitutum eſt. Pariter inſignem illam ſtragem, quam Lacedæmoniis intulerunt Bœoti, galli pluribus noctibus ante pugnam continuo canentes portendiſſe feruntur: galli enim cantus pro auſpicato omine accipiebatur, quia victus ſilet & languet, victoriam vero conſecutus graſſatur & cantat, quaſi in victum hoſtem triumphum agere videatur. Econtra, gallinæ cantus tremenda judicia comminari cenſebatur.

Hucuſque præcipuas aves ominoſas deſcripſit; attamen non me latet plures alias hujuſmodi alites pluresque vaticinandi rationes fuiſſe præter eas quas memoravi; ſed quæ de iis dixi mihi ſufficere videntur; ita ut prolixiore oratione Lectori tædium afferre nolim. Sed non prætermittendum, plures fuiſſe, qui ex avium garritu res privatiſſimas perſpectas habere jactabant; qualis fuit inſignis ille magus Apollonius Tyaneus; eo enim in cœnaculo una cum amicis conſidente, paſſerculus advolaſſe & innumeris avibus ad feneſtram congregatis garriviſſe narratur; quem cum audiviſſet Apollonius, dixit illam avem cæteras invitare ad convivium in quemdam locum, ubi frumentum, quo mula onuſta erat, humi ſparſum erat: qui autem adſtabant, ut de re certiores fierent, illico ſurgentes eo ſe contulerunt, ubi ea quæ dixerat comperta habuerunt. Itidem Democritus hujus artis peritiam jactabat, aliosque in illa inſtituebat pronunciando nomina quarumdam avium, ex quarum ſanguine mixto ſerpens prodiret, cujus eſu ſcientiam illam fatidicam iis extemplo inſpiratum iri dictitabat. Vid. Plinius *Nat. Hiſt. lib.* x. *cap.* XLIX. Pariter ope draconum ſuas aures lambentium hanc artem acquiſiviſſe fingitur Melampus. Huic non abſimilem fabellam refert Euſtathius de Heleno & Caſſandra Priami Trojanorum Regis liberis, quorum aures, dum in Apollinis templo erant, ſerpentibus in gyrum circumvolutis, auditu ita acres factæ ſunt, ut Deorum conſilia & propoſita percipere poſſent. Unum tantum addam ex Apulejo, qui tradit, ſi quamdam domum introiiſſent inauſpicatæ aves nocturnæ, quales noctuæ, hirundines, veſpertiliones, &c. ad malum omen avertendum, illas apprehenſas foribus ſuſpendere aſſueviſſe, ut ipſæ aves ſui ſanguinis piaculo ærumnas, quas familiæ illi ominatæ fuerant, pellerent.

Hæc de avibus. Proximo loco de inſectis, quadrupedibus, & portentis cœleſtibus pauca addere conſentaneum duco. Primo per formicas divinare ſolebant, prout patet exemplo Cimonis, cujus mors ab illis inſectis prædicta dicitur *ſuperiore capite* allato. Aliud exemplum ex Mida Phrygiorum Rege nobis ſuppetit, cujus adhuc pueri ſomnoque profundo obruti formicæ frumenti grana in os ingeſſerunt; auſpices autem interrogati illud omen de viri opulentia interpretati ſunt.

Apes pro eloquentiæ omine accipiebantur, ut liquet ex iis, quæ de Platone narrantur: quum enim in cunabulis jaceret, ad illum conveniſſe ejuſque labiis inſediſſe dicuntur apes, ex quo portento viri illius ſuaviſſimam & mellifluam eloquentiam prædixerunt augures. Iterum Pindarus expoſititius ab apibus melle loco lactis enutritus fuiſſe fertur. Alia omina iis tribui ſolebant: Romanos enim apes infœliciſſima omina habuiſſe videre eſt apud Plutarchum in *Vita Bruti*. Animal enim tardum & invalidum nil præter infœlicitatem portendit in rebus gerendis: unde etiam ante infortunatum Pompeii prælium μελισσῶν ἑσμὸς ἐπὶ τοῖς βωμοῖς ἐκάθισε, *apium examen altaribus inſedit*, ut narrat Appianus *lib.* II *Bell. Civil.*

Per locuſtam ſubviridem & tardam, dictam μάντιν, fata pandiſſe haruſpices tradit Suidas. Bufones fœlicia omina credebantur. Pariter angues & ſerpentes ominoſi habebantur: prout colligere eſt ex Calchantis vaticinio de octo paſſerculis una cum matre a ſerpente voratis, quæ ſigna de novem integris annis, quibus Troja obſidenda erat, interpretatus fuiſſe dicitur ille vates in Homeri *Iliad.* β'. Apri inauſpicata erant omina, & iis, quibus occurrebant, infœlicem incœptorum exitum portendebant. Solum leporem omnium animalium timidiſſimum memorabo, qui ſi in bello viſus, devictionem & fugam ominabatur: potentiſſimo enim exercitu ab Xerxe ad Græciam invadendam inſtructo, obtigit ut equa leporem enixa fuerit, quo prodigio Xerxis infamis & timida fuga, poſtquam ejus claſſem profligaſſet Themiſtocles, prædicta fuiſſe traditur.

Denique de ſignis in cœlo viſis. Illa autem non intelligo, per quæ Philoſophi & Aſtrologi futura prædicebant; ſed ea tantum, quæ a vulgo ipſo obſervari ſolent; quales ſunt cometæ, qui ærumnas portendere ſemper crediti ſunt, juxta tritum proverbium:

—— *nunquam viſa eſt impune cometa.*

Pariter ſolis aut lunæ eclipſes, quibus plurimi exercitus ita perterriti ſunt, ut, licet plura victoriæ ſpem juviſſent, cum hoſtibus manus conſerere non ſuſtinuerint. Niciæ Athenienſium duci ab hoſtibus undique incluſo tantum terrorem incuſſiſſe lunæ eclipſim viſam, ut, militibus arma deponere juſſis, ſe & potentiſſimum exercitum lubenter dederit aciе gladii mactandos. Quum enim cometarum genuina cauſa homines lateret, in ingentium & imminentium malorum portenta a Diis immediate produci & oſtendi illæ ſtellæ creditæ ſunt: quæ opinio apud hominum vulgus ita invaluit, ut Anaxagoras in ſummum periculum adductus ſit, eo quod illorum ſignorum cauſas naturales reddere tentaverit.

Rurſus fulgura ominoſa credebantur, quæ ſi a dextra pro bonis, ſin vero a ſiniſtra affulſiſſent, pro malis ominibus accipiebantur: prout Euſtathius notavit *Commentario in Iliad.* β'. quo in loco Græcis patriæ repetendæ ſtudio flagrantibus animum red-

reddere molitur Nestor, asserens Trojam ab iis expugnatum iri ex Jovis promisso, quod fulgure quasi sigillo firmarat *Iliad.* β'. *vers.* 353.

Ἀςράπτων ἐπὶ δεξί, ἐναίσιμα σήματα φαίνων.
Fulgurans ad dextram, fausta signa ostendens.

Alia meteora a divinatoribus observari solebant, qualis ignis lambens, qui pro bono omine res prosperas præsagiente accipiebatur: prout patet exemplo Servii Tullii, cujus promotio ad Imperium Romanum illo signo prædicta fuisse dicitur. Argonautis ad Colchos navigantibus procella penes Sigeum promontorium oborta, & Deorum ope Orphei supplicibus votis sollicitata, statim visi sunt gemini ignes lambentes Castori & Polluci præeuntes, quos excepit aura lenis, ventis concidentibus & mari tranquillo. Sedata autem tam subito & inopinato procella, ab omnibus itineris sociis creditum est, illos geminos fratres divina potentia instructos esse, qua maris rabiem compescere valerent; unde illorum auxilium in periculis invocare nautis solenne fuit. Si gemini ignes (qui ab illo tempore dicti sunt gemini heroes) visi fuissent, pro optimis ominibus sudum nunciantibus accipiebantur; quocirca Theocritus *Dioscuris* seu *Idyll.* XXIII. sub initio illorum laudes celebrat, eo quod miseris nautis, quum a gurgite vasto absorberi videntur, succurrere dignentur:

Ἀλλ' ἔμπης ὑμεῖς τε κ̓ ἐκ βυθȣ̃ ἕλκετε νᾶας
Αὐτοῖσιν ναύταισιν οἰμένοις θανέεσθαι.
Αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα
Ἀμπέλαγος, νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι,
Ἐκ δ' ἄρκτοι τ' ἐφάνησαν, ὄνων τ' ἀνὰ μέσσον ἀμαυρὴ
Φάτνη, σημαίνȣσα τὰ πρὸς πλόον εὔδια πάντα.
Attamen vos etiam ex profundo retrahitis naves
Una cum *ipsis nautis, qui se morituros esse putabant.*
Statim vero venti desinunt, & mitis tranquillitas oritur
Per mare, nebulæque diffugere aliæ alio,
Et rursum apparent ursæ, atque inter medios asinos obscurum
Præsepe, significans ad navigationem serena omnia.

Cui accinit Horatius *Carm. lib.* I. *ode* XII. illa gemina meteora stellarum nomine ornans:

Dico & Alciden, puerosque Ledæ:
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem; quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax (quod sic voluere) ponto
Unda recumbit.

Si solus fuisset ignis, dicebatur *Helena*, quæ pro infaustissimo omine procellam & naufragium portendente habebatur, præsertim quum Castorem & Pollucem assequebatur, quasi illos fugare videretur. Sed illa omnia signa fœlicia & optata pronunciat Euripides in *Oreste vers.* 1635. ubi hæc de Helena habet:

Ζηνὸς γὰρ ȣ̓̃σαν ζῆν νιν ἄφθιτον χρεὼν,
Κάςορί τε Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς
Σύνθακος ἔςαι, ναυτίλοις σωτήριος.
Nam ut filiam Jovis oportet vivere immortalem,
Castorique & Polluci in voluminibus aeris
Assidebit, nautis salutaris.

Iterum venti fatidici credebantur, per quos auspices divinare solebant; prout nos docet Statius *Thebaid. lib.* III.

—— ventis, aut alite visa
Bellorum proferre diem. ——

Terræ motus malum omen existimabatur. Seneca *Thyeste* inter alia infœlicia signa hoc quoque numerat *vers.* 694.

Lucus tremescit, tota succusso solo
Nutavit aula, dubia quo pondus daret,
Ac fluctuanti similis. ——

Hinc facto terræ motu, Deum, qui ejus mali auctor & depulsor esse credebatur, propitium reddere conabantur. Quod de Lacedæmoniis tradit Xenophon in eorum *Repub.* eos σεισμȣ̃ γενομένȣ &c. *terræ motu facto Neptuno solitum pæanem cecinisse, & sequente die Agesipolin eidem sacrificasse*, &c. Neptunus enim hoc malum immittere præcipue credebatur, unde ἐννοσιγαίȣ & ἐνοσίχθονος epitheta ipsi tribui a Poetis solent. Romæ facto terræ hiatu, Curtius in eum insiliit, quod omnibus notissimum est. Et in Celænis, urbe Phrygiæ, Midas Rex oraculi monitu res multas pretiosas, dein vero filium suum, quo Deum tanti prodigii auctorem placaret, in voraginem demisit. Vid. Stobæus *Serm.* I.

Innumera alia addi possent, quibus prætermissis solum tonitru omnium signorum cœlestium nobilissimum & maxime ominosum memorabo. Faustum autem vel infaustum habebatur, ut cætera signa, juxta posituram: si enim auditum fuisset a dextera, fœlix, sin vero a sinistra, infœlix portentum dicebatur. Tonitru nitido & sereno cœlo faustum erat omen, quod Jupiter edidisse dicitur ab Homero *Odyss.* ῦ. *vers.* 102. ut supplices certiores redderet se illorum preces exaudiisse; postquam enim dixerit Ulyssem Deo supplicasse, ut suis incœptis in Penelopes procos adspirare dignaretur signo fœlici, pergit Poeta:

Ὣς ἔφατ' εὐχόμενος. τȣ̃ δ' ἔκλυε μητίετα Ζεύς,
Αὐτίκα δ' ἐβρόντησεν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπȣ
Ὑψόθεν ἐκ νεφέων. γήθησε δὲ δῖος Ὀδυσσεύς.
Sic dixit precatus: hunc autem audivit consiliarius Jupiter,
Statimque tonuit a splendido Olympo
Ab alto ex nubibus: lætatus autem est divinus Ulysses.

Malo erat omini, si qua res fulmine tacta esset: quo signo pastor Virgilianus omnia sua infortunia prædicta fuisse refert *Ecloga* I. *vers.* 16.

Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Similis est Ovidii locus, cum ad Liviam scribit:

Jupiter ante dedit fati mala signa futuri,
Flammifera petiit cum tria templa manu.

Mala omina, quæ tonitru portendebat, libamine vini e poculis effusi pelli credebantur. Fulgura autem ita reverebantur, ut iis cultum divinum tribuerint, teste Plinio *Nat. Hist. lib.* XVIII. *cap.* II. & illorum signorum exitiosas adspirationes sibilis & poppysmis avertere solebant: quod dictum fuisse ποππύζειν nos docet Aristophanes in *Vespis*, quum Jupiter inducitur dicens, κἂν ἀναςράψω, *si fulmino*, ποππύσȣσι, id est, *obsibilabunt*; in quem *locum* Scholiastes notat ταῖς ἀςραπαῖς ποππύζειν vel *fulguribus assimilare* solitos fuisse. At in locis fulmine ictis Deos propitios reddebant, iis altaria statuendo, sacrificando, & supplicando. Hinc, ut observat Artemidorus *lib.* II. Ὁ κεραυνὸς τὰ ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ διὰ τὰς ἐνιδρυμένȣς βωμȣ̀ς, κ̓ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας· τὰ δὲ πολυτελῆ χω-

ρίαἔρημα καὶ ἄβατα ποιεῖ, ὐδεὶς γὰρ ἐν αὐτοῖς διατρίβειν ἔτι θέλει. *Loca incognita fulmen celebria reddit, propter altaria erecta, & sacrificia in iis oblata: at loca prius frequentata, penitus deserta reddit, quia nemo in iis versari amplius vult.* Quippe rem fulmine tactam a Diis execratam putabant: unde hominem eo genere mortis pereuntem communi sepulcro inferre nefas erat: & locum fulmine ictum apud Romanos etiam procurator claudebat, fulminisque fragmenta, si qua inveniri possent, aruspex sub terram condebat, ut nemo viventium contactu eorum pollueretur: insuper binis bidentibus, seu ovibus, expiabant rem percussam, quæ hinc *bidental* appellari solet: qua voce Persius utitur, hominem fulmine occisum describens, *Sat.* II. *vers.* 26.

An quia non fibris ovium, Ergennaque jubente,
Triste jaces lucis evitandumque bidental.

Ubi Scholiastes vetus addit *bidental* esse *locum sacro percussum fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas est.*

CAP. XVI.

De Divinatione per sortes.

SOrtes quadruplices erant, nimirum civiles, militares, lusoriæ, & fatidicæ: quarum tres primæ non sunt hujus loci, etsi a pluribus eo referantur. Fatidicarum duæ species in maximum usum veniebant, nempe Στιχομαντεία & Κληρομαντεία.

Στιχομαντεία dicitur *ars divinandi per versus*, quum nimirum carmina fatidica schedulis inscripta & in vas conjecta educebantur, quibus singulorum fata prima sorte indicari credebantur. Ad id autem sæpius inserviebant carmina Sibyllina, quæ per Græciam, Italiam, & totum Romanum Imperium dispersa legebantur; unde sortium Sibyllinarum apud Scriptores frequens fit mentio. Aliquando cujusdam Poetæ libri uno aut pluribus locis aperti primum carmen, in quod incidebant, pro vaticinio accipiebatur. Sed hæc ars dicebatur itidem Ραψῳδομαντεία ab Homeri Rhapsodiis; quæ (ut nonnulli censent) nata est ex existimatione Poetarum apud Veteres, a quibus divini & inspirati viri credebantur. Quia autem Homerus inter Poetas primum locum tenebat, idcirco ex omnibus sortibus Homericæ maximam fidem obtinebant, Euripide tamen & aliis Poetis non omnino neglectis, qui illum honorem cum Homero participabant. Similiter Virgilius & reliqui Latini Poetæ hunc in usum adhibiti sunt, ut patet pluribus exemplis, præsertim illo Severi apud Lampridium, cujus evectio ad Romanum Imperium prædicta dicitur ex eo quod aperto Virgilii libro inciderit in *vers.* 852. *Æneid. lib.* VI.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Christiani Biblia itidem usurpabant juxta illud Nicephori Gregoræ *lib.* VIII. Ανοίξειν ἔκρινε δεῖν ἐν Ψαλτηρίῳ πρόβλημα τῶν οἰκείων ἀποριῶν, id est, *Consentaneum duxit Psalterium aperire, ex quo malorum suorum solamen ei suppeteret.* Testamentum interrogasse, καὶ εὑρεῖν ἐπιτρέποντα ἐν Αλβανίᾳ παραχειμάσαι, *& ex ejus consilio tutius duxisse in Albania hyemare.* Imo ipse Divus Augustinus, qui in rebus prophanis illum morem adhiberi minime probat, eumdem in rebus spiritualibus locum habere velle videtur ex *Epistola* CXIX. *ad Januarium.*

Κληρομαντεία erat *divinatio per* τὺς κλήρυς, id est, *sortes*; ubi notandum est κλήρυς & *sortes* dici plurali numero, ut distinguantur a κλῆρος vel *sors* singulari numero, quo denotatur casus, per quem divinatores vaticinari solebant. Hi autem κλῆροι vulgo erant nigræ & albæ fabæ, sed antiquioribus temporibus glebulæ, vel calculi, vel tali, & similia certis notis distincta in usum veniebant. Hæ sortes in vas conjectæ, Deorum moderamine votis supplicibus sollicitato, educebantur, ex quarum notulis diversis singulorum fata dicebantur, atque a variis sortibus varia nomina eidem speciei divinationi tribuuntur, velut cum Ψηφομαντεία, Αστραγαλομαντεία, Κυβομαντεία, & Πεσσομαντεία appellatur. Omnes sortes Mercurio, qui huic divinationi præesse credebatur, sacræ erant: unde Veteres, teste Eustathio *ad Iliad.* ή *pag.* 548. *Edit. Basil.* εὐερμίας ἕνεκα, id est, *boni ominis causa,* & ut Mercurius iis propitius foret, inter cæteras sortes unam dictam Ερμῦ κλῆρον *Mercurii sortem* inferebant, quæ erat oleæ folium & omnium prima ducebatur. Nonnunquam κλῆροι illi in mensis mittebantur, ut testatur Pindari Interpres *in Pyth. ode* IV. *vers.* 338. Εἰώθασι διὰ κλήρων μαντεύεσθαι τὸ πρὶν καὶ ἦσαν ἐπὶ τῶν ἱερῶν τραπεζῶν οἱ ἀστράγαλοι, ὓς ῥίπτοντες ἐμαντεύοντο· οἷον, εἰ ἐκβάλλοντός μυ τόδε ἀναβῇ, ἐκτελεσθήσεται τόδε· εἰ δὲ μὴ, ὐκ ἀποτελεσθήσεται. *Consueverunt olim per sortes vaticinari: erantque super sacras mensas tali, quos jacientes vaticinabantur; quippe si me educente prodierit, perficietur; sin vero, non perficietur.* Hæc vaticinandi ars a Thriis tribus Nymphis Apollinis nutricibus vel inventa vel tam diligenter culta fuit, ut lapsu temporis θρίαι & κλῆροι synonyma fuerint nomina; unde proverbium:

Πολλοὶ Θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες.
Multi sortilegi, pauci vero vates viri.

Ad hanc divinandi speciem referri posset Ραβδομαντεία, *ars vaticinandi per virgas*; cujus mentio fit in Sacris Codicibus. Inter enim abominandas populi Israelitici nequitias hanc exprobrat Hoseas Propheta *cap.* IV. *vers.* 12. Εν συμβόλοις ἐπηρώτων, καὶ ἐν ῥάβδοις αὐτῦ ἀπήγγελλον αὐτῷ, πνεύματι πορνείας ἐπλανήθησαν, καὶ ἐξεπόρνευσαν ἀπὸ τῦ Θεῦ αὐτῶν. Anglica Versio ita reddidit: *My people ask counsels at their stocks, and their staff declareth unto them: for the spirit of vvhoredom hath causeth them to err, and they have gone a vvhoring from under their God.* Quæ Latine sic sonant; *Populus meus petit consilium in ligno suo, & baculus ejus indicat ei; quoniam spiritus scortationis fecit eum errare, & abierunt scortatum a Deo suo.* En tibi morem: Bacilli certis notis discriminati in vas conjiciebantur, hincque educebantur. Verum Ραβδομαντεία eo modo peracta penitus eadem cum Κληρομαντεία modo descripta: aliam igitur illius forma tradit Theophylactus *in illum Hoseæ locum scribens: Virgas duas,* inquit, *statuentes, carmina quædam admurmurant, deinde virgis ministerio dæmonum cadentibus, considerant quonam utraque cadat, retrorsum an antrorsum, ad lævam aut dextram, sicque tandem responsa dant insipientibus, virgarum casu pro signis usi.* Atque Cyrillus eadem fere habet. Huic non multum absimilis fuit Βελομαντεία, id est, *ars divinandi per sagittas* in pharetram coagitatas: alii econtra censent, sagittis in aera projectis, quemvis eum in locum, quem sagitta suæ sortis deorsum tendens indicabat, suum iter instituisse: hac autem vaticinatione Nebucadnezzar de Israelitis & Ammonitis invadendis consilia agitans usus fuisse videtur apud *Ezechielem cap.* vigesimoprimo *vers.* 20. 21. 22. Prophetæ verba sic redduntur a LXX. Senioribus: Επ' ἀρχῆς ὁδῦ διατάξεις, τῦ εἰσελθεῖν ῥομφαίαν ἐπὶ Ραβ-

βαθ υἱῶν Αμμῶν, ϗ ἐπὶ τὴν Ιουδαίαν, ϗ ἐπὶ Ιερουσαλὴμ ἐν μέσῳ αὐτῆς. Διότι στήσεται βασιλεὺς Βαβυλῶνος ἐπὶ τὴν ἀρχαίαν ὁδὸν, ἐπ' ἀρχῆς τῶν δύο ὁδῶν, τοῦ μαντεύσασθαι μαντείαν, τοῦ ἀναβράσαι ῥαβδὸν, ϗ ἐπερωτῆσαι ἐν τοῖς γλυπτοῖς, ϗ ἡπατοσκοπήσασθαι. Ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ ἐγένετο τὸ μαντεῖον ἐπὶ Ιερουσαλὴμ, τοῦ βαλεῖν χάρακα, τοῦ διανοῖξαι στόμα ἐν βοῇ, ὑψῶσαι φωνὴν μετὰ κραυγῆς, τοῦ βαλεῖν χάρακα ἐπὶ τὰς πύλας αὐτῆς, ϗ βαλεῖν χῶμα, ϗ οἰκοδομῆσαι βελοστάσεις. Angli verba Hebraica ita verterunt: *Appoint a vvay, that the svvord may come to Rabbath of the Ammonites, and to Juda in Jerusalem the defenced. For the King of Babylon stood at the parting of the vvay, at the head of tvvo vvays, to use divination: he made his arrovvs bright, he consulted vvith images, he looked into the liver. At his right hand vvas his divination for Jerusalem, to apponit captains, to open the mouth in the slaugther, to lift up the voice vvith shouting, to appoint battering rams against the gates, to cast a mount, and to build a fort.* Latine sic reddi possunt: *Statue viam, ut gladius veniat ad Rabbath Ammonitarum, & ad Juda in Jerusalem munitam. Nam Rex Babylonis stetit in bivio, in capite duarum viarum, ad exercendum divinationem: poluit sagittas suas, interrogavit idola, jecur introspexit. Ad dextram ejus erat divinatio ejus pro Jerusalem, ad constituendum duces, ad aperiendum os in cæde, ad elevandum vocem cum clamore, ad disponendum arietes contra portas, ad jaciendum aggerem, & ad extruendum munimentum.* Et ex Hieronymo: *Stabit in ipso compito, & ritu gentis suæ oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram, & commisceat in eas inscriptas sive signatas nominibus, ut videat cujus sagitta exeat, & quam prius debeat expugnare civitatem: hanc Græci* Βελομαντείαν *sive* Ραβδομαντείαν *nominant.* Sed quia Propheta loquitur de sagittis expolitis, inde nonnulli autumant illum Regem per diversas imagines, quæ in sagittarum mucronibus conspiciebantur, vaticinatum fuisse, fere eodem modo, quo nostra ætate fata singulorum pandere per unguium adspectum nonnulli jactitant, inquit Clarius *in hunc locum*. Alia divinandi ratio per virgas apud Scythas obtinebat, quæ ab Herodoto *lib.* IV. describitur. A Scythis autem aliquantulum interpolata ad Germanos pervenit, ut a Tacito *lib. de Morib. German.* traditur. Plures memorantur apud Strabonem *lib.* XV. Athenæum *lib.* XII. Ammianum Marcellinum *lib.* XXIX. quas & plurimas alias artes divinandi, quia ad nostrum scopum non attinent, consulto prætereo.

Alius divinandi modus in Græcia & Romæ obtinuit, nimir. qui sua fata scire cupiebat, certum numerum sortium characteribus & inscriptionibus a se invicem distinctarum circumferebat, & vias publicas ingressus primum puerum, qui ei occurrebat, illas ducere rogabat; si autem sors cum iis, quæ apud se statuerat, consentiebat, pro certo vaticinio accipiebatur. Illa ars vaticina apud Plutarchum in *Tractatu de Iside & Osiride* originem duxisse dicitur ab Ægyptiis, qui puerorum facta & dicta, quasi divina & fatidica forent, religiose observare solebant, hoc freti argumento, (quod æque ac ipse ritus absurda) nempe quia Isis huc & illuc divagata dum Osiridem quæreret, tandem incidit in pueros ludentes, a quibus nova accepit de illo, quem tamdiu frustra quæsiverat. Ad illam divinandi artem (prout nonnulli volunt) alludit Tibullus *lib.* I. *eleg.* III.

Illa sacras pueri sortes tres sustulit, illi
Rettulit e triviis omnia certa puer.

Sed potius crederem, Poetam de alio sortium genere verba facere, nimirum moris erat, ut puer

A aut vir quidam, a Græcis dictus Ἀγύρτης, in foro, aut viis regiis, aliisque in locis frequentioribus staret, tabellam, Græce dictam πίνακα ἀγυρτικὸν vel ἀγυρτικὴν σανίδα, certis fatidicis carminibus inscriptam tenens, ex quibus juxta talorum sortem contingentem singulis interrogantibus fata pandebantur: alias pro tabellis utebantur urnis, in quas sortes, quæ sæpe constabant ex selectis versibus, quas tesseris ligneis inscripsissent, conjectæ a pueris duci solebant. Poetæ autem verba hoc sensu accipienda esse inde firmius colligo, quia mulier, quæ sua fata scire quærebat, sortes suscepisse ipsamet dicitur; quæ verba minime possunt
B interpretari de puero ex illius mulieris manu sortes ducente. Artemidorus in *lib. sui præfatione* meminit τῶν ἐν ἀγορᾷ μάντεων, id est, *divinatorum in foro*; pariter *sortes viales* Romæ vulgares erant. Horum & innumerorum aliorum vaticinatorum turba Circum tenere solebat, quos pauperculas & væcordes mulierculas de fatis sciscitatas fuisse testatur Juvenalis *Sat.* VI. *vers.* 851.

Si mediocris erit, spatium lustrabit utrumque
Metarum, & sortes ducet: frontemque, manumque
Præbebit vati crebrum poppysma roganti.
C *Divitibus responsa dabit Phryx augur, & inde*
Conductus dabit astrorum mundique peritus;
Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.
Plebejum in Circo positum est, & in aggere fatum;
Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante Phalas, delphinorumque columnas
An saga vendenti nubat caupone relicto.

Ex quo loco liquet, Juvenalis ætate sortium fidem maxime imminutam fuisse, eo quod ab ignobilioribus & iis solis, qui aliarum divinationum majoris existimationis sumptus sustinere non valebant, interrogarentur. Atque in sæculis antiquioribus parum honoris sortibus tribui solebat, si ad cæte-
D ras divinationum species compararentur. Sortes autem, quæ a Minerva inventæ erant, in contemptum adduxisse dicitur Jupiter apud Didymum, ut solus Apollo vaticinationis præses foret.

CAP. XVII.

De Divinatione per res ac verba ominata.

Datur aliud divinationis genus, ab illis omnibus, de quibus hactenus disseruimus, longe diversæ, cujus ope futura prænunciabantur, non studio ac meditatione, sed casu fortuito, qui
E omina bona aut mala habere in se credebatur. Hujusmodi divinatio triplex erat: 1. De rebus internis, quibus ipsimet homines affici intelligebantur. 2. De rebus externis, quæ iisdem solummodo exhibebantur, sed nequaquam eos tangebant. 2. De verbis ominatis. De quibus ordine agendum.

I. De ominibus, quæ ex seipsis capiebant homines, quæque quadrifariam distinguuntur.

1. Notæ corpori impressæ, aut ἔλαια, *maculæ* quasi *olei*.

2. Repentinæ perturbationes, animum corripientes; cujusmodi panici terrores, qui dicuntur subiti pavores ac consternationes, quibus animus
F percellitur, nec causa percipitur, ideoque tribuuntur vi & operationi Dæmonum, præsertim Panis, in phantasiam. Hujuscemodi non raro occurrunt apud Historicos; ut quum Brennus Gallorum dux a Græcis clade affectus fuerat, nocte proxima ipsum & milites superstites tantus terror ac perturbatio invasit, ut ignari quid agendum foret, mutuis ictibus se ferirent, vulnerantes trucidantesque alii alios, donec penitus omnes perirent. Ex simili trepidatione Athenienses Persis

quam maxime ſuperiores fuerunt, adeo ut ob tantum beneficium Pani ſtatua poſita ſit; quemadmodum patet ex Simonidis *Epigrammate Anthol. lib.* IV. *cap.* XII. *epigr.* LXXXIV.

Τὸν τραγόπουν ἐμὲ Πᾶνα, τὸν Ἀρκάδα, τὸν κατὰ Μήδων,
Τὸν μετ᾽ Ἀθηναίων, στήσατο Μιλτιάδης.
Hircinis pedibus me Pana, Arcadem, contra Medos,
Poſt Athenienſes, poſuit Miltiades.

Ratio, cur iſti terrores Pani adſcriberentur, hæc afferri poteſt; quia Typhon, quum Oſirim vinctum teneret, Pane Satyriſque conſpectis, metu ingenti perculſus fuit; aut quoniam Gigantes, qui contra Jovem bellum gerebant, perterreſceit; vel denique aliam ob cauſam, quæ *lib. ſeq.* explicabitur. Hiſce pavoribus (quorum nulla videbatur evidens ratio, aut ſaltem tantæ conſternationi minime comparanda) remedium fuiſſet, ſi quid aliud, quam inanis pericli metus requirere videbatur, feciſſent. E. g. Alexander milites arma deponere juſſit, cum terrore panico derepente correpti fuiſſent.

Omnes ſubitæ ac inſolitæ corporis aut animi commotiones perturbationeſque conſiderabantur tanquam mala omina; cujuſmodi illæ procorum Penelopes, ab Homero *Odyſſ. υ. verſ.* 345. deſcriptæ, & a Minerva capitali ipſorum hoſte concitatæ:

—— μνηστῆρσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη
Ἄσβεστον γέλον ὦρσε, παρέπλαγξεν δὲ νόημα·
Οἱ δ᾽ ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν·
Αἱμοφόρυκτα δὲ δὴ κρέα ἤσθιον. ὄσσε δ᾽ ἄρα σφέων
Δακρυόφιν πίμπλαντο· γόον δ᾽ ὠΐετο θυμός.
—— procis autem Pallas Minerva
Inexſtinguibilem riſum excitavit, & errare fecit mentem:
Hi autem jam maxillis ridebant alienis:
Jamque cruentas carnes comedebant: oculi vero ipſorum
Lachrymis implebantur: luctumque cogitabat animus.

Quidam augur, qui cum iis aderat, tam diro omine territus, exemplo ſic exclamavit *ibid. verſ.* 351.

Ἆ δειλοί τί κακὸν τόδε πάσχετε; ——
Ah miſeri quid malum hoc patimini? ——

3. Παλμοὶ, vel παλμικὰ οἰωνίσματα, ſic appellata ἀπὸ τοῦ πάλλειν, ſeu *palpitando*. Cujuſmodi ſunt palpitationes cordis, oculorum, aut alicujus maſculi, a Latinis dictæ *ſaliſſationes*, ut & βόμβος, ſive *aurium tinnitus*; qui ſi fieret in aure dextra, habebatur fauſtum omen, talis erat palpitatio oculi dextri, quemadmodum nos docet Theocritus *Capr.* ſeu *Idyll.* III. *verſ.* 37.

Ἅλλεται ὀφθαλμός μοι ὁ δεξιός. ——
Saltat mihi oculus dexter. ——

Univerſas corporis partes, omniaque omina, quæ ex uniuſcujuſque palpitationibus elici queunt, enumeravit Niphus *de Augur. lib.* I. *cap.* IX. qui conſuli poteſt, ſi vacat. Melampus, celebris ille Aſtrologus, de hac materia librum nomine Ptolemæi Philadelphi inſcripſit. Alium de eadem re librum, cui titulus, Παλμικὸν οἰώνισμα, compoſuit Poſidonius, teſte Suida.

4. Πταρμοὶ, ſeu *Sternutamenta*, quæ adeo ſuperſtitioſe obſervabantur, ut ſummus cultus iis deferri crederetur; etſi venerationem illis exhiberi tam ſolummodo omnium expiationem exſtitiſſe aſſerant nonnulli. Opinantur alii, (ut annotat Caſaubonus *in Athenæi Deipnoſoph. lib.* II. *cap* XXV.) ſternutationem fuiſſe morbum, aut ſaltem

A indicium infirmæ valetudinis, ideoque ſternutanti vulgo apprecabantur, Ζῆθι, *Vivas*; vel, Ζεῦ σῶσον, *Jupiter te ſervet*. Ad hunc morem reſpicit Ammianus *Epigrammate* in naſutum quemdam, cujus naſus ab auribus tam longe diſtabat, ut ne quidem ſe ſternutantem audire poſſet, *Anthol. lib.* II. *cap.* XIII. *epigr.* XI.

Οὐδὲ λέγει, Ζεῦ σῶσον, ὅταν πτάρῃ· οὐ γὰρ ἀκούει
Τῆς ῥινός· πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.
Neque dicit, Jupiter ſerva, quando ſternutat: non enim audit
B *Naſus ſternutantem: multum enim ab aure abeſt.*

Ubi animadvertere licet, non ſolum adſtantes, ſed ipſum quoque ſternutantem, conclamare ſolitos fuiſſe, Ζεῦ σῶσον, *Jupiter ſerva*. Quidquid ſit, conſtat ſternutationem habitam fuiſſe ſacram, ut diſcimus ex Athenæi *loco citato*, ubi probat caput exiſtimatum fuiſſe ſanctum; quoniam per illud jurare moris erat, & venerari tanquam ſacra ſternutamenta ex illo prodeuntia. Imo Ariſtoteles *Problem. ſect.* XXXIII *cap.* VII. totidem verbis tradit, Sternutationem Numen putaſſe, τὸν Πταρμὸν
C Θεὸν ἡγούμεθα. Idem etiam confirmavit Caſaubonus ex Xenophonte *de Expedit. Cyri lib.* III. ubi refert, milites unanimi conſenſu illam ut Numen adoraſſe. Sed vix credendum illos in tanta ignorantia verſatos fuiſſe, ut unamquamque ſternutationem pro Numine habuerint; nec ex Ariſtotelis verbis eos feciſſe inferri poteſt; iis enim nihil aliud intelligitur quam fuiſſe ſternutationis Deum vocatum Πταρμόν. Eodem modo explicari poſſunt Xenophontis verba, ſcil. Quod milites ſternutamento audito Deum adorarunt, id eſt, ſternutationis Deum: aut fieri poteſt, nihil innui præterquam quod Deum veneratos fuiſſe, forte uſitata
D formula Ζεῦ σῶσον, aut alia quadam precula ad aliquem Deorum ut omen averteret directa.

Quidquid ſit, adeo æſtimatam fuiſſe ſternutationem certum eſt, ut, ſi quis certo tempore aut latere ſternutaret, ad aliquid maximi momenti agendum vel non agendum ſufficeret. Hinc Themiſtocli ſacrificanti cum oblati eſſent tres captivi forma regia inſignes, eos contuitus Euphrantides vates, cum ſimul lucidus ignis eluxit, & a dextris ſternutatio facta eſſet, Themiſtoclem complexus futuræ victoriæ omen eſſe pronunciavit. Vid. Plutarchus in *Themiſtocle*. Tali ſternutamento contingente, dum Xenophon peroraret, ſatis
E ſuperque fuit ad illum imperatorem præficiendum. Ipſemet Socrates, etſi Ethnicorum ſuperſtitionem quam maxime contemneret, æquum duxit obſervare alterius naſum, & uti ſternutatione ceu admonitione Dæmonis, qui dicitur ei aſſidue adſtitiſſe, illumque monuiſſe quomodo in loco ac tempore ſe gereret. Et veterem fuiſſe hunc morem conſtat e Theocrito, apud quem virgines Menelao Helenam ducenti ſic gratulantur *Idyll.* XVIII. *verſ.* 16.

Ὄλβιε γάμβρ᾽, ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ σοι
Ἐς Σπάρταν. ——
F *Fortunate ſponſe, bonus tibi quiſpiam adſternutavit proficiſcenti*

Tum etiam ex Homero, apud quem Telemacho ſternutante Penelope exultat:

Οὐχ ὁράᾳς ὅ μοι υἱὸς ἐπέπταρεν. ——
Non vides filium meum ſternutaviſſe? ——

Sternutamentum non ſemper exſtitit fauſtum omen, ſed variabat pro varietate circumſtantia-

rum; nam, ut loquitur Theocriti Scholiastes, τῶ πταρμῶν οἱ μὲν εἰσὶν ὠφέλιμοι, οἱ δὲ βλαβεροὶ, *sternutamentorum alia sunt utilia, alia perniciosa*, *Idyll.* VII. *v.* 96. quo loco Poeta ipse pro malo omine ponit, quod

Σιμιχίδα μὲν Ερωτες ἐπέπταρον. ——
Simichidæ Amores sternutaverunt. ——

Ita quando Xenophon milites suos cum hoste congredi hortaretur, existimarunt sternutationem tam dirum omen, ut preces publicas ad illud avertendum indicendas adacti fuerint. Οἱ μὲν ἀπὸ μέσων νυκτῶν ἄχρι μέσης ἡμέρας, ἐκ ἀγαθοὶ πταρμοί· οἱ δὲ ἀπὸ μέσης ἡμέρας ἄχρι μέσων νυκτῶν. *Sternutamenta, quæ de medio noctis ad meridiem usque fiunt, damnamus: quæ de meridie ad noctis medium, approbamus*, inquit Aristoteles *sect.* XXXIII. *probl.* XI. ubi etiam istius opinionis causam assignare nititur. Si quis ad mensam considens sternueret, dum removeretur, aut si forte sinistrorsum, infaustum, sin dextrorsum, fœlix faustumque erat. Si in aliquo negotio suscipiendo duo quatuorve fierent sternutamenta, censebatur auspicatum omen, & ad pergendum incitabat; si plura quam quatuor, omen nec bonum nec malum videbatur; si unum vel tria, sinistrum erat, illoque deterrebantur a proposito. Si duo viri deliberantes de aliqua re forte fortuna simul sternutarent, habebatur prosperum omen; quemadmodum refert Niphus *lib. de Auguriis cap.* VIII. ubi quamplurimas alias in sternutando circumstantias omniaque hinc capi credita recensuit.

II. Aliquid jam dicendum circa omina ostensa quidem hominibus, sed in seipsis minime contenta; quorum varia dantur genera.

1. Splendor insusitatus in domo aliisve locis apparens, faustum omen erat. Lux enim fœlicitatis & lætitiæ, sicut tenebræ horroris & infortunii, comes putabatur. Hinc apud Homerum *Odyss.* τ'. *vers.* 36. ante victoriam Ulyssis, qua procos Penelopes superavit, hujusmodi prodigium sibi visum esse refert Telemachus:

Ω πάτερ, ἦ μέγα θαῦμα τόδ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι,
Εμπης μοι τοῖχοι μεγάρων, καλαί τε μεσόδμαι,
Εἰλάτιναί τε δοκοὶ, καὶ κίονες ὑψόσ' ἔχοντες,
Φαίνοντ' ὀφθαλμοῖς ὡσεὶ πυρὸς αἰθομένοιο·
Η μάλα τις Θεὸς ἔνδον, οἳ ὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι.
O pater, certe magnum miraculum hoc oculis video,
Omnino mihi parietes domus, pulcræque sedes,
Abiegnæque trabes, & columnæ excelsæ,
Lucent oculis tanquam ignis ardens:
Certe Deus aliquis e cœli habitatoribus intus est.

Ex quibus patet lucem Numinis alicujus cœlestis præsentiam significasse: sicut econtra Dii inferi, quorum erat infortunia & calamitates secum afferre, tenebris & aliis modis horrorem incutientibus, nunquam autem luce, nisi obscura & subfusca, apparebant.

Grave omen erat, si quid Deorum statuis præter morem accideret: veluti quod de Diana tradit Pausanias in *Messeniacis*: Τότε γὰρ τῆς Αρτέμιδος ἄγαλμα, ὃν χαλκῶν καὶ αὐτὸ καὶ τὰ ὅπλα, παρῆκε τὴν ἀσπίδα. *Tunc enim Dianæ statua, quæ cum armis ex ære constabat, clypeum dimisit.* Et priusquam Spartani in pugna Leuctrica vincerentur, Dioscurorum insignia deciderant, referente Cicerone *lib.* I. *de Divinat. Stellæ aureæ, quæ Delphis erant a Lacedæmoniis positæ, quia Castor & Pollux cum Lacedæmoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia Deorum, paulo ante Leuctricam pugnam deciderant, neque sunt repertæ.* Cui similes casus portendi credebant, si simulacra sudorem emitterent, si in terram delapsa forent, si templorum fores subito aperirentur, aut aliud denique inopinatum rebus sacris contigeret.

His subjiciendi sunt partus monstrosi, arbores terræque fructus derepente marcentes, reviresecentes, vel nati, eluviones repentinæ solitoque majores & violentiores, brutorum animalium auditæ voces, quavis denique in re, si quid præter communem naturæ ordinem accidisset in cœlo, in terra, in inanimatis, animatis ratione carentibus, vel hominibus: universam enim Naturam a Diis gubernari, & in humanos usus variis modis dirigi credebant. Exempla horum aliorumque ejusmodi prodigiorum singula describere vix operæ pretium foret: sed tamen Virgilianos versus, qui multa simul complexi sunt, apponam e *Georg. lib.* I. *v.* 469.

Tempore quanquam illo tellus quoque, & æquora ponti,
Obscœnique canes, importunæque volucres
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumq; globos, liquefactaq; volvere saxa?
Armorum sonitum toto Germania cœlo
Audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes:
Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens, & simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis: pecudesque locutæ,
Infandum! sistunt amnes, terræque dehiscunt:
Et mœstum illacrymat templis ebur, æraq; sudant:
Proluit insano contorquens vortice sylvas
Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit: nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit; & alte
Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
Non alias cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere cometæ.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi.

2. Rerum principia aliquid ominosi in se habere censebantur; prout Ovid. *Fast. lib.* I. observavit:

Rerum principiis omina inesse solent;
Ad primam vocem timidas advertimus aures,
Et primum visam consulit augur avem.

Huc etiam referenda sunt ἐνόδια σύμβολα, seu *omina in itinere oblata*, de quibus libros scripsisse dicuntur Polis & Hippocrates, non Medicus ille.

His similia erant, quando alicui obvii fiebant eunuchus, Æthiops, simia, canis fœmina cum catulis, vulpes cum catellis, anguis qui in medium prætereuntium reptasset, lepus viam secans. Mulier nens, aut rhombum detectum auferens, cuilibet incœpto multum nocere, spemque de qualibet re, præsertim de fructibus terræ, conceptam intercipere censebatur. Mustela per locum quemdam transiens sufficiebat ad publicum cœtum procrastinandum; vocabatur γαλῆ, & Artemidorus rationem affert, quare illud animalculum cursim præteriens tam superstitiose observabatur, nimir. quia est ἰσόψηφος τῇ δίκῃ, hoc est, (Bogano interprete) *litteræ utriusque vocis indicant eumdem numerum*, nempe 42. Illa omnia habebantur δυσαύγητα, δυσοιώνιστα, & ἀποτρόπαια θεάματα, seu *infaustæ, inauspicatæ, & abominandæ visiones.*

Erant nonnulla alia omina externa, quæ domi ostendebantur, ac divinatio per ea dicebatur τὸ οἰκοσκοπικὸν, de quo tractatum scripsisse Xenocratem memoriæ proditum est. Hujusœmodi erant canis niger aliquo ingrediens, mus saccum salis

corrodens, anguis aut mustela in culmine tecti visa. Istud ex bestiis divinandi genus a Telegono inventum fuisse tradit Suidas. Talia quoque censebantur sal humi sparsum, aqua, mel, aut vinum effusa, vinum ablatum interea dum quis biberet, silentium repente factum, aliique infiniti casus. Quando vestes induendæ, a dextra incipiendum erat; ideoque si pedis sinistri calceum servus hero suo primum porrigeret, in caput ejus illum conjicere non dubitasset. Suetonius in *Augusto c.* XCII. *Auspicia quædam & omina pro certissimis observabat: si mane sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur, ut dirum*, &c. Et Plinius *Nat. Hist. lib.* VII. *c.* VII. *Augustus lævum prodidit sibi calceum inductum præpostere, quo die seditione militari prope afflictus est.* Si corona e capite delapsa foret, omen erat pessimum: Seneca *Thyeste*:

—— Regium capiti decus
Bis terque lapsum est.

Qua in *Tragœdia*, sicuti etiam in *Oedipo*, plurima prodigia describuntur.

Huc etiam referri possunt variæ actiones, quibus bonum vel malum omen inesse existimabant. Ex. gr. in conviviis poulum corona cingere fœlix faustumque habebatur: ut videre est apud Virgilium *Æneid. lib.* III. *vers.* 525.

Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, implevitque mero. ——

Et *Æneid. lib.* I. *vers.* 728.

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Ad exemplum Heroum Homericorum, qui crateras ἐπιστεφέες οἴνοιο exhaurire consueverant; cujus rationem hanc profert Eustathius ex Athenæo, sc. quoniam corona exhibet circulum, omnium figurarum amplissimam ac perfectissimam. Moris quoque erat reliquias sacrificiorum domum asportare boni ominis ergo, (ut alibi a nobis annotatum) dicebanturque ὑγίειαι, quia sanitati tuendæ conducere credebantur, juxta Hesychium. Hæc sufficiant de actionibus casibusque ominosis, quorum notissima & usitatissima solummodo a nobis adducta sunt; omnia enim recensere infinitum opus foret, cum lectio quotidiana posset innumera suppeditare.

Tandem aliquid dicendum de verbis ominatis, quæ, prout fausta vel infausta erant, bonum malumve ominari existimabantur. Hujusmodi verba nuncupabantur ὄτται, κληδόνες, aut φῆμαι, ἀπὸ τῆ φάναι, ut Latinum *omen* appellatum quasi *oremen, quia fit ab ore*, inquit Festus: Anglice reddi queunt *voices*: Tullius enim *lib.* I. *de Divinat.* *voces* nominavit, quo loco divinationis hujus celebre testimonium exstat: *Neque solum Deorum* voces *Pythagorei observaverunt, sed etiam hominum, quæ vocant* omina. *Quæ majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis*, Quod bonum faustum, fœlix, fortunatumque sit, *præfabantur: rebusque divinis, quæ publice fierent, ut* Faverent linguis *imperabatur; inque feriis imperandis, ut* Litibus & jurgiis abstinerent; *itemque in lustranda colonia ab eo qui eam deduceret, cum imperator exercitum, censor populum lustraret*, Bonis nominibus, *qui hostias ducerent, eligebantur: quod item in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Istiusmodi divinatio quammaxime Smyrnæ usurpabatur, ut (tradit Pausanias) ubi visebatur κληδόνων ἱερὸν, templum, in quo responsa hac ratione dabantur; & Apollo Spodius eumdem in modum Thebis oracula edebat, prout jam dixi: verum hanc primo invenisse Ceres existimatur, Hesychio teste: Τινὲς δὲ τὰ διὰ τῆ φήμης γενομένας μαντείας Δήμητρα εὑρεῖν φασι. Serapion apud Clementem Alexandrinum *Strom.* I. *p.* 304. refert Sibyllam Delphicam post mortem oracula edere, atque illas ejus partes, quæ in aerem evanuerunt, ἐν ταῖς κληδόσι futura prædicere; sicut partes magis terrenas in herbas postea mutatas brutorum, a quibus comestæ fuere, intestinis vaticinandi facultatem tribuere.

Verba malorum prænuncia vocabantur κακαὶ ὄτται seu δυσφημίαι, & qui ea eloquebatur, dictus est βλασφημεῖν, φθέγγεσθαι βλασφημίαν, quemadmodum effert Euripides *Jone vers.* 1189. ubi adducit quædam verba ominata a servo in convivio prolata eo ipso tempore quo quis convivarum bibiturus erat:

Βλασφημίαν τις οἰκετῶν ἐφθέγξατο.
Dixit aliquis ex domesticis convitium.

Plautus dicit *obscœnare*, aut (sicut nonnulli legunt) *obscævare*; nam *scæva* fortunam, sive bonam, sive malam, denotat; verbaque Horatius nuncupat *male ominata Carm. lib.* III. *ode* XIV.

—— male ominatis
Parcite verbis.

A verbis hisce similibus magna cum cura semper abstinebant; ita ut loco δεσμωτήριον, id est, *carcer*, seu dicerent οἴκημα, hoc est, *domus*; pro πίθηκος, καλλίας, pro μύσος, ἄγος, pro Ἐριννύες, Εὐμενίδες, aut Σεμναὶ Θεαὶ, &c. quamplurima enim verba effari tantæ religioni habebant, quantæ Judæi nomen suum *Tetragrammaton*. Photius in *Bibliotheca pag.* 74. ex Helladio: Τὸ μὴ λέγειν δύσφημα πᾶσι τοῖς παλαιοῖς μὲν φροντὶς ἦν, μάλιστα δὲ τοῖς Ἀθηναίοις· διὸ καὶ τὸ δεσμωτήριον οἴκημα ἐκάλουν· καὶ τὸν δήμιον, κοινόν· τὰς δὲ Ἐριννύας, Εὐμενίδας, ἢ σεμνὰς Θεάς· τὸ δὲ μύσος, ἄγος· τὸ δὲ ὄξος, μέλι· καὶ τὴν χολὴν, γλυκεῖαν· τὸν δὲ βόρβορον, ὀχετόν· καὶ τὸν πίθηκον, καλλίαν· καὶ κλέπτην, φιλαιτλώ. Quapropter quando Deos venerabantur, (ut antea observavimus) nil severius præscribebatur, quam εὐφημεῖν, seu *vitare omnia verba ominata*; quæ si prolata a fratre, aut ullo alio genere proximo illi, cujus res agebatur, diligentissime observabant, tantoque pejora existimabant. Cicero hunc morem eleganter his verbis descripsit *lib.* I. *de Divinat. L. Paulus consul iterum, cum ei bellum ut cum rege Persa gereret obtigisset, ut ea ipsa die domum ad vesperam rediit, filiolam suam Tertiam, quæ tum erat admodum parva, osculatus, animadvertit tristiculam:* Quid est, *inquit*, mea Tertia? quid tristis es? Mihi, pater, *inquit*, Persa periit. *Tum ille arctius puellam complexus*, Accipio omen, *inquit*, mea filia. *Erat autem mortua catella eo nomine. L. Flaccum flaminem Martialem ego audivi cum diceret, Cecilii Metelli cum vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa, quod fieri more Veterum solebat. Cum virgo staret, & Cæcilia in sella sederet, neque diu ulla vox exstitisset, puellam defatigatam petiisse a matertera, ut sibi concederet paulisper, ut in ejus sella requiesceret, illam autem dixisse:* Vere, mea puella, tibi concedo meas sedes. *Quod omen res consecuta est, ipsa enim brevi mortua est, virgo autem ei nupsit, cui Cæcilia nupta fuerat.*

Nonnulla verba atque peculiaria nomina fœlicem exitum, convenienter nativæ ipsorum significationi, indicabant. En tibi exemplum: Leothychides (referente Herodoto in *Euterpe* seu *lib.* IX. *c.* XC.) cum a Samio quodam rogaretur, ut Persis bellum inferret, nomen ejus requisivit. Respondit Samius, nomen ei esse Ἡγησίστρατος, hoc est, *Dux exercitus*; regessit, ille, Ἡγησιστράτου δέχομαι τὸν οἰωνὸν, *Accipio omen in nomine*; δέχεσθαι

οἰωνὸν apud Græcos idem est ac *arripere omen* apud Latinos, quod ominis acceptionem ejusque accommodationem rei, de qua agitur, significat: penes enim illum, qui omen audiebat, admodum esse censebatur, utrum accipere vellet, necne; *Ostentorum vires in eorum erant potestate, quibus ostendebantur*, ait Plinius. Nam si omen ab auditore illico arriperetur, ejusve imaginationi imprimeretur, magnam vim habebat; sin negligeretur nec observaretur, infirmum erat nulliusque virtutis. Ideoque Æneas quasi abripiens Ascanii verba ab ipsius ore inducitur a Virgilio; quippe Harpyiæ, ut & Anchises alio in loco, prædixerant Trojanos tam horrendam famem passuros, ut meliore penu deficiente mensas suas corrodere adigerentur *Æneid. lib.* III. *vers.* 255.

Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames, nostræque injuria cædis,
Ambesas subigat malis absumere mensas.

Postea in Italiam appulsi, cum forte in gramine pranderent, vice mensarum aut orbium, quæ pro tempore ipsis non suppeditabantur, cibos imposuerunt panibus, quos deinde exederunt: hinc *Æneid.* VII. *vers.* 116. per jocum

Heus! etiam mensas consumimus, inquit Iulus.
Æneas omen illico arripuit, prout subjicit Poeta *ibid. vers.* 117.

—— *ea vox audita laborum*
Prima tulit finem; primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus Numine pressit.

Hinc Salisberiensis *lib.* II. *cap.* I. *Omina omnia tantum possunt, quantum excipientis fides permittit: unde & Julius Cæsar nullo augurio nullave superstitione a quocumque incœpto potuit absterreri: Augustus vero, avunculo dissimilis, mollior ad omina fuit.* Denique morem hunc valde vetustum fuisse, & a gentibus Orientalibus manasse, probabile est, quia Judæos veteres omina captasse Sacræ Litteræ docent: velut I. *Sam.* XIV. ubi Jonathan armigerum monet, quod, si quis ex hostibus dixerit, ἀνάβητε πρὸς ἡμᾶς, *adscendite ad nos*, Deus hostes in eorum potestatem traditurus esset.

Boni ominis causa, quotiescumque rei maximi momenti ac ponderis agendæ incumberent, diligentissime observabant, ut inciperent hujuscemodi præfatione, Θεός, Θεός, aut Εὖ πάθοιμεν, vel Ἔσται μὲν εὖ, vel Ἔσται μὲν ἀγαθῇ τύχῃ: sicut illud Persii, *Hoc bene sit*; hocque tritissimum Romanorum dictum, *Quod bonum, fœlix, fortunatumque sit*. Omnia ipsorum negotia sermonesque nomine quorundam Deorum inchoabant; unde Aratus:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. ——
Ab Jove incipiamus. ——

Quod Theocritus *Idyll.* XVII. & Virgilius *Ecloga* III. ab eo mutuati sunt. Hujusce consuetudinis rationem affert Xenophon *lib. de Rat. Redit.* nimirum quod negotia in Deorum nomine suscepta exitum fœlicissimum habere videbantur.

Hoc loco addere non incongruum erit, certas temporis partes ominosas quoque esse, cum nonnulli dies habeantur fausti prosperumque eventum afferant; alii infausti & in causa sint ut incœpta male succedant, quemadmodum annotavit Hesiodus *Oper. & Dieb. vers.* 823.

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρα, ἄλλοτε μήτηρ.
Interdum noverca est dies, interdum mater.

Quidam dies uni rei, alii alii, quidam vero nulli conveniebant, prout idem Auctor tradit mox adducto Poemate, ubi omnes mensis dies percurrit, ipsorumque vim & efficaciam indicat. Eadem opinio tum apud Romanos, tum apud cæteras gentes invaluisse videtur: unde Augustus, tradente Suetonio ejus *Vitæ* c. XCII. *Observabat & dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur, aut Nonis quidquam rei seriæ inchoaret.* Atque, ut ibi annotat Casaubonus, etsi forte propria fuerit Augusti superstitio, ut postridie nundinas diem haberet infaustum, tamen publico more observatum est, ut dies postridie Nonas, Idus, Kalendas, atri haberentur, & ἀνέξοδοι. Quod docent nos præter veteres Grammaticos, Ovidius, Livius, Plutarchus, alii. Meminit etiam Ambrosius hujusmodi observationum, explicans Pauli verba *ad Galatas c.* IV. ἡμέρας παρατηρεῖσθε, καὶ μῆνας, καὶ καιροὺς, καὶ ἐνιαυτούς. *Dies*, inquit, *observant, qui dicunt, ut puta*, Crastino proficiscendum non est, *post crastinum enim non debet aliquid inchoari.* Mox: *Tempus vero sic observant, cum dicunt:* Hodie veris initium est, festivitas est, post cras Vulcanalia sunt, *& talia iterum ajunt*: Posterum est, domum egredi non licet. Porro observare dies Græce dicitur αἰσιοῦσθαι τὰς ἡμέρας.

Quando omen propulsandum foret, aut lapis conjiciebatur in rem, aut illico trucidabatur, si animal ominosum erat, ut mala per illud portenta in suum caput deciderent; si verba inauspicata, ut in eum, qui protulerat, regererentur, dicendo εἰς κεφαλήν σοι, *tibi in caput redeat*: quæ phrasis forte desumpta ab ἱεροσκόποις, qui, conspicati in victima aliquid, quod infortunium in seipsos aut eorum patriam portendere videbatur, vulgo precabantur εἰς κεφαλὴν ταῦτα τρέπεσθαι, *in victimæ caput retorqueri*. Et sæpe prodigia lignis infœlicibus, iisque non tam quernis, aut ilignis, sed spinosis, & qualia minimo usui futura essent, exurebant: Macrobius *Saturn. lib.* III. *c.* XX. *Arbores, quæ inferum Deorum avertentiumque in tutela, eas infœlices nominant.* Mox: *Quibus portenta prodigiaque comburi jubere oportet.* Aliquando exusta, & in cineres redacta, in profluentem, vel in mare præsertim, si id prope esset, ejiciebant. Quo allusit Theocritus in Ἡρακλίσκῳ seu *Idyll.* XXV. ubi de anguibus, quos Hercules in cunis eliserat, agit *vers.* 86.

Ἀλλὰ, γύναι, πῦρ μέν τοι ὑπὸ σποδῷ εὔτυκον ἔστω,
Κάγκανα δ' ἀσπαλάθω ξύλ' ἑτοιμάσατ', ἢ παλιούρω,
Ἢ βάτω, ἢ ἀνέμῳ δεδονημένον αὖον ἄχερδον·
Καῖε δὲ, τὼ δ' ἀγρίαισιν ἐπὶ σχίζῃσι δράκοντε
Νυκτὶ μέσᾳ, ὅκα παῖδα κανῆν τεὸν ἤθελον αὐτοί.
Ἦρι δὲ, συλλέξασα κόνιν πυρὸς ἀμφιπόλων τίς,
Ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα,
Ῥωγάδας ἐς πέτρας, ὑπὲρ οὔρειον· ἂψ δὲ νέεσθαι
Ἄστρεπτος, καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ.
Verum, domina, vide ut ignis tibi sub cinere paratus sit,
Et ligna arida aspalathi instruite, vel palituri,
Vel rubi, vel vento agitatum siccum acherdum:
In sylvestribus hisce lignis sectis combure dracones
Media nocte, quando puerum tuum occidere ipsi volebant.
Sub auroram aliqua ex ancillis collectum cinerem
Projiciat bene omnem super fluvium ferens,
In petras præruptas, in ventum secundum: flatimque redeat,
Non respectans: & puro lustrate domum sulphure.

Solebant etiam prodigia & portenta *in ultimas terras deportanda esse* dicere, vel *in mare deferenda*: quo legimus semimares delatos & demersos fuisse: quod & prodigiis aliis fieri consuevit. Tibullus:

Prodigia indomitis merge sub æquoribus.

Hujusmodi locutiones in Scriptura S. interdum occurrunt, ut apud Obadiam Prophetam *v.*16. *Τὸ ἀνταπόδομά σου ἀνταποδοθήσεται εἰς κεφαλήν σου.* Aut, (ut Angli Interpretes nostri extulere) *Thy revvard shall return upon thine ovvn head.* Quæ Latine sic vertere licet: *Retributio, quæ tibi debetur, recidet in caput tuum.* Et rursus 1. *Reg. cap.* 11. *v.* 44 *Καὶ ἀνταπέδωκε Κύριος τὴν κακίαν σου εἰς κεφαλήν σου.* Anglica Versio in hunc modum: *And the Lord hath return'd thy vvickednesſ upon thine ovvun head.* Latina sic: *Et Dominus rependit malitiam tuam in caput tuum.* Herodotus *Euterpe* sive *lib.* II *c.*XXXIX. hujusmodi morem apud Ægyptios obtinuisse, unde Græci, ut verisimile sit, suos derivarunt, refert his verbis: *Καταρέονται δὲ, τάδε λέγοντες, τῇσι κεφαλῇσι, εἴ τι μέλλοι ἢ σφισι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι. Execrantur autem capita, hæc dicentes, ut, si quid mali aut ipsis immolantibus, aut universæ Ægypto futurum sit, id in caput hoc convertatur.* Loco istarum imprecationum quandoque dicebant, *Εἰς ἀγαθόν μοι*, vel *Μὴ γένοιτο*, *Dii meliora*, seu *Deus avertat*. Aliquando in sinum ter inspuebant, conspecto homine furioso aut epileptico; quem morem animadvertit Theocritus *Bubulco* seu *Idyll.* XXI. *v.* 11.

—— τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον,
—— ter in suum despuit sinum.

Hoc agebant ad execrandum, ut ita dicam, omen; cum enim in aliquem inspuebant, nota contemptus aversationisque maximæ semper habebatur; hinc *πτύειν*, id est, *spuere*, pro *καταφρονεῖν*, *ἐν οὐδενὶ λογίζειν*, hoc est, *contemnere*, usurpatur; prout Sophoclis Scholiastes observat in *Antig. vers.* 664.

Ἀλλὰ πτύσας ὡσεί τε δυσμενῆ. ——
Sed despuens velut inimicam. ——

Tandem oblato infausto omine, ab incœpto absterrebantur, ac denuo inchoabant, ut liquet ex Euripide, apud quem nonnemo, auditis verbis ominatis dum biberet, illico poculum humum projecit, aliudque petiit *Ione vers.* 1191.

Οἰωνὸν ἔθετο, κἀκέλευσ' ἄλλον νέον
Κρατῆρα πληροῦν· τὰς δὲ πρὶν σπονδὰς Θεοῦ
Δίδωσι γαίᾳ, πᾶσί τ' ἐκσπένδειν λέγει.
Omen malum *duxit, & jussit alium novum*
Craterem implere: priorem vero libationem Dei
Dat terræ, omnibusque edicit ut effundant.

CAP. XVIII.

De Arte Magica & Incantationibus.

PRæter illas vaticinandi artes jam memoratas, hancque divinationem vulgo dictam physicam, eo quod non ab afflatu divino manaret, sed mera causarum naturalium cognitione innitebatur, plures aliæ fuere artes, quarum maximam partem complectuntur *μαγεῖαι* & *ἐπῳδαὶ*, id est, *artes magicæ* & *incantationes*, quæ etsi a nonnullis subtilius distinguantur, nihilominus quia proxime affines sunt, idcirco de utriusque simul hoc in loco agemus. Iterum licet nonnullæ illarum divinationum species recentioribus sæculis inventæ & antiquis Græcis plane ignotæ fuerint, quorum mores describere solummodo proposui, prætermissis iis, quæ recentius innovata & introducta fuerint quum Græci Romano Imperio paruerunt; attamen perdifficile videtur accurate definire quænam ex iis antiquiores, quænam vero recentiores fuerint? pariter quia illarum frequens fit mentio apud Scriptores mediæ ætatis, præsertim apud illos, qui vixerunt circa tempora Romani Imperii in deterius vergentis, cum bona Lectoris venia maxime notatu dignas breviter describere mihi liceat: omnes enim sigillatim recensere nullus foret finis, immensumque opus mihi videtur: imprimis quia ex illis artibus innumeræ (quales illæ erant quæ ope Incuborum & Succuborum exercebantur) tot & tanta prophana & horrenda dictu exhibent, quæ castæ aures ferre non possent.

Græci tradunt artes magicas a Persis originem ducere, apud quos ab initio in maxima fuerunt existimatione & dignitate: *Μάγοι* enim studio philosophiæ, naturæque admirandis operibus, & abstrusissimis arcanis indagandis operam navabant: Deorum cultui omnibusque religionis ritibus præfici, Regibusque in omnibus rebus arduis consilio adesse, necnon ad maximas dignitates amplissimaque munera promoveri solebant. Sed in posterum res aliter se habuit; quando enim naturæ indagatione relicta, Dæmonibus invocandis & aliis illicitis artibus se dederunt, illorum fides & existimatio aut plane periit, aut saltem valde imminuta est.

Hanc artem Græcis tradidisse, ejusque præcepta inter illos huc & illuc, prout occasio offerebat, disseminasse dicitur quidam Oetanes, qui in Græciam cum Xerxe venerat. Hanc autem artem deinceps plurimum provexit & propemodum perfecit Democritus, quam ex cujusdam Phœnicis scriptis hausisse dicitur. Sed ne plura addam de illius artis origine & progressu, diversas species Lectoribus breviter tradam, quod ad meum propositum magis attinet.

Primo *Νεκρομαντεία* est *ars divinandi per mortuos.* Sæpius ex more Thessalorum cadaveris ossibus aut venis utebantur: vel calidum sanguinem in cadaver infundebant quasi in vitam illud restituere viderentur, qua arte utens inducitur Erichtho apud Lucianum; vel alia incantamenta adhibebant ad defunctos in vitam revocandos; quæ probe calluisse videtur Poeta, quum ait:

—— dum vocem defuncto in corpore quærit;
Protinus adstrictus caluit cruor, utraque fovit
Vulnera. ——

Alias defunctorum manes frequenti invocatione & aliis ritibus usurpatis ciere solebant. In hoc occupabatur totus *lib.* XI. *Odyssea Homericæ*, quam inde Prisci *νεκυίαν* vocant: ibi Ulysses nigris pecudibus in scrobem mactatis, post libamina quædam circumfusa, invitat ad sanguinem ebibendum animas defunctorum, & speciatim Tiresiæ vatis, variisque de rebus earum plurimas interrogat. Idem factitasse Tiresiam, tradit Statius: Æsonem, Valerius Flaccus: Neronem, Plinius: nec solum atris pecudibus, verum etiam hominibus, mactatis: quomodo Gregorius Nazianzenus meminit etiam *τῶν ἀνατεμνομένων παρθένων τε καὶ παίδων ἐπὶ ψυχαγωγίᾳ*, *virginum & puerorum, qui mactabantur in evocatione animarum.* Verum usitatos in hoc negotio ritus simul complexus est Seneca in *Oedipo*, ubi Tiresias vates in luco tenebricoso manes evocat *vers.* 547.

Huc ut sacerdos intulit senior gradum
Haud est moratus: præstitit noctem locus.
Tunc fossa tellus, & super rapti rogis
Jaciuntur ignes. Ipse funesto integit
Vates amictu corpus, & frondem quatit:
Lugubris imos palla perfundit pedes:
Squalente cultu mœstus ingreditur senex:
Mortifera canam taxus adstringit comam.
Nigro bidentes vellere atque atræ boves
Retro trahuntur: flamma prædatur dapes,

Vinum-

Vinumque, trepidat igne ferali pecus.
Vocat inde manes, Teque qui manes regis,
Et obsidentem claustra lethalis lacus:
Carmenque magicum volvit, & rapido minax
Decantat ore quidquid aut placat leves
Aut cogit umbras. Irrigat sanguis focos,
Solidasque pecudes urit, & multo specum
Saturat cruore: libat & niveum insuper
Lactis liquorem, fundit & Bacchum manu
Læva, canitque rursus, & terram intuens
Graviore manes voce & attonita ciet.
Latravit Hecates turba, &c.

Sed quia plures cæremoniæ hujus artis propriæ ab iis, quæ in parentalibus obtinebant, non multum discrepant, illas inferius tractabo plenius & accuratius.

Quando mortui sub forma aeria instar umbræ evocati videbantur, hæc ars specialius dicebatur Σκιομαντεία & Ψυχομαντεία, quæ etsi ullo in loco peragi licuisset, (ut puto) nihilominus quædam loca hunc in usum peculiariter dicata erant, quorum plura apud veteres Poetas memorantur, præsertim duo præ cæteris notanda veniunt, alterum in Thesprotia, ubi uxorem Eurydicen ad vivos revocasse dicitur Orpheus, tradente Pausania in *Bœoticis*. Huc etiam nuncios misisse dicitur Periander Corinthiorum Tyrannus sciscitatum de deposito hospitis, quo tempore apparuit uxor ejus Melissa, & negavit se responsuram, eo quod nuda algeret, ut narrat Herodotus in *Terpsichore*. Alterum vero in Campania ad lacum Avernum, quod ab Homero in *Odyssea* & a Virgilio in *Æneide* celebratur.

Ὑδρομαντεία erat *divinatio per aquas*, quæ aliquando dicebatur Πηγομαντεία, quum per aquam fontanam peragebatur: hæc autem exercebatur in variis aquarum impressionibus, immutationibus, fluxu & refluxu, incrementis & decrementis, coloribus & imaginibus, &c. observandis. Sæpius speculum in aquam mergebatur, quum morborum exitum scire cupiebant; prout enim ægroti imago læta aut tristis in speculo exhibebatur, de morbi eventu conjiciebant. Vel pateram aqua plenam utrinque æquipondio libratam & a filo uni digitorum alligato pendentem in aquas demittebant; interim Diis precum formula rogatis, ut rei controversæ veritatem aperire dignarentur; si autem res proposita vera fuisset, annulus definitis ictibus sua sponte pateræ latus feriebat. Alias tribus lapidibus in aquas conjectis vortices, quos dum mergerentur conficiebant, adspicere solebant. Loco aquæ sæpius utebantur oleo aut vino, quod dicebatur χύτλον. Iterum pro lapidibus aureæ vel argenteæ virgæ adhibebantur. Hæc divinatio utplurimum peragebatur in pelvi, quæ idcirco dicta est

Λεκανομαντεία, quæ hunc in morem fieri solebat: Lapidibus aut lingulis certis notulis distinctis, & Dæmone precum formula invocato, res quæsita proponebatur; cui responsum reddebatur submissa voce sibili instar ex aquis edita. Hanc divinandi artem temporibus belli Trojani ab Ulysse adhibitam fuisse tradit Lycophronis Scholiastes, quæ Poetis ansam præbuit de illius viri descensu in inferos ad manes Tiresiæ interrogandos plura comminiscendi. Vid. *Alexandr. vers.* 813. *pag.* 84. *Edit. nostræ.* Iterum divinatio per aquas peragi solebat in speculo, unde dicta est

Κατοπτρομαντεία. Interdum calices adhibebantur, in quibus rerum futurarum imagines sine ope aquæ ostendebantur. Rursus vase aqua pleno, cujus meditullium vocabatur γάστρη, utebantur, qua de causa dicta est

Γαστρομαντεία. En tibi illius morem: Calicibus rotundis aqua limpida repletis, quibus circumsta-

A bant tædæ ardentes, & Dæmone submissa voce invocato, res quæsita proponebatur: interim castus & intemeratus puer, vel mulier gravida, immutationes, quæ in scyphis contingebant, accurate & attente adspicere solebat, dum quærebat, rogabat, imo jubebat responsum sibi reddi, quod tandem a Dæmone accipiebat per imagines in hyalis exhibitas, quæ in aquam reflexæ futura monstrare credebantur.

Κρυσταλλομαντεία erat *divinatio per expolita & incantata crystalla*, in quibus futura certis notis & figuris pandebantur.

Δακτυλομαντεία dicitur *vaticinatio per annulos* B *incantatos*, hoc est, ad certam astrorum posituram confectos. Cujusmodi annulum habuisse dicitur Gyges Rex Lydiæ, quem quum ad suæ manus palmam obvertebat, a nemine videbatur, dum omnes circumstantes videre poterat: ejusdem annuli ope cum Regina amasia sua concubuit & herum suum Candaulem interfecit, in cujus locum deinceps successit. Sunt qui hanc divinationem Helenæ acceptam ferant, propter hæc verba, quæ in Photii *Bibliotheca* occurrunt: Ελένη πρώτη ἐπενόησε τὸν διὰ δακτύλων κλῆρον, καὶ Αλεξάνδρῳ λαχοῦσα ἐνίκησε. Verum hæc ad ludum sortium potius, quam ad hanc, vel aliquam aliam divinatio- C nem, referenda esse videntur.

Ονυχομαντεία erat *divinatio per ungues*, scilicet pueri incontaminati, oleo & fuligine inunctos, quibus soli obversis, radiorum reflexio certas imagines spargebat, quæ res inquisitas exhibere putabantur.

Αερομαντεία dicebatur *vaticinatio per spectra* aut *imagines in aere ostensas*. En tibi morem: Capite mappa involuto, & cratere aqua pleno in aperto aere posito, dubia proponebantur susurris; quod si tunc efferviffet aqua, quæ proposita fuerant, probari & rata haberi credebantur.

D Λιθομαντεία ope cujusdam gemmæ dictæ *sideritæ*, quæ aqua fontana nocte ad candelæ lucem lavari solebat, peragebatur. Consultores autem ab omnigena pollutione se purgare & caput velare assueverant: deinde diversis precibus dictis, & certis characteribus certo ordine dispositis, lapis sua sponte movebatur, susurroque, vel (ut alii volunt) voce quasi pueruli responsum reddebat. Per hujusmodi lapidem Trojæ excidium prædixisse traditur Helenus.

Duplicem divinationem a rustica quadam muliercula adhibitam, quam de suorum amorum exitu consuluerat, memorat Theocritus *Capr.* seu E *Idyll.* III. *vers.* 28.

Εγνων πρᾶν, ὅκα μοι μεμναμένῳ εἰ φιλέεις με,
Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα,
Αλλ' αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ πάχει ἐξεμαράνθη.
Εἶπε καὶ Αγροιὼ τἀλαθέα κοσκινόμαντις,
Α πρᾶν ποιολογεῦσα παραιβάτις, οὕνεκ' ἐγὼ μὲν
Τὶν ὅλος ἔγκειμαι· τὺ δέ μοι λόγον οὐδένα ποιῇ.

Intellexi nuper, cum quærerem an me amares,
Telephilon allisum non edidit sonum,
Sed frustra in tenero cubito exaruit.
Dixit & Agræo verum cribellaria vates,
F *Quæ nuper spicas legebat mercede conducta,*
quod ego quidem
Tibi totus incumberem: tu vero me nihili faceres.

Ubi pastori dolet successum suorum amorum duplice vaticinio infelicem prædictum fuisse: primo per herbam telephilum, quæ manu aut brachio compressa nullum reddidit sonitum; moris enim erat hanc aut aliam herbam brachio contundere,

quæ ſi crepuiſſet, bonum, ſin vero, malum omen cenſebatur. Huic proxime accedit ars divinandi per lauri folia, quæ in ignem conjecta, an dum ardebant crepitaſſent necne, obſervabantur: a quo crepitu laurum dictam fuiſſe *δάφνην* quaſi *δὰ φωνή*. Alter vaticinandi modus, cujus meminit Theocritus, peragebatur ope cribri, per quod vetula divinatrix pauperculis & inſulſis hominibus fata dicebat. Hæc ars nuncupata Κοσκινομαντεία, quæ vulgo adhibebatur ad fures & alios criminis ſuſpicione adſperſos detegendos, hunc in morem: Cribrum filo alligatum ſuſpendebatur, aliquando forcipes, qui duobus digitis ſuſpenſi tenebantur, adhibebantur: præterea Deorum regimine & ope imploratis, & reorum nominibus dictis, ille reorum, cujus nomine audito cribrum in circulum agebatur, aut ſolummodo movebatur, facinus admiſiſſe credebatur. Alia divinandi ratio eadem de cauſa in vulgarem uſum veniebat, quæ dicta eſt

Ἀξινομαντεία, ab *ἀξίνη*, id eſt, *ſecuri*, quæ in medium rotundum ſtipitem impingebatur, ita ut neutra pars alteri præponderaret; precibus autem dictis & reorum nominibus auditis, ille, cujus nomine dicto ſecuris tantillum movebatur, criminis convictus habebatur.

Κεφαλονομαντεία erat *divinatio per caput aſini* (prout ipſa vox ſonat) ſuper prunas toſtum: pauciſque precibus muſſitatis, reorum nomina recenſebant ut ſuperius, vel crimen tantum dicebant, quando quis eſſet ſola ſuſpicione adſperſus; quod ſi maxillæ tantillum motæ fuiſſent, & dentes in ſe invicem colliſi ſtridiſſent, ſons abunde convictus cenſebatur.

Ἀλεκτρυονομαντεία erat abſconditiſſima *divinandi ars per gallum gallinaceum*, cujus ope arcana & incognita, imo ipſa futura, revelabantur. Hunc in morem exercebatur: Viginti quatuor Alphabeti litteris in pulverem inſcriptis, & tritici aut hordei granis ſingulis impoſitis, gallus arte magica incantatus eo emittebatur; illæ autem litteræ, quarum grana legerat, ſimul compactæ, rem quæſitam pandebant. Hac divinatione inſignis ille magus Jamblichus Procli magiſter uſus fuiſſe dicitur, quum inquireret, quiſnam in thronum Valentis Cæſaris ſucceſſurus fuiſſet; ſed quia tantum quatuor illa grana, quæ quatuor iſtis literis *θ. ε. ο. δ.* incumbebant, roſtro collegerat gallus, res in dubio hæſit, an Theodoſius, vel Theodotus, aut Theodectes a fatis Imperator deſignabatur: iis autem auditis Valens furore percitus plures morti tradidit nulla alia de cauſa, quam quia illorum nomina a litteris mox dictis incipiebant, imo perquiſitione facta in ipſos magos, Jamblichus, ut Imperatoris crudelitatem præverteret, hauſtu venenato mortem ſibi intulit.

Σιδηρομαντεία dicebatur *divinatio per ferrum candens*; cui ſtraminibus impoſitis, ex figuris, ſinuationibus, ſcintillationibus, &c. quæ in iis conſpiciebantur dum urebantur, vaticinari ſolebant.

Μολυβδομαντεία exercebatur in plumbi liquefacti diverſis motibus, imaginibus, &c. obſervandis. Tres ſequentes divinandi artes a nonnullis inter incantationes recenſentur.

Τεφρομαντεία, *divinatio per cineres*, hunc in modum peragebatur: Interrogationes in cineres ſuper tabella aut re ſimili ſparſos inſcribebantur, quæ in aperto aere aliquandiu exponebantur: litteræ autem, quæ integræ manebant, nec a ventis aliave cauſa ullo modo deformatæ erant, dubii ſolutionem continere credebantur.

Βοτανομαντεία, id eſt, *divinatio per herbas*, præſertim per ἐλελίσφακον, *ſalviam*, aut per ficus folia, quæ tunc dicebatur Συκομαντεία, ſic fieri ſolebat: Conſultores nomina & dubia ſua in foliis inſcripta ventis objicere aſſueverant: litteræ autem, quæ integræ ſervatæ erant, ſimul collectæ & conjunctæ dubii ſolutionem monſtrare dicebantur.

Κηρομαντεία erat *divinatio per ceram*, quæ in vas aqua plenum liquefiebat, & in tria definita interſtitia defluebat guttatim, guttarum vero figura, ſitus, diſtantia, & concretio attente obſervabantur vaticinationis gratia. Præter has, innumeræ fuerunt aliæ divinationis ſpecies, quales Χειρομαντεία, Φυσιογνωμία, quæ Socratis ætate in uſu erant, Ὀνοματομαντεία, Ἀριθμομαντεία, Γεωμαντεία, Λυχνομαντεία, & plures aliæ, ab Arato in *lib. Prognoſticorum*, & a Plinio in *Hiſt. Nat.* memoratæ; quibus omnibus prætermiſſis unicam tantum addam, quæ quia maxime notatu digna omitti non debet, nimirum

Φαρμακεία, quæ certa gramina, mineralia, &c. medicata & incantata, idcirco dicta *φάρμακα*, miſcebat, quorum ope inſolita & mira effecta fuiſſe traduntur. Illorum quædam ſorpta cœcitatem, furorem, amorem, &c. inferebant, qualia fuerunt illa medicamenta, quorum ope Ulyſſis milites mutatis formis induit Circe. Alia tactu inficiebant, qualis illa veſtis, quam ad Creuſam miſit Medea. Iterum alia virus afflabant & homines intoxicabant a longinquo. Fuerunt & *φάρμακα σωτήρια*, id eſt, *amuleta virus pellentia*; cujuſmodi herba illa moly, qua Ulyſſes a Circes incantationibus tutus tectus eſt, laurus, ſalix, rhamnus, ſpina Chriſti, pulicaria, jaſpis, & innumera alia ab Alberto Magno, & Orpheo in *lib. de Lapidibus* recenſita; his adde certos annulos, quos Ariſtophanes in *Pluto* δακτυλίους φαρμακίτας nominat. Præ cæteris Græcis hanc artem callebant Theſſali; itidem Democritus & Pythagoras illius peritia claruerunt. Quanta prodigia illorum medicamentorum ope præſtita fuerint ubique apud Hiſtoricos legere eſt, quorum plura effeciſſe jactat quædam ſaga apud Ovidium *Metamorph. lib.* VII. *fab.* 2.

—— cum volui, ripis mirantibus, amnes
In fontes rediere ſuos, concuſſaque ſiſto,
Stantia concutio cantu freta; nubila pello,
Nubilaque induco; ventos abigoque vocoque;
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces;
Vivaque ſaxa, ſua convulſaque robora terra,
Et ſylvas moveo, jubeoque tremiſcere montes;
Te quoque, luna, traho. ——

Quorum carminum ultimum præſertim notandum eſt, ubi ipſam lunam ab orbe trahere poſſe gloriatur illa venefica; Veteres enim pro certo credebant, ipſam lunam de cœlo deduci vi incantationum, juxta illud Virgilii *Ecloga* VIII. *verſ.* 69.

Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam.

Imo lunæ eclipſes virtuti magicæ tribuebantur; quocirca tympana & æra pulſare, tuba & tibia canere ſolebant ad magorum vires, ſi fieri poſſet, vincendas, ne illorum faſcina illud aſtrum afficerent. Pariter luna huic arti præeſſe putabatur, quæ idcirco una cum Hecate illius artis auctor credita invocari ſolebat; unde ex omnibus Diis Hecaten maxime coluiſſe profitetur Medea apud Euripidem *Medea verſ.* 395.

Οὐ γὰρ μὰ τὴν δέσποιναν, ἣν ἐγὼ σέβω
Μάλιστα πάντων, καὶ ξυνεργὸν εἱλόμην,
Ἑκάτην. ——
Non enim per dominam, quam ego colo
Omnium maxime, & adjutricem elegi,
Hecaten. ——

Ritus, qui in illius Deæ invocatione obtinebant, deſcribuntur ab Apollonio *Argonaut. lib.* III. *verſ.* 1028.

Δὴ τότε μέσην νύκτα διαμμοιρηδὰ φυλάξας,
Ακαμάτοιο ῥοῇσι λοεσσάμενος ποταμοῖο,
Οἶος ἄνευ τ᾽ ἄλλων ἐνὶ φάρεσι κυανέοισι
Βόθρον ὀρύξασθαι περιηγέα· τῷ δ᾽ ἐνὶ θῆλυν
Αρνειὸν σφάζειν, καὶ ἀδαίετον ὠμοθετῆσαι,
Αὐτῷ πυρκαϊὴν εὖ νηήσας ἐπὶ βόθρῳ.
Μουνογενῆ δ᾽ Εκάτην Περσηΐδα μειλίσσοιο
Λείβων ἐκ δέπαος σιμβλήϊα ἔργα μελισσῶν.
Ενθα δ᾽ ἔπειτα Θεὰν μεμνημένος ἱλάσκαι.
Αψ δ᾽ ἀπὸ πυρκαϊῆς ἀναχάζεο, μηδέ σε δοῦπος
Ηὲ ποδῶν ὄρσῃσι μεταστρεφθῆναι ὀπίσσω,
Ηὲ κυνῶν ὑλακή, μήπως τὰ ἕκαστα κολούσαις.

Tum obſervato noctis exacte diviſæ meridie,
Perennis fluvii ablutus fluminibus,
Separatim ab aliis cum pallio ſubnigro
Scrobem fodito rotundam: inque ea fœminam
Ovem bidentem mactato, & ſine laniatu imponito crudam,
Ubi in eadem foſſa pyram exſtruxeris.
Sic placandæ unigenæ Hecatæ e Perſeo natæ
Libato ex patera apum opera in alveariis elaborata.
Tum demum Deam propitiato memor.
Citoque a rogo recedito, ne vel pedum
Te ſonitus impellito converti retrorſum,
Vel latratus canum, aliter rem totam hebetaveris.

Ad hanc divinationis ſpeciem referri debent incantamina & amuleta virus, venena, morboſque pellentia. Sacrificiorum enim & quorumdam vocabulorum prolatorum uſu morbos ſanatos fuiſſe a temporibus Minois Cretæ Regis tradit Suidas: iterum ſanguinem erumpentem ex vulnere, quod Ulyſſes ab apro in venatione acceperat, incantatione ſtitiſſe dicuntur Autolyci filii apud Homerum *Odyſſ.* τ'. *verſ.* 456.

Ωτειλὴν δ᾽ Οδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
Δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπαοιδῇ δ᾽ αἷμα κελαινὸν
Εσχεθον. ——
Vulnus autem Ulyſſis optimi divini
Ligaverunt ſcienter, incantatione autem ſanguinem nigrum
Cohibuerunt. ——

Hinc Plinius *Nat.Hiſt. lib.* XXVIII. *cap.* II. ſcribit *profluvium ſanguinis vulnerato femine Ulyſſem inhibuiſſe carmine. Sic Theophraſtus iſchiadicos ſanari: Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari: Marcus Varro podagris.* Chiron eodem remedio uſus eſſe dicitur: Pindarus *Pyth. ode* III. *verſ.* 89.

—— λύσαις ἄλλον ἀλλοίων ἀχέων
Εξαγεν· τοὺς μὲν μαλακαῖς
Επαοιδαῖς ἀμφέπων, &c.
—— *liberans alium*
Aliis doloribus eripuit:
Quoſdam mollibus
Incantationibus tractans.

Quo fortaſſe referenda Orphei fabula, qui uxorem Eurydicen Muſicæ vi ab inferis revocaſſe dicitur: eum enim magiæ peritum fuiſſe refert Pauſanias *Eliac.* β'. *pag.* 383. *Edit. Hanov.* ſed & incantationum libros ſcripſiſſe, & morborum remedia atque amuleta docuiſſe dicitur: quod ab Euripide memoratum *Alceſt. verſ.* 965.

Κρεῖσσον οὐδὲν ἀνάγκας
Εὗρον· οὐδέ τι φάρμακον
Θρῄσσαις ἐν σανίσι, τὰς
Ορφεία κατέγραψε
Γῆρυς. ——

Nihil neceſſitate potentius
Inveni: ne pharmacum quidem ullum
Thraciis in tabulis, quas
Orphei conſcripſit
Vox. ——

Pariter huc reduci debent cingula & alia hominum veſtimenta incantata, quibus amorem aut alium quemvis affectum eorum, quorum conſuetudine utebantur, ciere valebant: cujuſmodi fuit ille κεστός, cujus ſæpius meminit Homerus in *Iliade* a Venere Junoni donatus, quo Jovis amorem erga ſe accenderet, prout Euſtathius obſervat *in Odyſſ. carmine mox citata.* Sed occaſio dabitur de illis ritibus plura dicendi, quum *de Rebus amatoriis* inferius agemus.

Huc denique referenda eſt βασκανία, ſive *oculorum faſcinum:* dicta, ut volunt Grammatici, παρὰ τὸ φάεσι καίνειν, *ab occidendo oculis*, unde Latina vox *faſcinus* originem habere dicitur: nam intuitu oculorum præcipue fit faſcinatio: cum ſcilicet maligni ſpiritus, ex invido aliaſve male affecto animo emiſſi per oculos, aerem circumfuſum inficiunt; idemque ſic infectus aer eos inficit, in quos vel ore, vel oculis, vel naribus commeat. Ita fere Heliodorus *Æthiop. lib.* III. Præcipue vero junioribus, utpote naturæ tenerioris, faſcinum adhæreſcere putabant. Unde Virgilius *Ecloga* III. *verſ.* 103.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Et Plutarchus *Sympoſ. lib.* V. *quæſt.* VII. Γινώσκομεν γὰρ ἀνθρώπους τῷ καταβλέπειν τὰ παιδία μάλιστα βλάπτοντας, ὑγρότητι τῆς ἕξεως καὶ ἀσθενείᾳ τρεπομένης ὑπ᾽ αὐτῶν καὶ κινουμένης ἐπὶ τὸ χεῖρον· ἧττον δὲ τῶν στερεῶν καὶ πεπηγότων ἤδη τοῦτο πασχόντων. *Novimus enim homines, qui intuendo infantibus potiſſimum nocent, qui ob humiditatem habitus ſui imbecillitatemque ab iſtis afficiuntur atque in deterius mutantur: cum ſolidis & compactis corporibus hoc minus accidat.* Tamen ſubjungit ex Phylarcho; *Thebios circa Pontum non infantibus modo, ſed adultis exitium intuliſſe.* Eorumdem meminit Plinius, aliorumque, quales erant *Illyrii, & Triballi, qui viſu effaſcinent, interimantque quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis: quod eorum malum facilius ſentire puberes.* Hæ autem gentes duplices habuiſſe pupillas ejuſdem oculi refert, additque quod *fœminas omnes ubique viſu nocere, quæ duplices pupillas habent, Cicero quoque apud nos auctor eſt lib.* VII. *cap.* II. Porro illi faſcinum maxime metuebant, qui bono aliquo ſingulari & invidiæ movendæ nato fruebantur. Nam faſcinum ab invidioſorum oculis præcipue imprimebatur. Unde Horatius *lib.* I. *epiſt.* XIV. *verſ.* 37. de ſuo rure verba faciens:

Non iſthic obliquo oculo mihi commoda quiſquam
Limat. ——

Faſcino etiam obnoxius præcipue eſſe credebatur, qui a ſe, vel ab aliis nimium laudatus fuerat: quia *Nemeſis*, Dea ſcelerum ultrix, & bonorum remuneratrix, inde iram concipere putabatur, & ab eo, quia ſic laudatus fuerat, pœnas repetere. Narrat & Plinius *loco citato* ex Iſigono & Nymphodoro, *eſſe in Africa familias quaſdam effaſcinantium, quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes.* Quamobrem apud Romanos moris erat laudi præmittere voculam *præfiſcini*, vel *præfiſcine*, hoc eſt, *ſine faſcino*, vel ut ea voce faſcinum averterent, vel ut innuerent ſe ſincere laudare, non animo faſcinandi. Plautus *Aſin. Act.* II. *Scen.* IV. *verſ.* 84.

Præfiſcini hoc nunc dixerim: nemo etiam me accuſavit
Merito meo: neque me Athenis eſt alter hodie quiſquam
Cui credi recte æque putent. ——

Et Tertullianus *de Virgin. veland. Nam est aliquod etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infœliciorem laudis & gloriæ enormioris eventum.* Aliqui ad avertendum fascinum baccaris corona, quasi amuleto, utebantur; ut tradit Virgilius *Ecloga* VII. *vers.* 27.

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Etiam monilia conserta sacris conchis, & vivi lapides cum corallis juncti, & herbæ magico cantu adjutæ, ut inquit Gratius, ad depellendum fascinum prosunt:

Nam sic affectus, oculique venena maligni
Vicit tutela pax impetrata Deorum.

Alia etiam amuleta de collo puerorum suspendebant. Varro *lib.* VI. *Pueris turpicula res in collo quædam suspendebatur, ne quid obsit, bonæ scævæ causa.* Hinc *fascinum* vocatur pudendum virile, quod averteret fascinum, est enim ea res turpicula, quæ de collo suspenditur. Salivæ quoque mirifica quædam virtus cum ad alia, tum præsertim adversus fascinum inesse putabatur, referente Plinio *Hist. Nat. lib.* XXVIII *cap.* IV. *Despuimus comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus. Simili modo & fascinationes repercutimus.* Nam in aliquem despuere aversationis maximæ signum est, & ad alia quoque mala depellenda valebat, ut prius dictum est cum *de Ominibus* agebam. Hinc anus superstitiosa apud Persium infantis frontem & labella sputo signat adversus *urentes* sive fascinantes oculos *Sat.* II. *vers.* 31.

Ecce avia, aut metuens Divum matertera, cunis
Exemit puerum: frontemque, atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

Ubi Interpretes observant, moris fuisse ut vetulæ licio varii coloris cervicem infantium ungentes, postea turbatum sputo pulverem medio digito tollerent, & eorum frontem ac labella signarent. Apud Theocritum Damœtas Polyphemi personam gerens, postquam formam suam laudasset, addit se vetulæ cujusdam monitu adversus fascinum muniri ter despuendo in sinum, ex quo eum fuisse veterem morem colligitur *Idyll.* ϛ'. *vers.* 39.

Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον·
Ταῦτα γὰρ ἁ γραία με Κοτυτταρὶς ἐξεδίδαξεν.

Ne vero fascino læderer, ter ipse in gremium meum inspui:
Nam id me anus Cotyttaris docuit.

Quem morem Græcus ibi Scholiastes ex Callimacho confirmavit. *Ἵνα μὴ βασκανθῶ, τρὶς εἰς τὸν ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον· ποιοῦσι γὰρ καὶ μέχρι τοῦ νῦν μάλιστα τοῦτο αἱ γυναῖκες, τὰ νεμεσητὰ ἐκτρεπόμεναι.* Καλλίμαχος:

Δαίμων, τοὶ κόλποισιν ἐπιπτύουσι γυναῖκες.

Hinc homines arrogantes, & qui magnos sibi spiritus sumebant, jubebantur ab amicis admonitione urbana, *εἰς κόλπους πτύειν*, *in sinum spuere.* Lucianus; Πλοίῳ ἢ Εὐχαῖς: Ὑπερμαζᾷς γε, ὦ Ἀδείμαντε, *καὶ εἰς κόλπον οὐ πτύεις. Luxuriosius agis, Adimante, nec tamen in sinum despuis.* Quinetiam hortos & fores contra effascinationem muniebat, ut refert Plinius *Hist. Nat. lib.* XIX. *cap.* IV. erant autem *remedio signa satyrica;* hoc est, membra virilia subrecta, vel ejusmodi turpes figuræ, quarum intuitu averti invidentium oculos credebant, referente Plutarcho *Symp. lib.* V. *quæst.* VII. *Διὸ καὶ τὰ προβασκανίων γένος οἴονται πρὸς τὸν φθόνον ὠφελεῖν, ἑλκομένης διὰ τὴν ἀτοπίαν τὴν ὄψεως, ὥστε ἧττον ἐπερείδειν τοῖς πάσχουσι. Amuleta adversus invidiam opitulari putant, sua fœditate insolita adspectum a re passa attrahendo ad se.* Eadem artifices ante fores suas appendebant, & vocabantur *βασκάνια*. Pollux *l.* VII. *c.* XXIV Πρὸ δὲ τῶν καμίνων τοῖς χαλκεῦσιν ἔθος ἦν γελοῖά τινα καταρτᾷν, ἢ ἐπιπλάττειν ἐπὶ φθόνου ἀποτροπῇ· ἐκαλεῖτο δὲ βασκανία, (lege *βασκάνια*) ὡς καὶ Ἀριστοφάνης ἔφη, Πλὴν εἴ τις πρίοιτο δεόμενος βασκάνια ἐπὶ κάμινον ἀνδρὸς χαλκέως. *Ante camina vero fabri solebant ridicula quædam appendere, aut affingere, ad invidiæ aversionem: quæ* bascania *appellabantur, ut Aristophanes inquit:* Præterquam quis emat indigens bascano juxta caminum fabri. Eadem vocabant *προβασκάνια*, quæ vox in Plutarchi verbis modo citatis occurrit: unde *Glossarii* Auctor *mutinum* explicat *προβασκάνιον*. Verum hæc vox recentior est, Veteres dicebant *βασκάνιον* sine præpositionis adjectione. Phavorinus: Βασκάνιον λέγουσιν οἱ ἀρχαῖοι, οὐ προβασκάνιον κατὰ τὸ πρῶτον. Cæterum ab hujusmodi amuletis factum est, ut Priapus fascinationis depulsor putaretur, & fascinatorum vindex; nam *πρὸς τοὺς βασκαίνοντάς τι τῶν καλῶν, τοῦτον κολαστὴν παρεισήγαγον*, *eorum, qui alterius bonis invident, ultorem hunc* (Priapum) *introduxerunt;* ut ait Diodorus Siculus *lib.* IV. Alii erant Romanis Dii fascini depulsores; veluti *Fascinus*, cujus meminit Plinius *Hist. Nat. lib.* XXIV. *cap.* IV. & *Cunina, quæ infantes in* cunis *tuetur, ac fascinum submovet*, ut ait Lactantius *lib.* I. *cap.* X.

CAP. XIX.

De Græcorum Festis in genere.

Festa quadruplici de causa potissimum instituta sunt.

I. In honorem Deorum, quibus, præter cultum diurnum iis continuo præstitum, solenniora tempora dicata sunt; quum enim in Rempublicam aut privatos cives quoddam insigne beneficium contulerant, vel patriæ patrocinati fuerant, vel illorum ope victoriam in hostes adepti fuerant, ab imminentibus periculis tuti tectique fuerant, aut fœlicem suorum incœptorum exitum consecuti fuerant, certos dies consecrare sacrificiis faciendis & Deorum laudibus celebrandis animi grati officium esse existimarunt.

II. Ut a Diis singularia beneficia impetrarent; plura enim festa (prout ex *sequentibus capitibus* patebit) eum in finem introducta sunt, ut Deorum gratiam sibi conciliarent, & ab iis eximia bona, ut sanitatem, liberos, & similia, consequerentur. Itidem fame, peste, aut aliis publicis plagis grassantibus, oracula interrogata utplurimum jubebant festa solennia in honorem Deorum institui, quasi forent sola ratio iræ divinæ litandæ & malorum, quibus premebantur, pellendorum.

III. In memoriam defunctorum amicorum, præsertim illorum, qui de Republica optime meruerant, aut pro patria fortiter pugnantes occubuerant. Virorum enim bene natorum & gloriæ cupidorum animi ad præclara facinora non parum accendebantur, quum fortium bene gesta non in morte peritura, sed illorum piam memoriam posteris tradendam esse pro certo scirent.

IV. Festa instituta sunt in requiem & levamen laborum, ut pro vitæ ærumnis & mœroribus certorum dierum mercede, ut ita dicam, & solamine gauderent operarii. Una aut pluribus his de causis a prima origine festa introducta fuisse videntur.

Aristoteles *Ethic. ad Nicomach. lib.* VIII. *cap.* IX. tradit, apud Veteres pauca aut nulla fuisse festa,

ſi excipias illa, quæ poſt meſſem & vindemiam celebrari ſolebant: tunc enim ſtatis diebus in unum locum conveniebant, genioque indulgere ſolebant uſu frugum mox collectarum, conviviiſque & compotationibus; quia hac ratione ſuæ annonæ primitias Diis dicare, iiſque honorem tribuere exiſtimabant; propterea hujuſmodi convivia vocabantur Θοίναι, quaſi Θέοιναι, ὅτι διὰ τὺς Θεὺς οἰνῦσθαι δεῖν ὑπελάμβανον, id eſt, *quia in honorem Deorum inebriari debere putabant*. Seleucus etiam apud eumdem Auctorem tradit, voces θαλία & μέθη ab eadem origine duci: *Τόν τε οἶνον ἐπὶ πλεῖον καὶ τὴν ἄλλην ἡδυπάθειαν Θεῶν ἕνεκα προσφέρεσθαι, διὸ καὶ θοίνας, καὶ μέθας ὀνομασθῆναι.* Id eſt, *Convivia dicebantur θοῖναι, θαλίαι, ac μέθαι, a Θεὸς Deus; quia moris erat tunc temporis multum vini aliorumque ciborum delicatorum in honorem Deorum profundere.*

Recentioribus ſæculis, quum Deorum multitudo eo increvit ut hominum numerum propemodum æquaret, & antiquiorum temporum frugalis victus deſuevit, feſtorum numerus auctus eſt, priſcique mores penitus perierunt. Quum enim a prima origine ſacrificiis tantum & compotationibus illæ feriæ celebrari ſolebant, in poſterum innumeri ludi, perambulationes, & milleni alii ſuperſtitioſi ritus, quibus Deorum præclare geſta in fabulis decantata æmulari ſtudebant, introducti & ſervati ſunt in Reipublicæ ingentes ſumptus.

Athenienſes ut multitudine Deorum, ita numero feſtorum præ cæteris populis gaudebant, quæ duplo plura fuiſſe iis, quæ in ulla alia civitate obſervabantur, tradit Xenophon *de Republ. Athen.* Nec ob illorum numerum & frequentiam quicquam magnificentiæ, ſplendoris, & ſumptuum in illis celebrandis imminutum eſt. Officinæ & fora illis diebus feſtis plerumque clauſa manebant, & ne concio haberetur de rebus ad religionem nihil pertinentibus, lege cautum eſt. Opifices labori, mercatores vero mercaturæ ſuperſedebant, lugentes a luctu abſtinebant; ullum enim clamorem, gemitum, aut aliud triſtitiæ indicium illis diebus prodere nefas erat. Sed nil niſi otia & voluptatem, gaudia & feſtivitatem agere illos decebat. Et quidem ubique terrarum tam inter Judæos, quam Gentiles, inter Græcos, quam Barbaros receptum fuit, ut in celebrandis ſolennibus ſacris a laboribus abſtinerent. Strabo: *Κοινὸν τῦτο καὶ τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν Βαρβάρων ἐστὶ, τὸ τὰς ἱεροποιίας μετ' ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι.*

Pleraque feſta publico ſumptu celebrabantur; ne autem publicum ærarium tot & tantis impenſis exhauriretur, in iis reſarciendis & reficiendis omnem curam adhibebant. Ex gr. pulſis a Thraſybulo Tyrannis, illorum bona hunc in uſum fiſco addicta fuiſſe ex Philochoro tradit Harpocration. Iterum Republica priſco Democratico regimini reddita, cives, quorum ingentes opes plebeculæ metum & invidiam ciebant, ſæpius adigebantur, ut ad feſtorum publicorum impenſas ſuſtinendas ſuas facultates conferrent: inſigni enim (etſi ſumptuoſo & caro) honore iis donato, una & tributi onus levabatur, (fere dixiſſem, iis deminuebatur quibus irrogatum erat) & timores ſuſpicioneſque, quæ in regimine Democratico ab immani privatorum hominum opulentia in cæteris civibus jure merito cientur, evaneſcebant.

Hæc de feſtis in genere. Si de illis ſpeciatim dicere velimus, eorum, quæ in Meurſii & Caſtellani *Tractatibus* de hac materia notatu digna occurrunt, nil fere omiſi, & quædam, quæ neuter notaverat, quæque obſervatu non plane indigna videntur, addidi. Attamen non intelligo hic Lectoribus tradi Græcorum feſtorum omni numero abſolutam & perfectiſſimam deſcriptionem: illud enim foret infinitum opus, (quum fere ſinguli viri fama inclyti, imprimis qui de Republica bene meriti fuerant, feſto anniverſario decorati fuerint) imo impoſſibile foret, eo quod centena feſta (præſertim illa quæ in obſcurioribus civitatibus ſervabantur) ne quidem memorantur in ullo Veterum, quorum ſcripta hodie exſtant; vel ſi illorum meminerunt, de iis quibus dicata erant, & de ritibus qui in illis celebrandis obtinebant, nihil plane tradunt. Sed uſu *ſequentium capitum* veteres Græcos Scriptores abunde intelligi poſſe perſuaſum habeo.

CAP. XX.

Græcorum Feſta.

A.

ΑΓΗΤΟΡΕΙΟΝ, & ΑΓΗΤΟΡΙΑ,

Occurrunt apud Heſychium, nulla mentione facta Numinis, in cujus honorem celebrabantur. Ad Apollinem pertinuiſſe, eademque (ſaltem illorum poſterius) fuiſſe ac Lacedæmoniorum Καρνεῖα, non vero abſimile ſit. Hæc conjectura nititur verbis Heſychii, qui perſonam Deo conſecratam in Καρνείοις Ἀγητὴν, & feſtum ipſum Ἀγητόρεια nuncupata fuiſſe aſſerit; quod vocabulum ab ἄγω derivatum videtur, quoniam illud feſtum agebatur ad inſtar στρατιωτικῆς ἀγωγῆς, ſeu *modi vivendi militum*, prout Athen. *Deipnoſoph. l.* IV. & Euſtathius *ad Iliad.* ω. annotarunt. Nec improbabile prius referri poſſe ad Venerem, cujus Sacerdos (ut nos docent Grammatici) in inſula Cypro dicebatur Ἀγήτωρ.

Α Γ Ρ Α Ν Ι Α,

Argis celebrata in memoriam unius ex Prœti filiabus, juxta Heſychium; &, ut valde veriſimile ſit, eadem ac

Α Γ Ρ Ι Α Ν Ι Α,

Quæ (teſte eodem Scriptore) Argis, ut & Thebis una cum ludis ſolennibus, in defunctorum memoriam agebantur.

Α Γ Ρ Α Υ Λ Ι Α,

Athenis in honorem Agrauli vel Aglauri filiæ Cecropis, ac Nymphæ Aglauris & Sacerdotis Minervæ, quæ cognominabatur Aglaurus, ac in templo ipſi ſacro colebatur. Cyprii quoque (tradente Porphyrio *de Abſtin. ab animal. l.* II.) eamdem honorabant ſolenni feſto celebrando menſe Aphrodiſia, quo humanæ victimæ offerebantur; & ad tempora uſque Diomedis obtinuiſſe iſte mos dicitur.

Α Γ Ρ Ι Ω Ν Ι Α,

In laudem Bacchi cognomine Ἀγριωνίου ob feritatem, prout ſentit Plutarchus in *Antonio*; aut quia leonum, tigridum, aliarumque ferarum conſortio quammaxime delectabatur, hinc ipſi aliud nomen Ὠμηστὴς, quod proprie ſignificat *carnis crudæ belluonem*, aut quemvis barbarum hominem. Iſtud ſolenne noctu habebatur hunc in modum: Mulieres congregatæ Bacchum diligenter inquirebant, tanquam ab ipſis aufugiſſet; verum aliquanto poſt ſe fruſtra laboraſſe percipientes, dicebant eum ad Muſas receſſiſſe & inter eas latitaſſe, juxta Plutarchum *Sympoſ. l.* VIII *quæſt.* I. Quibus peractis, convivio opiparo ſeipſas excipiebant, poſteaque ænigmatibus quæſtionibuſque intricatis proponendis tempus tranſigebatur. Magna hederæ copia in illo feſto adhibebatur ſecundum eumdem Auctorem *Quæſt. Rom.* quoniam planta hæc Baccho ſacra

A existimabatur; ibique interdum adeo intemperanter se gerebant, ut quadam die filiæ Minyæ, furore divino correptæ, Hippasum Leucippes filium trucidaverint, eumque mensæ apposuerint. In hujus homicidii monumentum, universa earum familia ab illo festo in perpetuum exclusa fuit, pœna capitis in eas constituta; quæ (ut refert Plutar. *Quæst.Græc.*) a Zoilo Chæronensi Sacerdote irrogata illarum uni, quæ inter reliquos cultores furtim irrepserat.

ΑΓΡΟΤΕΡΑΣ ΘΥΣΙΑ,

Anniversarium sacrificium ex quingentis hircis
B mactatis Athenis in honorem Minervæ cognomento Ἀγροτέρας ab Agris civitate Atticæ, juxta Xenophon. *Expedit.Cyri.* En tibi occasionem: Irruptione in Atticam facta a Dario Persarum Rege, Callimachus, tunc temporis Polemarchi vices gerens, Minervæ solenniter vovit, ut, si victoriam de hostibus concederet, tot hirci ei sacrificarentur, quot hostes cæderentur: Minerva ejus petitionem ratam habuit, verum tot & tanti in prælio occubuerunt Persæ, ut quotquot hircos comparare possent, minime ad illorum numerum accederent; ideo eorum loco capras, quascumque reperire licuit, obtulerunt; imo cum illæ numero hostium
C cæsorum quammaxime inferiores essent, edicto sanxerunt, ut quingenti hirci quotannis mactarentur, donec numerus expleretur.

ΑΓΡΥΠΝΙΣ,

Festum nocturnum Arbelæ oppido Siciliæ in Bacchi gloriam celebratum, & ita appellatum, quia cultores ἠγρύπνουν, seu *tota nocte vigilabant*, ex Hesychio.

ΑΔΩΝΙΑ, vel ΑΔΩΝΕΙΑ,

In plerisque Græciæ urbibus Veneri ejusque a-
D masio Adonidi agebantur, durabantque per duos dies; quorum priore quædam Adonidis ac Veneris simulacra seu effigies cum omni pompa & ceremoniis, quæ in exequiis obtinebant, producebantur: fœminæ capillos evellebant, plangebant, omnesque alios gestus, qui in mortuis lugendis usuveniebant, imitabantur. Hic luctus ἀδωνία, vel (ut *Etymologici* Auctor tradit) ἀδωνιασμός; hinc ἀδωνίαν ἄγειν est, interprete Suida, Ἄδωνιν κλαίειν, *Adonim flere*: epicedia denique, quæ hinc decantabantur, sunt ἀδωνίδια, ut docet Proclus in *Chrestomathia*. Simul gestabantur testæ terra oppletæ, in quibus varia olerum genera, præsertim lactucæ, germina-
E bant; eo quod Adonis super lactucarum areolam a Venere positus fuerit. Hæ vocabantur κῆποι sive *horti*; unde Ἀδώνιδος κῆποι in proverbii loco dicebatur de rebus infrugiferis aut marcidis; quia hujusmodi olera tantisper ante festum seminabantur, dum pullularent ac virescerent hoc tempore, tumque illico in aquam projiciebantur. Isto die tibiæ adhibebantur, nuncupatæ γιγγρίαι a Γίγγρης, nomine Adonidis Phœnicio; hinc γιγγρῶ, vel γιγγραίνω, ejusmodi tibia cano: γιγγρασμός, cantus τοῦ γίγγρου: denique γιγγραντὰ, carmina, quæ gingris cantabantur. Sacrificium dicebatur καθέδρα, quoniam (ut puto) dies, quibus mortuos deflebant, hoc
F nomine vulgo veniebant. Die subsequente toto animo lætitiæ se debebant, in memoriam beneficii, quod Venus a Proserpina accepit, scil. ut Adonis in vitam revocaretur, atque per dimidium uniuscujusque anni cum ea ageret. Omni hac inani pompa & quasi sacra stultitia omnino detegebatur Gentilium superstitio, hincque natum proverbium, Οὐδὲν ἱερόν, quo intelligi videbantur res aliquid magni vel sacri præ se ferentes, sed re ipsa nihil aliud quam inanes ac ridiculæ nugæ.

ΑΘΗΝΑΙΑ,

Gemina festa Minervæ, quorum altera Παναθήναια, altera vero Χαλκεῖα dicuntur, Athenis observata sunt; de utrisque suo loco agam.

ΑΙΑΚΕΙΑ,

Ludi in honorem Æaci, quibus finitis victores corollam ex floribus consertam offerre solebant, Æginæ, ubi templum ei dicatum est, celebrabantur. Leg. Pindarus ejusque Scholiast. *Nem. ode* VI.

ΑΙΑΝΤΕΙΑ,

Festa Ajacis in insula Salamine servata juxta Hesychium, ut & in Attica, ubi ad fortitudinem illius Herois memorandam statis diebus integra armatura decorari solebat feretrum; imo Athenienses ejus memoriam posteris tradendam tanto studio curarunt, ut una tribus Athenis de suo nomine dicta fuerit Αἰαντίς.

ΑΙΓΙΝΗΤΩΝ ΕΟΡΤΗ,

Festa Neptuni sedecim diebus continuis, quæ in gaudio & hilaritate agendis & in sacrificiis Deo faciendis insumi solebant, Æginæ celebrata sunt. Soli ingenui illius insulæ cives intererant, exclusis servis, qui ideo dicebantur μονοφάγοι, id est, *qui seorsim comedebant*. Tandem celebritas claudebatur sacrificio Veneri facto. Horum festorum causam & originem tradit Plutarchus in suis *Græcis Quæst.*

ΑΙΜΑΚΟΥΡΙΑ,

Festum apud Peloponnesios, quo juvenes flagris cædebant ad Pelopis sepulcrum, donec id sanguine pollueretur: unde solennitas dicta ἀπὸ τοῦ αἵματος τῶν κούρων, *a sanguine puerorum*.

ΑΙΩΡΑ, ΕΩΡΑ, ΕΥΔΕΙΠΝΟΣ, aut ΑΛΗΤΙΣ,

Festa & sacrificia solennia teste Hygino *Astronom. l.* II. Athenis celebrabantur cantilenis in honorem Erigones, alias dictæ Aletidis, Icarii filiæ, quæ patris diram mortem ita doluit, ut se laqueo suspenderit; unde festa vocata sunt Αἰώρα. Moriens a Diis petiit, ut, nisi Icarii cædis vindices se gererent Athenienses, pari inhonesto fato perirent illorum virgines. Ejus autem precibus exauditis innumeræ virgines sine ulla animi ægri causa evidente sibi mortem consciverunt: interim ex Apollinis consilio hæc festa Erigone dicata sunt ad ejus manes placandos. Alii econtra tradunt, præsertim Hesychius, illa instituta fuisse in honorem Regis Temalei, aut Ægisthi & Clytæmnestræ. Iterum nonnulli, inter quos notetur *Etymolog. Magnum*, censent oraculi mandato introducta fuisse in memoriam Ægisthi & Clytæmnestræ filiæ, quæ avo Tyndaro comitem se adjungens Athenas profecta est, ubi Oreste ad Areopagum in judicium vocato quum causa excidisset præ dolore suspendio sibi gulam fregit.

ΑΚΤΙΑ,

Festa Apollinis a loco dicti *Actii*, juxta Stephanum Byzantium, Clementem *Protrept.* Ælianum *Hist. Animal. l.* XI. c. VIII. certaminibus athletico, equestri, & navali Actii in Epiro agitari solebant.

ΑΛΑΙΑ, aut ΑΛΕΑΙΑ,

Festa Minervæ, quæ cognominata est *Alea*, Tegeæ Arcadiæ, ubi templum priscæ antiquitatis illi Deæ dicatum erat, obtinebant, secundum Pausaniam in *Arcadicis*.

A

ΑΛΕΚΤΡΥΟΝΩΝ ΑΓΩΝ,

Certamen gallorum gallinaceorum, quod quotannis celebrari ſolebat in theatro Athenis in honorem gallorum, quorum cantum pro omine victoriam in Perſas præſagiente accepit Themiſtocles, prout tradit Ælianus *l.* II. c. XXVIII.

Α Λ Ι Α,

Ludi ſolennes in Rhodo celebrati, juxta Pindari Scholiaſtem *Olymp. ode* VIII. vigeſimo quarto die menſis Γορπιαῖυ, qui Athenienſium Βοηδρομιῶνι reſpondet, in honorem Solis, Græce Ηλίυ aut Αλίυ dicti, & in Rhodo natum eſſe crediti, cujus inſulæ incolæ ejus poſteri cenſebantur & idcirco *Heliades* dicebantur teſte Strabone *l.* XIV. Athletæ autem non ſolum viri ſed & pueri erant, victoreſque coronam populeam pro præmio referebant.

B

Α Λ Κ Α Θ Ο Ι Α,

Feſta Alcathoi Pelopis filii Megaris uſuveniebant, qui fratris Chryſippi cædis ſuſpicione adſperſus Megaram confugit, ubi immani leone, qui regionem infeſtabat, & præter plures alios ipſius Regis Megarei filium occiderat, devicto tantam illorum gratiam iniit, ut Regis filia in uxorem ducta coronæ hæres condictus ſit. Vide Pindari Scholiaſtem *Nem. ode* V.

C

Α Λ Ω Α,

Feſta Cereris & Bacchi, quorum gratia coloni ſuorum laborum mercedem referebant, quocirca illorum dona ex ſolis terræ frugibus componebantur, teſte Demoſthene in *Neæram*, Athenis menſe Poſideone celebrari ſolebant. Alii econtra tradunt hæc ſolennia inſtituta fuiſſe ad commemorandum veterum Græcorum habitandi morem, qui ἐν τοῖς ἄλωσι, id eſt, *in vinetis* & *arvis*, vitam agebant, referentibus Harpocratione, Euſtathio *Iliad.* ώ. Hinc Αλωὰς, Αλωὶς, & Εὐαλωσία, Cereris cognomina.

D

Α Λ Ω Τ Ι Α,

Feſta Minervæ ab Arcadibus celebrata ſunt in memoriam victoriæ, quam in Lacedæmonios reportarunt innumeris hoſtibus bello captis, qui Græce dicuntur ἁλωτοί. Legendus Pauſan. in *Arcadicis*.

ΑΜΑΡΥΝΘΙΑ, vel ΑΜΑΡΥΣΙΑ,

Feſta & ludi in honorem Dianæ, cognominatæ *Amarynthiæ* vel *Amaryſiæ* a civitate Eubœæ, agitari ſolebant ab Eubœis, Eretriis, Caryſtiis, & Athmoniis, Atticæ pagorum incolis.

E

Α Μ Β Ρ Ο Σ Ι Α,

Feſta Bacchi Dei vini menſe Lenæone a pleriſque Græciæ civitatibus obſervata ſunt, juxta Heſiodi Scholiaſtem *in Oper. & Dier. l.* II.

Α Μ Μ Α Λ Ω,

Feſta, de quibus nil aliud traditur, niſi quod Iovi ſacra fuerint, apud Heſychium.

Α Μ Μ Ω Ν,

Feſta Athenis acta, juxta Heſychium.

F

Α Μ Φ Ι Α Ρ Α Ι Α,

Feſta Amphiarai (de quo ſuperius abunde egimus) Oropi celebrata ſunt. Vid. Pindari Scholiaſtes *Olymp. ode* VII.

Α Μ Φ Ι Δ Ρ Ο Μ Ι Α,

Feſta a privatis familiis quinto a liberorum partu die Athenis obſervata ſunt. Sic autem dicebantur ἀπὸ τοῦ ἀμφιδραμεῖν, *a circumcurrendo*, eo quod infantulis in ulnis ſuſceptis ignem circumcurſare ſolebant. De his plura deinceps.

ΑΝΑΓΩΓΙΑ,

Solennia Veneris ſacrificia Eryce Siciliæ urbe, ubi ſplendidum illius Deæ templum viſebatur, concelebrari ſolebant, ſic dicta ἀπὸ τοῦ ἀνάγεσθαι, *a revertendo*, quia illis diebus Sicilia relicta in Africam redire credebatur Venus. Conſulendus Ælianus *Var. Hiſtor. l.* I. c. XV.

Α Ν Α Κ Ε Ι Α,

Feſta Dioſcurorum, qui dicebantur Ανακες, & templo dicto Ανακείῳ donati ſunt, Athenis agitata ſunt. Sacrificia autem illis diebus facta vocabantur ξενισμοὶ, eo quod eorum Numina ξένα vel *peregrina* credebantur, juxta Pindari Scholiaſt. *Olymp. ode* III. & apud Pauſ. tria tantum fuiſſe dona dicuntur, quæ nominabantur ξίτύαι. Ludos his diebus ſacris editos fuiſſe pariter tradit Athen. *Deipnoſ. l.* II.

ΑΝΑΚΛΗΤΗΡΙΑ,

Feſta in Regum & Principum, qui ætatem nacti ad imperii habenas moderandas arceſſebantur, ἀνακλήσει aut *proclamatione* obſervari ſolita, teſte Polybio *Hiſtor.* XVIII. & *Legat. Eclog.* LXXXVIII.

ΑΝΑΚΤΩΝ ΠΑΙΔΩΝ,

Feſta Dioſcurorum, vel Curetum, vel Cabirorum, (de hac re enim non convenit inter Scriptores) Amphiſſæ Locridis metropoli agebantur, teſte Pauſania in *Phocicis*.

ΑΝΔΡΟΓΕΩΝΙΑ, vel ΑΓΩΝΕΣ ἐπ' ΕΥΡΥΓΥΗ,

Ludi in Ceramico Athenis quotannis celebrati ſunt, juxta Heſychium, quos inſtituit Minos Cretæ Rex in memoriam ſui filii Androgei alias dicti Eurygyæ a nonnullis Athenienſibus & Megarenſibus immaniter interfecti. Vide Plutarchum in *Theſeo*.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ,

Feſta Bacchi undecimo, duodecimo, & decimo tertio diebus menſis Antheſterionis Athenis obſervari ſolebant.

Primus dies dicebatur Πιθοιγία, ἀπὸ τοῦ πίθυς οἴγειν, *a cadis relictis*, qui dies a Chæronenſibus dicebatur Αγαθῦ Δαίμονος, id eſt, *Boni Genii*, quia illo die genio indulgere ſolebant.

Secundus dies vocabatur Χόες a menſuræ genere dictæ χοᾶς, eo quod ſinguli ex propria amphora bibere aſſueverant ad commemorandum illud quod obtigit temporibus Pandionis, aut (ut alii volunt) Demophoontis, quo regnante Oreſtes matricidio perpetrato, antequam a cædis pollutione pro more ſolito ſe purgaſſet, Athenas ſe recepit, dum feſta Bacchi dicti Lenæi, a *torcularibus* Græce ληνοῖς, quibus præeſſe credebatur, agitabant. Amice autem exceptus eſt a Demophoonte, qui, ne veneratores a compotatione cum homine ſanguine maculato polluerentur, & ne Oreſtes ægre ferret ſeorſim bibere, juſſit ut ex proprio dolio & proprio cratere ſinguli vina biberent. Die ſuperiore amphoras tantum relinebant vinaque delibabant, hoc vero die vino largo indulgebant: qui autem omnes bibendo devicerat coronam ex foliis conſertam, aliquando auream, (ut refert Ælianus *l.* II.) & cadum vini pro præmio referebat. Pariter curribus, de quibus in prætereuntes jocos adſpergebant, vehi ſolebant. Sophiſtæ domi cum amicis epulabantur & munera ab omnibus accipiebant. Ad quem morem alludens Eubulides ait apud Athenæum *Deipnoſoph. l.* X. c. XI.

Σοφιστῶν κάκιστε, καὶ χοῶν δέῃ
Τῶν μισθοδώρων, οὐκ ἀδείπνων ἐν τρυφῇ.

Sophistarum pessime, congiis opus esse tibi ais,
Qui mercedem dent, & cœnam interea lautam
non paras.

Ab isto die sacro Bacchus cognominatus est Χοοπότης.

Tertius dies dictus est Χύτροι, a χύτρα, *olla*, omni genere seminum, (quæ quia Mercurio Χθονίῳ, hoc est, *mortuorum deductori*, sacra credebantur, idcirco ab iis abstinebant) plena in publicum prolata. Eodem die comœdiæ agebantur, & qui palmam referebant ex Lycurgi instituto ingenuis civibus annumerabantur.

His diebus festis servi gaudia agere, compotare, & comessari permittebantur, quibus finitis proclamatum est, Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια, id est, *Recedite servi Cares, Anthesteria finita sunt.*

ΑΝΘΕΣΦΟΡΙΑ,

Festa, sic dicta ἀπὸ τοῦ φέρειν ἄνθεα, id est, *a floribus latis*, secundum Pollucem *Onomast.l.*I.cap.I. quia instituta sunt in honorem Proserpinæ, quæ dum flores legebat a Plutone rapta dicebatur, apud Siculos obtinebant.

Altera festa ejusdem cognominis in honorem Junonis Ἀνθείας Argis, ubi templum ei dicatum fuit, celebrata sunt, juxta Pausaniam in *Corinthiacis.*

ΑΝΤΙΓΟΝΕΙΑ,

Sacrificia in honorem Antigoni, ex Plutarcho in *Agide* & *Cleomene.*

ΑΝΤΙΝΟΕΙΑ,

Sacrificia, quæ quotannis, & ludi, qui singulis quinquenniis, in honorem Antinoi Bithyni celebrabantur, intelliguntur. Illa autem festa instituit Adrianus Romanorum Imperator Mantineæ Arcadiæ civitate, ubi templo & cultu divino donatus est Antinous, secundum Pausaniam in *Arcadicis.*

ΑΠΑΤΟΥΡΙΑ,

Festa Athenis instituta, (juxta Aristophanis Scholiastem in *Acharn.* Hesychium, Harpocrationem, Suidam, *Etymologici* Auctorem, qui ubique sunt in hoc toto capite consulendi) unde ad reliquos Iones, si Ephesinos & Colophonios excipias, pervenerunt. Sic dicta sunt ab ἀπάτη, id est, *dolus*; quia originem debent stratagemati, cujus usu Xanthum Bœotiæ Regem devicit Melanthius Atheniensium Rex. Lite enim oborta inter Athenienses & Bœotos de agro quodam in confiniis Atticæ & Bœotiæ, Xanthus pugna singulari cum Atheniensium Rege controversiam dirimere voluit. Thymœtes, qui tum Athenis regnabat, eo quod pugnam declinaverat, de solio dejectus est. Qui in ejus locum successit Melanthius quidam Messenius, Nelei & Periclymenes filius, provocationem amplexus in loco condicto hostem convenit. Quum autem manus conserere vellent, Melanthius vel quia revera existimabat, vel quia fingebat a tergo Xanthi se vidisse virum pelle caprina nigra indutum, exclamavit pactas leges violari; quibus auditis Xanthus retrospiciens a Melanthio perfide interfectus est. In memoriam autem illius victoriæ Jupiter cognominatus est ἀπατήνωρ, id est, *deceptor*, Bacchus vero μελαναιγὶς, id est, *vellere caprino nigro indutus*, cui præterea templum & hæc festa consecrata sunt. Alii econtra censent Ἀπατούρια esse quasi ἀπατόρια, id est, ὁμοπατόρια, quia his diebus sacris liberi patres stipare solebant ad locum ubi illorum nomina in civium nomenclatorem referebantur, pari fere usu ἄλοχος idem est ac ὁμόλεκτρος & ἄκοιτις ac τὸ ὁμόκοιτος. Iterum alii volunt Ἀπατούρια sic dici, eo quod liberi hunc usque diem sensu civili ἀπάτορες censebantur, tum enim illorum genus in publicas tabulas referebatur. Simili de causa Melchizedechum ἀπάτορα & ἀμήτορα, id est, *sine patre & matre*, dici in *Epistola ad Hebræos* nonnulli asserunt, quia ejus genus in sacris genealogiis non recensetur. Ut e diverticulo redeamus, hæc festa mense Pyanepsione per triduum agitari solebant.

Primus dies dicebatur δορπία, a δόρπος, *cœna*; illius enim diei ad vesperam singulæ tribus in unum locum conveniebant, ubi splendidum convivium paratum erat.

Secundus dies vocabatur ἀνάῤῥυσις, ἀπὸ τοῦ ἄνω ἐρύειν, id est, *ab hostiis oblatis* Jovi Φρατρίῳ & Ἀπατηνορι, necnon Minervæ; in quorum sacrificiis (ut & cæterorum cœlicolarum) mos obtinuit ἄνω ἐρύειν τὰς κεφαλὰς, id est, *hostiarum capita in cœlos obvertere.* Hoc in sacrificio liberi, qui in numerum civium relati erant, proximum ad aram locum tenebant. Iterum quidam homines pretiosa veste induti, tædas ardentes igni sacro accensas gestantes, & circumcursantes, hymnos in honorem Vulcani, qui homines in illius elementi usu primus instituit, decantare solebant; quem morem huic diei sacro tribuit Meursius, licet Harpocration, qui illius primus meminit, de die nihil addidit.

Tertius dies nominabatur κουρεῶτις, vel a κοῦρος, *juventus*, vel a κουρά, *tonsio*; quia juvenum, qui eo usque irrasi manserant, tum capillities abradebatur, antequam illorum nomina in publicum nomenclatorem referrentur. Patres autem jurare tenebantur se & adolescentium matres cives esse ingenuos. Pariter Dianæ duas oves, capram quoque immolabant, illudque dicebant θύειν φράτριαν. Ovis etiam dicebatur ὄϊς φράτηρ, & capra αἲξ φράτριος, scilicet ἡ θυομένη τοῖς φράτορσι, ut ait Pollux. Eadem quoque victima κουρεῖον aliquando dicitur. Hostia tanti pendere debebat; oves singulæ pendebant minas quadraginta & octo, capra vero minas quinquaginta: quia autem semel obtigit, ut qui intererant exclamassent, μεῖον, μεῖον, id est, *minus, minus*, abhinc dicta est μεῖον, & qui illam mactabant μειαγωγός.

His memoratis diebus quartum addit Hesychius, qui ἐπίβδης dicebatur; sed illud nomen huic diei festo minime fuit proprium, verum de omnibus diebus sacris, qui post festa finita observabantur, prædicari solet; derivatur enim ἀπὸ τοῦ ἐπιβαίνειν, id est, *a sequendo*, eo quod festi quasi appendix foret ille dies.

A Protenthis omnium maxime observabatur hoc festum: illi enim quinque dies ei impendebant, cæteros uno die antevertentes. Et apud Athen. *Deipnosoph. l.* IV. exstat decretum Cephisodoro Archonte latum, quo jubetur etiam Senatus quinque dies in hoc festo feriari, quo tempore cæteræ quoque curiæ vacabant. Vid. *Leges Atticæ.*

ΑΠΑΥΛΙΑ,

Secundus dies festorum conjugalium, de quo suo loco plura dicemus.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ,

Festa Apollinis Ægialeæ observata, quorum hæc fuit origo. Apollo Pythone devicto Ægialeam petiit cum sorore Diana comite; unde fugatus in Cretam se recepit. Interim Ægialenses morbo epidemico tacti ex consilio vatum septem pueros & totidem virgines ad gemina Numina pla-

placanda & domum reducenda miserunt. Illorum autem pium studium Apollini & Dianæ placuit, qui cum legatis in arcem Ægialeæ reversi sunt; in cujus rei memoriam templum dicatum est Pitho suasionis Deæ, & mos introductus est, ut puerorum & puellarum lectus numerus solenni obambulatione simularent quasi vellent Apollinem & Dianam accersitum ire, quæ festa Pausaniæ ætate adhuc observabantur, prout ipsemet tradit in *Corinthiacis*.

ΑΠΟΠΟΜΠΑΙ,

Erant aliquot dies sacri, in quibus sacrificia Diis πομπαίοις oblata. Quinam fuerint illi Dii, non ausim definire; attamen certum est, πομπαῖον quemvis denotare, qui alium in via deducit, unde illud nomen tribuitur Mercurio, qui Plutonis accensus animas defunctorum ad umbras inferiores ducere credebatur, unde Ajax, antequam mortem sibi inferret, sic orans inducitur apud Sophoclem *Ajace Flagell. vers.* 846.

—— καλῶ θ' ἅμα
Πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον εὖ με κοιμίσαι.
—— *atque advoco simul*
Mercurium deductorem animarum subterraneum, ut me suaviter sopiat.

Sed citius crederem illos dies sacros fuisse Diis ἀποπομπαίοις, id est, ἀποτρόποις, (ἀποπομπὴ enim a Phavorino interpretatur ἀποτροπή) qui alias dicuntur λύσιοι, ἀλεξίκακοι, φύξιοι, & ἀποτροπαῖοι, vel *averrunci*, quia mala averruncare credebantur, quales Jupiter, Hercules, & alii: quocirca pro πομπαίοις apud Hesychium potius legerem ἀποπομπαίοις, nisi indiscriminatim usurpentur tanquam synonyma.

ΑΡΑΤΕΙΑ,

Festa natalitiorum Arati, (teste Plutarcho in *Arato*) cui dicatus erat sacerdos vittam discriminis causa albis & purpureis maculis distinctam gestans. Musica autem & Bacchi choristis citharas pulsantibus, necnon solenni obambulatione, in qua publicus ludi-magister discipulis stipatus præibat, quos senatores sertis ornati, & quotquot cives sponte sua venerant, excipiebant, decoratus est ille dies.

ΑΡΓΕΙΩΝ ΕΟΡΤΑΙ,

Festa Argivorum, quorum nomina perierunt, si unum excipias a Parthenio *Erotic.* XIII. memoratum, quod publico convivio celebratum fuisse traditur *ibid.*

Alterius meminit Plutarchus *Græc. Quæst.* quo die pueri βαλλαχράδας, id est, βάλλοντας ἀχράδας vel *projicientes ficus sylvestres*, joco se dictitare solebant. Qui mos (ni fallor) institutus fuit ad memoriam sui primitivi victus Inachi ætate, qua sylvestribus ficubus vescebantur, celebrandam.

Tertii mentio fit apud Æneam *Poliorcret. cap.* XVII. quo tempore ingens civium armatorum frequentia extra urbem solenniter obambulare consueverat.

ΑΡΙΑΔΝΕΙΑ,

Bina festa in Naxo celebrata in honorem duarum mulierum Ariadne cognominum, juxta Plutarchum in *Theseo*; quarum prior hilaris & jucunda dicebatur, quocirca ejus solennia musica & omnigenis gaudii & lætitiæ signis concelebrari solebant.

Altera, quæ in illo littore a Theseo gravida derelicta est, credebatur tristis; qua de causa dies illius festus nil nisi tristitiam & luctum præ se ferebat; ut autem illius mulieris a Theseo relictæ mox pariturae memoria servaretur, juvenis decumbens fœminæ parturientis labores imitari solebat. Ut culpam animi sui ingrati erga amasiam redimeret, hæc solennia instituisse dicitur Theseus.

ΑΡΡΗΦΟΡΙΑ,

Celebrabantur Athenis, juxta Harpocrationem, Suidam, Etymologum, in honorem Minervæ & Ersæ Cecropis filiæ, quocirca sæpius dicta sunt Ερσηφόρια aut Ἐῤῥηφόρια. Prius autem nomen deducitur ἀπὸ τ᾽ ἄῤῥητα φέρειν, id est, quia a quatuor lectissimis e nobili genere virginibus, a septimo usque ad undecimum ætatis annum, quædam religionis arcana illo die vehi solebant, quæ idcirco vocatæ sunt ἀῤῥηφόροι, hinc ἀῤῥηφορεῖν apud *Etymologici* Auctorem est χρυσῆν ἐσθῆτα φορεῖν, & χρυσία. Panis quoque his puellis proprius erat, quem νασὸν vocabant, ut docet Athenæus *Deipnosoph. lib.* III. & placentæ ἀνάστατοι dictæ, ut Suidas. Eisdem erat in acropoli sphæristerium, in quo erat statua Isocratis ænea equo *celeti* insidentis, ut refert in *ejus Vita* Plutarchus. Veste alba auro decorata induebantur. Ex iis autem geminæ pro more solito πέπλον aut *velum* Minervæ texebant, prima manu operi admota trigesimo Pyanepsionis die.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΑ,

Sunt festa Ἀρτέμιδος aut *Dianæ*; quæ in diversis Græciæ locis, præsertim Delphis, servari solebant. Deæ autem mactabatur mullus, qui quia leporem marinum venari & occidere dicitur, juxta Athenæum *Deipnosoph. lib.* VII. idcirco ei affinis credebatur. Quo tempore panis Deæ oblatus ab Hesychio λοχιὰ dicitur: ab eodem fœminæ, quæ sacra hæc auspicabantur, λόμβαι sunt appellatæ.

Aliud festum his cognomine conviviis & ludis per triduum Syracusis agitabatur, testibus Livio *lib.* XXIII. & Hesychio.

ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ,

Festa Æsculapii in pluribus Græciæ locis, sed nullibi majore cum pompa quam Epidauri, observata sunt, tradente Platone in *Ione*. Hoc enim in loco Deus ille singularius hospitari dignabatur oraculo: unde dicta sunt Μεγαλασκλήπεια, id est, *magna Æsculapii festa*. Vid. *Inscript. Veter.* Præcipua diei celebritas erat musicus concentus, in quo Poetæ & Musici de victoria certabant, qua de causa dictus est ἱερὸς ἀγὼν, id est, *sacrum certamen*.

ΑΣΚΩΛΙΑ,

Festa Bacchi a colonis Atheniensibus celebrata sunt sacrificio capri, qui quia vinetis noxius, idcirco Baccho exosus credebatur. Vid. Phurnutus *de Baccho*, Aristophanis Scholiastes *in Plutum*, Hesychius. Ex victimæ corio conficiebatur lagena, in quam oleo & vino plenam uno pede insilire certabant, qui autem in ea primus pedem sistebat, victor censebatur & lagenam pro præmio accipiebat; quod exercitium dicitur ἀσκωλιάζειν, παρὰ τὸ ἐπὶ τὸν ἀσκὸν ἅλλεσθαι, id est, *ab insiliendo in lagenam*, unde festa nomen acceperunt.

ΑΦΡΟΔΙΣΙΑ,

Festa Ἀφροδίτης seu *Veneris*, quorum plura in diversis Græciæ partibus agitari solebant. Sed omnium celeberrima erant quæ in Cypro observata sunt, juxta Clementem *Protrept.* Arnobium *lib.* V. Hesychium, Pindari Scholiastem. A Cinyra autem instituta sunt, ex cujus familia nonnulli Veneris sacerdotes desumebantur, qui ideo dicuntur Κινυράδαι. His solennibus diversi sacri ritus obtinebant; qui iis initiabantur, nummum deponebant Veneri tanquam meretrici, inque favoris signa mensuram salis & φαλλὸν accipiebant; sal quidem, quia ex aqua marina conficitur, ex qua

A

Venus nata credebatur: alterum vero, quia Venus laſciviæ Dea dicebatur.

Amathunte Cypri civitate ſolennia ſacrificia Veneri fieri aſſueverant, quæ dicta ſunt *καρπώσεις*, a *καρπὸς*, *fructus*, teſte Heſychio; forſan quia illa Dea generationi præficiebatur.

Utriuſque Paphi anniverſaria Veneris non ſolum ab horum locorum incolis, ſed ab ingente hominum frequentia, qui ex aliis civitatibus huc confluebant, concelebrata ſunt, ſecundum Strabonem *lib.* XIV.

Corinthi meretrices illa celebrare ſolebant, juxta Athenæum *Deipnoſoph. lib.* XIII.

B

ΑΧΙΛΛΕΙΑ,

Achillis feſta Spartæ obſervata, prout tradit Pauſanias in *Laconicis*.

B.

ΒΑΚΧΕΙΑ,

Bacchi ſolennia, ex Heſychio. Vide *Διονύσια*.

ΒΑΛΛΗΤΥΣ,

Feſta Demophoontis Celei filii Eleuſine Atticæ civitate acta, juxta Athenæum *Deipnoſoph. lib.* IX. & Heſychium.

C

ΒΑΡΑΤΡΟΝ,

Dicebantur ludi ſacri in Theſprotia, in quibus robuſtiſſimi palmam referebant, teſte Heſychio.

ΒΑΣΙΛΕΙΑ,

Sunt feſta anniverſaria Lebadeæ Bœotiæ civitatis obſervata, juxta Pindari Scholiaſtem in *Olymp. ode* VII.

ΒΕΝΔΙΔΕΙΑ,

Feſta Dianæ, (juxta Strabonem *lib.* IX. Proclum *in Timæum*, Heſychium) quæ a Thracibus vocabatur *Βένδις*, in Thracia obtinebant, unde Athenas pervenit, ubi in Piræeo decimo nono aut vigeſimo Thargelionis die agitari ſolebant.

D

ΒΟΗΔΡΟΜΙΑ,

Erant feſta apud Athenienſes celebrata, ex Harpocratione & Suida, quæ ſic dicta ſunt *ἀπὸ τοῦ βοηδρομεῖν*, id eſt, *ab adjutando*, in memoriam Jovis Xuthi filii, qui regnante Erechtheo Athenienſibus bello ab Eumolpo Neptuni filio petitis opem tulit. Sed Plutarchus in *Theſeo* tradit illa ſolennia inſtituta fuiſſe in monumentum victoriæ a Theſeo menſe Boedromione in Amazonas relatæ.

E

ΒΟΡΕΑΣΜΟΙ,

Feſta Boreæ ab Athenienſibus celebrata, prout tradunt Plato in *Phædro* & Heſychius. Huic autem Deo ara dicata fuit in Attica, eo quod Orithya Erechthei filia in uxorem ducta Athenienſium cognatus crederetur: quocirca, quum pugna navali claſſis hoſtilis a vento ſeptentrionali diſſipata fuiſſet, illud damnum ab hoſtibus acceptum Boreæ ſuæ uxoris conterraneis faventi tribuere non dubitarunt Athenienſes, referente Pauſania in *Atticis*.

F

Iterum idem Auctor in *Arcadicis* nos docet ſolennia ſacrificia Boreæ Megalopoli Arcadiæ urbe, quo in loco templum ei dicatum & ſummi honores perſoluti ſunt, fieri aſſueviſſe.

ΒΟΤΤΙΑΙΩΝ ΕΟΡΤΗ,

Bottiæei erant Athenienſium coloni; ad memoriam autem ſuæ originis poſteris tradendam feſta anniverſaria celebrare ſolebant, in quibus virgines dictitabant, *Ιωμεν εἰς Ἀθήνας*, *Eamus Athenas*, prout notat Plutarchus in *Theſeo* & *Quæſt. Græc.*

ΒΡΑΣΙΔΕΙΑ,

Dicebantur ſolennia Braſidæ Lacedæmoniorum ducis, cujus præclara geſta Methone, Pylo, & Amphipoli celebrabantur, Spartæ agitari ſolebant ſacrificiis & ludis, in quibus nemini niſi ingenuis Spartanis certare licebat, ſecundum Pauſaniam in *Laconicis*, Thucydidem *lib.* v. Suidam. Ea ſacra ſi quis neglexiſſet, mulctabatur. Vid. Interpres Græcus Ariſtotelis *Ethic. ad Nicomach. lib.* v. *cap.* VII.

ΒΡΑΥΡΩΝΙΑ,

Feſta Dianæ Brauroniæ, a loco in quo ſolennia fiebant, nimirum Braurone Atticæ pago, ubi celebris illius Deæ ſtatua ex Scythia Taurica ab Iphigenia allata exſtitit uſque ad tempora ſecundi belli Perſici, quum illam dimovit Xerxes, tradentibus Pauſania in *Atticis* & *Arcadicis*, Polluce *lib.* VIII. *cap* IX. Harpocratione, Suida. Semel quinquennio celebrari & a decem viris ab officio dictis *Ἱεροποιοῖς* moderari ſolebant. Caper in iis mactabatur, & pro more unam Homeri *Iliadum* canebant nonnulli viri. His autem ſolennibus imprimis notandæ ſunt quædam virgines adoleſcentulæ togas flavas geſtantes & Dianæ ſacræ, quæ circiter decem annos natæ erant, (a quinto enim uſque ad decimum ætatis annum ſolummodo illas legi fas erat) ideo illarum conſecratio dicebatur *δεκατεύειν*, a *δέκα*, *decem*, ut & *ἀρκτεύειν*, ipſæque virgines vocatæ ſunt *ἄρκτοι*, id eſt, *urſi*, hac de cauſa: Apud Phlavidas pagi Attici incolas urſus nativa ferocia depoſita ita manſueverat, ut cum iis menſæ accumbere & ludere ſoleret, nec unquam iis noceret: ſed quædam adoleſcentula, quæ illo urſo nimia cum familiaritate male uti volebat, ab eo dilacerata eſt, qui in poſterum a virginis fratribus occiſus eſt: illius autem feræ cædem excepit dira peſtis innumeris Atticæ incolis lethifera, qui in plagæ graſſantis medelam ex oraculi conſilio virgines Dianæ dicarunt, ut ejus iræ ob urſum interfectum accenſæ ſedarent; imo legem tulerunt, qua omnibus virginibus conjugio interdictum eſt, niſi prius illo ſacro ritu functæ fuiſſent.

Γ.

ΓΑΛΑΞΙΑ,

Feſta, in quibus *γαλαξίαν*, id eſt, *juſculum hordeaceum lacte mixtum*, coquere aſſueverant, juxta Heſychium. Hæc ſolennia Apollini, qui a quodam loco Bœotiæ cognominatus eſt *Galaxius*, ſacra fuiſſe cenſet Meurſius ex Procli *Chreſtomathia*.

ΓΑΛΙΝΘΙΑΔΙΑ,

Dicebantur ſolennia ſacrificia in honorem Galinthiæ Prœti filiæ, antequam Herculis dies ſacer auſpicaretur, a quo inſtituta ſunt, Thebis facta.

ΓΑΜΗΛΙΑ, ΓΕΝΕΘΛΙΑ, ΓΕΝΕΣΙΑ,

Tria diſtincta feſta, quorum prima conjugiorum, altera natalitiorum, tertia vero funerum dicuntur. Sed hæc plenius deſcribam in quodam ſequentium capitum.

ΓΕΝΕΤΥΛΛΙΣ,

Feſta Genetyllidis ſexus muliebris Deæ, (juxta Heſychium) cui canes mactabantur, a mulieribus celebrari ſolebant. Eſt ea Genetyllis (ut docet Ariſtophanis Scholiaſtes *ad Nubes*) ἡ τῆς γενέσεως ἔφορος Ἀφροδίτη, *Venus generationis præſes*.

ΓΕΡΑΙΣΤΙΑ,

Neptuni festa Geræsti Eubœæ pago, ubi ejus templum visebatur, observata sunt. Leg. Stephanus, Pindari Scholiastes *Olymp. ode* XIII.

ΓΕΡΟΝΘΡΑΙΩΝ ΕΟΡΤΗ,

Martis festa anniversaria Geronthris, ubi templum ei dicatum erat, servata sunt. Ibidem lucus Marti sacer erat, in quem tempore celebritatis nulli mulieri ingredi licebat, secundum Pausaniam in *Laconicis*.

ΓΕΦΥΡΙΣΜΟΙ,

Solennia ab Æliano *Histor. Animal. lib.* IV. *cap.* XLIII. memorata, eademque, ni fallor, ac illi *γεφύρισμοι* festorum Cereris Eleusiniæ, de quibus infra.

ΓΗΣ ΕΟΡΤΗ,

Festa Matris Telluris Athenis agitata, in cujus civitatis arce templum illi Deæ dicatum est, teste Thucydide *lib.* II. Sacros quoque ludos in ejus honorem editos fuisse docet Pindarus *Pyth. ode* IX. *vers.* 177.

Ἐν Ὀλυμπίοισί τε, καὶ βαθυκόλπου
Γᾶς ἀέθλοις. ——

In Olympicis quoque, & profunde sinuosæ
Terræ certaminibus. ——

ΓΥΜΝΟΠΑΙΔΙΑ, vel ΓΥΜΝΟΠΑΙΔΕΙΑ,

Solennes chori a pueris Spartanis celebrati dicuntur apud Plutarchum in *Apophthegm.*

Δ.

ΔΑΙΔΙΣ,

Festa anniversaria, quæ per triduum tædis (quæ Græce dicuntur δᾷδες) accensis, unde natum illorum nomen, agitari solebant, juxta Lucianum *Pseudomante*.

Primo die Latonæ parturientis labores & Apollinis natales memorabantur.

Secundo die Glyconis & Deorum natalitia celebrabantur.

Tertio denique Podalirii & Alexandri matris conjugium.

ΔΑΙΔΑΛΑ,

Bina festa in Bœotia acta, (juxta Pausaniam in *Bœoticis*) quorum altera apud Platæenses Alalcomeno, ubi maximus totius Bœotiæ lucus exstabat, servata sunt hunc in morem: Illo die festo in unum locum conveniebant, & carnis elixæ frustis in aperto aere positis, cornicum, quæ in illa involabant, volatum diligenter observabant; & ex illis arboribus, in quibus insederant, succisis statuas conficiebant, quæ ab antiquis Græcis dicebantur *δαίδαλα* a Dædalo perito illo artifice.

Altera vero solennia multo insigniora erant, quæ non solum a Platæensibus; sed a cæteris Bœotiæ civitatibus agitabantur singulis sexaginta annis, in commemorationem, vel, ut ita dicam, in compensationem intercapedinis minorum festorum totidem annorum, quibus Platæenses exularunt. Pro illius diei sacri celebritate prioribus festis quatuordecim *δαίδαλα* parari solebant, Platæensibus, Coroneis, Thespiensibus, Tanagræis, Chæronensibus, Orchomeniis, Lebadeis, & Thebanis sorte distrahenda; quia illi populi, ut Platæenses in gratiam cæterorum Græcorum redirent, & ex exilio domum reducerentur, omnem operam navarunt, imo dona contulerunt in festis celebrandis circa
A tempora, quibus Thebæ a Cassandro Antipatri filio instauratæ sunt. Nec solæ illæ civitates jam memoratæ, sed plures aliæ minoris notæ his festis diebus aderant, quorum ritus hic tradere lubet.

Statuam, quam ad ripam fluminis Asopi vestitu muliebri adornarant, mulier pronubæ veste induta, magna Bœotorum turba, qui ordine sortibus definito progrediebantur, stipante, in cacumen montis Cithæronis comitari solebat: in illo autem loco ara ex tabulis ligneis quadratis in morem lapidum una coagmentatis condita erat. Præterea in illa ingente lignorum congerie singulæ civitates & viri opulenti taurum Jovi, bovem vero aut juven-
B cam Junoni offerebant, vinaque & thura large profundebant; opibus vero tenuiores, qui meliora dona conferre non valebant, minores oves deponebant; quæ omnia una cum *δαιδάλοις* in unum cumulum congesta accendebantur, nec exstingui solebant, donec totum ædificium, cujus ipsa ara pars erat, in cineres redactum fuisset. Horum rituum causa & origo hæc fuit: Lite inter Junonem & Jovem oborta, Dea ita exarsit, ut viro derelicto in Eubœam se receperit. Deus autem suam desolationem dolens omnem suadendi artem adhibuit cum uxore ut illam domum reduceret; sed quum ejus pervicaciam vincere non posset, Ci-
C thæronem, qui tunc temporis Platæis regnabat, & suæ ætatis hominum sapientissimus existimabatur, consulendum adiit, qui Jovi hujus consilii auctor fuit, ut statuam veste muliebri indutam & currui impositam Platæam Asopi filiam, quicum matrimonium inierat, esse pervulgaret. Deus consilium probavit adhibuitque: quibus auditis Juno currui celerrimo cursu obviam ivit, & dolum detectum mirata in conjugis gratiam rediit.

Integrum Tractatum, cujus fragmenta apud Eusebium *de Præpar. Evangel. lib.* III. adhuc exstant, de his festis edidit Plutarchus, qui Pausaniæ concinit in iis, quæ mox audivimus, nisi quod
D pro Cithæron Alalcomenes & pro Platæa Dædala habeat.

ΔΑΡΩΝ.

Festa, quorum solum nomen servatum est ab Hesychio; sed si Meursio credere fas est, non vero absimile videtur illa fuisse sacra cuidam Darroni, qui teste eodem Grammatico a Macedonibus colebatur & ægrotos sanare credebatur.

ΔΑΥΛΙΣ,

Festa Argivorum, in quibus Prœti cum Acrisio
E pugna singularis celebrabatur.

ΔΑΦΝΗΦΟΡΙΑ,

Festa Apollinis a Bœotis singulis novem annis agitata sunt, juxta Pausaniam in *Bœoticis*, Proclum *Chrestomathia*, quorum præcipua celebritas sic describitur: In summo olivæ ramo, quem corollis ex lauro & diversis floribus consertis adornarant, globus æneus, de quo alii minores globi pendebant, positus erat: in medio visebantur coronæ purpureæ & globus magnitudine alteri cedens: pars vero inferior veste crocei coloris decorata
F erat. Supremus globus solem, quo significabatur Apollo, exhibebat; alter, qui huic perpendiculariter subjectus erat, lunam, minores vero globi stellas adumbrabant: denique coronæ sexaginta quinque numero solis annuum cursum, qui totidem circiter diebus conficitur, exprimebant. Ramus autem ita decoratus solenni obambulatione circumferebatur, quam imprimis ornabat puer venustissimus & ingenuis parentibus adhuc in vivis natus: toga talari pretiosa induebatur, ejus capilli

A soluti & sparsi erant, in capite coronam auream, in pedibus vero calceos dictos *Iphicratidas*, ab Iphicrate Atheniensi illorum inventore, gestabat; qui sacro illo die munere sacerdotali fungebatur & nomine Δαφνηφόρυ, id est, *Laurigeri*, insigniri solebat. Ei præibant proximi cognati virgas sertis ornatas gestantes, illumque sequebatur chorus virginum ramos præ manibus habentium. Hoc autem ordine ad templum Apollinis cognominati *Ismenii* vel *Galaxii*, ubi Deo hymnos supplices decantabant, progrediebantur. Illud institutum inde natum traditur: Æoles, qui Arnen & loca vicina incolebant, ex oraculi consilio antiquis sedibus re-
B lictis ut alio migrarent, Thebanos, qui tunc temporis a Pelasgis obsidione cincti erant, invaserunt, festa autem Apollinis instabant, quæ ab utraque gente religiose servabantur; quocirca induciis utrinque pactis, alteri ramos laureos in Helicone, alteri vero ad flumen Melan absciderunt, & pro more solito præ manibus in honorem Apollinis gestarunt. Eo ipso die Polematæ copiarum Bœoticarum duci in somnio visus est juvenis, qui integræ armaturæ munus ei obtulit, jussitque ut singulis novem annis Bœoti laurum præ manibus ferentes solennia vota Apollini facerent. Tertio die a visione, dux ille in obsessores tam fœlici successu eru-
C pit, ut obsidionem & incœptum relinquere coacti fuerint: in cujus victoriæ monumentum hæc festa instituta sunt.

ΔΕΛΦΙΝΙΑ,

Festa Apollinis Delphici Æginæ agebantur, juxta Pindari Scholiastem *in Olymp. ode* VIII.

ΔΗΛΙΑ,

Festa a Theseo ex Creta reduce in honorem Veneris instituta, cujus statuam ab Ariadne ei donatam in insula Delo posuit, eo quod illius Deæ ope
D suam expeditionem fœliciter absolvisset, in eadem insula singulis quinquenniis celebrata sunt hunc in morem: Deæ statua sertis coronata, choreis, hippodromis, & imprimis tripudio dicto γεράνῳ, id est, *grue*, quo Cretensis labyrinthi flexus anfractuosos imitabantur, ex quo Theseus illius saltationis inventor evasit, diem decorare solebant. Vid. Thucydides *lib.* III. Callimachus *Hymno in Delum*, Plutarchus in *Theseo*.

Altera solennia ab Atheniensibus in hac insula in honorem Apollinis quotannis servata sunt. Sed de his superius actum est.

E

ΔΗΜΗΤΡΙΑ,

Festa Cereris a Græcis dictæ Δήμητρος, (testibus Polluce *Onom. lib.* I. *cap.* I. & Hesychio) in quibus cultores flagris ex arborum cortice confectis dictisque μορόττοις se excipere solebant.

Alia festa hujus nominis ab Atheniensibus celebrata sunt in honorem Demetrii Poliorcetæ, (juxta Plutarchum in *Demetrio*, Diodorum Siculum *lib.* XVIII. Eustathium *Iliad.* έ.) quæ eadem erant ac illa festa quæ prius dicebantur Dionysia, incidebantque in diem decimum tertium Munychionis,
F cujus nomen immutatum est in *Demetrionem*, æque ac dies festus dictus est *Demetrias*.

ΔΙΑΜΑΣΤΙΓΩΣΙΣ,

Festa Dianæ Orthiæ Lacedæmone observata, juxta Plutarchum *Lacon. Instit.* & *Arist. de*, Pausaniam *Laconicis*, Themistium *Orat.* Ciceronem *Tuscul. Quæst.* II. Hyginum *fab.* CCLXI. quæ sic dicta sunt ἀπὸ τ͂ μαστιγῶν, id est, *a flagellando*, eo quod pueri super ara illius Deæ flagris cædebantur. Prima autem institutione hi pueri ingenui Spartani, sed mollioribus sæculis ignobili genere nati, imo plerumque servorum progenies erant. Dicebantur autem Βωμονεῖκαι a dira & severa cruciatione, quam ad aram subibant: ne præfectus misericordia tactus illos remissius virgis exciperet, Dianæ sacerdos tamdiu adstabat præ manibus ferens Deæ imaginem, quæ levis & portatu facilis, statim ac pueris parcebant, ita gravida fiebat, ut illam sustentare vix posset sacerdos. Iterum ne pueri sub verberibus animum desponderent aut quid Laconicæ disciplinæ indignum agerent, parentes vulgo aderant, qui filios ad patientiam & tolerantiam hortabantur. Imo tanta fuit illorum puerorum fortitudo & animi constantia, ut licet usque ad sanguinem, imo ad mortem, flagris cæderentur, tamen clamorem aut gemitum raro vel nunquam ediderint. Qui sub verberibus occumbebant, capite sertis coronato in signum gaudii & victoriæ, humo mandari & publicis exequiis decorari solebant.

De illius moris origine non convenit inter Veteres. Nonnulli asserunt a Lycurgo institutum fuisse eum nimirum in finem, ut juvenes laboribus & vulneribus forti animo perferendis assuescerent, & in periculis impavidi fierent. Alii econtra volunt hac ratione temperatam esse oraculi severitatem, quo sanguis humanus in Dianæ ara effundi præceptus est. Iterum alii illum ad Orestis tempora revocant, qui imaginem Dianæ Tauricæ, cui Scythæ hostias humanas mactare solebant, ex Scythia in Laconiam attulit. Hanc immanem barbariem Lacedæmones detestati, simulque Deæ iram veriti, mandarunt, ut puer in illius ara quotannis flagris cæderetur donec sanguis flueret, ne illa Dea sanguine humano, quem sitiebat, omnino careret. Denique, hanc illius moris causam reddunt nonnulli: In Pausaniam Spartanorum ducem sacrificia & vota facientem, antequam cum Mardonio pugna committeretur, irruit cohors Lydorum, qui sacrificia diripuerunt ac devastarunt, sed flagris & baculis solis armis, quibus Lacedæmonii hac occasione instructi erant, tandem repulsi sunt; cujus victoriæ ad memoriam servandam puerorum flagellationem ad aram, & deinceps Lydiam obambulationem Spartæ sua ætate adhuc celebratas fuisse tradit Plutarchus.

ΔΙΑΝΤΙΝΙΑ,

Festa Spartæ acta.

ΔΙΑΣΙΑ,

Festa Jovis cognominati Μειλιχίυ, id est, *Propitii*, Athenis celebrari solebant, secundum Thucydidem *lib.* I. Aristoph. Scholiastem *in Nubes*, Suidam. Sic autem dicebantur ἀπὸ τ͂ Διὸς καὶ τῆς ἄτης, id est, *a Jove & mala fortuna*, eo quod Jupiter votis supplicibus sollicitatus iis aderat, & a periculis malisque eos liberabat. Agitari solebant sub finem mensis Anthesterionis extra civitatem, quo ingens Atheniensium epulantium & sacrificia facientium frequentia convenire assueverat. His festis fiebant publicæ nundinæ, quibus omne genus mercium venum prostabant; quocirca curriculum filio Phidippidæ illo die sacro emisse dicitur Strepsiades in Aristophanis *Nubibus Act.* III. *Scen.* I.

Ον πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον Ηλιαςικὸν,
Τύτῳ πριάμην σοι Διασίοις ἁμαξίδα.

Quem primum obolum acceperam in judicio Heliæo,
Hoc tibi plostellum emi in Diasiis.

Alterius diei Jovi sacri, quo solennis hominum equitatio celebrabatur, meminit Plutarchus in *Phocione*.

ΔΙΙΠΟΛΕΙΑ,

Festa τοῦ Διὸς Πολιέως, *Jovis Poliei*, vel civitatis Dei tutelaris, Athenis celebrari solebant decimo quarto die mensis Scirrophorionis. Leg. Pausanias in *Atticis*, Ælianus *Var. Hist. lib.* VIII. *cap.* III. Porphyrius *de Abstin. ab Animal.* Hesychius, Suidas. Sæpius dicebantur Βουφόνια a bove mactato: illo enim die certæ placentæ, ejusdem generis ac illæ quæ in sacrificiis usuveniebant, mensæ æneæ superimponi assueverant: circa illam mensam agebantur lectissimi aliquot boves, quorum primus qui placentam absumpsisset, illico mactabatur. Qui bovem mactabat dicebatur βούτης aut βουφόνος. Tres solas familias, quæ diversa nomina pro muneribus gerebant, in illis ceremoniis peragendis adhiberi fas esse tradit Porphyrius de *Abstinent. ab Animalibus*. Familia, quæ boves abigebat, dicebatur Κεντριάδαι, a κέντρον, id est, *stimulus*: qui illum feriebant Βουτύποι, Thaulonis genere nati: qui vero eum mactabant Δαιτροὶ, id est, *laniones* aut *coqui*, dicebantur. Hujus instituti causa hæc fuit: Certo Jovis die festo sacram placentam comedit bos famelicus, quod prophanum animal occidit sacerdos (a nonnullis Thaulon, ab aliis vero Diomus aut Sopater dicitur) pio zelo concitus. Illis autem diebus bovis cædes capitale crimen censebatur, quocirca loco rei sacerdotis, qui matura fuga sibi consuluerat, securim cruentatam criminis postularunt Athenienses, & juxta Pausaniam illam insontem declararunt; sed Ælianus aliter sentit traditque & sacerdotem & illos, qui solennitati intererant, (ii enim culpæ participes credebantur) a crimine solutos fuisse, securim vero damnatam; quod videtur verosimilius. In illarum autem rerum monumentum mos introductus est, ut, postquam sacerdos aufugisset, de bovis cæde sententia ferretur.

ΔΙΚΤΥΝΝΙΑ,

Festa Dianæ dictæ *Dictynnæ*, vel a Cretæ civitate, vel a Nympha Cretensi pariter vocata *Dictymna* Dianæ venationis socia, quæ reti a venatica a Græcis appellata δίκτυα invenit, Spartæ observabantur, ex Pausania in *Laconicis*.

ΔΙΟΚΛΕΙΑ,

Festa in honorem Herois Dioclis Megaris agitari solebant, juxta Pindari Scholiastem *Olymp. ode* XIII. Hæc solennitas describitur a Theocrito *Idyl.* XII. *vers.* 27.

Νισαῖοι Μεγαρῆες, ἀριστεύοντες ἐρετμοῖς,
Ολβιοι οἰκοίητε, τὸν Αττικὸν ὡς πέρι ἄλλων
Ξείνων τιμήσαθε Διοκλέα τὸν φιλόπαιδα·
Αἰεί οἱ περὶ τύμβον ἀολλέες εἴαρι πρώτῳ
Κοῦροι ἐριδμαίνουσι φιλήματος ἄκρα φέρεσθαι·
Ος δέ κε προσμάξῃ γλυκερώτερα χείλεσι χείλη,
Βριθόμενος στεφάνοισιν ἑὴν πρὸς μητέρ' ἀπῆνθεν.

Nisæi Megarenses, remis præstantes,
Fœlices habitetis, quoniam præ aliis hospitibus
Atticum
Dioclea puerorum amatorem honore affecistis:
Semper primo vere ad ipsius tumulum congregati
Pueri certant osculi victoriam reportare:
Quique labra labris dulcius applicuerit,
Is coronis oneratus ad suam matrem revertitur.

Ubi Scholiastes vetus moris hujusce causam exponit his verbis: Οὗτος (Διοκλῆς) Αθήνηθεν φεύγων εἰς Μέγαρα φιλόπαις ὑπερφυῶς ὢν, ἔν τινι μάχῃ ἠρίστευσε· καὶ ὑπερασπίζων τινὸς ἐρωμένου, ἐκεῖνον μὲν ἔσωσεν, αὐτὸς δ' ἐτελεύτησεν· ὅθεν τοὺς Μεγαρεῖς θάψει αὐτὸν, καὶ τιμᾷν ὡς ἥρωα, ἀγῶνά τε αὐτῷ ποιεῖν, ἐν ᾧ τοὺς καλοὺς περὶ φιλημάτων ἀγωνίζεσθαι, τὸν δὲ καταφιλήσαντα αὐτῶν ἥδιστα, τοῦτον ὑπ' αὐτῶν ὡς κρείττω στεφανοῦσθαι.

ΔΙΟΜΕΙΑ,

Festa Jovis Diomei, vel Diomi, (juxta Etymologum, & Eustathium *ad Iliad.* δ'.) Herois Atheniensis Colytti filii, a quo incolæ certi Atticæ pagi vocati sunt Διομεῖς.

ΔΙΟΝΥΣΙΑ,

Festa Διονύσου vel *Bacchi*, non raro generaliore nomine dicta Οργια, quæ licet aliis Diis tribuantur, attamen Bacchi propria sunt. Illius Dei solennia in Ægypto instituta dicuntur, unde Græcis a quodam Melampo tradita sunt, juxta Herodorum *lib.* II. Pariter Ægyptiorum Isidem eamdem esse ac Cererem, & Osiridem Bacchum, ut & Græcorum Dionysia fuisse Ægyptiorum Pamylia, nos docet Plutarchus *de Iside & Osiride*.

Athenis majore cum pompa, & superstitione quam in ullo alio Græciæ loco agitari solebant: anni enim per illa supputabantur, secundum Suidam, & Archontum princeps in iis moderandis participabat, prout scribit Pollux *lib.* VIII. ut & Sacerdotes, qui sacras vices obibant, primas sedes in publicis spectaculis occupabant, teste Aristophanis Scholiaste *in Ranas*. Prima autem institutione omni pompa & ornatu destituebantur, quum illi dies sacri publicæ lætitiæ agendæ destinati hisque ritibus tantum celebrati fuerint, tradente Plutarcho περὶ φιλοπλούτ. Primo vas vino plenum & vite decoratum, dein caper, postea canistrum ficubus plenum, tandem phalli prodibant.

In quibusdam illis diebus festis veste & gestu Poetarum figmenta de Baccho imitari studebant veneratores: hinnuli enim pelles, carbasa & mitras induebant; thyrsos, tympana, fistulas, tibias, & crepitacula gestabant; sertis ex arboribus Baccho sacris, ut hedera, vite, abiete, &c. confectis capita coronabant. Alii Silenum, Panem, & Satyros agebant, comico habitu & peregrino gestu in publicum prodeuntes; alii asinis insidebant; alii vero capros ad mactationem adigebant. Hunc autem in morem homines utriusque sexus in colles, deserta, & alia loca divagabantur, nutantes, ridiculo more saltantes, horrendas voces & boatus edentes, insanientes, & conclamantes εὐοῖ σάβοι, εὐοῖ Βάκχε, aut ὦ Ιακχε, vel Ιόβακχε, aut Ιὼ Βάκχε.

Hi sunt præcipui ritus qui in Bacchi festis obtinebant per totam Græciam præsertim Athenis, ubi illam Bacchantium turbam certo illius Dei die festo sequebatur caterva hominum quædam vasa sacra gestantium; quorum primum aqua plenum erat, quod excipiebant lectissimæ & honoratæ virgines dictæ κανηφόροι, eo quod canistra aurea omnigenis fructibus plena ferrent: hæc erat celebritatis pars sacratissima; quocirca ut plebeculam in spectaculo detinerent, in illis sportulis includebantur serpentes, qui exinde sæpius raptantes spectatores in admirationem rapiebant. Proxime sequebatur περιφαλλία, id est, turba hominum gestantium τοὺς φαλλοὺς, vel *perticas*, in quarum summitate infixæ erant effigies membri virilis: hi autem violis & hedera coronabantur, eorumque facies aliis herbis obtegi solebant; dicebantur φαλλοφόροι, illorumque cantilenæ φαλλικὰ ἄσματα. Deinde Ιθύφαλλοι veste muliebri albis maculis distincta & usque ad talos demissa induti, serta in capite, & chirothecas in manibus ex floribus consertas gestantes, & ebrios gestu agentes. Itidem aderant Λικνοφόροι, qui λίκνον, id est, sacrum Bacchi ventilabrum, ferebant, quod horum & alio-

rum hujus Dei festorum sacrificiorumque ita proprium erat, ut pauca illo pro more solito caruerint, unde Bacchus dictus est Λιχνίτης. Denique illis sacris diebus publica spectacula & ludi magna cum frequentia edebantur, & nil nisi commessationes & omne luxuriei genus in tota civitate agebantur.

Bacchi festa sunt innumera, quorum præcipua hæc sunt.

Διονύσια ἀρχαιότερα (apud Thucydidem *lib.* II. Hesychium, Demosthenem *Orat. in Neæram*, Pollucem *lib.* VIII.) Limnis in Attica ditione, ubi exstabat Bacchi templum, decimo Anthesterionis die celebrari solebant. Qui sacra munera illis diebus festis obibant, erant imprimis quatuordecim mulieres, quibus a βασιλεῖ, qui erat e numero Archontum & celebritatis requisita procurabat, demandata erat illa sacra provincia; dicebantur autem Γεραιραὶ, id est, *Venerabiles*, quæ suo munere fungi non permittebantur, nisi prius coram βασιλίσσῃ, seu τῆ βασιλέως *uxore*, juramentum dixissent se omni pollutionis genere puras esse.

Διονύσια νεώτερα, a Thucydide *loco citato* memorata, quæ a nonnullis subsequentium festorum forte non diversa sunt.

Διονύσια μεγάλα, vel *majora*, apud Demosthenem *Orat. in Leptinem* sæpius dicuntur Ἀστικὰ vel τὰ κατ' ἄστυ, quia intra civitatem celebrari solebant mense Elaphebolione: imo κατ' ἐξοχὴν vel *eminenter* vocantur Διονύσια, nulla nota discriminis addita, eo quod omnium Bacchi festorum, quæ Athenis servabantur, celeberrima fuerint.

Διονύσια μικρὰ, vel *marmora*, non raro vocata τὰ κατ' ἀγροὺς, quia rure agitari solebant. Erantque quasi parasceve priorum & majorum festorum, atque in autumnum incidebant, teste Aristophanis Scholiaste *in Acharn.* Alii illa ponunt in mense Posideone; alii vero in Gamelione; iterum nonnulli volunt eadem fuisse ac Διονύσια λήναια a ληνὸς *torcular*, juxta quam opinionem illa mensi Lenæoni tribuit Hesychius.

Διονύσια Βραυρώνια, in quibus veneratores omni excessus & impudicitiæ genere se mergebant, Braurone pago ditionis Atticæ celebrabantur, ex Aristophanis Scholiaste *in Pacem*.

Διονύσια νυκτήλια, apud Pausaniam in *Atticis*, quorum arcana revelari nefas erat, ab Atheniensibus in honorem Bacchi Nyctelii, cui templum dicaverant, observata sunt.

Θεοίνια, festa Bacchi cognominati Θεοίνου, id est, *Dei vini*.

Ὠμοφάγια, festa Bacchi cognomine ὠμοφάγου & ὠμηστοῦ, eo quod hostiæ humanæ illis sacris diebus ei mactarentur, juxta Plutarchum in *Themistocle*; vel a carne cruda comesta, qua vesci simulabant sacerdotes; imo iis solenne erat serpentes capillis implectere, & gestu insanos agere.

Fuerunt & plura alia Bacchi festa, cujusmodi Triennia vel Διονύσια τριετηρικὰ, sic dicta ab statis temporibus, quibus agitari solebant, canente Virgilio *Æneid. lib.* IV. quæ a Baccho instituta dicuntur in memoriam suæ in Indiam expeditionis, in qua triennium insumpsit. Alia ab Aristophanis Scholiaste *in Pacem* memorantur, quæ unoquoque quinquennio agebantur. Præter illa mox memorata plerique Veterum plurium aliorum Bacchi festorum meminerunt, quorum nonnulla suo loco describuntur.

Διονύσια Ἀρκαδικὰ, quibus pueri Philoxeni & Timothei, Musicam edocti, quotannis in theatro quodam Arcadiæ Bacchi festum choros ducendo, cantando, ludos agendo celebrabant, ut refert Polybius *lib.* IV.

ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ,

Festa τῶν Διοσκούρων, vel *Castoris & Pollucis*, qui Jovis filii credebantur, Cyrenis juxta Pindari Scholiastem in *Pyth. ode* V. sed præsertim Spartæ, quæ illorum Heroum locus erat natalis, celebrata sunt, secundum Pausaniam in *Messenicis*, & Sidonium *Carm.* IX. Illo die sacro magnam lætitiam agebant, quo Bacchi munera immodice sumebant, & ludos, quorum athleticæ pugnæ pars magna erant, edebant.

ΔΙΟΣ ΒΟΥΣ,

Festa, in quibus bos Jovi mactabatur, prout nomen sonat apud Hesychium, Mileti usuveniebant.

ΔΡΥΟΠΕΙΑ,

Festa, quæ Asine urbe Argivorum maritima & a Dryopibus habitata, juxta Pausaniam in *Messenicis*, in honorem Dryopis Apollinis filii quotannis servabantur.

ΔΩΔΕΚΑΤΗ,

Festa sic dicta, quia duodecimo mensis Anthesterionis die celebrari solebant, apud Hesychium. Vide Ἀνθεστήρια.

E.

ΕΒΔΟΜΗ,

Festa septimo die singulorum mensium lunarium, juxta Suidam & Proclum *in Hesiodi Dies*, in honorem Apollinis, cui quodvis septiduum sacrum erat, quia simili die natus est, observata sunt; quocirca Apollo sæpius dictus est ἑβδομαγένης, teste Plutarcho *Sympos. lib.* VIII. Hesiodus caussam tradit in *Oper. & Dieb. vers.* 768.

——— καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ,
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.
——— *& septima, sacra dies,*
Hac enim Apollinem ense aureo armatum genuit Latona.

His sacris diebus hymnos in honorem Apollinis canere, & ramos laureos, quibus etiam patinas decorabant, præ manibus gestare assueverant Athenienses.

Fuerunt & altera festa ejusdem nominis, quæ in privatis familiis septimo a liberorum nativitate die celebrari solebant; sed de his suo loco.

ΕΙΣΗΤΗΡΙΑ,

Festa, in quibus Magistratus Athenis munera inire soliti erant, juxta Suidam aliosque Lexicographos: illis autem diebus sacrificia facere, & pro Reipublicæ incolumitate & salute vota publica fundere in templo vel foro Jovis βουλαίου & Minervæ Βουλαίας, id est, *consultorum*, mos obtinebat, teste Antiphonte *Orat. pro Choreuta*.

ΕΚΑΛΗΣΙΑ,

Festa Jovis Hecali aut Hecalesii, ab Hecale pago tribus Leontiæ Atticæ ditionis, juxta Stephanum Byzantium, vel a quadam vetula dicta Hecale, qui ei statuam dicavit. Theseum in expeditione, quam in Taurum Marathonium susceperat, amicissime & reverentissime excepisse votaque pro ejus fœlici reditu Diis fecisse hanc Hecalen tradit Plutarchus in *Theseo*. Theseus autem victoriam cum laude adeptus domum rediit, sed quia Hecale vetulæ jam mortuæ suum animum gratum testari non potuit, ejus memoriam consecravit, & in illis festis diebus celebrari sub nomine diminutivo Hecalene præcepit, eo quod Theseum nomine Θησείδιον compellasset; illis enim nominibus diminutivis seniores junioribus bonum animi affectum exprimere solent: sic filium Phi-

dippidem nomine diminutivo Φειδιππίδιε vocitat Strepsiades in Aristophanis *Nubibus*.

ΕΚΑΤΗΣΙΑ,

Festa Hecates, quæ ab Stratonicensibus magna cum frequentia quotannis concelebrata sunt, secundum Strabonem *lib.* XIV.

Pariter hanc Deam maxime venerabantur Athenienses, eo quod familiarum præsidem, liberorumque numen tutelare illam crediderint, unde statuas, quæ a Deæ nomine dicebantur Εκαταῖα, juxta Aristophanem ejusque Scholiastem *in Vespas*, in ejus honorem præ ædium foribus & in triviis erigere solebant. Singulis noviluniis publicum convivium sumptibus ditissimorum civium prospiciebatur, quod simulac in loco solito appositum erat, a pauperioribus distrahebatur, fama sparsa Hecaten fercula absumpsisse, teste Aristophane in *Pluto*; qua de causa dicebatur Εκάτης δεῖπνον, *Hecates cœna*. Hæc autem peragebantur in trivio, quia illi Deæ triplex natura aut triplex munus ei tribuebatur, quorum respectu triplici nomine efferri solet, quum in inferis *Hecate*, in cœlis Σελήνη vel *Luna*, in terra vero Αρτεμις aut *Diana* dicatur; eadem de causa innumeræ appellationes illius Deæ propriæ vel deducuntur a numero trino, vel ei affines sunt, quales τριγέννητος, τρίγληνος, τριγλαθήνη, τριοδίτη, id est, *Trivia*, *Tergemina*, *Tritonia*, & plures aliæ. Quod autem Hecatæ in triviis sacrificarent, id expiationis ergo factum est, ut Plutarchus refert: Χθονία δὲ δεῖπον Εκάτῃ πεμπόμενος εἰς τριόδυς, ἀποτροπαίων καὶ καθαρσίων ἐπέχει μοῖραν. Quo faciunt verba Scholiastæ Theocriti *Idyll.* II. quibus docet Hecates simulacra in triviis collocari, quod illa piaculorum curam haberet: Ιδρύοντο δὲ τὴν Εκάτην ἐν τριόδοις, ὅτι ἐπὶ καθαρμάτων καὶ μιασμάτων ἡ Θεός.

ΕΚΑΤΟΜΒΟΙΑ,

Festa Junonis ab Argivis & Æginensibus Argivorum colonis celebrata sunt, prout testatur Pindari Scholiastes *Olymp. ode* VII. VIII. Sic autem dicta sunt ab ἑκατόμβη, id est, *sacrificium centum boum*; primo enim horum festorum die totidem boves, quorum reliquiæ inter cives distrahi solebant, Junoni mactabantur. Similiter publici ludi ab Archino Argivorum Rege, quorum præmium erat clypeus æneus & corona myrtea, illis diebus sacris agebantur.

Fuit & sacrificium cognomine in Laconia quotannis factum pro incolumitate centum civitatum, quæ eadem ætate in illa regione floruerunt, teste Eustathio *ad Iliad.* β'.

ΕΚΑΤΟΜΦΟΝΙΑ,

Solennia sacrificia a Messeniis, quandocunque quis illorum centum hostes occidisset, in honorem Jovis facta, prout tradit Pausanias in *Messenicis*.

ΕΚΔΥΣΙΑ,

Festa Latonæ Phæsti hac de causa ab Antonio Liberali *Metamorph.* XVII. tradita concelebrari solebant: Galatea Eurytii filia Lampro Pandionis Phæsti urbis Cretensis civis filio nupsit, qui quum bona tenuiora quam genus nobile, ex quo natus erat, decebat, possideret, nec filiabus dotes cum illarum ortu congruas prospicere valeret, uxorem, si filiam peperisset, illam illico occidere jussit. Interim gregem revisit & antequam domum rediisset filiam enixa est Galatea, quæ materno affectui cedens, immitis conjugis mandato parere noluit, & ut infantuli saluti consuleret, illum vocavit Leucippum, marito filium esse asseverans. Sed

A tandem, quum dolum diutius tegere non posset, in templum Latonæ confugit, quam supplicibus votis sollicitavit ut puellam in puerum mutare dignaretur: Dea autem misericordia tacta ejus preces exaudivit, quæ idcirco a Phæstiis vocata est Φυτία, διὰ τὸ φύειν μήδεα τῇ κόρῃ, id est, *quia filiola sexum mutaverat*; & Εκδυσία, διὰ τὸ τὴν παῖδα ἐκδύειν τὸν πέπλον, hoc est, *quia vestem muliebrem exuerat*.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΑ,

Festa Dianæ cognominatæ ἐλαφηβόλυ, vel *venatricis*, in quibus placenta cervi figuram referens, quæ idcirco dicebatur ἔλαφος, ei offerri solebat, juxta Athenæum Δειπνοσοφ. *lib.* XIV. En tibi festorum originem: Phocensibus ab hostibus Thessalis ad incitas redactis eorumque imperio subjici recusantibus, Daiphantus proposuit, ut ingenti lignorum pyræ erectæ superimponerentur uxores, liberi, omnesque illorum opes, quæ, si vincerentur, penitus conflagranda erant, ne quidquam hostibus superesset. Sed quum iniquum duxissent mulierum mortem decernere antequam consensissent, illas in publicum conventum accersiverunt; quo uno agmine congregatæ simulac consilium audiverunt, illud uno ore probarunt, Deiphantum laudantes, cui pro tam nobilis & præclari propositi præmio coronam donarunt. Ibidem interfuisse & mulieribus concinisse dicuntur pueri. Rebus autem ita dispositis, hostibus obviam iverunt, quos tanto impetu & tanta fortitudine adorti sunt, ut eos, a quibus ad extremas angustias mox adducti fuerant, vice versa profligaverint penitusque deleverint, juxta Plutarchum *de virtute mulierum*: in cujus victoriæ monumentum hæc festa instituta sunt, quæ majore cum pompa & cultorum frequentia quam ulla alia, quæ in illa regione obtinebant, celebrata sunt. Sed hic obiter notandum est proverbium tritum, quod inde natum esse creditur, nimirum Φωκέων ἀπόνοια, id est, *Phocensium desperatio*, quod tribuitur iis, qui omni salutis spe exciderunt.

ΕΛΕΝΙΑ,

Festa Helenæ ex Hesychio a Lacedæmoniis, qui ei templum & divinos honores decreverant, instituta sunt. Celebrabantur autem a virginibus, mulabus vel certis currubus ex arundine aut junco consertis insidentibus, qui dicebantur κανάθραι.

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ,

Festa Jovis *Eleutherii*, vel *libertatis Assertoris*, a legatis fere omnium Græciæ civitatum Platæis agitari solebant, prout tradunt Pausanias in *Bœoticis* & Plutarchus in *Aristide*. En tibi illorum causam: Mardonio Persarum duce a Græcis imperante Pausania Lacedæmonio in pugna Platæensi profligato, aram & statuam ex candido marmore Jovi Eleutherio, cujus ope Græci patriæ libertatem a copiis barbarorum vindicaverant, erexerunt Platæenses: sed in generali Græcorum conventu convocato exposuit Aristides Atheniensium surrogatus ad ἐλευθέρια, id est, *festa libertatis*, celebranda ab omnibus Græciæ civitatibus legatos singulis quinquenniis mittendos esse. Quicum omnes senserunt, & præclara præmia statuerunt.

Observarunt & Platæenses festa anniversaria in memoriam illorum, qui pro patria fortiter pugnando vitam amiserunt, hunc scilicet in morem: Decimo sexto die ab ipsa aurora mensis Mæmacterionis, cui respondet Bœotorum Alalcomenius, solenniter obambulare solebant: omnibus autem præibat tibicen bellicum canens, quem excipiebant certi currus myrrha, sertis, & nigro tauro onusti; deinde sequebantur juvenum turba ex in-

genuis civibus, nemini enim servilis generis his festis interesse licebat, quia viri, in quorum honorem instituta sunt, pro patriæ libertate asserenda fatis cesserant: hi juvenes vini & lactis patulas amphoras ancipites ad libandum oleique testas & pretiosa unguenta gestabant: tandem progrediebatur magistratuum princeps, cui licet alias quid ferreum tangere, aut aliam vestem quam albam gestare nefas esset, attamen in hac celebritate veste purpurea induebatur, & hydria de foro sumpta per mediam urbem ensem præ manu gestans ad monumenta adveniebat, quæ aqua ex fonte vicino hausta lavabat, imo inungebat; deinde tauro super rogum mactato, & infero Mercurio Joveque supplicatis, manes illorum fortium heroum, qui pro patria occubuerant, ad convivium vocabat; tandem pateram vino implens inquiebat, *Propino iis, qui pro libertate Græciæ vindicanda mortem oppetierunt*. Hæc solennia sua adhuc ætate celebrata fuisse tradit Plutarchus.

Alter dies festus cognominis a Samiis in honorem Dei amoris observabatur, juxta Athenæum *Δειπνοσοφ. lib.* III.

Pariter sacrum diem ejusdem nominis servi, quando a dominis manumittebantur, observare solebant; ad quem morem alludens Plautus servum gestientem de eo quod herus peregre ivisset & tanta gaudia sibi promittentem ac si libertate donatus fuisset, inducit, *Perf. Act.* I. *Scen.* I.

TOX. *Basilice agito Eleutheria.* ——

ΕΛΕΥΣΙΝΙΑ,

Festa a Celeis & Phliensibus singulis quadrienniis, a Pheneatis vero, Lacedæmoniis, Parrhasiis, & Cretensibus, præsertim ab Atheniensibus de quinquennio in quinquennium Eleusinæ Atticæ pago agitata sunt; unde Romani ab Adriano Imperatore translata sunt, nec penitus abrogata sunt usque ad Theodosii senioris imperium. Omnium Græciæ festorum celebratissima & sacratissima fuerunt; quocirca sæpius eminenter & simpliciter dicuntur Μυστήρια, *Mysteria*: tanta autem superstitione sacra illa celebrantur, ut qui illorum quidquam revelasset divinam vindictam in se provocasse credebatur; imo intutum erat cum illo eamdem domum incolere; unde tanquam publici criminis reus apprehendebatur & morte plectebatur. In singulis partibus quid arcani inerat; ipsamet Ceres (cui una cum filia Proserpina hæc festa erant) non nomine vulgari, sed cognomine Ἀχθεία dicebatur, quæ fieri videtur ab ἄχθος, *dolor*, *mæstitia*, eo quod filiam suam a Plutone raptam tantopere doluerit. Illa sacra secretissima habere non solum in Attica, sed in omnibus aliis Græciæ locis ubi observabantur, si Cretam excipias, tam severe mandatum est, ut qui debito more iis nondum initiatus vel ex inscitia vel ex errore interfuisset, capite plecteretur. Hæc festa instituisse a nonnullis dicitur ipsa Ceres, postquam tempore diræ famis Atheniensibus frumentum prospexisset: alii econtra utrumque Regi Erechtheo, alii vero Musæo Eumolpi patri, alii denique ipsi Eumolpo tribuunt.

Omnis sexus & ætatis homines his sacris initiabantur; nec iis permittebatur tanquam rem mediam illa ambire necne? solus enim neglectus dirum crimen censebatur, cujus causa partim morte damnatus est Socrates. Mystæ fœlicius & tutius quam reliqui homines vivere credebantur, quia Dearum curæ & præsidio peculiari modo subesse dicebantur: nec in hac vita solum inde proficiebant, sed post mortem ad majorem beatitudinem præ cæteris hominibus, & ad primas Elysiorum camporum sedes promoveri existimabantur, dum reliqui (væ miseras animas!) in luto, fœtore, &

A fordibus jacere volutarique in æternum coguntur.

Quum autem hæc sacra initiatis tantopere proficua essent, non mirum videri debet, si eos, qui illis admitterentur, maxime caverint: ii enim, qui magices aut alius flagitii convicti erant, vel qui homicidium licet inviti patraverant, ab istis arcanis arcebantur: verum quidem est recentioribus sæculis quoslibet discriminatim, barbaris exceptis, his sacris initiatos fuisse, sed primitivis temporibus omnes peregrinos, hoc est, quotquot Reipublicæ membra non erant, si paucos eximios & præclaros viros, ut Herculem, Castorem, Pollucem, Æsculapium, & quosdam alios excipias,
B Athenienses iis admittere nolebant. Quinetiam hi a nonnullis tradunt, antequam initiarentur, in civitatem adsciti fuisse, & in familias civium adoptati, & quidem Hercules a Pylio, Dioscuri ab Aphidno adoptati sunt, referente Plutarcho in *Theseo*. Imo ipsimet non ad μυστήρια μεγάλα aut *majora mysteria*, sed ad μικρὰ vel *minora* tantum accedere permittebantur, quæ Proserpinæ sacra & hac de causa instituta sunt: Dum Athenienses solita festa agitabant, Hercules forte fortuna præteriens, ut iis initiaretur petiit: quum autem hoc privilegio uti ulli peregrino nefas esset, nec tamen
C Herculem magnatem illum potentissimum & de iis optime meritum renuere sustinuissent, Eumolpus viam excogitavit, qua hujus Herois petitio rata haberi posset legibus intemeratis, nimirum instituenda censuit altera sacra, dicta μικρὰ μυστήρια vel *minora mysteria*, quæ deinceps Agris ad flumen Ilissum mense Athesterione, econtra *majora* Eleusine Atticæ pago, a quo Ceres dicitur *Eleusinia*, mense Boedromione celebrata sunt. Recentius minora festa erant quasi parasceve majorum; nemini enim his initiari licebat, nisi prius illis purgatus fuisset hunc in morem: Postquam spatio novem dierum castos & ab omni pollutione puros se
D servassent, sacrificia & vota faciebant coronas & serta ex floribus, quæ vocabantur ἴσμερα aut ἴμερα, gestabant, eorumque pedibus substratum erat Διὸς κώδιον, id est, *Jovis*, vel hostiæ Jovi mactatæ, *corium*. Qui iis ministrabat, dicebatur ὑδρανὸς; ab ὕδωρ, id est, *aqua*, quæ in omnibus sacris purgationibus usuveniebat, ipsimet vero initiati nuncupabantur μύσται.

Anno abhinc sue Cereri mactata, majoribus mysteriis admittebantur, quorum arcana (paucis exceptis, quorum soli sacerdotes conscii erant) aperte iis exponebantur, qui idcirco dicti sunt ἔφοροι & ἐπόπται, id est, *inspectores*. En tibi con-
E secrationis modum: Candidati myrto coronati in locum dictum μυστικὸν σηκὸν, id est, *templum mysticum*, (ædificium tam late patens ut amplissimo theatro vix cesserit) noctu intromittebantur. In introitu se purgare solebant manibus aqua lustrali lotis, pariter cum cordis puritate, & sanitate, qua sublata exterior corporis mundities nil proficeret, accedere monebantur. Deinde sacra mysteria ex libro dicto πετρώματι, quod venit a πέτρα, *lapis*, quia ex geminis lapidibus apte compactis conficiebatur, iis audientibus relegebantur. Postea sacerdos, qui illos initiabat cognomine ἱεροφάντης, quædam illos rogabat, exempli
F gratia, an jejunarint, &c. cui respondebant juxta formulam præscriptam, prout discimus ex Meursii *Tractatu de his festis*, qui a Lectore consulendus est. His peractis, mira & stupenda portenta sensus feriebant; aliquando locus, ubi erant, commoveri videbatur; alias lumine splendido fulgebat, radiabatque igne, rursusque horrenda caligine obruebatur: sæpius tonitrua & fulgura, terribiles strepitus, & boatus, imo horrida spectra spectatores trepidatione percellebant.

bant. Hisce spectaculis interesse dicebatur Αὐτοψία. Tandem missi fiebant his verbis, Κόγξ, ομπαξ. Vestes, in quibus initiabantur, sacræ habitæ sunt, & ad mala averrucanda æque valebant ac ipsa incantamenta; quocirca illas non deponebant donec in panniculamenta attritæ & laceratæ fuissent. Ne dum quidem abjiciebantur, sed vel ex iis fascias pro infantulis conficiebant, vel Cereri & Proserpinæ illas dicabant.

Sacrorum præses dicebatur Ἱεροφάντης, id est, *Qui sacra docebat*: fuit autem civis Atheniensis, & munus ad vitam tenuit; (sed apud Celeos & Phlienses ad finem quadriennii, quo illa festa claudebantur, ex officio exire solebat) præterea sacro ministerio se totum dicare, vitamque castam & solitariam transigere tenebatur; quamobrem succo cicutæ, qui ob summam frigiditatem ad calorem naturalem restinguendum maxime valet, se inungere solebat. Hierophantæ tres Collegæ erant, quorum alter ab officio dictus est Δαδοῦχος, id est, *Tædifer*, cui uxorem ducere licebat. Alter vocabatur Κῆρυξ, de cujus munere superius egimus. Tertius vero ad aram ministrabat, qui hac de causa dictus est ὁ ἐπὶ τῷ βωμῷ. Hierophanta mundi Creatoris, Δαδοῦχος solis, Κῆρυξ Mercurii, ὁ ἐπὶ τῷ βωμῷ lunæ, typus dicebatur.

Adfuerunt & quidam viri de publico magistratu desumpti, qui ut omnia rite peragerentur curabant. Primus erat Βασιλεὺς, id est, *Rex*, e numero Archontum, qui preces & sacrificia his diebus sacris faciebat, cavebatque ne quid indecorum & enorme admitteretur; die autem post sacra finita senatum convocabat, ut in sontes inquireret. Præter Regem aderant quatuor Ἐπιμεληταὶ, id est, *Curatores*, a populo alter ex sacra Eumolpidarum familia, alter vero ex Cerycibus, & reliqui duo ex aliis familiis electi. Tandem in his & quibusdam aliis festis decem viri ministrare solebant, qui, quia illorum officii erat sacrificia offerre, idcirco dicuntur Ἱεροποιοί.

Hæc festa spatio novem dierum a decimo quinto usque ad vicesimum tertium diem mensis Boedromionis celebrari solebant, quibus diebus sacris ullum hominem apprehendere aut ullum libellum supplicem offerre nefas erat; qui autem illa perpetrassent, mille drachmis mulctabantur, vel (ut alii tradunt) morte plectebantur. Mystis putealis usu pro sedili, fabarumque, mullorum, & mustelarum esu interdictum erat. Pariter mulieri, quæ Eleusinen curru vecta venisset, juxta legem a Lycurgo latam sex mille drachmæ irrogabantur. Cujus legis ratio erat, ne quod discrimen fœminarum esset, & pauperes a ditioribus contemnerentur.

1. Primus dies dictus est Ἀγυρμὸς, id est, *Conventus*; quia forte illo die primum congregari solebant cultores.

2. Secundus dies efferebatur Ἅλαδε, μύσται, *Ad mare, mystæ*: quia (ut opinor) in mare ire lavatum & purgatum jubebantur.

3. Tertio die sacrificia offerebantur, quæ potissimum constabant mullo Æxonio Græce dicto τρίγλη, & hordeo ex agro Eleusinio nomine Rhario, ubi illud frumenti genus primo satum est, collecto. Hæc autem dona vocabantur θύα, quæ tam sacra habita sunt, ut ipsis sacerdotibus (qui aliis donis participabant) horum nulla pars cesserit.

4. Quartus dies decorabatur solenni obambulatione, in qua καλάθιον aut Cereris sacrum *canistellum* curru consecrato gestabatur, turbis acclamantibus, Χαῖρε, Δημῆτερ, *Salve, Ceres*. Dein sequebantur nonnullæ mulieres vocatæ Κιστοφόροι, quæ (prout illarum cognomen sonat) *corbiculas gestabant*, in quibus capiebantur sesamum, lana carminata, nonnulla salis grana, serpens, poma granata, arundines, rami hederacei, placentæ genus dictum φθοῖς, poppys, &c.

5. Quintus dicebatur ἡ τῶν λαμπάδων ἡμέρα, id est, *tædarum dies*; eo quod illa nocte turba virorum & mulierum, tædas præ manibus ferentium, huc & illuc discurrebant. Pariter tædas Cereri dicabant, & certatim maximas offerebant: illa autem fiebant in memoriam itineris Cereris, quum ad lucem tædæ flammis Ætnæ accensæ Proserpinam quærebant.

6. Sextus dies vocabatur Ἴακχος ab Iaccho Jovis & Cereris filio, qui Deæ Proserpinam quærenti tædam in manu gestans comitem se adjunxit, qua de causa ejus statua tædam præferebat. Illa autem statua a Ceramico Eleusim deferebatur solenni obambulatione, quæ ab Herois nomine dicebatur Ἴακχος. Qui illam ducebant, coronam myrteam, æque ac ipsa statua, in capite gestabant, dicebanturque Ἰακχαγωγοὶ, qui in via continuo saltabant, cantabant, æraque pulsabant. Via, qua ex civitate exibant, dicebatur ἱερὰ ὁδὸς, id est, *via sacra*. Locus, ubi considebant, vocatus est ἱερὰ συκῆ a *ficu*, quæ ibidem adnata erat, quæque (ut & quæcunque ad illa solennia spectabant) sacra habebatur. Iterum intersistere solebant in ponte fluminis Cephissi, ubi prætereuntes dicteriis excipere assueverant; unde γεφυρίζων, quod derivatur a γέφυρα, *pons*, apud Suidam exponitur χλευάζων, id est, *deridens* aut *jocans*, æque ac γεφυρισταὶ ab Hesychio interpretantur σκῶπται, *irrisores*. Trajecto ponte Eleusinen adveniebant, cujus ingressus vocabatur μυστικὴ εἴσοδος, *mysticus aditus*.

7. Septimus dies ludis celebrandis insumebatur, in quibus mensuram hordei, quod in agro Eleusinio prius satum est, victores pro præmio referebant.

8. Octavus erat Ἐπιδαυρίων ἡμέρα, nimirum quia semel obtigit ut Æsculapio Epidauro Athenas advenienti & initiari cupienti minora arcana relecta sunt; inde enim mos obtinuit, ut hoc die iterum celebrarentur, & qui nondum initiati fuerant, ad hæc sacra admittebantur.

9. Nonus & ultimus festorum dies vocabatur πλημοχόαι, id est, *vasa figulina*; illo enim die duo hujusmodi vasa vino plena, alterum ad ortum, alterum vero ad occasum disponi solebant, quæ nonnullis verbis mysticis dictis dejiciebantur, & vinum in libationem humi effundebatur.

ΕΛΕΝΟΦΟΡΙΑ,

Festa sic dicta, juxta Pollucem *Onomast. lib.* x. *cap.* LIII. & Hesychium, ab ἑλένας, vasa ex juncis & salicibus conserta, in quibus nonnulla arcana hoc die sacro portabantur, Athenis celebrata sunt.

ΕΛΛΩΤΙΑ,

Duo festa, quorum alterum in Creta celebratum in honorem Europæ, dictæ Ἑλλωτίας, quod erat vel nomen Phœnicium, vel derivatum ἀπὸ τοῦ ἑλέσθαι αὐτὴν ὑπὸ ταύρου, id est, *ex eo quod a Jove in taurum mutato rapta fuerit*. Per illud tempus solenniter circumferebantur Europæ ossa, simulque myrteum sertum nuncupatum ἕλλωτις aut ἑλλώτης, cujus circumferentia decem cubitorum erat.

Alterum festum apud Corinthios actum cum ludis ac certaminibus solennibus, in quibus adolescentes certabant currentes ac tædas accensas præ manibus habentes. Institutum fuit in laudem Minervæ, cognomine Ἑλλωτίδος, ἀπὸ τοῦ ἐν Μαραθῶνι ἕλους, id est, *a quodam in Marathone lacu*, ubi statua ei erecta visebatur; aut ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν τὸν

ἵππον τὸν Πήγασον, seu quia ejus ope Bellerophon A Pegasum equum alatum captum subegit, hinc celebrationem istius festi prius ortam nonnulli tradunt; alii vero istud nomen Deæ inditum ab Ellotide fœmina Corinthia autumant, sicque referunt: Dores auxilio posterorum Herculis in Peloponnesum irruperunt, ibique captam Corinthum incenderunt; pleræque hujus urbis mulieres summo mane celeri fuga salutem petierunt, ex iis paucæ, inter quas Hellotis & Eurytione, ad templum Minervæ confugerunt, sperantes, loci sanctitatem perfugium satis tutum sibi fore; his auditis Dores ad templum statim concurrerunt, eique ignem intulerunt, tum reliquis omnibus fuga elapsis, Hellotis B atque Eurytione flammis perierunt. Deinde consecuta est horrenda pestis, quæ Doribus valde funesta evasit; eique depellendæ remedium jussu Deæ adhibendum, manes scil. ambarum defunctarum sororum placandos esse; quo facto istud festum earumdem memoriæ constitutum, templumque Minervæ Ἑλλωτίδι ex una earum cognominatæ exstructum. Vid. Hesych. *Etymologici* Auctor, Athenæus *Deipnosoph. lib.* XV. Pindari Scholiastes *Olymp. ode* XIII.

ΕΛΩΡΙΑ,

C Ludi in Sicilia ad fluvium Helorum editi, juxta Hesychium.

ΕΜΠΛΟΚΙΑ,

Ludi Athenis celebrati, teste eodem.

ΕΝΗΛΙΑΞΙΣ,

Aut potius (secundum Meursii conjecturam) Ενυαλίαξις, erat festum Enyalio dicatum, (ex Hesychio) quem nonnulli eumdem cum Marte, alii unum solummodo ex ipsius sacerdotibus fuisse contendunt.

ΕΞΙΤΗΡΙΑ,

D Ἐξιτήρια θύειν dicebantur duces, qui sacrificabant, antequam copias ad bellum educerent: quod fiebat ab omnibus, quorum animi aliquo religionis sensu imbuti fuere. Nam ἐξιτήρια Suidæ sunt τὰ ὑπὲρ τῆς ἐξόδου παρεχόμενα. Preces hoc tempore conceptas vocabant ἐξιτηρίους εὐχάς, hoc est, secundum *Etymologici* Auctorem, ἐφοδίους τοῖς πρὸς ἔξοδον ἔχουσιν, ἢ πρὸς θάνατον. Quibus verbis constat, preces ante mortem oblatas eo nomine dictas fuisse, quia tum *exituri* ex hoc mundo fuere. Sicuti etiam quælibet sacra ante itineris susceptionem peracta.

ΕΠΑΧΘΗΣ,

E Festum sacrum Cereri nuncupatæ Ἀχθεία, ab ἄχθος, hoc est, *dolor*, commemorandi ipsius mœroris ergo, quando ejus filiam Proserpinam amiserat, referente Plutarcho in *Tract. de Iside & Osirid.*

ΕΠΙΔΗΜΙΑ,

Peculiaria festa, ac tempus gratulandi de amici aut cognati ab itinere reditu, juxta Himerium in *Propempt. Flav.*

ΕΠΙΔΗΜΙΑ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ,

F Apud Delphos festus dies, in memoriam peregrinationis Apollinis, tradente Procopio in *Epist. ad Zachariam.*

ΕΠΙΘΡΙΚΑΔΙΑ,

Festa Apollini sacra, juxta Hesychium.

ΕΠΙΚΛΕΙΔΙΑ,

Festa in honorem Cereris Athenis celebrata, teste eodem.

ΕΠΙΚΡΗΝΑΙ,

Aliud Cereris festum, a Laconibus observatum, ex eodem.

ΕΠΙΝΙΚΙΑ, ΕΠΙΝΙΚΙΟΣ ΕΟΡΤΗ,

Dies exultandi post victoriam; quicumque ergo propter partam victoriam sacrificabant, ἐπινίκια θύειν dicebantur.

ΕΠΙΣΚΑΦΙΑ,

Apud Rhodios festum, docente eodem.

ΕΠΙΣΚΗΝΑ,

Apud Spartanos festum, secundum eumdem.

ΕΠΙΣΚΙΡΑ, ΕΠΙΣΚΙΡΩΣΙΣ,

Festum in laudem Cereris & Proserpinæ Sciræ urbe Atticæ actum, ut discimus ex Strabone *Geogr. lib.* IX. & Stephano *Voc.* Σκίρος.

ΕΡΓΑΤΙΑ,

Apud Lacones festa Herculi dicata, ac instituta (ut puto) in memoriam ipsius laborum, quippe *labor* Græcis dicitur ἔργον, juxta Hesychium.

ΕΡΚΗΝΙΑ,

Potius dicerem Ερκυνια: istud enim festum, teste eodem, ad Cererem cognominatam *Hercynnam* a Lycophrone *Cassandra vers.* 153. pertinebat; quod cognomentum habuit ab Hercyna, Trophonii filia, & quæ cum Proserpina ludebat, narrante Pausania in *Bœoticis.*

ΕΡΩΤΙΔΙΑ,

A Thespiis in gloriam Ερωτος, seu *Cupidinis*, amorum Dei, concelebrata festa, juxta Eustathium sub finem *Iliad.* ω.

ΕΡΩΤΙΑ,

Istud festum cum priore idem fuisse videtur; a Thespiis enim in honorem Cupidinis agitabatur singulis quinquenniis, una cum certaminibus ac ludis, in quibus Musici aliique certabant. Si discordiæ inter populum obortæ fuissent, sacrificia precesque Deo, qui eas tollere vellet, tunc offerri consueverant, ut referunt Plutarchus in *Eroticis* & Pausanias in *Bœoticis.*

ΕΡΜΑΙΑ,

Festa a Pheneatis Arcadiæ & Cylleniis Elidis populis in honorem Ερμοῦ, sive *Mercurii*, servata, juxta eumdem in *Arcadicis.*

Aliud occurrit festum apud eumdem in *Bœoticis*, agitatum a Tanagræis in Bœotia quibus Mercurius vocabatur Κριοφόρος, id est, *Arietem portans*; cujus cognominis eam esse causam dicunt, quod pestilentiam Mercurius averterit ac ægrotos sanaverit, circumlato in murorum ambitum ariete: ob eamque rem Mercurium Calamis fecit arietem humeris portantem; in cujus facti monumentum, qui puberibus cæteris forma præstare judicatus fuerat, is hoc festo die agnum sive arietem humeris portans mœnia circumambulare solitus erat.

Festum ejusdem nominis in Creta quoque celebratum, ubi moris erat servos mensæ considere, interea dum eorum domini stabant ipsisque ministrabant, ut videre est apud Athenæum *Deipnosoph. lib.* XIV. Hujusmodi consuetudo obtinebat etiam in Romanorum Saturnalibus.

Aliud Mercurii festum Athenis a pueris in gymnasiis agebatur, (prout docet Æschines *Orat. in Timarchum*) cui interesse nullus adultus permitte-

batur, excepto gymnasiarcha; qui, si quemdam adultum admisisse convinceretur, eamdem pœnam, quam qui ingenuos adolescentes corrumpebant, subibat. Quæ lex inde nata est, quia indecora, ne dicam impudicitiam lasciviamque, olim in illis festis perpetrari solebant.

ΕΣΤΙΑΙΑ,

Vestæ Græcis dictæ Εςίᾳ sacrificia solennia, juxta Hesychium, ex quibus quidquam auferri, ullive præterquam cultoribus impertire, nefas erat; unde Εςίᾳ θύειν, id est, *Vestæ sacrificare*, communi proverbio dicitur de iis, qui aliquid privatim nemine inspectante agunt, ex Diogeniano; aut potius de sordidis avaris, qui quidquam eorum, quæ possident, dare detrectant.

ΕΥΜΕΝΙΔΕΙΑ, vel ΣΕΜΝΩΝ ΕΟΡΤΗ,

Furiis sacra, (testibus Philone & Pausania in *Corinthiacis*) quæ ab Atheniensibus appellabantur Σεμναὶ Θεαὶ, hoc est, *Venerandæ Deæ*; a Sicyoniis aliisque Εὐμενίδες, id est, *Benevolæ*, aut *Propitiæ*, eo quod existimarent ipsarum nomini vere inesse inauspicata omina. Hujusmodi festa una cum sacrificiis semel quotannis agebantur, iisque prægnantes oves, placentis a præstantissimis adolescentibus factis, libaminaque mellis & vini Deabus offerebantur, floribusque ornabantur qui sacra faciebant. Athenis nemo præter ingenuos cives illis diebus festis admittebatur, & quidem ii tantum quorum virtus & integritas probata; hujusmodi enim soli his Numinibus, quorum peculiare officium vindicandi plectendique omne genus scelerum, grati esse poterant.

ΕΥΡΥΘΙΩΝΙΟΝ,

Festus dies Cereri sacer, ex Hesychio.

ΕΥΡΥΚΛΕΙΑ,

Spartanorum festum, cujus mentio fit in veteri quadam Inscriptione.

ΕΥΡΥΝΟΜΕΙΑ,

Solennia anniversaria a Phigaleensibus in Arcadia agitata, sacrificiis tam publicis quam privatis Eurynome factis, cujus templum, nunquam apertum nisi hoc die festo, illic loci exstabat, tradente Pausania in *Arcadicis*. Ista Eurynome (ex quorumdam sententia) eadem erat ac Diana; aut (secundum alios) una ex Oceani filiabus, cujus meminit Homerus, asserens illam hospitio excepisse Vulcanum.

ΕΦΙΠΠΟΣ,

Ludi equestres a Laconibus editi, juxta Hesychium & Phavorinum.

H.

ΗΛΑΚΑΤΑΙΑ,

Festa apud Lacones in honorem Helacati pueri ab Hercule adamati celebrata, teste Hesychio.

ΗΡΑΙΑ,

Festa Argis agitata in Junonis laudem, in cujus tutela ac præsidio ista urbs erat, Græcisque Ηρα nuncupata. Eadem solennitas a Samiis & Æginetis, qui Argivorum coloni fuere, celebrata est. Argis habebantur binæ supplicationes ad Deæ templum extra civitatem; altera a viris arma gestantibus; in altera Junonis sacerdos, quæ semper erat matrona

A nobilitate præstantissima, curru ab albis bobus acto, vehebatur; ab istius sacerdotio Argivi annos numerabant, quemadmodum Athenienses ab imperio Archontum; ad templum progressi boum hecatomben offerebant, unde hisce festis nomen Εκατόμβοια: sacrificium hoc quandoque etiam vocatur Λεχέρνα, quod forte deduci potest a λέχος, *cubile*, quia matrimoniis, natalitiis, &c. maxime præsidebat Juno. Ibidem editi quidam ludi, in quibus victores clypeum theatro firmiter defixum refigere debebant, præmiumque auferebant coronam myrteam & clypeum æreum; hinc ludus interdum dicebatur χάλκειος ἀγών, id est, *æneum certamen*.
B Vide Εκατόμβοια.

Aliud hujusce nominis festum singulis quinquenniis in Elide celebratum reperimus, in quo sexdecim matronæ ad vestem Deæ pertexendam constitutæ erant. Ludi quoque acti, quos prima instituisse dicitur Hippodamia in honorem Junonis, cujus ope Pelopi nupserat. Horum præsides erant sexdecim matronæ, singulæ ancilla stipatæ; in hisce virgines decertabant, in varias classes secundum ætatem distinctæ, & ordine cursu se exercebant, initio facto a natu minima. Vestem eamdem gerebant omnes, capillis passis, humero dextro ad
C mammas usque nudo, tunicisque ad genua tantum pertingentibus. Cursu quoque certabant in Olympico Stadio ad sextam partem tunc contracto. Quæcumque victoriam referebat, donabatur corona oleaginea & portione bovis mactati, suasque effigies Deæ dicare licebat.

Corinthi quoque isto nomine insigniebatur dies solennis iugendorum Medeæ liberorum, in templo Junonis Acrææ, quod ibi loci visebatur, sepultorum, & (ut nonnulli tradunt) trucidatorum a Corinthiis, qui, ut tam nefandæ cædis infamia sese levarent, ingentem pecuniam Euripidi numerasse dicuntur ad excogitandam fabulam, in qua cædes hæc
D Medeæ adscribitur, quod antea nemini unquam in mentem venit, juxta Lycophronis Scholiastem.

Aliud hujusce nominis dies festus una cum ludis Pellenes celebratus, in quibus victoris præmium erat vestis pretiosa, ab hoc loco nuncupata Πελληνικὴ χλαῖνα.

ΗΡΑΚΛΕΙΑ,

Atheniensium festa singulis quinquenniis in honorem Herculis agitata, teste Polluce *Onomast. lib.* VIII. *cap.* IX.

E Thisbe quoque ac Thebis Bœotiæ civitatibus observabatur solenne, Herculi cognominato Μήλωνι sacrum, quia τὰ μῆλα, hoc est, *poma*, ipsi offerebantur, secundum Pollucem *Onomast. l.* I. c. I. En tibi originem hujus consuetudinis: Quum antiquitus ovis immolari isto die festo soleret, aliquando fluvius Asopus adeo extra ripas diffluxit, ut trajici non posset, quam ob causam victimam adduci non licuit. Vox μῆλον apud Græcos diversimode accipitur, interdum pro *ove*, interdum pro *pomo*; quod animadvertentes pueri quidam otiantes sacra ludis peregerunt, pro ariete pomo oblato, quod sustentabatur bacillis quatuor ad instar pedum, duobus in-
F super in hujus summitate collocatis, ut tanquam cornua exstarent: Herculi maxime placuit jocus, & abhinc ad ætatem Pollucis, qui florebat Commodo Romæ imperante, permansit iste mos.

Sicyone festum Herculi sacrum agebatur duobus diebus continuis, quorum prior Ονομάτα, posterior Ηράκλεια dicebatur, teste Pausania in *Corinthiacis*.

Lindi dies festus in laudem Herculis celebrabatur, in quo nil nisi execrationes verbaque inauspicata audiebantur; ita ut, si quis forte verba auspicata protulisset, sacra profanasse creditus sit.

Origo istius consuetudinis a Lactantio exponitur. A

Coi etiam hoc festum agitabant; atque sacerdos tunc temporis mitra coronatus & veste muliebri indutus sacra peragebat. Vid. Plutarchus *Quæst. Græc.*

ΗΡΟΣΑΝΘΕΙΑ,

Peloponnesiorum solenne, in quo mulieres simul conveniebant floresque colligebant, juxta Hesychium, ut nomen indicat, cum derivetur ab ἔαρ, *ver*, & ἄνθος, *flos.*

ΗΡΟΧΙΑ,

Festa apud Hesychium memorata. B

ΗΡΩΙΣ,

Dies festus Delphis agitatus singulis novem annis in memoriam cujusdam Heroidis, ut ex nomine discere est. Fuisse in eo quamplurimos arcanos ritus, qui aliquid simile mortuæ Semeles ad vitam reditui referebant, memoriæ prodidit Plutarchus *Quæst. Græc.*

ΗΦΑΙΣΤΕΙΑ,

Festa Athenis in honorem Ἡφαίςυ, *Vulcani*, acta. Tunc certamen tædarum, dictum ἀγὼν λαμπαδοῦχος, in Academia celebratum hunc in modum, juxta Pausaniam in *Atticis*, Persii veterem Scholiastem, Hesychium: C Certantes tres erant adolescentes, quorum unus primas vices sortitus, tædam accensam in manibus capiebat, cursumque inchoabat; si forte tæda exstingueretur, antequam metam contingeret, illam tradebat secundo, isque eadem ratione tertio: victoria cedebat illi, qui tædam ardentem usque ad cursus finem perferebat, dicebaturque λαμπαδηφόρος vel πυρφόρος, ut docet Hesychius; si autem eorum nemo illud perficere posset, palma in medio relinquebatur, nullique eorum tribuebatur. Si quis certantium, metuens ne motu nimis vehementi tæda exstingueretur, D cursum remitteret, spectatores palmis eum percutere soliti erant; qua de causa hujusmodi ictus nuncupabantur πληγαὶ πλατεῖαι, seu *plagæ latæ*, ut & Κεραμεικαὶ, quia infligebantur in Ceramico, cujus partem Academia constituebat, juxta Aristophanem, ejusque Scholiastem in *Ranis*. Ad tædas alternatim per manus traditas sæpissime alludunt Auctores, illisque plerumque conferunt rerum humanarum vicissitudines variasque commutationes in mundo contingentes; cujus rei unicum exemplum ex Lucretio *lib.* II. afferam:

Inque brevi spatio mutantur secla animantum, E
Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Θ.

ΘΑΛΥΣΙΑ,

Sacrificia ab agricolis post messem facta ὑπὲρ τῆς θαλίας τῶν καρπῶν, in animum gratum erga Deos, quorum beneficio fructibus terræ fruebantur. Festa in his acta dicebantur Ἀλῶα, de quibus supra, ut & Συγκομιστήρια, ἀπὸ τῆς συγκομιδῆς τῶν καρπῶν, hoc est, *a legendis fructibus.* Ista in honorem Cereris & Bacchi, quibus præcipuæ curæ erant terræ fruges, celebrata fuisse nonnulli contendunt, ex Menandro Rhetore *cap.* περὶ λαλιᾶς. F Verum Eustathius *ad Iliad. I.* tradit, solennem quoque obambulationem in laudem Neptuni tunc factam fuisse; porroque addit, universos Deos sacrificiorum in hac festivitate factorum participes fuisse; ut etiam liquet ex ipsissimis Homeri verbis, referentis, Oeneum in se concitasse Dianæ iram, eo quod ipsi sacrificare neglexisset hoc in festo, quo alioquin cæteros omnes Deos convivio excepisset *Iliad. I. vers.* 529.

Καὶ γὰρ τοῖσι κακὸν χρυσόθρονος Ἄρτεμις ὦρσε
Χωσαμένη, ὅ οἱ οὔτι θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς
Οἰνεὺς ῥέξ', ἄλλοι δὲ Θεοὶ δαίνυνθ' ἑκατόμβας,
Οἴῃ δ' οὐκ ἔρρεξε Διὸς κούρῃ μεγάλοιο.

Etenim inter hos malum aureo solio sedens Diana excitavit
Irata, quod sibi non sacra post fruges comportatas in fœcundo loco agri
Oeneus fecerat, alii vero Dii epulati erant hecatombas,
Soli vero non fecit Jovis filiæ magni.

Inde venit θαλύσιος ἄρτος, quandoque dictus θάργηλος apud Athenæum *Deipnosoph. lib.* III. qui erat panis primum confectus ex novo tritico. Nonnulli volunt, θαλύσια fuisse generale nomen omnium festorum, in quibus τοὺς θαλλοὺς seu *ramos virides* gestabant.

ΘΑΡΓΗΛΙΑ,

Athieniensium festi dies in honorem Solis ac Horarum ipsius famularum celebrati, vel, ex aliorum sententia, Delii Apollinis & Dianæ. Sexto atque septimo Thargelionis mensis diebus agitabantur, nomenque habebant a θαργήλια, quod in genere usurpatur de omnibus terræ frugibus, quia solenni ritu præsertim circumferebantur primitiæ in ollis θαργήλοις nuncupatis, quod nomen tribuitur etiam εἰρεσιώναις, quæ circa urbem isto tempore gestabantur, ac infra describentur in festis dictis Πυανεψίοις. Præcipua celebritas ultimo die habebatur, cum prior omnino insumeretur in parandis huic necessariis; cumque civitates lustrari consueverant, quod peragebatur a duobus hominibus, nomine generali Φαρμακῶν appellatis, qua voce intelliguntur quicumque urbes purificabant, aut primarius τῶν συμβάκχων: erant ambo viri, vel, secundum alios, vir & mulier; quorum prior masculinum, posterior fœmininum sexum significabat, & unicuique sacrificium fiebat: vir ficus dictas ἰσχάδας fusci coloris, mulier vero albi, circa collum gestare solebant. Ritus, qui in civitatibus lustrandis usuveniebant, a Johanne Tzetze *Histor. Chil.* V. *cap.* XXIII. describuntur:

Ὁ φαρμακὸς, τὸ κάθαρμα τοιοῦτον ἦν τὸ πάλαι·
Ἂν συμφορὰ κατέλαβε πόλιν θεομηνίᾳ,
Εἴτ' οὖν λοιμὸς, εἴτε λιμὸς, εἴτε καὶ βλάβος ἄλλο
Τῶν πάντων ἀμορφότερον, ἦγον ὡς πρὸς θυσίαν,
Εἰς καθαρμὸν καὶ φαρμακὸν πόλεως τῆς νοσούσης,
Εἰς τόπον δὲ τὸν πρόσφορον στήσαντες τὴν θυσίαν,
Τυρόν τε δόντες τῇ χειρὶ, καὶ μᾶζαν, καὶ ἰσχάδας,
Ἑπτάκις γὰρ ῥαπίσαντες ἐκεῖνον εἰς τὸ πέος
Σκίλλαις, συκαῖς ἀγρίαις τε, καὶ ἄλλοις τῶν ἀγρίων,
Τέλος πυρὶ κατέκαιον ἐν ξύλοις τοῖς ἀγρίοις,
Καὶ τὴν σποδὸν εἰς θάλατταν ἔρραινον εἰς ἀνέμους,
Εἰς καθαρμὸν τῆς πόλεως, ὡς ἔφην, τῆς νοσούσης.

Pharmacus, purgamen tale erat olim:
Si calamitas apprehenderet urbem Deorum ira,
Sive pestis, sive fames, sive & nocumentum aliud
Omnium deformissimum, ducebant ad victimam,
In purgamen atque pharmacum urbis laborantis,
In locum autem offerendam statuentes victimam,
Caseumque dantes manu, & offam, atque ficus,
Septies quoque cædentes illum in veretrum
Scillis, ficubus agrestibus, atque aliis ex agrestibus,
Postremo igne concremabant in lignis agrestibus,
Et cinerem in mare spargebant ad ventos,
In purgamen urbis, ut dixi, laborantis.

Fabulæ tradunt Φαρμακὸν dici a quodam Pharmaco, qui sacra Apollinis vasa furatus, & ab Achillis militibus in ipso delicto apprehensus, capite plexus est: ejus autem facinus & pœna hoc die festo

Athenis exhibita sunt. Φαρμακὸς cognominatus est χραδησίτης a ficuum specie, quæ dicebantur κράδαι & in lustrationibus adhibebantur; unde κράδης νόμος dicebatur cantus genus, quem tibia modulari solebant dum lustrator ad munus peragendum ibat. Præterea chorus Musicorum de cantu concertabant, quorum victor tripoda in Pytheo Apollinis templo a Pisistrato condito dicabat. Iterum filios adoptivos his festis, ut Apaturiis spurios, in publicas tabulas referre assueverant Athenienses. Vadimonia autem dare aut accipere nefas erat, cujus criminis rei coram conventu in Bacchi theatrum convocato in jus vocabantur.

Festum cognomine magna cum lætitia & hilaritate, epulis & conviviis celebrabant Milesii.

ΘΕΟΓΑΜΙΑ.

Festa Deorum conjugalia, quæ Siciliæ in honorem Proserpinæ, juxta Pollucem *l.* I. c. I. & in memoriam matrimonii, quod cum illa iniit Pluto, instituta & celebrata videntur, cum illius diei celebritas in ritibus nuptialibus simulandis imprimis transigeretur.

ΘΕΟΙΝΙΑ.

Vide Διονύσια.

ΘΕΟΞΕΝΙΑ.

Festa omnibus Diis communia, teste Hesychio, quæ in innumeris Græciæ civitatibus, præsertim Athenis, observabantur.

Pellenenses sacros ludos cognomines instituerunt in honorem Apollinis Θεοξενίυ, id est, *Dei hospitalitatis*, juxta Pausaniam in *Achaicis*: vel, ut Pindari Scholiastes tradit in *Olymp. ode* XI. in honorem Apollinis & Mercurii simul. Victores juxta Pausaniam vas cælatum, simulque vestem dictam χλαῖναν secundum Scholiasten mox citatum pro præmio accipiebant.

Idem Scholiastes in *Olymp. ode* III. tradit Dioscuros festa ejusdem nominis instituisse ad commemorandum honorem, quo Dii illos dignati sunt, cum in convivio ab iis parato interfuerint.

ΘΕΟΦΑΝΕΙΑ, vel ΘΕΟΦΑΝΙΑ.

Dicuntur festa Dei apparitionis, quæ à Delphis illo die, quo Apollo se iis primum manifestavit, celebrata sunt. Vide Herodotum *l.* I. & Suidam.

ΘΕΡΑΠΝΑΤΙΔΙΑ.

Festa a Lacedæmoniis observata, quorum meminit Hesychius.

ΘΕΡΜΙΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Festa, nundinæ, & publicus conventus, quæ in Ætolorum urbe dicta Thermis celebrari solebant, tradente Polybio *l.* V.

ΘΕΡΤΗΡΙΑ.

Festa apud Hesychium memorata.

ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΑ.

Festa Cereris cognominatæ Θεσμοφόρυ, vel *legiferæ* apud Virgilium *Æneid. l.* IV. quia generi humano leges prima tulit. Illorum institutio a nonnullis tribuitur Triptolemo, ab aliis Orpheo, ab aliis vero Danai filiabus. Celebrabantur autem in pluribus Græciæ civitatibus, ut Spartæ & Mileti per triduum: Drymææ Phocidis urbe, Thebis Bœoticis, Megaris: Syracusæ, qua in civitate sub finem solennitatis mulieris pudenda ex sesamo & melle confecta, quæ apud Siculos dicebantur μύλλοι, in sacra obambulatione circumferri solebant: ab Eretriis populo Eubœensi, qui cibum ad solis æstum torrefaciebant: in insula Delo, ubi panes

A crassi dicti ἀχαίναι magna cum pompa in publicum producebantur, bajulis conclamantibus:

Ἀχαίνης, στέατος ἔμπλεον τράγον.

Unde hæc festa non raro μεγαλάρτια vocantur.

Sed præ cæteris Græcis hæc solennia majore cum pietatis specie celebrabant Athenienses. Sacra obeuntes erant ingenuæ cives, (nulli enim mulieri servilis generis iis interesse licebat) quarum viri celebritatis sumptus pendebant, nimirum, si uxorum dotes ad minimum tria talenta confecissent. Hisce mulieribus adstabat sacerdos dictus στεφανοφόρος,
B quia coronam in capite gestabat, dum munus peragebat: iis pariter sociæ erant nonnullæ virgines, quæ stricte conclusæ detinebantur, severæque disciplinæ parebant, alitæ ex publico ærario in loco dicto θεσμοφορείῳ. Mulieres alba veste indutæ erant ad immaculatam puritatem significandam, & trium aut quinque dierum spatio ante celebritatem, necnon per quatriduum, quo festa perdurabant, ad severissimam castitatem obstrictæ erant; qua de causa iis herbis, quæ Veneri retundendæ aptæ credebantur, ut agno casto, pulicaria, (quibus utebantur mulieres Milesiæ) vitis palmitibus, &c. lectum sternere solebant. Granis Punicis vesci & sertis ornari
C non licebat: omnia enim omni joco procul & cum maxima gravitatis specie gerebantur; nec quicquam tolerabatur, quod lasciviam, turpitudinem, imo gaudium & hilaritatem præ se ferebat; nisi quod in se invicem jocari solebant in memoriam Jambi, qui Cereri sollicitæ & tristi lepido joco risum concitavit. Triduum ad minimum insumebatur in omnibus rite disponendis ad festi celebritatem. Undecimo Pyanepsionis die mulieres libros, in quibus leges conscriptæ erant, super capite gestantes ad commemorandum Cereris inventum, Eleusin petebant, ubi solennitas fiebat; unde hic dies sacer
D dictus est ἄνοδος, id est, *adscensus*. Decimo quarto die festa inchoabantur, quæ ad decimum septimum durabant: decimo sexto die jejunabant, humi jacentes in signum demissi animi, qui dies idcirco vocabatur νηστεία, id est, *jejunium*. His solennibus ad Cererem, Proserpinam, Plutonem, & Calligeniam quidam volunt fuisse Cereris nutricem, alii ejus sacerdotem, alii vero ejus ancillam; imo nonnulli ipsam esse Cererem contendunt, quorum sententia abunde refellitur testimonio Aristophanis, qui in *Thesmophor. p.* 768. *Edit. Amstelod.* illam a Cerere distinguit:

E
Εὔχεσθε ταῖν Θεσμοφόροιν,
Τῇ Δήμητρι, καὶ τῇ Κόρῃ,
Τῷ Πλούτῳ, καὶ τῇ Καλλιγενείᾳ.

Preces fundite Legiferis,
Cereri, & Proserpinæ,
Pluto, & Calligeniæ.

Ex omnibus autem Græcis soli Eretrii illo ritu abstinebant. Præterea fiebat arcanum sacrificium dictum δίωγμα aut ἀποδίωγμα, vel ἀπὸ τοῦ διώκεσθαι ἐκεῖθεν τὰς ἄνδρας, id est, *quia viri ab his sacris arcebantur*; vel ἀπὸ τοῦ διωχθῆναι τὰς πολεμίους, quia in
F bello quodam, quo Respublica in maximum discrimen adducta erat, mulieres suis precibus Deorum opem impetrarunt, qua hostes profligati & Chalcidem usque fugati sunt; quapropter sæpius dicebatur Χαλκιδικὸν δίωγμα. Peractum est & aliud sacrificium dictum ζημία, *mulcta*, eo quod offerretur ad litandum quidquid in his festis deliquissent. Quotquot in carcere detinebantur ob minora offensa, in libertatem asserebantur, illi nempe δεσμῶται, qui de sacris participes legitime fieri possent: non qui impuri & scelere polluti a Deorum con-

sortio arcebantur. Vid. Sopater *divisione Quæstionis*. Hæc autem liberatio initio hujus festi fiebat. Tertio autem die omnia fora claudebantur.

ΘΕΣΕΙΑ,

Festa Thesei Athenis celebrata singulorum mensium die octavo, quia Neptuni, cui hic dies sacer erat, filius putabatur: vel quia priore expeditione quando Trœzene rediit, Athenas dies octavo mensis Hecatombæonis advenit: vel in ipsius memoriam salvi & incolumis ex Creta domum reducis die octavo Pyanepsionis, juxta Plutarchum in *Theseo* & Aristophanis Scholiastem *in Plutum*; qua de causa hic dies præ cæteris solennius celebrari solebat. Nonnulli quoque contendunt illa prius instituta fuisse, ex eo quod Theseus in unum corpus coalescere fecit Athenienses, qui antea in Atticæ pagos hinc inde dispersi jacebant. Ludis & certaminibus, gaudiis & conviviis decorari solebant; pauperiores autem cives, qui iis sumptibus sustinendis impares erant, in publicis mensis gratis epulari licebat, prout nos docet Aristophanes in *Pluto*. Sacrificia dicebantur ὀγδόδια, ab ὄγδοος, *octavus*, quia die mensis octavo fiebant, ut tradit Hesychius.

ΘΡΙΩ,

Festa Apollinis apud Hesychium memorata, quorum nomen a tribus Apollinis nutricibus, quæ Thriæ dicebantur, factum esse videtur.

ΘΥΙΑ,

Festa Bacchi (juxta Pausaniam in *Eliacis* β'.) ab Eleis in loco octo circiter stadiis Elide dissito celebrata, quibus ipse Deus interesse pro certo affirmabatur. En tibi fabellæ fundamentum: In quoddam hujus loci sacellum tria vacua vasa coram toto conventu, qui ex advenis & indigenis componebatur, inferre solebant sacerdotes: foribus dein clausis, suisque & alienis sigillis obsignatis, domum se recipiebant: crastina autem die templum repetebant, & quum singuli sua signacula intacta vidissent, foribus apertis, vasa vino plena deprehendebant.

ΘΥΛΛΑ,

Festa Veneris, quorum meminit Hesychius.

ΘΥΝΝΑΙΑ,

Sacrificia solennia, sic dicta a θύννος, *thynnus*, quem piscatores post locupletissimam capturam Neptuno mactabant, juxta Athen. *Deipnos. l.* VII.

ΙΕΡΟΣ ΓΑΜΟΣ,

Id est, *Sacræ nuptiæ*. Festa erant in honorem Jovis & Junonis celebrata, teste Hesychio, in quibus (ut puto) matrimonium inter duo illa Numina initum memorabatur.

ΙΘΩΜΑΙΑ,

Festa, in quibus Musici decertare solebant: sunt autem observata in laudem Jovis, (juxta Stephanum Byzantium & Pausaniam in *Messenicis*) qui cognominatus est Ἰθωμήτης ab Ithome Thessaliæ aut Messenes civitate, ubi ille Deus a duabus Nymphis Ithome & Neda, quarum prior urbi, posterior vero flumini nomen indidit, nutricatus dicitur.

ΙΝΑΧΙΑ,

Leucotheæ festa in Creta agitata, quorum nomen ab Inacho deducit Hesychius; sed potius fieret ab Ino, quæ eadem est ac Leucothea, & ἄχος, *dolor*; quia forsan hæc festa ad Inus ærumnas commemorandas celebrabantur.

ΙΝΥΝΙΑ,

Festa in insula Lemno servata, quorum mentionem fecit Hesychius.

ΙΝΩΑ,

Festi dies Ino dicati, singulis annis Corinthi cum ludis & sacrificiis celebrati, atque a Rege Sisypho instituti, prout observat Tzetzes *in Lycophronem*.

Sacrificia anniversaria Ino Megaris peracta, ubi primum Leucothea dicta est, ejusque cadaver ad maritimam oram ejectum, illudque sublatum Cleso & Tauropolis sepulturæ mandarunt, ut videre est apud Pausaniam in *Atticis*.

Fuerunt & alia Ino festa in Laconia, ubi stagnum ei sacrum erat. His autem sollennibus eo injiciebantur placentæ similagineæ, quæ si mergerentur, prospera, sin vero in superficie aquarum enatarent, adversa nunciabant, tradente Pausania in *Laconicis*.

ΙΟΒΑΚΧΕΙΑ,

Festa Bacchi cognominati *Iobacchi* a clamoribus Ἰὼ βάκχε, &c. qui in ejus festis resonabant. Vide Διονύσια.

ΙΟΛΑΙΑ,

Festa, quæ eadem erant ac Ἡράκλεια, Thebis celebrata sunt, prout nos docet Pindari Scholiastes *Olymp. ode* VII. unde liquet ea instituta fuisse in honorem Herculis sociique Iolai, qui ei opem tulit in hydra devincenda. Hoc festo post sacrificium duplex erat certamen in diebus sequentibus, & quidem die priore agebant pentathlum & equestre certamen, posteriore gymnicum. Victori dabatur corona myrtea, quia myrto ornare mortuos consueverunt: aliud quoque præmium erat tripus ex ære. Stadium & gymnasium appellabant Ἰολάειον: quo loco exstabat Amphitryonis monumentum, quod floreis corollis decorabant: ut etiam Iolai cenotaphium, nam ipsius sepulcrum erat in Sardinia. Vid. Pindari Scholiastes in *Nem.* & *Isthm.*

ΙΣΕΙΑ,

Festa observata in pluribus Græciæ civitatibus in honorem Isidis, juxta Diodorum Sicul. *l.* I. quæ frumenti usum invenisse a nonnullis dicebatur, in cujus beneficii generi humano collati monumentum, quibusdam in locis vasa tritico & hordeo plena cultores his diebus sacris circumferre solebant.

ΙΣΧΕΝΙΑ,

Ludi, qui quotannis Olympiæ agitabantur in laudem Ischeni Mercurii & Hiereæ nepotis, eo quod tempore famis hostiam piacularem in patriæ salutem se obtulerit, cui idcirco monumentum conditum est ad Olympiorum stadium, teste Isaacio Tzetze *in Lycophronis Cassandram vers.* 42.

K.

ΚΑΒΕΙΡΙΑ,

Sacra arcana observata Thebis ac in insula Lemno, imprimis vero in Imbro & Samothrace insulis Cabiris sacris, quos nonnulli Numina Phœnicia, alii vero Vulcani filios faciunt: sed alii ab utrisque dissentiunt; nihil enim certi de illorum origine, nominibus, & numero definiri potest. Qui plura desiderant, consulant Cœlium Rhodiginum, Lilium Gyraldum, aliosque Mythologos. Horum sacro-

rum mystæ a procellis aliisque periculis tuti tectique credebantur, teste Diodoro Siculo *Biblioth. l.* v. En tibi præcipuos ritus: Initiandus, ramis olivæ coronatus, & vitta purpurea lumbos accinctus, in throno considebat, quem sacerdotes & mystæ circuibant saltantes & ludentes. Hæc autem cæremonia dicebatur θρόνωσις vel θρονισμὸς, id est, *in throno collocatio.* Vide Platonem in *Euthydemo*, & Hesychium.

ΚΑΛΛΑΟΙΔΙΑ,

Sacri ludi in honorem Dianæ in Laconia editi, juxta Hesychium.

ΚΑΛΛΙΣΤΕΙΑ,

Id est, *Pulchritudinis præmia.* Intelliguntur autem festa in insula Lesbo celebrata, in quibus mulieres in Junonis templum conveniebant, & illarum pulcherrima præmium referebat, teste Homeri Scholiaste *in Iliad. ι.*

Similia certamina obtinebant in festis Cereris Eleusiniæ apud Parrhasios, a Cypselo, cujus uxor Herodice in iis prima palmam tulit, institutis, prout tradit Athenæus *Deipnosoph. l.* XIII.

Alia hujus generis festa concelebrabant Elei, juxta Athenæum *ibidem*, in quibus venustissimus vir integra armatura donabatur, quam Minervæ dicabat. Ad illius autem Deæ templum solennem in morem obambulabat, ab amicis, qui illum vittis ornabant, ejusque caput corona myrtea decorabant, stipatus.

ΚΑΛΛΥΝΤΗΡΙΑ,

Festa Athenis acta, quorum meminit *Etymolog.* Auctor.

ΚΑΡΝΕΙΑ,

Festa agitata in omnibus fere Græciæ civitatibus, imprimis Spartæ, ubi inducta dicuntur circa vigesimam sextam Olympiadem in honorem, non Jovis, (prout nonnulli sentiunt) sed Apollinis cognominati *Carnei*, vel a quodam Carneo Trojano, teste Alcmane; vel a pulcherrimo adolescente dicto Carno Jovis & Europæ filio, juxta Hesychium, quem deperibat Apollo, observante Theocriti Scholiaste; vel a Carno Acarnanensi, quem in arte divinandi instituit Apollo, cujusque cædem a Doribus perpetratam dira peste ultus est Apollo, ut autem illam plagam pellerent, hæc festa instituisse Dores tradit Pausanias; vel ἀπὸ τῆς κρανείας, *a corno*, littera ρ transposita, prout idem Auctor innuit: nonnulli enim tradunt, hæc festa a Græcis prius instituta fuisse, eo quod Apollinis iram provocassent, quando cornetum ei in monte Ida sacrum succiderant, ex quibus lignis equum Trojanum ædificarunt; vel ἀπὸ τῆ κραίνειν, id est, ab exaudita Menelai petitione, (prout vult Demetrius) qui in bello Trojano iturus, Apollini vovit, se præclaros honores ei tributurum, si sua incœpta fœlicem exitum consecuta forent. Hæc festa novem dierum spatio, initio facto a decimo tertio die mensis Carnei, qui Atheniensium Metagitnioni respondet, juxta Plutarchum in *Nicia*, perdurabant, in quibus vivendi morem & disciplinam castrensem simulabant: novem enim σκιάδες, id est, *tentoria*, figebantur, in quibus singulis novem viri trium diversarum tribuum, tribus scilicet ex unaquaque tribu electis, per novem dies habitabant, quo temporis spatio publico præconi parebant, ejusque mandata præstolabantur. Vide Athen. *Deipnosoph. lib.* IV. Callimachum *Hymno in Apollinem*, & Pindari *Pythion.* Sacerdotem, qui his festis sacra faciebat, ἀγητὴν vocat Hesychius, qui alio in loco addit, quinque alios viros de singulis tribubus electos fuisse, dictos Καρνεάτας, qui per quadriennium munus tenebant, & tamdiu cœlibes manebant. His festis certos Musices numeros, qui dicti sunt Καρνεῖοι νόμοι, cantabant Musici de victoria certantes. Primum præmium retulit Terpander.

ΚΑΡΥΑ, vel ΚΑΡΥΑΤΙΣ,

Festa Dianæ cognominatæ *Caryatidis*, juxta Pausaniam in *Laconicis*, a Caryo Laconiæ oppido, ubi solennitas peragebatur. Chorus virginum simul convenire solebat, quæ choreæ genus a Castore & Polluce inventæ agitabant, quæque dicebantur καρυατίζειν, juxta Lucianum περὶ ὀρχήσεως. Quando Xerxes Græciam invasit, nec ex hostium metu foras prodire sustinerent Lacedæmonii, ut Deæ iram cavissent, quæ in illos accensa fuisset, si ejus festa neglecta fuissent, vicini rustici in locum solitum congregati carmina pastoralia, quæ dicebantur βουκολισμοὶ a βούκολος *bubulcus*, cecinerunt. Hinc bucolicorum originem nonnulli deducunt.

ΚΕΡΑΜΕΙΚΙΑ,

Festum Athenis celebratum, in memoriam eorum, qui in Ceramico sepulti fuerant; de quo more alibi dictum est.

ΚΙΣΣΟΤΟΜΟΙ,

Festa Hebes juventutis Deæ, apud Pauf. in *Corinthiacis.*

ΚΛΑΔΕΥΤΗΡΙΑ, aut ΒΙΣΒΑΙΑ,

Festa memorata ab Hesychio, quæ celebrata esse videntur, quando vites amputabantur. Κλαδευτήριον enim & βισβη *falcem putatoriam* significant.

ΚΝΑΚΑΛΗΣΙΑ,

Festa quotannis acta in monte Cnacalo a Caphyatis in honorem Dianæ, quæ a loco cognominata est *Cnacalesia*, juxta Pausan. in *Arcadicis.*

ΚΟΝΝΙΔΕΙΑ,

Dies sacer, qui Thesei festis præibat. Illo autem die festo Connidæ Thesei tutori mactabatur aries. Vide Plutarchum in *Theseo.*

ΚΟΡΕΙΑ,

Festa Proserpinæ dictæ Κόρης, quæ Molossorum idiomate *venustam mulierem* denotat, juxta Hesychium.

ΚΟΡΙΒΑΝΤΙΚΑ,

Solennitas apud Cnossum, quæ Cretæ urbs erat, agitata in memoriam Corybantum, quorum curæ Jupiter commissus fuisse dicitur, dum in Creta latuit, ne a Saturno patre devoraretur.

ΚΟΤΥΤΤΙΑ, vel ΚΟΤΥΤΤΙΣ,

Festa Cotyis vel Cotytto lasciviæ Deæ, juxta Synesium in *Encomio calvitii*, Suidam, & Juvenalem *Satyr.* II. noctu celebrari solebant Athenis, Corinthi, in insula Chio, in Thracia, pluribusque aliis in locis, omni scilicet impudicitiæ ac luxuriei genere perpetrato, quibus illa Dea maxime oblectari credebatur. Ejus sacerdotes dicuntur Βάπται, quorum meminit Juvenalis. Illorum autem nomen factum esse videtur ἀπὸ τῆ βάπτειν, *a tingendo*, & *fucando*: solebant enim omnibus effeminatis & meretriciis artibus uti: unde Κότυος θιασώτης, id est, *Cotyis compotator*, trito proverbio tribuitur illis viris mollibus, qui in seipsis exornandis & inodorandis totum tempus insumunt.

Aliud festum cognomine apud Plutarchum *Proverb.* in Sicilia observabatur, in quo cultores ramos placentis & fructibus undique pendentibus

decoratos circumferre solebant, quæ cuivis decerpere licitum erat. Hæc autem fiebant, ex Gyraldi sententia, in memoriam Proserpinæ raptæ, quæ a nonnullis eadem ac Cotytto creditur.

ΚΡΟΝΙΑ,

Festa Saturni, qui a Græcis dicitur Κρόνος, juxta Aristophanis Scholiastem *in Nubes*, & Hesychium, Athenis agitata mense Hecatombæone, qui olim dicebatur Cronius.

Alia Saturni festa decimo sexto die mensis Metagitnionis in insula Rhodo celebrata sunt, prout nos docet Porphyrius apud Theodor. *l.* VII. *Græc. affect.* in quibus reus morte damnatus mactari solebat.

ΚΥΒΕΡΝΗΤΙΑ,

Festa a Theseo instituta in memoriam Nausithei & Phæacis, ejus κυβερνήτων vel *naucleorum* in expeditione quam in Cretam suscepit, teste Plutar. in *Theseo*.

ΚΥΝΟΦΟΝΤΙΣ,

Festa diebus canicularibus Argis observata, juxta Athen. *Deipnosoph. l.* III. quæ sic dicta sunt ἀπὸ τοῦ κύνας φονεῖν, id est, *a canibus occisis*; quia illo die sacro quotquot canes offendebant, interficere solebant.

Λ.

ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ ΕΟΡΤΑΙ,

Nonnulla festa Lacedæmone habita, quorum nomina perierunt. Altera a Plutarcho in *Amatoriis* memorantur, in quibus nuptæ mulieres, virgines, pueri, & servi una promiscue epulabantur, si excipias uxores senatorum, quæ in amplo cubiculo seorsim per totam noctem excubias agebant.

Alterorum meminit Athen. *Deipnosoph. l.* XIII. in quibus mulieres seniores viros cælibes apprehensos circa aram verrebant, pugnis continuo eos cædentes; eum in finem scilicet, ut si nulla alia de causa, tamen ex metu infamiæ & ignominiæ, quam hoc die subire cogebantur, ad uxorem ducendam adducerentur.

ΛΑΜΠΤΗΡΙΑ,

Festa Pellenes Achajæ civitate, teste Pausania in *Achaicis*, celebrata sunt in honorem Bacchi dicti Λαμπτῆρος a λάμπειν *fulgere*: quum enim hæc solennitas nocte perageretur, cultores templum Bacchi petebant tædas accensas præ manibus gestantes: pariter amphoras vino plenas in omnibus civitatis vicis exponebant.

ΛΑΡΙΣΣΑΙΩΝ ΕΟΡΤΗ,

Ludi, in quibus athletæ singulare certamen peragebant ante πένταθλον vel *quinquertium* inventum, Larissæ edi solebant, teste Apollonii Scholiast. *l.* IV.

ΛΑΡΥΣΙΑ,

Festa Bacchi in Larysio Laconiæ monte vere ineunte agitari solita, juxta Pausaniam in *Laconicis*.

ΛΑΦΡΙΑ,

Festa Patris Achajæ civitate quotannis celebrata in honorem Dianæ cognominatæ *Laphriæ*, vel ἀπὸ τῶν λαφύρων, *ab exuviis ferarum*, quia Diana Dea venationis erat, quæ in statua ex auro & ebore composita habitu venatricis exhibebatur: vel quia ira sedata in annos ἐλαφροτέρα, id est, *benevolentior*, Oeneo Calydoniorum Regi erat: vel a quodam Laphrio Phocensi, qui ei statuam dicavit in Calydonia. Istud enim cognomen Dianæ primo inditum est in Calydonia, unde simulque ejus statua migravit. Horum testorum ritus a Pausania sic describuntur: Proxime ante festa gradum ex molli terra congesta ad aram tollebant; circa aram disponebant ligna recentia, singula sedecim cubitos oblonga, quibus imponebantur aridissima ligna, quæ comparare poterant. Celebritas biduo perdurabat; priore peragebatur solennis obambulatio, in qua intererat Dianæ sacerdos virgo, quæ curru & damis vehebatur. Postridie conveniebant ad sacrificia facienda, ex avibus, ursis, damis, leonibus, lupis, omnique genere animalium fructuumque hortensium composita, quæ omnia in ara comburenda dicabantur, partim privatorum hominum sumptibus, partim ex publico ærario; igne autem accenso, aliquando accidit, ut feræ vinculis ab igne absumptis de ara resilirent, prout semel obtigit quando noster Auctor aderat, tamen nec hac nec aliis vicibus quicquam damni ullus adstantium unquam accepit.

ΛΕΟΝΙΔΕΙΑ,

Dies sacer quotannis Spartæ celebratus in memoriam Leonidæ Lacedæmoniorum Regis, juxta Pausaniam in *Laconicis*, qui cum exigua hominum manu integrum Xerxis exercitum Thermopylis stetit, illarumque faucium aditum integro biduo defendit. Habita & oratio in laudem Herois, & ludi editi, in quibus solis ingenuis civibus Spartanis certare licebat.

ΛΕΟΝΤΙΚΑ,

Festa, quorum auctor & occasio nos latent. Hoc tantum de iis tradit Porphyrius *de Antro Nympharum*: nempe, qui sacris admittebantur, melle loco aquæ manus abluere solebant, ut a consiliis factisque noxiis, invidis, & execrandis se puros esse indicarent.

ΛΕΡΝΕΙΑ,

Festa Lernæ observata, quæ a Philammone (ut videre est apud Pausaniam in *Corinthiacis*, *Arcadicis*, & *Inscriptione veteri*) in honorem Bacchi, Proserpinæ, & Cereris instituta sunt. Ab antiquis temporibus ignem a templo Dianæ cognominatæ Πυρωνίας (forsan a πῦρ, id est, *ignis*) in monte Crathide eidem sacro in usum festorum petebant Argivi.

ΛΗΝΑΙΑ,

Festa Bacchi cognomine *Lenæi* a ληνὸς, *torcular*, juxta Aristophanis Scholiastem *in Equites*, Diogenem Laertium in *Platone*, celebrabantur mense Lenæone iisdem ritibus, qui in aliis illius Dei festis usuveniebant; tantum illum diem sacrum decorabant Poetica certamina & tragœdiæ actæ.

ΛΙΘΟΒΟΛΙΑ,

Hoc est, *Lapidatio*. Hæc festa a Trœzeniis observabantur in memoriam virginum Lamiæ & Auxesiæ, quæ a Creta Trœzenen in tumultu & seditione advenientes a populo furente mactatæ & lapidibus obrutæ sunt, prout tradit Pausf. in *Corinth.*

ΛΙΜΝΑΤΙΔΙΑ,

Festa Dianæ (juxta Pausan. in *Achaicis*) cognominatæ *Limnatidis* a Limne Gymnasio Trœzenes, in quo culta est: vel juxta Artemidorum, a λίμναι, *lacus*, quia piscatorum præses erat Diana.

ΛΙΝΕΙΑ,

Festum in memoriam Lini veteris Poetæ: illi statua in Helicone fuit, cui καὶ ἔτος ἕκαστον πρὸ τῆς θυσίας τῶν Μουσῶν ἐναγίζουσι, *parentant quotannis antequam sacra Musis faciant.* Pausanias *Bœoticis pag.* 1584. *Edit. Hanov.*

ΛΥ-

ΛΥΚΑΙΑ,

Festa ab Arcadibus celebrata, (testibus Plutarcho in *Cæsare*, Pausania in *Arcadicis*, Porphyrio περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, & Hygino *fab.* CLXXIII.) quæ ad Romanorum Lupercalia proxime accedunt. Agebantur autem certamina, in quibus victor æneam armaturam pro palma ferebat, nec non humana hostia mactabatur. Auctor dicitur Lycaon, qui illa instituit in honorem Jovis cognominati *Lycæi*, vel ab ipsius Lycaonis nomine, vel a Lycæo monte Arcadiæ, quem ipsum Olympum esse contendunt Arcades, ab iis idcirco dictum ἱερὰν κορυφὴν, id est, *sacrum collem*, eo quod Jupiter ibi educatus fingeretur; in cujus rei monumentum ad aram, quæ in illo loco condita est, religio arcana illi Deo peragebatur, imo ager ei sacer erat, in quem ne quidem pedem inferre ulli licebat.

ΛΥΚΕΙΑ,

Solennitas Argis Apollini Λυκείῳ celebrata. Vid. Pindari Scholiastes *in Pyth.* Apollo autem Λύκειος & Λυκοκτόνος dictus est, quod λύκους, *lupos*, qui Argivorum terram infestabant, occidit, unde ἀγορὰ λύκειος, *forum lyceum*, & Apollini huic templum Argis visebantur. Alii tamen alias hujus cognominis causas reddunt, ut quod sit pastorum pecorisque custos, & paverit Admeti greges, atque inde lupos oderit: vel quod in Lycia natus fuerit, unde ab Homero Λυκηγενὴς vocatur, ut nonnullis placet: ut alias rationes prætercam. Vid. uterque Scholiastes Sophoclis ad hos versus initio *Electræ*, cujus scena Argis est:

Αὕτη δ', Ὀρέστα, τῦ λυκοκτόνυ Θεῦ
Ἀγορὰ λύκειος. ——
Hoc est, Orestes, luporum interfectoris Dei
Forum lyceum. ——

ΛΥΚΟΥΡΓΕΙΑ,

Festa ab Spartanis agitata in memoriam Lycurgi illius gentis legislatoris, (juxta Plutarchum in *Lycurgo*, & Strabonem *lib.* VIII.) cui dicaverunt templum & sacrificium annuum fecerunt.

ΛΥΣΑΝΔΡΙΑ,

Festa, sacrificia, & certamina in insula Samo observata in honorem Lysandri Lacedæmoniorum Architalassi. Olim dicebantur Ἡραῖα, quod nomen Samiorum statuto abrogatum est. Vide Plutarchum in *Lysandro*, & Hesychium.

M.

ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΑ,

Solennia sacrificia Athenis facta Mæmacterione mense hyemali in honorem Jovis Μαιμάκτυ, ut bonam ac serenam tempestatem reduceret; quia enim pro aere vel cœlo habebatur, idcirco tempestatibus præesse credebatur. Variæ illius cognominis redduntur causæ; μαιμάκτης enim ab Harpocratione exponitur ἐνθυσιώδης καὶ ταρακτικὸς, id est, *importunus & procellosus*, nomine facto a μαιμάσσειν, quod est juxta Suidam κλονεῖσθαι, κυματῦσθαι, id est, *turbare*, aut *fluctibus jactare*. Sed plane contrariam nominis interpretationem reddit Hesych. ex cujus sententia μαιμάκτης idem est ac μειλίχιος, id est, *benignus & propitius*. Qua in re ei accinit Plutarchus *Tract.* περὶ ἀοργησίας, cum inquit: Διὸ καὶ τῦ Θεῶν τὸ βασιλέα Μειλίχιον, Ἀθηναῖοι δὲ Μαιμάκτην, οἶμαι, καλῦσι. *Itaque etiam Deorum regem Meilichium,* (quasi mitem & blandum) *Athenienses vero Mæmacten, puto, vocant.* Neutra autem interpretatio a festorum institutio aliena est: quum iis sudum impetrare studerent, ideo instituta sunt vel ad Deum imbricitorem pacandum, vel

A ad illud mite & benignum Numen, quod vota supplicia lubenter exaudit, simpliciter exorandum.

ΜΕΓΑΛΑΡΤΙΑ,

Vide Θεσμοφόρια.

ΜΕΝΑΛΙΠΠΙΑ,

Festum a Sycioniis in memoriam cujusdam Melanippi celebratum: is Astaci filius erat, habuitque templum a Clisthene Sicyoniorum Tyranno exstructum; (vid. Herod. *lib.* V. *c.* LXVII.) idque in odium Adrasti, veteris Argivorum Regis, cui monumentum in Sicyone erat: Menalippus enim il-

B le in Thebano bello Tydeum, Adrasti generum, ejusdemque fratrem Mecistem interfecerat.

ΜΕΝΕΛΑΕΙΑ,

Festa Menelai, juxta Isocratem in *Helenæ Encomio* & Pausaniam in *Laconicis*, habita Therapnis Laconiæ oppido, ubi templo summisque honoribus non sub nomine Herois aut Semidei, sed tanquam superorum Deorum unus simul cum Helena decoratus est.

C ΜΕΣΟΣΤΡΟΦΩΝΙΑΙ ΗΜΕΡΑΙ,

Aliquot dies sacri, in quibus publica sacrificia celebrabant Lesbii, teste Hesychio.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΑ,

Festa mense Metagitnione, (juxta Plutarchum *de exilio*, Harpocrationem, Suidam) in honorem Apollinis Μεταγειτνίυ observata a Melitensibus, qui, suis sedibus relictis, cum Diomeis Atticæ populo in unam gentem coaluerunt; unde festorum nomen, quod migrationem ab una sede in aliam

D denotat, factum esse videtur.

ΜΙΛΤΙΑΔΕΙΑ

Sacrificia, hippodromi, aliaque certamina a Chersonensibus celebrari solita in memoriam Miltiadis Atheniensium ducis, tradente Herod. *lib.* VI.

ΜΙΝΤΕΙΑ,

Festa agitata ab Orchomeniis, juxta Pindari Scholiastem *in Isthm. od.* I. qui olim dicebantur Minyæ, & flumen, in cujus ripa illorum civitas sita erat, Minya, a Minya illius gentis Rege, in cujus memoriam hæc sacra instituta videtur.

E ΜΙΤΥΛΗΝΑΙΩΝ ΕΟΡΤΗ,

Festa ab incolis Mitylenes in loco quodam extra civitatem in honorem Apollinis, qui dictus est Μαλλόεις, celebrata, juxta Thucydidem initio *libri* III. Hujus cognominis meminit quoque Hesych.

ΜΟΥΝΥΧΙΑ,

Festa anniversaria (testibus Plutarcho *de gloria Atheniensium*, *Etymologici* Auctore, Suida, & Eustathio *Iliad.* σ'.) Athenis acta decimo sexto die Munychionis in honorem Dianæ cognominatæ *Munychiæ* a Rege Munycho Pentaclei filio; vel a

F Piræei parte dicta Munychia, ubi templum, quod ab Atheniensibus sacratum est in asylum iis qui eo confugerant, illi Deæ dicatum erat. His diebus sacris offerre solebant placentas, quæ dicebantur ἀμφιφῶντες ἀπὸ τῦ ἀμφιφάειν, id est, *a circumfulgendo*, vel quia tædæ accensæ iis circumlucebant, dum in templum deferrentur; vel quia plenilunio, quando illa festa habebantur, dicari solebant: instituta sunt enim hæc festa in honorem Dianæ, quæ eadem ac luna credebatur; eo

quod plenilunio Persarum classem profligavit Themistocles ad Salaminem.

ΜΟΥΣΕΙΑ,

Festa Musarum, (juxta Pollucem *lib.* I. *c.* I. Æschinem *in Timarchum*, Pausaniam in *Bœoticis*, Diodorum Siculum *lib.* XVII. Plutarchum in *Eroticis*) in diversis Græciæ locis præsertim apud Thespios observata, qui solennia certamina singulis quinquenniis concelebrabant.

Macedones quoque festum servabant in honorem Jovis & Musarum, quod a Rege Archelao institutum, & per novem dies juxta Musarum numerum celebratum.

ΜΥΣΙΑ,

Festa Cereris, juxta Pausaniam *fine Achaicorum*, dictæ *Mysiæ* a quodam Mysio Argivo, qui in loco decem circiter stadiis Pellene Achajæ civitate dissito templum ei dicavit: vel, juxta Phurnutum, a *μυσῖα*, id est, *nauseare*, *satiare*, aut *saginare*, quia Ceres homines in usu frumenti prima instituit. Hæc festa triduo perdurabant: tertio autem die viris & canibus maribus e templo ejectis, mulieres simulque canes fœminæ intra templum manebant, & nocte solitis ritibus peractis, crastino die viros revisebant, quibuscum diem insumebant in joco & risu.

ΜΩΛΕΙΑ,

Festa Arcadum propria, secundum Apollonii Rhodii Scholiastem *lib.* I. *vers.* 164. sic dicta a *μῶλος*, *pugna*; sunt enim instituta in memoriam conflictus, in quo Lycurgus Ereuthalionem occidit.

N.

ΝΕΚΥΣΙΑ,

Festa in honorem defunctorum. De his autem & proximis festis plenius agam, quum ad honores mortuis persolutos ventum est.

ΝΕΜΕΣΕΙΑ aut, ΝΕΜΕΣΙΑ,

Festa itidem in memoriam defunctorum, secundum Suidam. Nemesis enim mortuorum curam gerere, & injurias ab iis arcere credebatur, ut tradit ibi Suidas. Atque hinc apud Sophoclem, cum Clytæmnestra mortuo, ut putabatur, Oresti insultaret, Electra continuo exclamat, *Electra v.* 793.

Ἄκυε, Νέμεσις, τῦ θανόντος ἀρτίως.
Audi, Nemesis, recens mortuum.

Ubi Triclinius hæc subdit: *Νέμεσις, Θεὰ μεμφομένη τὺς τοῖς θανῦσιν ἐφυβρίζοντας, καὶ τύτυς τιμωρυμένη*. Demosthenes etiam *Orat. adversus Spudiam pag.* 650. refert, justa defunctis in hoc festo persoluta fuisse.

ΝΕΟΙΝΙΑ,

Festa Bacchi, juxta Hesychium, celebrata, quando vinum novum primo degustabatur, prout nomen sonat.

ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΙΑ,

Festa, teste Heliodoro *Æthiopic. initio lib.* III. Delphis habita magna cum pompa & celebritate in memoriam Neoptolemi Achillis filii, qui dum Apollinis templum diripere moliretur occisus est: illud autem facinus incœperat, ut patris mortem, cujus Apollo conscius erat, ulcisceretur.

ΠΗΛΗΙΔΙΑ,

Festa Dianæ, cognominatæ *Neleidis* a Neleo Milesio, juxta Lycophronem in *Cassandra*, Mileti observata, teste Plutarcho *de virtute mulierum*.

ΝΙΚΗ Η ΕΝ ΜΑΡΑΘΩΝΙ,

Solennia quotannis ab Atheniensibus agitata sexto mensis Boedromionis die in memoriam illius insignis victoriæ, quam in Persas Marathone retulit Miltiades, prout tradit Plutarchus *de gloria Atheniensium*.

ΝΙΚΗΤΗΡΙΑ ΑΘΗΝΑΣ,

Athenis agebantur in memoriam Minervæ palmam ferentis, quando cum Neptuno certabat, quis amborum illam civitatem, quæ in posterum dicta est Athenæ, suo nomine faceret, teste Proclo *in Timæum Comment.* I.

ΝΟΥΜΗΝΙΑ, aut ΝΕΟΜΗΝΙΑ,

Festa habita initio omnium mensium lunarium, (ut tradunt Homeri Scholiast. *Odyss.* υ΄. Eustathius *Odyss.* υ΄. & φ΄. Demosthenes *in Aristogitonem*, Theophrastus *Ethic. Characteribus*, *Etymologici* Auctor, Hesychius, & Herod. *lib.* VIII. & *Vita Homeri*) quæ (prout nomen indicat) incidebant in novilunio, in honorem omnium Deorum, præsertim Apollinis, qui dictus est *νεομήνιος*, quia sol est principium lucis; licet enim temporum & tempestatum distinctio ab aliorum planetarum desumi queat, attamen omnes a sole tanquam fonte luminis radios accipiunt & mutuantur. Horum festorum celebratio *νυμηνιάζειν*, placentæ, quæ in iis offerebantur, *νυμήνιοι*, cultores vero *νυμηνιασταὶ* dicebantur. Decorabantur autem certaminibus & publicis conviviis ab opulentioribus civibus paratis, quo magna pauperum frequentia confluere solebat. Mense sequente in Erechthei templo in arce ædificato, & a dracone, cui placentam mellitam dictam *μελιττῦτταν* (qualis in Trophonii antro conjici solebat) porrigebant, custodito, publica vota & sacrificia pro salute Reipublicæ facere solebant Athenienses. Nec Deos modo, verum etiam Heroas invocabant hoc tempore tum Athenienses, tum etiam cæteri Græci. Plutarchus *Græc. Quæst.* Ἕλληνες ἐν τῇ Νυμηνίᾳ τὺς Θεὺς σεβόμενοι, τὴν δευτέραν Ἥρωσι καὶ Δαίμοσιν ἀποδεδώκασι. Ex quo loco constat, primo Deos, postea Heroas & Semideos sacro cultu honoratos initio mensium fuisse. Illa sacrificia, eo quod singulis mensibus peragerentur, *ἔμμηνα ἱερὰ* vel *ἐπιμήνια*, qui illa faciebant *ἐπιμήνιοι* & *ἀγρεμόνες* dicebantur.

Ξ.

ΞΑΝΘΙΚΑ,

Macedonum festa, (testibus Hesychio, Livio *lib.* XL. Curtio *lib.* X.) sic dicta, quia incidebant in mensem Xanthum, qui, tradente Suida, Aprili respondet. In hac celebritate hunc solennem in morem lustrari solebat exercitus: Cane fœmina in duas partes dissecta, & harum altera una cum visceribus ad dexteram, altera vero ad sinistram positis, inter eas ordine incedebat exercitus. Omnium Regum Macedonum insignia præibant, dein sequebatur prima acies (ut puto) ex equitibus composita; quos excipiebant Rex ejusque liberi; his instabat cohors prætoriana; tandem ultima acies procedebat. His autem peractis, exercitus in duas acies distinctus in procinctum disponebatur, & illico inter se leviter dimicatum est quasi conflictum simulassent.

ΞΥΝΟΙΚΙΑ, aut ΜΕΤΟΙΚΙΑ

Dies sacer ab Atheniensibus quotannis celebratus in honorem Minervæ, juxta Thucydidem *lib.* II. & Plutarchum in *Theseo*, decimo sexto mensis Hecatombæonis die, quo commemorabant Thesei præclare factum, ex cujus consilio & ope-

ra antiquis sedibus, quum hinc inde in agro Attico disseminati pagos incolebant, relictis, in unam Rempublicam coacti sunt.

O.
ΟΓΚΗΣΤΙΑ,

Bœotorum festa, teste Pausania in *Bœoticis*, Neptuno cognominato *Onchestio* ab Onchesto Bœotiæ oppido sacra.

ΟΛΥΜΠΙΑ,

Festa Atheniensium, Smyrnæorum, Macedonum, imprimis Eleensium, (de quibus inferius agam) Jovi Olympio dicata erant.

ΟΜΟΛΩΙΑ,

Festa Jovis *Homoloii* aut Cereris *Homoloiæ*, juxta Theocriti Scholiastem *Idyll.* VII. (qui sic dicuntur vel ab Homole Bœotiæ oppido, vel a vate Homoloia, vel ab ὅμολος, qui Bœotorum idiomate *pacificus* sonat) Thebis celebrari solita.

ΟΣΧΟΦΟΡΙΑ, vel ΩΣΧΟΦΟΡΙΑ,

Atheniensium festa, sic vocata ἀπὸ τοῦ φέρειν τὰς ὄσχας, id est, *a ramis*, quibus racemi undique pendebant, dictis ὄσχαις, juxta Harpocrationem & Hesychium *circumlatis*. Horum autem festorum institutio & cærimoniæ ample describuntur a Plutarcho in *Vita Thesei*: Τῇ δὲ Ἀττικῇ προσφερομένων, ἐκλαθέσθαι μὲν αὐτὸν, ἐκλαθέσθαι δὲ τὸν κυβερνήτην ὑπὸ χαρᾶς, ἐπάρασθαι, τὸ ἱστίον, ὃ τὴν σωτηρίαν αὐτῶν ἔδει γνώριμον τῷ Αἰγεῖ γενέσθαι. τὸν δὲ ἀπογνόντα ῥίψαι κατὰ τῆς πέτρας ἑαυτὸν, καὶ διαφθαρῆναι. Καταπλεύσας δὲ ὁ Θησεὺς, ἔθυε μὲν αὐτὸς ἃς ἐκπλέων θυσίας ηὔξατο τοῖς Θεοῖς Φαληροῖ, κήρυκα δὲ ἀπέστειλε τῆς σωτηρίας ἄγγελον εἰς ἄστυ. Οὗτος ἐνέτυχεν ὀδυρομένοις τε πολλοῖς τὴν τοῦ βασιλέως τελευτὴν, καὶ χαίρουσιν (ὡς εἰκὸς) ἑτέροις, καὶ φιλοφρονεῖσθαι καὶ στεφανοῦν ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ προθύμοις οὖσιν· τοὺς μὲν οὖν στεφάνους δεχόμενος, τὸ κηρύκειον ἀνέστεφεν. Ἐπανελθὼν δὲ ἐπὶ θάλασσαν, οὔπω πεποιημένου σπονδὰς τοῦ Θησέως, ἔξω περιέμεινε μὴ βουλόμενος τὴν θυσίαν ταράξαι· γινομένων δὲ τῶν σπονδῶν, ἀπήγγειλε τὴν τοῦ Αἰγέως τελευτήν. Οἱ δὲ σὺν κλαυθμῷ καὶ θορύβῳ σπεύδοντες ἀνέβαινον εἰς τὴν πόλιν· ὅθεν καὶ νῦν ἐν τοῖς Ὠσχοφορίοις στεφανοῦσθαι μὲν οὐ τὸν κήρυκα λέγουσιν, ἀλλὰ τὸ κηρύκειον· ἐπιφωνεῖν δὲ ταῖς σπονδαῖς, Ἐλελεῦ, ἰοὺ, ἰοὺ, τοὺς παρόντας· ὧν τὸ μὲν σπεύδοντες ἀναφωνεῖν καὶ παιωνίζοντες εἰώθασι, τὸ δὲ ἐκπλήξεως καὶ ταραχῆς ἐστι. *Quum Atticæ appropinquarent, memoriæ cessisse ei, (Theseo) cessisse item gubernatori ex gaudio, ut velum, quod erat salutem eorum significaturum Ægeo, in altum darent: ipsum vero (Ægeum) animo despondentem de rupe præcipitem se dedisse atque exstinctum fuisse. Invectus autem portum Phalerum Theseus sacra fecit, quæ Diis, quum solveret, voverat, nunciumque incolumitatis misit in urbem caduceatorem. Hic in multos incidit regis mortem deflentes, & exultantes (ut probabile est) alios, promptosque ad læte eum, quod incolumis adesset, excipiendum & coronis ornandum: ipse vero coronas accepit, quibus adornavit caduceum. Regressus autem ad mare Theseus, nondum re divina perpetrata, ne sacrificium turbaret, restitit foris: quo peracto, renunciavit Ægei obitum. Ita illi cum lamentationibus & animo commoto in urbem citato gradu adscenderunt: unde nunc quoque in Oschophoriis coronari non caduceatorem dicunt, sed caduceum: interque libamina acclamare adstantes, Eja, heu, heu: quorum illud exclamare solent festinantes & ovantes, hoc consternationis est atque trepidationis.* Hæc forte sunt ὀσχοφορικὰ μέλη, quorum mentio est apud Proclum in *Chrestomathia*.

Paucis interjectis ita pergit Auctor noster: Ἄγουσι δὲ καὶ τὴν τῶν Ὠσχοφορίων ἑορτὴν, Θησέως καταστήσαντος· οὐ γὰρ ἁπάσας αὐτὸν ἐξαγαγεῖν τὰς λαχούσας τότε παρθένους, ἀλλὰ τῶν συνήθων νεανίσκων δύο θηλυφανεῖς μὲν ὀφθῆναι δὲ νεαροὺς, ἀνδρώδεις δὲ ταῖς ψυχαῖς καὶ προθύμους, λουτροῖς τε θερμοῖς, καὶ σκιατροφίαις, καὶ ταῖς περὶ τὴν κόμην καὶ λειότητα καὶ χροιὰν ἀλοιφαῖς, καὶ κοσμήσεσιν, ὥς ἐστιν ἐξαλλάξαντα κομιδῇ, καὶ διδάξαντα φωνὴν καὶ σχῆμα καὶ βάδισιν, ὡς ἔνι μάλιστα παρθένοις ὁμοιοῦσθαι, καὶ μηδὲν φαίνεσθαι διαφέροντας· ἐμβαλεῖν εἰς τὸν τῶν παρθένων ἀριθμὸν, καὶ διαλαθεῖν ἅπαντας. Ἐπεὶ δὲ ἐπανῆλθεν, αὐτόν τε πομπεῦσαι καὶ τοὺς νεανίσκους, οὕτως ἀμπεχομένους ὡς νῦν ἀμπέχονται τοὺς ὀσχοὺς φέροντες· φέρουσι δὲ Διονύσῳ καὶ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι, διὰ τὸν μῦθον· ἢ μᾶλλον ὅτι συγκομιζομένης ὀπώρας ἐπανῆλθον. Αἱ δὲ δειπνοφόροι παραλαμβάνονται, καὶ κοινωνοῦσι τῆς θυσίας, ἀπομιμούμεναι τὰς μητέρας ἐκείνων τῶν λαχόντων· ἐπεφοίτων γὰρ αὐτοῖς ὄψα καὶ σιτία κομίζουσαι. Καὶ μῦθοι λέγονται, διὰ τὸ κἀκείνας εὐθυμίας ἕνεκεν καὶ παρηγορίας μύθους διεξιέναι τοῖς παισίν. Ταῦτα μὲν οὖν καὶ Δήμων ἱστόρηκεν. *Celebrant autem* (Athenienses) *Oschophoriorum festum, ex Thesei instituto: neque enim omnes sorte lectas virgines eduxisse eum,* (ferunt) *sed ex familiaribus adolescentibus duos: quorum, quum muliebri quidem vultu & florente conspicerentur, fortibus vero pectoribus & impigri forent, thermis, deliciis, comæ & lævoris colorisque causa unctionibus, atque comptu, impense inflexerat & finxerat vocem & gestum & incessum, ut quam maxime virgines repræsentarent, nec usquam viderentur ab iis discrepare: hos inseruisse in virginum numerum, atque omnes fefellisse. Postquam redux fuit, & illum & adolescentes illos pompam duxisse, eo quo nunc amiciuntur cultu qui palmites cum racemis ferunt: hos autem ferunt in Liberi* Patris *& Ariadnæ honorem, propter fabulam: aut potius quod ea tempestate rediissent, qua colliguntur poma. Quæ cœnam ferunt fœminæ, deipnophoræ dictæ, adsistunt & adhibentur sacrificio, illorumque sortitorum matres agunt: frequenter enim iis opsonia & cibaria portaverunt. Fabulæ autem narrantur, eo quod & illæ leniendi liberos & erigendi causa fabulas iis recensuerint. Atque hæc quidem Demon quoque prodidit.*

Præter hos ritus ex Plutarcho adductos, in illis festis agitabatur cursus, testibus Pausania in *Atticis*, Athenæo *Deipnosoph. lib.* XI. Hesychio, & Nicandri Scholiaste *in Alexipharmaca*. Certabant autem quidam juvenes e singulis tribubus lecti, quorum ambo parentes in vivis erant: stadium a Bacchi templo ad templum Minervæ Sciræ in portu Phalereo attingebat: meta vero dicebatur ὠσχοφόριον ab ὄσχαι, id est, *rami*, quos cursores præ manibus gestabant, & hoc in loco deponebant. Victoris præmium erat cratera vocata πενταπλόα aut πενταπλῆ *quintuplex*, quia in ea haustus quinque rebus, nempe vino, melle, caseo, farina, & pauxillo oleo, mixtus propinabatur.

Π.
ΠΑΓΚΛΑΔΙΑ,

Festa sic dicta ὑπὸ πάντων κλάδων, id est, *ab omnigenis ramis*, quæ a Rhodiis in pampinatione celebrata sunt, ex Hesychio.

ΠΑΜΒΟΙΩΤΙΑ,

Festa (prout nomen sonat) ab omnibus Bœotis observata, secundum Strabonem *lib.* IX. Pausaniam *Bœoticis*, qui penes Coroneam ad templum Minervæ cognominatæ *Ioniæ* ab Itonio Amphictyonis filio convenire solebant.

ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ,

Festa Athenienſium in honorem Minervæ Athenarum præſidis agitata, ab Erichthonio aut Orpheo prius instituta, olim Ἀθήναια dicta; ſed a Theſeo, quum totam Athenienſium gentem in unam civitatem compoſuit, in poſterum renovata & aucta Παναθήναια vocitabantur. Eadem ac Romanorum quinquatria, quo nomine idcirco apud Latinos efferri ſolent, nonnulli faciunt. Prima inſtitutione per unicum tantum diem durabat celebritas, ſed deinceps in plures dies producta majori cum molimine & ſplendore, quam olim moris erat, agebatur.

Duo fuerunt hujus nominis feſta, quorum altera dicebantur μεγάλα Παναθήναια, ſeu *majora Panathenæa*, quæ ſingulis quinquenniis vigeſimo ſecundo menſis Hecatombæonis die auſpicata celebrari ſolebant. Altera vero erant μικρὰ Παναθήναια, ſive *minora Panathenæa*, de triennio in triennium, vel, ex nonnullorum ſententia, quotannis, initio facto a vigeſimo aut vigeſimo primo die menſis Thargelionis, obſervata. In his autem tria edebantur certamina, quæ a decem viris e decem Athenienſium tribubus lectis, qui munus per quadriennium tenebant, moderata ſunt. Primo die ad veſperam agebatur certamen tædarum, in quo primum pedites, deinde equites curſu contendebant, qui mos pariter uſuveniebat in majoribus Panathenæis. Secundum certamen dictum ἀνδρίας ἀγὼν, eratque gymnicum exercitium, in quo athletæ de robore certabant. Stadium erat præter flumen, & a feſtis dictum eſt Παναθηναικὸν, quod lapſu temporis dilapſum ab Herode Athenienſi ex candido marmore Pentelico tanto ſumptu tantaque munificentia de novo inſtauratum eſt, ut ſplendidiſſima theatra hujus ædificii ſplendorem minime æquarent. Ultimum certamen erat muſicum a Pericle inſtitutum, in quo hymnis decantabant Harmodii & Ariſtogitonis præclara incœpta, qui a Piſiſtrati filiorum tyrannide patriam in libertatem aſſeruerunt; ut & Thraſybuli laudes, qui triginta Tyrannorum jugum Athenienſium collo a Lacedæmoniis impoſitum fregit. Phrynis Mitylenæus in citharæ certaminibus primus palmam tulit: alia inſtrumenta muſica adhibebantur præter citharam, imprimis tibiæ, quibus concinebant. Pariter tripudii genus agitatur a choro circulari, de quo plura inferius. Poetarum quatuor erant certamina, quorum ultimo Satyra contendebant, omniaque ſimul a numero dicebantur τετραλογία. Præterea ad promontorium Sunium pugnam navalem ſimulabant. In quolibet horum certaminum victor pro præmio referebat vas oleo plenum, de quo pro lubitu ſtatuere ei licebat, quum alias hanc mercem exportare prohibitum eſſet: accipiebat quoque coronam conſertam ex illis oleis, quæ in Academia naſcebantur, quæque Minervæ ſacræ erant, dictæ μορίαι a μόρος, id eſt, *mors*, in memoriam Halirrhothii Neptuni filii diri fati, qui rabie percitus eo quod pater cum Minerva concertans de civitate, quæ poſtea Athenæ dicta eſt, appellanda devictus fuiſſet, quum oleam, ob quam productam Minerva palmam tulit, ſuccidere tentaret, ictu deflexo vulnus lethale ſibi intulit: alii vero nomen deducunt a μέρος, *pars*, qui ſecundum nonnullos illæ olivæ collatitiæ erant; quotquot enim oliveta poſſidebant, in feſtum celebrandum ſymbolam conferre tenebantur. Agitabatur & chorea dicta a pueris armatis, qui tripudii genus a Minerva triumphum in Titanis filios devictos celebrante actum ſimulabant. Athenis autem Romanorum imperio ſubjectis, Romano more dimicare ſolebant gladiatores. Nemini veſte tincta induto his ſacris intereſſe licebat: delinquentium autem pœnam pro lubitu decernebat ἀγωνοθέτης, id eſt, *certaminum præſes*. Denique ſumptuoſum ſacrificium, in quod ſinguli Atticæ pagi bovem conferebant, offerri ſolebat; ex carne autem reliqua publicum convivium celebrabat totus cœtus.

In majoribus feſtis fere iidem ritus obtinebant; ſed (ut opinor) majore cum ſplendore & ſumptu peragebantur, & nonnulli alii uſuveniebant, qui in minoribus non uſurpati ſunt, imprimis ſolennis illa obambulatio, in qua Minervæ ſacer πέπλος, ſeu *velum*, circumferebatur: hic πέπλος texebatur a lectiſſimis virginibus dictis ἐργαστίναις ab ἔργον, *opus*; iis autem præerant duæ Ἀῤῥηφόροι, (de quibus ſuperius egi) opuſque aggrediebantur in feſtis dictis Χαλκείοις, quæ in trigeſimum menſis Pyanepſionis diem incidebant: fuit veſtis alba, manicis carens, auroque contexta, in qua depingebantur Minervæ facinora, præſertim quæ in Gigantes præſtitit; necnon Jovis, Heroum, & omnium aliorum virorum, qui fortitudine & præclare factis claruerant, effigies intexebatur, unde viri fortes dicebantur ἄξιοι πέπλου, id eſt, *digni qui in Minervæ ſacra veſte acu pingantur*, juxta Ariſtophanem in *Equitibus pag.* 302. *Edit. Amſtelod.*

Εὐλογῆσαι βουλόμεθα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι
Ἄνδρες ἦσαν τῆσδε γῆς ἄξιοι, καὶ τοῦ πέπλου.

Prædicare volumus majores noſtros, quoniam
Viri erant & hac terra digni, & peplo. (Minervæ ornamento)

Hic autem πέπλος hunc ſolennem in morem circumferri ſolebat: In Ceramico extra civitatem exſtitit machinamentum navis ſpeciem referens in horum feſtorum uſum deſtinatum, cui appendebatur πέπλος veli inſtar; tota autem moles non a jumentis, prout nonnulli opinantur, ſed ope machinarum, quæ ſubter terram movebantur, ad templum Cereris Eleuſiniæ convehebatur, indeque iterum in arcem, ubi πέπλος Minervæ ſtatuæ, quæ in lecto floribus ſtrato, vel rectius conſerto, dictoque πλακίδι, jacebat, imponebatur. In hac obambulatione intererant homines omnis ſexus, ætatis, & conditionis: ſenes ſimulque vetulæ (juxta nonnullos) præibant, oleæ ramos præ manibus ferentes, quocirca appellabantur θαλλοφόροι. Hos excipiebat turba juvenum clypeis haſtiſque armatorum, & a μετοίκοις vel *inquilinis*, ſcaphas, hoc eſt, vaſa in formam ſcapharum efformata, quibus teſtabantur ſe peregrinæ originis eſſe, geſtantibus, indeque dictis σκαφηφόροις, ſtipatorum. Dein ſequebantur mulieres, quarum ſociæ erant inquilinæ vocatæ ὑδριαφόροι, id eſt, *hydrias geſtantes*; his inſtabat adoleſcentum caterva hymnos in laudem Deæ canentium, milio coronatorum, veſtaque pulla indutorum in memoriam mortis cujuſdam κήρυκος, cui nomen erat Copreus, quique, dum Herculis poſteros ab ara pellere moliretur, occiſus eſt. Proxime gradiebatur nobiliſſimarum virginum lectus numerus, quæ dicebantur κανηφόροι, id eſt, *caniſtra gerentes*, quia in caniſtellis quædam in ſacrorum celebratione adhibita geſtare ſolebant, quæ (ut & alia vaſa in hac celebritate uſurpari ſolita) a quodam viro cuſtodiebantur: is autem, quia publicorum ſpectaculorum, ſupplicationum, & legationum ad Deos præfectus erat, idcirco dictus eſt Ἀρχιθέωρος, qui illa ſacra pro re nata ordinabat. Haſce virgines comitabantur inquilinæ virgines, quæ umbellas & ſedeculas gerebant, unde vocabantur διφροφόροι, i.e. *ſellas geſtantes*. Tandem, ut veriſimile ſit, ordines claudebant pueri certis tunicis dictis πανδαμικοῖς, quæ in

ſacris perambulationibus geſtabantur, induti . Hujus aliarumq; ſupplicationum requiſita parabantur in foro publico inter Piræeam portam & Cereris templum in hunc uſum ædificato; omnia autem gerebantur & adminiſtrabantur ab illis viris qui dicebantur *νομοφύλακες*, ſeu legum, morum antiquorum, & rituum cuſtodes. Pariter in hac ſolennitate carcerem effundere, illos qui de Republica optime meriti fuerant coronis aureis donare, & Muſicos ad Homeri poemata decantanda (qui mos ab Hipparcho Piſiſtrati filio introductus eſt) proſpicere ſolebant. Tandem in horum aliorumque quinquennalium feſtorum ſacrificiis pro incolumitate Platæenſium, eo quod in pugna Marathonia pro Athenienſibus præclare ſe geſſerint & ſuæ invictæ fortitudinis ſpecimen dederint, vota fieri ſolebant.

ΠΑΝΑΚΕΙΑ,

Feſta Panaçes apud Theodoretum VII. *Therapeut.* memorata.

ΠΑΝΔΗΜΟΝ,

Eadem feſta ac Αθήναια & Χαλκεῖα, juxta Suidam, ſic dicta ab ingente hominum multitudine, qui eo convenire aſſueverant.

ΠΑΝΔΙΑ,

Athenienſium feſta, ſic appellata a Pandione auctore; vel quia agitabantur in honorem Jovis, qui τὰ πάντα δινεύει, id eſt, *omnia ad nutum movet & agit*. Alii econtra cenſent ea ſacra fuiſſe lunæ ſic dictæ ἀπὸ τοῦ πάντοτε ἰέναι, quia *indeſinenter movetur*; luna enim noctu diuque viſitur, ſol vero interdiu tantum lucet, & nocte quieſcere credebatur. Hæc feſta celebrata ſunt proxime a Διονυσίοις vel Bacchi feſtis, qui pro Sole vel Apolline non raro ſumitur, & a nonnullis frater, ab aliis autem filius lunæ exiſtimabatur. Leg. *Etymologici* Auctor & Suidas.

ΠΑΝΔΡΟΣΟΣ,

Athenienſium feſta in memoriam Pandroſi Regis Cecropis filiæ, ſecundum Athenagoram in *Apologia*, & Heſychium.

ΠΑΝΑΤΣΙΑ,

Publica feſta (teſtibus Ænea Tactico *Poliorcet. cap.* XVII. & Proclo *in Heſiodi Opera & Dies*) a nautis, quum ob frigus & immitem tempeſtatem domi manere coacti ſunt, celebrata.

ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΑ,

Feſta (prout nomen indicat) a magna hominum frequentia, qui ab omnibus Græciæ partibus huc confluebant, agitata. Vid. Euſtathius *ad Iliad. β'.*

ΠΑΝΙΩΝΙΑ,

Feſta (ut nomen exprimit) a populi concurſu ex omnibus Ioniæ civitatibus congregati obſervari ſolita, teſtibus Herodoto *lib.* I. Strabone lib. v. Euſtathio *ad Iliad. υ'.* Locus aut templum, in quo celebrabantur, dicebatur *πανιώνιον*. Inſtituta autem erant in honorem Neptuni cognominati *Heliconii* ab Helice Achajæ civitate, quæ deinceps terræmotu everſa eſt. Hoc in illa celebritate notatu dignum videtur, ſcilicet, ſi taurus dum mactaretur boatum edidiſſet, pro auſpicato omine habebatur: quia illa vox Neptuno placere credebatur; quo alluſiſſe exiſtimatur Homerus his verſiculis *Iliad. υ'. verſ.* 403.

Αὐτὰρ ὁ θυμὸν ἄϊσθεν ϗ ἤρυγεν, ὡς ὅτε ταῦρος
Ηρυγεν ἑλκόμενος Ελικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα.

Is autem animum exhalabat & mugiebat, ut cum taurus
Mugit vi tractus Heliconium circa regem. (Neptunum)

ΠΑΝΟΣ ΕΟΡΤΗ,

Dies ſacer ab Athenienſibus quotannis celebratus, ex Herodoto *lib.* VI. *cap.* CVI. in honorem Panis, cui templum dicatum erat juxta Acropolim; templi autem & feſti dedicati cauſa hæc traditur; Poſtquam Darius Perſa Atticam invaſiſſet, ad Spartanos, ut ab illis copias auxiliares poſceret, legatus Phidippides; cui iter facienti ad montem Parthenium juxta Tegeam occurrit Deus Pan, eique nomine advocato mandavit, ut Athenienſes cauſam rogaret, cur illum, qui iis ſemper fuit amicus, opemque ſæpius tulit & adhuc in poſterum laturus, hucuſque neglexerint. Phidippides Athenas reverſus viſionem retulit, cui tantam fidem adhibuerunt Athenienſes, ut ſummos honores illi Deo decreverint.

Pani itidem feſtum in Arcadia celebratum, juxta Theocriti Scholiaſtem *Idyll.* VII. quam regionem maxime frequentare in eaque delectari credebatur, ubi ipſius ſtatua *σκίλλαις* ſeu *cepis marinis* cædi ſolebat; nimirum quando venatores prædam amittebant, ira incitati (ut probabile ſit) in Deum, quem huic ludo præeſſe exiſtimabant; ad quem morem alludere videtur Theocritus in *Thalyſ.* ſeu *Idyll.* VII. *verſ.* 106.

Κ' ἢν μὲν ταῦτ' ἔρδοις, ὦ Πᾶν φίλε, μή τύ τι παῖδες
Αρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε ϗ ὤμως
Τανίκα μαςίσδοιεν, ὅτε κρία τυτθὰ παρείη.

Etſi id facias, o chare Pan, non te pueri
Arcadici ſcillis ſub latera & humeros
Tunc flagellent, cum parum carnium adfuerit.

Porro ſacrificium tenuiſſimum fieri moris erat, cujus reliquiæ adſtantibus ſuſtentandis minime pares erant; quia forte expectationem prædæ inter venandum faciendæ Deum fruſtratum eſſe credebant; econtra, quando bene ſuccedebat venatus, ampliores honores eidem perſolvebant.

ΠΑΝΟΨΙΑ,

Vide Πυανέψια.

ΠΑΡΑΛΙΑ,

Feſtus dies anniverſarius in honorem priſci Herois nomine Parali actus, teſte Euſtathio *ad Odyſſ. δ'.*

ΠΕΛΟΠΕΙΑ,

Feſta, in quibus ſolennes ludi editi, ubi ſoli ingenui Spartani certabant, oratione habita in laudem Pauſaniæ Spartanorum ducis, cujus auſpicio atque ductu Græci Mardonium in celebri ad Platæas pugna ſuperarunt, ut refert Pauſanias in *Laconicis*.

ΠΑΤΣΑΝΕΙΑ,

Pelopis feſtum apud Eleos, qui *ut e Diis Jovem, ita ex Heroibus Pelopem maxime colunt*. Campus ibi Pelopi ab Hercule dicatus eſt, ut tradit Pauſanias *Eliacis α'. p.* 407. *Edit. Lipſ.* Λέγεται δὲ ϗ ὡς ἔθυσεν ἐς τὸν βόθρον τῷ Πέλοπι· θύουσι δ' αὐτῷ καὶ νῦν ἔτι οἱ κατὰ ἔτος τὰς ἀρχὰς ἔχοντες· τὸ δὲ ἱερεῖον ἐστι κριὸς μέλας· ἀπὸ ταύτης ἐ γίνεται τῷ μάντει μοῖρα τῆς θυσίας· τράχηλον δὲ μόνον δίδοσθαι τοῦ κριοῦ καθέστηκε τῷ ὀνομαζομένῳ ξυλεῖ· ἐστι δὲ ὁ ξυλεὺς ἐκ τῶν οἰκετῶν τοῦ Διός· ἔργον δὲ αὐτῷ πρόκειται τὰ ἐς τὰς θυσίας ξύλα τεταγμένου λέμματος ϗ πόλεσι παρέχειν ϗ ἀνδρὶ ἰδιώτῃ· τὰ δὲ λεύκης μόνης ξύλα, ϗ ἄλλων δένδρων ἐστὶν οὐδέν. Οἷος δ' ἂν ἢ αὐτῶν Ηλείων ἢ ξένων

τῦ θυομένυ τῷ Πέλοπι ἱερέιυ φάγῃ τῶν κρεῶν, ὐκ ἔϛιν οἱ ἐσελθεῖν παρὰ τὸν Δια. *Dicitur etiam Hercules Pelopi sacra fecisse in scrobe: ad quam ætate etiam nostra annui magistratus nigro ariete faciunt: ac de ea quidem victima vati portio nulla tribuitur: collum tantum more majorum lignatori datur: sic enim appellatur quidam de Jovis famulatu, cui incumbit, ut certo pretio ligna ad sacrorum usum, vel publice civitatibus, vel cuivis privato suppeditet; sunt autem non alia arbore ligna ea quam ex alba populo. Quod si quis Eleus, sive hospes carnes ex ea victima Pelopis comederit, ei templum Jovis introire nefas est.*

ΠΕΛΩΡΙΑ,

Apud Thessalos festa, Romanorum Saturnalibus non absimilia, sicque ab Athenæo *Deipnosoph. lib.* XIV. descripta: Βάτων δ' ὁ Σινωπεὺς ὁ Ρήτωρ ἐν τῷ περὶ Θεσσαλίας ϗ Αἱμονίας σαφῶς ἐμφανίζει τὴν τῶν Σατυρναλίων ἑορτὴν Ἑλληνικωτάτην, φάσκων αὐτὴν παρὰ τοῖς Θεσσαλοῖς Πελώρια καλεῖσθαι. γράφων ὕτως· θυσίας κοινῆς τοῖς Πελασγοῖς γινομένης, ἀπαγγεῖλαι τινὰ τῷ Πελασγῷ ἄνδρα, ᾧ ὄνομα ἦν Πέλωρος, διότι ἐν τῇ Αἱμονίᾳ σεισμῶν μεγάλων γενομένων ῥαγείη τὰ Τέμπη ὀνομαζόμενα, ϗ διότι διὰ τῦ διαϛήματος ὁρμῆσαν τὸ τῆς λίμνης ὕδωρ ἐμβάλλοι εἰς τὸ τῦ Πηνειῦ ῥεῖθρον, ϗ τὴν πρότερον λιμνάζυσαν χώραν ἅπασαν γεγύμνωσθαι, ϗ ἀναξηραινομένων τῶν ὑδάτων πεδία θαυμαϛὰ τῷ μεγέθει ϗ τῷ κάλλει ἀναφαίνεσθαι. Ακύσαντα ὖν τὸν Πελασγὸν, τὴν τράπεζαν ἀφθόνως αὐτῷ κεκοσμημένην τῷ Πελώρῳ παραθεῖναι ϗ τὺς ἄλλυς δὲ φιλοφρονυμένυς ἕκαϛον φέρειν ὅ τι ἔχοι παρ' αὐτῷ βέλτιϛον, ϗ παρατιθέναι ἐπὶ τὴν τράπεζαν τῷ ἀπαγγείλαντι, ϗ αὐτὸν τὸν Πελασγὸν προθύμως διακονεῖν, ϗ τῶν ἄλλων τὺς ἐν ἀξιώματι ὄντας ὑπηρετεῖν, καθότι ἑκάϛῳ ὁ καιρὸς παρέπιπτε. διόπερ φασὶν ἐπὶ τὴν χώραν κατέσχον, ἀπομίμημα τῆς τότε γενομένης ἑορτῆς, ϗ θύοντας Διὶ Πέλωρι, τραπέζας τε λαμπρῶς κοσμῦντας προτιθέναι, ϗ ὕτως φιλάνθρωπον τὴν πανήγυριν συντελεῖν, ὥϛε ϗ τὺς ξένυς ἅπαντας ἐπὶ τὴν θοίνην παραλαμβάνειν, ϗ τὺς δεσμώτας λύειν, ϗ τὺς οἰκέτας κατακλίναντας μετὰ πάσης παῤῥησίας ἑϛιᾶν, διακονύντων αὐτοῖς τῶν δεσποτῶν, ϗ τὸ σύνολον ἔτι ϗ νῦν Θεσσαλὺς μεγίϛην ἑορτὴν ἄγοντας, προσαγορεύειν Πελώρια. *Baton autem Sinopensis Rhetor libro de Thessalia & Æmonia apertissime monstrat Saturnaliorum festum esse maxime Græcum, illudque a Thessalis Peloria vocari, his verbis: cum victimas publice Pelasgi Diis immolarent, Pelasgo virum quemdam nomine Pelorum denunciasse, ingenti terræ motu* montes, *quos in Æmonia Tempe vocant, diffractos, reclusoque hiatu palustrem aquam erupisse, qua in alveum Penei delabitur, & inundata palude regionem totam detectam fuisse, siccatisque aquis apparuisse mirabilem, amplam, & amœnam planitiem. Hoc igitur audito Pelasgum mensam lautam & opiparam Peloro appcsuisse: aliosque perbenigne, quidquid cibi domi fuit exquisiti, nuncio largitos in mensam congessisse, ipsumque Pelasgum alacriter ministrum se præbuisse convivanti, aliorumque, qui dignitate splendidiores essent, ministrandi officium non detrectasse, prout cuique obtulit se occasio: quamobrem ubi regionem incolere cœperunt, ad imitationem festi, quod tum est peractum, hostias Jovi Pelorio mactare, sumptuoso mensarum apparatu convivari, tanta humanitatis ac mansuetudinis in eo conventu significatione, ut omnes peregrinos ad illas epulas invitent, vinctos solvant, famulos accumbentes cum maxima libertate cibum capere sinant, occupatis in eorum ministerio dominis, ac prorsus etiam nunc Thessali festum id, quod Pelorium vocant, maxima celebritate & magnificentia transigunt.*

ΠΕΡΙΠΕΤΕΙΑ,

Macedonum solenne, ex Hesychio.

ΠΕΡΙΦΑΛΛΙΑ,

Festa eadem ac Φαλλαγώγια, derivata a φαλλὸς, quæ vide in Διονύσια.

ΠΙΤΑΝΑΤΩΝ ΕΟΡΤΗ,

Gymnastici ludi Pitanæ celebrati, juxta Hesychium.

ΠΛΥΝΤΗΡΙΑ,

Festa in gloriam Aglauri, Regis Cecropis filiæ, vel potius Minervæ, cui nomen Aglaurus ex illa matrona, ut tradunt Hesychius, Plutarchus in *Alcibiade*, Athenæus *Deipnosoph. lib.* III. Pollux *lib.* VIII. *cap.* XII. In his Minervæ statua vestibus exuta abluebatur, unde ista festa appellata Πλυντήρια a πλυνειν, hoc est, *abluere*. Pro die infausto ac inauspicato habebantur, ideoque templa (ut & similibus diebus) funibus circumdabantur, ita ut nemo iis admitteretur. Istius consuetudinis rationem horumque festorum uberiorem descriptionem videre est in hisce Plutarchi verbis in *Alcibiade*: Ἡ γὰρ ἡμέρα κατέπλευσεν, ἐδρᾶτο τὰ Πλυντήρια τῇ Θεῷ. Δρῶσι δὲ τὰ ὄργεια Πραξιεργίδαι Θαργηλιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος ἀπόῤῥητα· τόν τε κόσμον καθελόντες, ϗ τὸ ἕδος κατακαλύψαντες· ὅθεν ἐν ταῖς μάλιϛα τῶν ἀποφράδων τὴν ἡμέραν ταύτην ἄπρακτον Ἀθηναῖοι νομίζυσιν. Οὐ φιλοφρόνως ὖν ὐδ' εὐμενῶς ἐδόκει προσδεχομένη τὸν Ἀλκιβιάδην ἡ Θεὸς παρακαλύπτεσθαι ϗ ἀπελαύνειν ἑαυτῆς. Οὐ μὴν ἀλλὰ πάντων γεγονότων τῷ Ἀλκιβιάδῃ κατὰ γνώμην. *Quo enim die* (Alcibiades) *in portum delatus est, Plynteria Deæ* (Minervæ) *agebantur. Hæc autem sacra arcana Praxiergidæ* (dicti) *faciunt vicesimo quinto* (die mensis) *Thargelionis: omnem vero ornatum Deæ detrahunt, ac simulacrum* (ejus) *obtegunt: unde hunc diem habent præcipue. Athenienses inter nefastos feriatum. Non volens igitur vel propitia visa excipere Dea Alcibiadem, sed intecta facie aversari eum & rejicere. Verumtamen omnia successerunt Alcibiadi ex animi sententia.* Porro hoc festo die moris erat solenniter circumferri palatha, quæ dicebatur ἡγητορία vel ἡγήτρια, ab ἡγέομαι, id est, *viam præmonstro*, quia ficus sunt quasi ἡγεμόνες τῦ καθαρῦ βίυ, *duces ad humanitatem ac mansuetum vitæ institutum*; homines enim, relicto antiquo ac plane rudi ex glandibus vivendi modo, ficus in cibum proxime adhibuerunt.

ΠΟΛΙΕΙΑ,

Festa Thebis agitata (secundum Pausaniam in *Bœoticis*) in honorem Apollinis cognomine Πολιῦ, id est, *Cani*, quia hac in urbe (præter perpetuam in omnibus aliis locis consuetudinem) cum capillis canis repræsentabatur. In his festis tauros immolare solebant Thebani, sed quum ita accidisset ut tauri iis non suppeterent, bovem de plaustro arreptum mactarunt; hinc domiti bovis cædendi prius orta consuetudo, quod eatenus nefarium crimen habitum fuit.

ΠΟΜΠΕΩΝ ΔΑΙΜΟΝΟΣ ΕΟΡΤΗ,

Festus dies, cujus meminit Hesychius. In hoc visebatur simulacrum, peculiariter nuncupatum ϛεμματιαῖον.

ΠΟΣΕΙΔΙΑ, vel ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑ,

Festa in laudem Ποσειδῶνος seu *Neptuni*, cui etiam solenne sacrificium, dictum Ουείλιον ab Hesychio, fiebat.

ΠΡΙΑΠΕΙΑ,

Festa in gloriam Priapi celebrata.

ΠΡΟΗΡΟΣΙΑ, aut ΠΡΗΡΟΣΙΑ,

Sacrificia (secundum Hesychium, Suidam, A-

A ristophanis Scholiastem *in Equit.*) facta πρὸ τῆς ἀρόσεως, id est, *ante sementim*, Cereri, quæ hinc cognominata Προηροσία. A plebe dicebantur Προακτώεια, ab ἀκτὴ, quod interdum idem est ac σῖτος, hoc est, *panis triticeus*: unde venit Δημητέρος ἀκτὴ, id est, *Cereales fruges*, apud Homerum. Vide *Annot. nostras in Plutarchum de audiendis Poetis*. Ista sacrificia prius instituta jussu cujusdam vatis nomine Authiæ, qui indicavit hanc unicam esse viam ad Deam iratam placandam, quæ non solum Athenis, (ubi solenne istud agebatur) sed omnibus aliis Græciæ partibus, diram famem tunc temporis intulerat.

B

ΠΡΟΛΟΓΙΑ,

Festa a Laconiæ incolis celebrata, antequam fructus carperent, ex Hesychio.

ΠΡΟΜΑΧΙΑ,

Festus dies, in quo Lacedæmonii arundinibus semetipsos coronabant, ut refert Athenæus *Deipnosoph. lib.* xv.

ΠΡΟΜΗΘΕΙΑ,

Atheniensium solenne in honorem Promethei actum, (secundum Aristophanis Scholiastem *in Ranas*) una cum lampadum certamine, eo quod ipse usum ignis homines primus docuerit. C

ΠΡΟΣΧΑΙΡΗΤΗΡΙΑ,

Dies exultandi, quando nova sponsa domum sponsi deducebatur, testibus Harpocratione & Suida.

ΠΡΟΤΕΛΕΙΑ,

Dies solennis ante nuptias, de quo postea.

ΠΡΟΤΡΥΓΕΙΑ,

D Festa in laudem Neptuni & Bacchi cognomine Προτρύγυ aut Προτρυγαίυ, ἀπὸ τῆς τρυγὸς, id est, *a novo vino*, juxta Hesychium.

ΠΡΟΦΘΑΣΙΑ,

Festum sic dictum ἀπὸ τοῦ προφθάνειν, *a prævertendo*, ac celebratum a Clazomeniis in memoriam Leucæ ab ipsis occupatæ, cum ad sacra quædam celebranda Cumæos antevenerint, ut tradit Diodorus Siculus *lib.* xv.

ΠΡΟΧΑΙΡΙΣΤΗΡΙΑ,

Sacrificium vetus Atheniense, quod magistratus omnes desinente hyeme propter spem tempestatis *lætioris* Minervæ, urbis suæ præsidi, quotannis obtulerunt. E Suidas: Προχαιρεισήρια, ἡμέρα ἐν ᾗ οἱ ἐν τῇ ἀρχῇ πάντες, ἀρχομένων καρπῶν φύεσθαι, λήγοντος ἤδη τοῦ χειμῶνος, ἔθυον τῇ Ἀθηνᾷ. τῇ δὲ θυσίᾳ ὄνομα προχαιρεισήρια. Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερωσύνης· τὴν τοίνυν ἀρχαιοτάτην θυσίαν διὰ τὴν ἄνοδον τῆς Θεοῦ, ὀνομασθεῖσαν δὲ προχαιρεισήρια τὴν βλάστησιν τῶν καρπῶν τῶν φυομένων.

ΠΡΩΤΕΣΙΛΑΕΙΑ,

Festa a Chersonesiis & Thessalis in memoriam Protesilai primi Græcorum ab Hectore occisi agitata, secundum Pindari Scholiastem *Isthm. ode* 1. F Lucianum *Deorum Concilio*.

ΠΥΑΝΕΨΙΑ,

Atheniensium festa, (ut perhibent Harpocratio, Plutarchus in *Theseo*, Hesychius) quandoque appellata Ποιανοψία aut Πανοψία, ὅτι πάντας εἶδον καρποὺς τῇ ὄψει, hoc est, *quia Theseus ejusque comites omnigenorum fructuum convivio excepti sint*; prius ac usitatius nomen desumitur ἀπὸ τοῦ ἕψειν πύανα, *a coquendis leguminibus*, ut fieri solebat isto die; hujusce consuetudinis causam ut & celebritatem plenius descriptam producam hisce Plutarchi in *Theseo* verbis: Θάψας δὲ τὸν πατέρα, τῷ Ἀπόλλωνι τὴν εὐχὴν ἀπεδίδου τῇ ἑβδόμῃ τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς ἱσταμένου· ταύτῃ γὰρ ἀνέβησαν εἰς ἄστυ σωθέντες. Ἡ μὲν οὖν ἕψησις τῶν ὀσπρίων λέγεται γενέσθαι διὰ τὸ σωθέντας αὐτοὺς εἰς ταυτὸ συμμῖξαι τὰ περιόντα τῶν σιτίων, καὶ μίαν χύτραν κοινὴν ἑψήσαντας συνεστιαθῆναι καὶ συγκαταφαγεῖν ἀλλήλοις. Τὴν δὲ εἰρεσιώνην ἐκφέρουσι, κλάδον ἐλαίας ἐρίῳ μὲν ἀνεστεμμένον, (ὥσπερ τότε τὴν ἱκετηρίαν) παντοδαπῶν δὲ ἀνάπλεων καταργμάτων, (διὰ τὸ λῆξαι τὴν ἀφορίαν) ἐπᾴδοντες,

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρειν, καὶ πίονας ἄρτους,
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
Καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃς.

Καίτοι ταῦτα τινὲς ἐπὶ τοῖς Ἡρακλείδαις γενέσθαι λέγουσιν, οὕτως διατρεφομένοις ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων· οἱ δὲ πλείονες, ὡς προείρηται. *Quum autem sepeliisset* (Theseus) *patrem*, *Apollini vota reddidit die septimo mensis Pyanepsionis: eo enim sospites urbem ingressi sunt. Legumina igitur memorantur elixari, quod incolumes cibariorum reliquias in unum confuderint, unaque coctas communi olla inter se comederint simulque epulati fuerint. Eresionen vero ferunt, ramum olivæ lana obvolutum, (quemadmodum tunc erant supplicia) variisque fructuum primitiis coronatum, (quia tunc desierat sterilitas) accinentes,*

Eresiona feres ficus, & pinguia farra,
Et pateram mellis, cum fructu dulcis olivæ
Fœcundum calicem, sopiaris ut ebria somno.

Quamvis hæc quidam in memoriam facta dicant Heraclidarum, qui ita ab Atheniensibus aliti fuerunt; major tamen pars adstipulatur antedictis. Porro addendum, εἰρεσιώνην, cum circumferretur in honorem Apollinis, fuisse ex lauro, quum in honorem Minervæ, ex olea; quia arbores illas his Numinibus gratissimas credebant. Solenni hujusmodi festo finito, illum ramum ante fores erectum statuebant, pro amuleto habentes, quo depellerentur annonæ caritas & penuria.

ΠΥΛΑΙΑ,

Festi dies Pylis, alias dictis Thermopylis, in honorem Cereris ab isto loco *Pylææ* cognominatæ acti, secundum Strabonem *lib* ix.

ΠΥΡΣΩΝ ΕΟΡΤΗ,

Hoc est, *Tædarum festum*, Argis observatum, ac institutum in memoriam tædarum a Lynceo & Hypermnestra accensarum, ad significandum sibi invicem auxilio fuisse, ut periculo eriperentur, teste Pausania in *Corinthiacis*.

P.

ΡΑΒΔΟΥ ΑΝΑΛΗΨΙΣ,

Id est, *virgæ assumptio* aut *sublatio*. Erat dies anniversarius in insula Coo, in quo sacerdotes cupressum gestabant, ex Hippocratis *Epist. ad S. P. Q. Abderit.*

ΡΑΨΩΙΔΩΝ ΕΟΡΤΗ,

Pars τῶν Διονυσίων seu *festorum Bacchi*, quibus repetebant fragmenta canticorum aut poematum, quando ad Dei statuam ambulabant, juxta Athenæum *Deipnosoph. init. lib.* vii.

Σ.

ΣΑΒΑΖΙΑ,

Nocturna sacra in honorem Jovis *Sabazii* celebrata, (ut tradunt Clemens in *Protrept.* & Arno-

bius *contra Gentes lib.* v.) in quibus quotquot initiati ſerpentem aureum pectori inſertum & ad extremitatem veſtis protenſum gerebant, in memoriam Proſerpinæ a Jove in ſerpentem mutato raptæ. Alii (ut Diodorus Siculus *lib.* IV. Ariſtophanis Scholiaſtes *in Veſpas*, Harpocratio) autumant iſtud ſolenne agitatum fuiſſe in laudem Bacchi cognominati *Sabazii*, a Sabis populis Thraciæ; iſtaque feſta a Græcis non prius inducta fuiſſe probabile ſit, ſed ad eos a Barbaris (quales cenſebantur Thraces) derivata, apud quos ſecundum Suidam σαβάζειν idem erat ac εὐάζειν, hoc eſt, *conclamare* εὐοῖ, ut fieri ſolebat in Bacchi feſtis: præterea Bacchi ſacerdotes a Thracibus nuncupabantur Σαβοί.

ΣΑΡΩΝΙΑ,

Feſta in gloriam Dianæ (juxta Pauſaniam in *Corinthiacis*) cognominatæ *Saroniæ*, a Sarone tertio Trœzenes Rege, a quo templum erectum feſtaque hæc ipſi dicata.

ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑ,

Id eſt, *Oneris excuſſio*. Erat publicum ſacrificium Athenis ad commemorandum Solonis decretum, quo æs alienum pauperiorum vel prorſus condonatum, vel ſaltem fœnus allevatum, creditoreſque inhibuit quominus ſuis debitoribus manus injicerent, ut antea ſolitum erat, juxta Plutarchum in *Solone*.

ΣΕΜΕΛΗ,

Feſtum, cujus mentio fit ab Heſychio, obſervatumque forſan in memoriam Semeles Bacchi matris.

ΣΕΠΤΗΡΙΟΝ,

Delphicum ſolenne, ad commemorandam Apollinis de Pythone victoriam, ſingulis novem annis celebratum. Potiſſima celebritas conſiſtebat in Pythone exhibendo, quum ab Apolline inſectaretur, prout narrat Plutarchus *Quæſt. Græc.*

ΣΘΕΝΙΑ,

Feſta Argis agitata, ex Heſychio, forte in honorem Minervæ cognomine Σθενιάδος, ab σθένος, *robur*.

ΣΚΙΕΡΙΑ, vel ΣΚΙΡΑ, vel ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΑ,

Solennia apud Athenienſes (ut diſcimus ex Ariſtophanis Scholiaſte *Concionatr.* Harpocratione, Suida) duodecimo Scirrophorionis die in laudem Minervæ, aut (ſecundum nonnullos) Cereris ac Proſerpinæ celebrata. Nomen deducitur vel a Sciro pago inter Athenas & Eleuſim, ubi exſtabat templum ſacrum Minervæ *Sciradis* ab hoc loco cognominatæ; vel a quodam Sciro Eleuſinio; vel a Scirone Salaminio; aut a σκίρος, id eſt, *calx ſeu gypſum*, ex quo ſtatua, quam Theſeus ex Creta redux Minervæ conſecravit, conflata erat; vel a σκίρον, *umbella*, quæ tum ſolenniter circumferebatur ab Erechthei ſacerdote, aut quibuſdam ex ſacra Butadarum familia, qui, ut diſtinguerentur ab aliis falſo profitentibus natos ex illa familia, appellabantur Ἐτεοβουτάδαι, hoc eſt, *vera progenies Butæ*. Qui iſtam ſupplicationem indicebant, Διὸς κώδια, ſeu pelles animalium Jovi cognomine Μειλιχίῳ & Κτησίῳ mactatorum, uſurpare conſueverant, de quibus epithetis ſupra egimus. Porro in hiſce feſtis edita certamina dicta Ὠσχοφόρια, quia adoleſcentes ibi certantes ἔφερον τὰς ὄσχας, id eſt, *præ manibus ferebant vitis palmites fructu onuſtos*.

ΣΚΙΕΡΙΑ, vel ΣΚΙΕΡΑ,

Feſta agitata Aleæ civitatis Arcadiæ in laudem Bacchi, cujus ſimulacrum producebatur ὑπὸ τῇ σκιάδι, hoc eſt, *ſub umbella*, hinc nomen iſtius feſtivitatis veriſimiliter deſumptum. Tum mulieres flagris cædebantur, quemadmodum ephebi Spartani ad aram Dianæ Orthiæ, quod ſupplicii genus ſubibant ut oraculi Delphici mandatum perficerent. Vid. Pauſanias in *Arcadicis*, Pollux *lib.* VIII. *cap.* XXXIII.

ΣΚΙΛΛΩΝ ΕΟΡΤΗ,

Feſtum ſquillarum dictum, ac in Sicilia actum; potiſſima iſtius pars erat certamen, in quo adoleſcentes alii alios ſquillis petebant: qui victoriam reportabat, a gymnaſiarcha in præmium tauro donabatur, ſecundum Theocriti Scholiaſtem *Idyll.* VII.

ΣΠΟΡΤΙΑ,

Feſta, quorum meminit Heſychius.

ΣΤΗΝΙΑ,

Apud Athenienſes ſolennitas, (juxta Heſychium & Suidam) in qua mulieres ſalibus & ſcommatis ſe mutuo perſtringebant; hinc στηνιῶσαι denotat *ſalibus & convitiis aliquem inceſſere*.

ΣΤΟΦΕΙΑ,

Feſti dies Eretriæ celebrati in honorem Dianæ *Stophеæ*, teſte Athenæo *Deipnoſoph. lib.* VI.

ΣΤΥΜΦΑΛΙΑ,

Solennia Stymphali civitatis Arcadiæ agitata in laudem Dianæ ab iſto loco dictæ *Stymphaliæ*, ut diſcimus ex Pauſania in *Arcadicis*.

ΣΥΓΚΟΜΙΣΤΗΡΙΑ,

Vide Θαλύσια.

ΣΥΝΟΙΚΙΑ,

Vide Ξυνοίκια.

ΣΥΡΑΚΟΙΣΙΩΝ ΕΟΡΤΑΙ.

Syracuſanorum feſta, quorum alterum memorat Plato in *Epiſtola ad Dionis propinquos*. Celebritas autem durabat ſpatio decem dierum, in quibus ſacrificia peragebant mulieres.

Alterius meminit Tullius in *Orat. in Verrem* IV. quod ab ingente virorum & mulierum frequentia ad lacum in vicinia Syracuſarum, per quem in inferos deſcendiſſe una cum Proſerpina credebatur Pluto, celebratum eſt.

ΣΥΡΜΑΙΑ,

Ludi Spartæ editi, juxta Heſychium, quorum præmium erat συρμαία, id eſt, *adipis cum melle commixtio*.

ΣΩΤΗΡΙΑ,

Sacrificia & gratiæ actæ quando periculis erepti fuerant. Quale illud Sicyoniorum fuit, quinto die menſis Antheſterionis celebratum in honorem τοῦ Διὸς Σωτῆρος, *Jovis Servatoris*: quo tempore pro ſalute ab Arato accepta gratias agebant: hoc enim die is patriam a tyrannide Macedoniorum liberavit. Vid. Plutarchus in *Arato*, Polybius *lib.* II. & Cicero *de Offic. lib.* III.

T.

ΤΑΙΝΑΡΙΑ,

Feſta ſacra Neptuno cognominato *Tænario* a Tænaro Laconiæ promontorio, ubi templum ei dicatum erat. Cultores dicebantur Ταιναρίται, teſte Heſychio.

ΤΑΛΑΙΔΙΤΗΣ,

Gymnica exercitia celebrata in honorem Jovis

Τελαιῶ

Ταλαιῦ, si Meursii conjecturæ ex Hesychii verbis petitæ credere fas est.

ΤΑΥΡΕΙΑ,

Festa in honorem Neptuni, juxta Hesychium, quæ forsan ea ipsa sunt, quorum meminit Athenæus *Deipnosoph. lib.* x. Ephesi habita sunt, in quibus pocillatores erant juvenes quidam dicti ταῦροι.

ΤΑΥΡΟΠΟΛΕΙΑ,

Festa Dianæ Ταυροπόλυ, referente Hesychio, cujus cognominis variæ afferuntur causæ; sed mihi probabilior videtur illorum sententia, qui a Scythia Taurica, ubi illa Dea colebatur, illud deducunt.

ΤΑΥΡΟΧΟΛΙΑ,

Festa Cyzici celebrata, quorum meminit Hesychius.

ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΟΝ,

Festa habita quadragesimo die post partum, quo templa petebant, Diisque grates publicas pro fœlici enixu rependebant puerperæ, quem morem infra plenius describam.

ΤΙΘΗΝΙΔΙΑ.

Lacedæmoniorum festa, juxta Athenæum *Deipnosoph. lib.* IV. & Hesychium, in quibus τιθῆναι seu *nutrices* mares tenellos suæ curæ commissos ad templum Dianæ Corythalliæ a civitate aliquantulum remotum, quum situm fuerit non procul a fluminis Tiassæ freto, quod Cletam alluebat, conferre solebant. Dum autem porcelli mactabantur, aliæ saltabant, dictæ Κορυθαλλίςριαι, aliæ vero peregrinos & ridiculos gestus agebant, vocabanturque Κυριττοί. Pariter his & nonnullis aliis festis publico epulo, quod dicebatur κοπίς, utebantur, illique interesse erat κοπίζειν. En tibi morem: Tentoriis juxta templum positis, & lectis, qui tapetibus instrati erant, in iis instructis, omnes convivæ tum advenæ tum indigenæ ad cœnam vocabantur, in qua certum commensum simulque parvus panis dictus φυσίκυλλος, pariter recentis casei frustum, abdominis & intestinorum pars, imo loco tragematum ficus, fabæ, & recentes viciæ singulis distrahebantur.

ΤΙΤΑΝΙΑ,

Festa Titanibus sacra, juxta Moschopulum *Collect. Dict. Attic.*

ΤΛΗΠΟΛΕΜΙΑ,

Certamina (ex Pindari Scholiaste in *Olymp. ode* VII.) in insula Rhodo celebrata in honorem Tlepolemi die vigesimo quarto mensis Gorpiæi, in quo tum viri tum pueri certabant, victorumque præmium erat corona populea.

ΤΟΝΕΑ,

Horum institutionem & ritus describit Athenæus *Deipnosoph. lib.* XV. ibique tradit in insula Samo habita fuisse. Præcipua celebritas in eo erat, quod Junonis imaginem ad littus maris advectam, postquam placentas ei obtulissent, domum iterum reducebant, quo ritu commemorabant illius imaginis furtum a Tyrrhenis perpetratum, qui, quia illorum naves in portu vi divina detinebantur, nec inde solvere poterant, eam in littore exposuerunt. Horum autem festorum nomen deducitur ἀπὸ τῦ συντόνως περιειληφθῆναι τὸ βρέτας, id est, *ab imagine vincta* ab iis, qui illam expositam primi offenderunt, quia mox migraturam credebant.

ΤΟΞΑΡΙΔΙΑ,

Festa Atheniensium, juxta Lucianum *Scytha*, sacra Toxari Scythæ Heroi, qui Athenis sub nomine ξένυ ἰατρῦ, id est, *medici peregrini*, vixit obitque.

ΤΡΙΚΛΑΡΙΑ,

Festa anniversaria, teste Pausania in *Achaicis*, in honorem Dianæ *Triclariæ* ab Ionibus Aroen, Antheam, & Mesatim incolentibus celebrata; ut enim Deæ iram ob adulterium in ejus templo admissum a Menalippo & Comætho sacerdote accensam litarent, ab oraculo Delphico jussi sunt illi populi puerum & virginem ei mactare; qui mos immanis post bellum Trojanum adhuc obtinebat.

ΤΡΙΟΠΙΑ,

Certamen in honorem Apollinis *Triopii*, in quo tripodes ærei victoribus constituebantur; illi tamen tripodas Deo consecrabant, nec domum ad propriam referre permittebantur. Vid. Herodotus *lib.* I. *cap.* XLIV.

ΤΡΙΠΟΝΗΤΑΙ,

Festa ab Hesychio memorata.

ΤΡΙΤΟΠΑΤΟΡΕΙΑ,

Solennia, in quibus, juxta *Etymologici* Auctorem, Θεοῖς γενεθλίοις, id est, *Diis generationis præsidibus*, qui sæpius dicuntur τριτοπάτορες, pro liberorum incolumitate vota supplicia facere solebant: sed de his festis inferius ex professo agam.

ΤΡΟΦΩΝΙΑ,

Ludi solennes quotannis Lebadeæ in honorem Trophonii editi, juxta Pindari Scholiastem in *Olymp. ode* VII.

ΤΥΠΑΙ,

Horum festorum meminit Hesychius.

ΤΥΡΒΗ,

Festa Bacchi, ex Pausania in *Corinthiacis*, ab Achæis observata.

Υ.

ΥΑΚΙΝΘΙΑ,

Festa anniversaria, testibus Pausania in *Laconicis* & Hesychio, Amyclis Laconiæ oppido agitata in honorem venustissimi adolescentis Hyacinthi, simulque ludi in honorem Apollinis celebrati mense Hecatombæone, sicque descripti ab Athenæo *Deipnosoph. lib.* IV. Πολυκράτης ἐν τοῖς Λακωνικοῖς ἱςορεῖ, ὅτι τὴν μὲν τῶν Ὑακινθίων θυσίαν οἱ Λάκωνες ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας συντελῦσι, καὶ διὰ τὸ πένθος τὸ γενόμενον περὶ τὸν Ὑάκινθον ὔτε ςεφανῦνται ἐπὶ τοῖς δείπνοις, ὔτε ἄρτον εἰσφέρυσιν, ἀλλὰ πέμματα καὶ τὰ τύτοις ἀκόλυθα διδόασι, καὶ τὸν εἰς τὸν Θεὸν παιᾶνα ὐκ ᾄδυσιν, ὐδ᾽ ἄλλο τὶ τοιῦτον εἰσάγυσιν ὐδὲν, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις θυσίαις ποιῦσιν, ἀλλὰ μετ᾽ εὐταξίας πολλῆς δειπνήσαντες ἀπέρχονται· τῇ δὲ μέσῃ τῶν τριῶν ἡμερῶν γίνεται θέα ποικίλη, καὶ πανήγυρις ἀξιόλογος καὶ μεγάλη· παῖδές τε γὰρ κιθαρίζυσιν ἐν χιτῶσιν ἀνεζωσμένοι, καὶ πρὸς αὐλὸν ᾄδοντες, πάσας ἅμα τῷ πλήκτρῳ τὰς χορδὰς ἐπιτρέχοντες, ἐν ῥυθμῷ μὲν ἀναπαίςῳ, μετ᾽ ὀξέος δὲ τόνυ τὸν Θεὸν ᾄδυσιν. Ἄλλοι δ᾽ ἀφ᾽ ἵππων κεκοσμημένων τὸ θέατρον διεξέρχονται, χοροί τε νεανίσκων παμπληθεῖς εἰσέρχονται, καὶ τῶν ἐπιχωρίων τινὰ ποιημάτων ᾄδυσιν, ὀρχηςαί τε ἐν τύτοις ἀναμεμιγμένοι τὴν κίνησιν ἀρχαϊκὴν ὑπὸ τὸν αὐλὸν καὶ τὴν ᾠδὴν ποιῦνται. Τῶν δὲ παρθένων αἱ μὲν ἐπὶ κανάθρων καμαρωτῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται πολυτελῶς κατεσκευασμένων· αἱ δ᾽ ἐφ᾽ ἁμίλλαις ἁρμάτων

ἐζευγμένων πομπεύουσιν. Ἅπασα δ' ἐν κινήσει καὶ χαρᾷ τῆς θεωρίας ἡ πόλις καθέστηκεν. Ἱερεῖά τε παμπλήθη θύουσι τὴν ἡμέραν ταύτην· καὶ δειπνίζουσιν οἱ πολῖται πάντας τοὺς γνωρίμους καὶ τοὺς δούλους τοὺς ἰδίους. οὐδεὶς δ' ἀπολείπει τὴν θυσίαν· κενοῦσθαι συμβαίνει τὴν πόλιν πρὸς τὴν θέαν. *Polycrates in Laconicis prodit, in Hyacinthiis Laconas triduo sacrificare, & ob luctum,* quo interemptum *Hyacinthum deflent, nec in cœnis coronari, nec panem afferri, sed bellaria & quæ bis similia dari, nec ullum de Deo hymnum canere, nec ejusmodi quidpiam adhibere, quale fit in aliis sacris, sed cum summa modestia cœnatos discedere: eo vero die, qui trium medius est, ludos variaque spectacula fieri, magno atque nobili hominum concursu: pueri enim tunicis præcincti, nunc citharam pulsant, nunc ad tibiam canunt, ac plectro cunctas simul fides cursim feriunt, modis quidem anapæsticis, acutoque vocis sono Deum laudant. Alii equis magnifice ornatis insidentes theatrum percurrunt, eodem accedunt multorum adolescentum cœtus, quosdam gentiles versus cantantium, quibus & saltatores admiscentur priscis quibusdam staticulis ad tibiam & cantiunculas tripudiantibus. Virginum autem aliæ canathris tectæ, aut sub fornice ligneorum curruum vehuntur magno sumptu ornatorum: aliæ ad certamina publica junctis curribus pompæ species properant. Commota gaudio civitas universa lætatur iis spectaculis. Eo die multæ mactantur hostiæ: familiares omnes ac domesticos servos cœnatum vocant oppidani: a sacris nullus abest: effusis ad spectacula cunctis per id tempus vacua civitas est.*

ΥΒΡΙΣΤΙΚΑ,

Festa Argis celebrata (juxta Plutarchum *de virtute mulierum*, & Polyænum *lib.* VIII.) die decimo sexto vel potius novilunio mensis ab Argivis Hermeæ dicti. Potissima autem diei solennitas in eo erat, quod viri & mulieres vestes mutabant in memoriam præclari Telesillæ facinoris, quæ, dum Argi a Cleomene obsidione cingerentur, mulieribus non paucis sub vexilla sua coactis urbem adversus integrum Lacedæmoniorum exercitum fortiter propugnavit.

ΥΔΡΟΦΟΡΙΑ,

Solennia sic dicta ἀπὸ τοῦ φέρειν ὕδωρ, id est, *ab aqua circumlata*: observabantur autem Athenis in memoriam illorum, qui in diluvio perierunt, interpretibus *Etymologici* Auctore & Suida.

Aliud festum cognomine Æginæ in mense Delphinio actum, sacrumque Apollini, ex Pindari Scholiaste in *Nem. ode* V.

ΥΜΝΙΑ,

Festa Dianæ *Hymniæ* sacra Orchomeni & Mantineæ agebantur:

ΥΣΤΗΡΙΑ,

Festa Argivorum, ex Athenæo *Deipnosoph. lib.* III. in honorem Veneris habita; quorum nomen venit ab ὗς, *sus*, quia sues illi Deæ mactari assueverant.

Φ.

ΦΑΓΗΣΙΑ,

Φαγησία, aut Φαγήσια, aut Φαγησιποσία, vel Φαγησιπόσια, festa sic dicta a φαγεῖν & πίνειν, id est, *ab edendo* & *bibendo*, quia (ut notat Athenæus *Deipnosoph. lib.* VII.) his diebus festis cibo & potu large indulgebant: hæc enim solennitas ad Bacchum pertinebat, & Dionysiorum tempore agitabatur.

ΦΑΓΩΝ,

Festa ab Eustathio *Odyss.* φ'. memorata, & (prout nomen indicat) in eumdem usum destinata ac proxime recensita festa.

ΦΑΜΜΑΣΤΡΙΑ,

Festa, quorum meminit Hesychius.

ΦΕΛΛΟΣ,

Bacchi festa, ex Suida, τῶν Διονυσίων parasceve, juxta Aristophanis Scholiastem *in Nubes*.

ΦΕΡΕΦΑΤΤΙΑ,

Festa Cyzici habita, in quibus juxta Plutarchum in *Lucullo* Pherephattæ aut Proserpinæ nigra juvenca mactabatur.

ΦΩΣΦΟΡΙΑ,

Festa Phosphoro vel Lucifero sacra, quorum mentionem faciunt Plutarchus *in Colotem* & Hesychius.

Χ.

ΧΑΛΚΕΙΑ,

Festa sic dicta a χαλκὸς, id est, *æs*, celebrabantur in memoriam artis hoc metallum cudendi inventæ Athenis, juxta Eustathium *ad Iliad.* β'. Suidam, Harpocrationem, *Etymologici* Auctorem. Dicebantur autem πάνδημον, quia ὁ πᾶς δῆμος, id est, *tota Atheniensium gens*, in hanc solennitatem conveniebat. Pariter vocabantur Ἀθήναια, quoniam in honorem Ἀθήνης seu *Minervæ*, omnium artium & inventorum Deæ, quæ idcirco cognominata est ἐργάνη ab ἔργον, *opus*, concelebrari solebant. In posterum a solis fabris & artificibus, præsertim ab ærariis, in honorem Vulcani fabrorum Dei, qui Athenienses in æris fabrica primus instituit, observata sunt.

ΧΑΛΚΙΟΙΚΙΑ,

Festum Spartæ quoque celebratum, in quo juvenes armati coeunt ut sacra faciant in templo Minervæ, quæ Χαλκίοικος ibi dicitur, statuam ex ære habet, quinetiam ipsa *ædes* ex *ære* fabricata est, unde inditum Deæ id cognomen. Porro huic solennitati Ephori etiam aderant, ut rite omnia juxtaque præscriptum morem fierent. Vid. Polybius *lib.* IV. Pausanias *Phocicis pag.* 618. & *Laconicis pag.* 193.

ΧΑΟΝΙΑ,

Festa in Chaonia Epiri parte montana agitata, teste Parthenio *Erot.* XXXII.

ΧΑΡΙΛΑ,

Festa singulis novem annis Delphis habita, quæ sic enarrat Plutarchus *Græc. Quæst.* Περὶ δὲ τῆς Χαρίλας τοιαῦτά τινα μυθολογοῦσι. Λιμὸς ἐξ αὐχμοῦ τοὺς Δελφοὺς κατέσχε, καὶ πρὸς τὰς θύρας τοῦ βασιλέως ἐλθόντες μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν ἱκέτευον. Ὁ δὲ τῶν ἀλφίτων καὶ τῶν χεδρόπων μετεδίδου τοῖς γνωριμωτέροις αὐτῶν· οὐ γὰρ ἦν ἱκανὰ πᾶσιν. Ἐλθούσης δὲ παιδὸς ἔτι μικρᾶς ὀρφανῆς γονέων, καὶ προσλιπαρούσης, ἐῤῥάπισεν αὐτὴν ὑποδήματι, καὶ τῷ προσώπῳ τὸ ὑπόδημα προσέῤῥιψεν. Ἡ δὲ, πενιχρά τις οὖσα καὶ ἔρημος, οὐκ ἀγεννής τις τὸ ἦθος, ἐκποδὼν γενομένη, καὶ λύσασα τὴν ζώνην, ἀνήρτησεν ἑαυτήν. Ἐπιτείνοντος δὲ τοῦ λιμοῦ, καὶ νοσημάτων προσγενομένων, ἀνεῖλεν ἡ Πυθία τῷ βασιλεῖ, Χαρίλαν ἱλάσκεσθαι παρθένον αὐτοθάνατον. Μόλις οὖν ἀνευρόντες ὅτι τοὔνομα τοῦτ' ἦν τῇ ῥαπισθείσῃ παιδὶ μεμιγμένην τινὰ καθαρμῷ θυσίαν ἀπετέλεσαν, ἣν ἐπιτελοῦσιν ἔτι καὶ νῦν δι' ἐννέα ἐτῶν· προκάθηται μὲν γὰρ ὁ βασιλεὺς, τῶν ἀλφίτων καὶ τῶν χεδρόπων ἐπιδιδοὺς πᾶσι καὶ ξένοις καὶ πολίταις· (κομίζεται δὲ τῆς Χαρίλας παιδικὸν εἴδωλον [illegible]

τες λάβωσιν, ὁ μὲν βασιλεὺς ῥαπίζει τῷ ὑποδήματι τὸ εἴδωλον, ἡ δὲ Θυιάδων ἀρχηγὸς ἀραμένη κομίζει πρός τινα τόπον φαραγγώδη, κἀκεῖ σχοινίον περιάψαντες τῷ τραχήλῳ τοῦ εἰδώλου, κατορύττουσιν ὅπου τὴν Χαρίλαν ἀπαγξαμένην ἔθαψαν. *De Charila hæc traditur fabula. Fame ob anni ſiccitatem urgente Delphos, cum liberis & uxoribus cives ad fores regis ſupplices venerunt. Is farina & leguminibus notiores ſibi (non enim omnibus ſufficiebat) impertiit. Puella autem adbuc parvula parentibus orba cum accederet & inſtaret petendo, malam ejus calceo percuſſit, calceumque in faciem ejus conjecit. Hæc, ut erat animo minime abjecto, pauper alioquin & deſerta, e medio ſe ſubduxit, cinguloque ſoluto fauces alligans ſe ſuſpendit. Tum creſcente penuria, ac morbis accedentibus, Pythia regi reſpondit, placandos eſſe manes Charilæ virginis, quæ ipſa ſibi mortem conſciviſſet. Vix tandem inveſtigato id nomen puellæ, quæ alapam accepiſſet, fuiſſe, piaculare quoddam ſacrificium peregerunt, quod etiamnum nono quovis anno fit: præſidet rex, farinam leguminaque impertiens omnibus & peregrinis & civibus: (infertur vero Charilæ puerile ſimulacrum) poſtquam igitur omnes acceperunt, rex quidem ferit calceo ſimulacrum, quod Thyadum princeps defert ad quemdam locum confragoſum, ibique collum ſimulacri fune cingentes, defodiunt ubi Charilam ſtrangulatam ſepeliverunt.*

ΧΑΡΙΣΙΑ,

Feſta ſimulque choreæ, quæ per integram noctem durabant, in honorem Charitum vel Gratiarum celebrari ſolita. Qui diutius excubabat, placentam dictam πυραμοῦν pro præmio ferebat. Vide Euſtathium *Odyſſ.* σ'.

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ,

Publicæ gratiæ Athenis actæ (juxta Plutarchum *de gloria Athenienſ.*) die menſis Boedromionis decimo, quo die triginta Tyrannos expulit & Athenienſes priſtinæ libertati reddidit Thraſybulus.

ΧΑΡΜΟΣΥΝΑ,

Feſta Athenienſium, ex Heſychio.

ΧΕΙΡΟΠΟΝΙΑ,

Feſta obſervata a χειροπόνοις, ſeu *opificibus*, teſte eodem.

ΧΕΛΙΔΟΝΙΑ,

Solennia (referente Athenæo *Deipnoſ. lib.* VIII. *cap.* XV.) in inſula Rhodo celebrata menſe Boedromione, in quibus pueri oſtiatim mendicare & certum carmen cantare ſolebant, quod χελιδονίζειν, ipſumque carmen χελιδόνισμα dicebatur, quia in ipſo initio invocatur χελιδὼν, id eſt, *hirundo*: plene autem deſcribitur ab Athenæo *Deipnoſoph. lib. mox cit.* & ita inchoatur.

Ηλθ', ἦλθε, χελιδὼν, καλὰς
Ωρας ἄγουσα καὶ καλοὺς ἐνιαυτοὺς, &c.
Venit, venit, hirundo, quæ pulchras
Tempeſtates adducit pulchroſque annos, &c.

Quod a Cleobulo Lindio compoſitum eſſe traditur, ut in publica calamitate hac arte nummos erogaret. Pari modo, carminis, in quo cornix Græce κορώνη ab ipſo principio invocatur, decantatio dicebatur κορωνίζειν. Imo hinc inde itare & pro ſtipe cantitare ſoliti erant mendici, quemadmodum Homerus, qui cantilena dicta εἰρεσιώνη victum demeritus fuiſſe traditur.

ΧΘΟΝΙΑ,

Dies ſacer ab Hermioniis quotannis obſervatus in honorem Cereris cognominatæ *Chthoniæ*, vel quia telluris, quæ Græce dicitur χθὼν, Dea erat, vel a virgine hujus nominis, quam ex Argolide Hermionen abduxit Ceres, quo in loco Deæ templum dicavit iſta virgo. Horum feſtorum ritus deſcribit Pauſanias in *Corinthiacis*: Χθονία δ' οὖν ἡ Θεός τε αὐτὴ καλεῖται, καὶ Χθόνια ἑορτὴν κατὰ ἔτος ἄγουσι ὥρᾳ θέρους· ἄγουσι δὲ οὕτως. Ηγοῦνται μὲν αὐτοῖς τῆς πομπῆς οἵ τε ἱερεῖς τῶν Θεῶν, καὶ ὅσοι τὰς ἐπετείους ἀρχὰς ἔχουσιν· ἕπονται δὲ καὶ γυναῖκες καὶ ἄνδρες. Τοῖς δὲ καὶ παισὶν ἔτι οὖσι καθέστηκεν ἤδη τὴν Θεὸν τιμᾷν τῇ πομπῇ. οὗτοι λευκὴν ἐσθῆτα καὶ ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχουσι στεφάνους· πλέκονται δὲ οἱ στέφανοί σφισιν ἐκ τοῦ ἄνθους, ὃ καλοῦσιν οἱ ταύτῃ κομοσάνδαλον· ὑάκινθον ἐμοὶ δοκεῖν ὄντα καὶ μεγέθει καὶ χρόᾳ· ἔπεστι δὲ οἱ καὶ τὰ ἐπὶ τῷ θρήνῳ γράμματα. Τοῖς δὲ τὴν πομπὴν πέμπουσιν ἕπονται, θήλειαν ἐξ ἀγέλης βοῦν ἄγοντες διειλημμένην δεσμοῖς τε καὶ ὑβρίζουσαν ἔτι ὑπὸ ἀγριότητος. ἐλάσαντες δὲ πρὸς τὸν ναὸν, οἱ μὲν ἔσω φέρεσθαι τὴν βοῦν ἐς τὸ ἱερὸν ἀνῆκαν ἐκ τῶν δεσμῶν, ἕτεροι δὲ ἀναπεπταμένας ἔχοντες τέως τὰς θύρας, ἐπειδὰν τὴν βοῦν ἴδωσιν ἐντὸς τοῦ ναοῦ, προσέθεσαν τὰς θύρας· τέσσαρες δὲ ἔνδον ὑπολειπόμεναι γρᾶες αὗται τὴν βοῦν εἰσιν αἱ κατεργαζόμεναι· δρεπάνῳ γὰρ ἥτις ἂν τύχῃ τὴν φάρυγγα ἀπέτεμε τῆς βοός. Μετὰ δὲ αἱ θύραι τε ἠνοίχθησαν, καὶ προσελαύνουσιν οἷς ἐπιτέτακται, βοῦν δὲ δευτέραν καὶ τρίτην, ἐπὶ ταύτῃ καὶ ἄλλην τετάρτην, κατεργάζονται τέλος πάσας κατὰ ταυτὰ αἱ γρᾶες. Καὶ τὸ δὲ ἄλλο πρόσκειται τῇ θυσίᾳ θαῦμα· ἐφ' ἣν τινα γὰρ πέσῃ τῶν πλευρῶν ἡ πρώτη βοῦς, ἀνάγκη πεσεῖν καὶ πάσας. *Chthonia igitur & Dea ipſa* (Ceres) *appellatur, & ſtati feſti dies, qui tempore æſtivo in ejus honorem agitantur, Chthonia dicuntur: in iis hoc ritu ſupplicatio fit. Pompæ agmen ducunt ſacrificuli, & qui annuos magiſtratus gerunt: ſequuntur autem & fœminæ & viri. Ipſis etiam pueris ſolenne eſt Deam cum pompa deducere: incedunt autem ii cum albis veſtimentis, capitibus coronas ferentes: ſunt eæ corollæ e flore contextæ, quem comoſandalum incolæ appellant: hyacinthum illum ego eſſe exiſtimo, eſt enim ei tum magnitudine tum colore perſimilis: habet præterea eaſdem luctus indices literas. In extremo agmine ſequuntur, qui eximias boves vinculis diſtentas & ferociter reluctantes ad templum trahunt: ibi earum unam immiſſis retinaculis intro agunt, tunc qui ad fores apertas ſteterant, ubi bovem intromiſſam vident, fores obdunt: eam aniculæ quatuor de induſtria intus relictæ falcibus exceptam conficiunt: collum earum una, ut caſus tulerit, hoſtiæ præſecat. Rurſus patefactis foribus, ii, quibus id negotii datum eſt, alteram bovem, mox tertiam, & quartam intrudunt, ac ſingulæ eodem modo ab illis aniculis mactantur. Aliud autem in hoc ſacro miraculum evenit: in quod latus prima bos conciderit, in idem & reliquæ procumbunt.*

ΧΙΤΩΝΙΑ,

Feſta ſacra Dianæ dictæ *Chitoniæ* a Chitone Atticæ pago, ubi hæc feſta habita ſunt, juxta Callimachi Scholiaſtem *Hymno in Dianam*, & Athenæum *Deipnoſoph. lib.* XIV.

Aliud feſtum cognomine Syracuſis celebrabatur, ſimulque cantus & choreæ agebantur, quæ diem decebant. Vide Stephanum Byzantinum *Voc.* Χιτώνη.

ΧΛΟΕΙΑ,

Feſta Athenis celebrata ſexto Thargelionis die, (teſtibus Heſychio, Euſtathio *ad Iliad.* ι. & Pauſania in *Atticis*) in quibus ludi & gaudia agitabantur, ſimulque aries mactari ſolebat Cereri in templo, quod vel in ipſa Athenarum Acropoli, vel in ejus vicinia ſitum erat, ſub nomine χλόης cultæ. Licet autem in illo cognomine quid arcani & myſterii ineſſe, quod a ſolis ſacerdotibus intel-

lectum est, existimet Pausanias; nihilominus commode deduci posset a χλόη, *gramen*, quia telluris omniumque frugum, quæ ex ea nascuntur, Dea credebatur Ceres: eodem redit cognomen εὔχλος Cereri tributum a Sophocle in *Oedip. Colon.vers.* 1671.

Τὰν δ' εὐχλόου Δήμητρος ἐς ἐπόψιον
Πάγον μολοῦσαι. ——
Quæ in eminentem frugiferæ Cereris
Tumulum progressæ. ——

Nostram autem conjecturam firmare videtur Scholiastes *in hunc locum*, qui tradit Cererem cognomine εὔχλοον cultam fuisse in templo, juxta Acropolim ædificato, quod non diversum videtur a templo superius memorato. His adde Gyraldi interpretationem, qui censet Cererem a Græcis dictam χλόην eadem de causa, qua a Latinis vocata est *flava*, cujus cognominis ratio omnibus ita nota est, ut illud hoc in loco explicare supervacaneum sit.

ΧΟΕΣ,

Vide Ἀνθεστήρια.

ΧΟΑΔΑΣ,

Festum Baccho sacrum, & Hesychio.

ΧΥΤΡΟΙ,

Vide Ἀνθεστήρια.

Ω.

ΩΜΟΦΑΓΙΑ,

Festa in honorem Bacchi ὠμοφάγου, id est, *cruda carne vescentis*, de quo nomine jam dixi in I. hujus *capitis* parte. In his æque ac in aliis Bacchi festis iidem ritus observabantur, insaniam enim & furorem simulabant: hoc tantum hujus festi proprium erat, quod cultores intestina hircorum cruda & cruenta comedere solebant in imitationem Bacchi, qui mox memoratum cognomen, sub quo in hac solennitate colebatur, obtinuit, eo quod carne cruda vesci crederetur. Lege Clementem in *Protrept.* & Arnobium *contra Gentes lib.* V.

ΩΡΑΙΑ,

Solennes dapes ex frugibus, quæ offerri solebant vere, æstate, autumno, & hyeme, ut a cœlo mitem & suavem tempestatem impetrarent, teste Hesychio. Hæc autem dona juxta Meursium dicabantur Deabus dictis Ὥραις, id est, *Horis*, numero trinis, quæ soli adstabant, quatuor anni tempestatibus præerant, & divinis honoribus Athenis decorabantur, ex Athenæo *Deipnosoph. lib.* XIV.

CAP. XXI.

De publicis Græciæ Ludis præcipuisque eorum Certaminibus.

JAm agemus de quatuor publicis, & solennibus ludis, qui peculiari modo dicebantur ἱεροὶ, id est, *sacri*, vel quia in maxima existimatione habiti sunt apud Græcos: innumera enim spectatorum multitudo ex omnibus Græciæ partibus eo confluebat; vel quia instituti sunt in honorem Deorum aut Heroum in numerum Deorum relatorum, solennibus sacrificiis tum auspicabantur, tum claudebantur.

Illorum ludorum nomina, simulque ii quibus dicati erant, & præmia eleganter contraxit Archias in his duobus distichis *Anthol.lib.*I.*cap.*I. *epigram.* I.


Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί·
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων·
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο·
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.
Quatuor sunt certamina in Græcia, quatuor sacra:
Duo quidem mortalium, duo vero immortalium:
Jovis, Apollinis, Palæmonis, Archemori:
Præmia vero illorum olea, poma, apium, pinus.

Qui in his ludis, præsertim in Olympicis, victores fuerant, (juxta Plutarchum in *Sympos. lib.* II. *Quæst.*VI. Vitruvium *Præfat. in Architect. lib.* IX.) in maximo honore habebantur, imo fere adorabantur; in reditu curru triumphali vecti intra civitatem per mœnia rupta admittebantur, nimirum (prout notat Plutarchus) ut indicarent illam urbem, quam viri fortes incolunt & tegunt, muris parum indigere. In Lacedæmoniorum exercitu locum honoratum proximi ad Regem occupabant. Nonnullis in locis a patria munera referebant, primum locum in omnibus spectaculis & ludis tenebant, & ad vitam ex publico ærario alebantur, prout tradit Xenophanes Colophonius in *Epigram.* Victoriæ in ludis Olympicis adeptæ & triumpho Romæ acto parum absimilem dignitatem tribuit Cicero in *Orat. pro Flacco*. Beatus credebatur qui semel tantum victor fuerat; plurium autem palmarum homo summum fœlicitatis humanæ fastigium attigisse dicebatur. Sed qui in omnibus certaminibus palmam tulerat supra hominum sortem evectus, ejusque facinora omni admiratione dignæ victoriæ dictitari solebant, teste Plutarcho in *Lucullo*. Nec victores solos, sed quotquot iis aliquo modo affines erant, honos contingebat. Locus, ubi nati & enutriti erant, honoratior & clarior inde habebatur. Beati illorum cognati, beatissimi vero illorum parentes. Quid notatu dignum refert Plutarchus in *Pelopida* de quodam Spartano, qui Olympionicen Diagoram, quum spectasset ille filios nepotesque ex filiis & filiabus victores Olympiæ, salutans, Κάτθανε (εἶπε) Διαγόρας· οὐκ εἰς τὸν Ὄλυμπον ἀναβήσῃ. *Morere (inquit) Diagora: non* enim *in cœlum adscensurus es*. Solonis lege Isthimionicæ, centum drachmæ, at Olympionicæ, quingentæ e publico fisco datæ sunt, ut tradit Plutarchus in *Solone*. At postea qui in Olympia victoriam retulissent, in Prytaneo publico sumptu alebantur.

Athenis etiam decreto quodam cautum fuit, ne servi, aut meretrices, aut istiusmodi infames mulieres, ab his ludis nomina haberent: unde quæstionem movit Athenæus, quomodo tibicinia *Nemea* a ludis *Nemeis* nomen habuerit Δειπνοσοφ. *lib.* XIII. qui locus ab Harpocratione exscriptus est. Id enim indecorum olim habuere, si homines contemnendæ conditionis ab illustri aliqua re nomen ducerent: quod in *cap. de Servis* jampridem observatum fuit.

Quidam viri præfecti erant, qui omnibus rite peragendis, litibus inter certatores obortis dirimendis, præmiisque iis qui demeruerant decernendis prospicerent; dicebantur autem αἰσυμνῆται, βραβευταὶ, ἀγωνάρχαι, ἀγωνοδίκαι, ἀγωνοθέται, ἀθλοθέται: licet duo postrema nomina distinguat Phavorinus; ἀθλοθέται enim de gymnicis exercitiis tantum intelliguntur, alteri vero ipsis certaminibus musicis etiam tribuuntur: pariter dicebantur ῥαβδοῦχοι & ῥαβδονόμοι a ῥάβδος, *virgo* aut *sceptrum*, quod hi judices, ut & in genere Reges & summi Magistratus, in manibus gestabant.

Lata a judicibus sententia, victoris nomen promulgabat publicus præco; unde κηρύσσειν Græce & *prædicare* Latine aliquem commendare & lau-


DISCOBOLI
Fig I
Discus


PVGILES cum CESTVBVS
Fig 3


Fig 2


PANCRATIVM
Fig 4

dare significat. In plerisque locis victorum præmium erat palmæ ramus, quem in manibus gerebant; ille autem mos a Theseo, quum ludos Delicos institueret, introductus dicitur apud Plutarchum in *Theseo*, etsi alii multo antiquiorem faciant; idcirco *palmam dare* de victoria adepta intelligitur, & *plurium palmarum homo* apud Tullium interpretatur ille vir qui plura præmia retulerat.

Antequam de Græcorum ludis sigillatim agam, præcipua illorum exercitia breviter describere non abs re erit.

Πένταθλον aut *Quinquertium* complectebatur quinque certaminum genera in hoc Simonidis versiculo expressa *Anthol. lib.* I. *cap.* I. *epigramm.* VIII.

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην,
Saltum, cursum, discum, jaculum, luctam.

Nonnulli in locum jaculi substituunt pugilatum; & alii alia forte certamina *pentathlo* adnumerant: nec enim eadem quinque certamina semper hoc nomine intelligenda esse certum, quod potius cuilibet certaminum quinario numero tribuendum sit. In singulis illis exercitiis diversi ritus obtinebant qui notatu digni videntur.

Δρόμος vel *cursus* in tanta fuit existimatione apud veteres Græcos, ut qui in illo se exercebant, lieni medicamentis exurendo aut arefaciendo operam darent, quia cursum impedire & remorari credebatur illud intestinum. Velocitatem inter eximias hominis dotes refert Homerus *Odyss.* δ'. *vers.* 147.

Ου μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος ὄφρα κεν ᾖσιν,
Ἤ ὅ τι ποσσίν τε ῥέξει καὶ χερσὶν ἑῇσιν.
Neque enim major gloria hominis quo adfuerit,
Quam cum pedibus strenuus est & manibus suis.

Omnia enim illa exercitia, quæ homines bello idoneos reddunt, in maximo pretio habebantur; celeritas autem pedum existimabatur præclarum militis ornamentum, quia tum subito impetui, tum cito receptui faciendo habilior est; unde non mirum videri debet, si cognomen πόδας ὠκὺς, id est, *pedibus celer*, Achilli semper tribuat Homerus: imo in ipsis Sacris Codicibus David in Epicedio, quo Saulis & Jonathanis amborum insignium ducum mortem deflet, hanc bellicam laudem iis tribuit, quum ait 2. *Sam.* I. 23. *Aquilis velociores, leonibus vero fortiores erant.* Ut e diverticulo redeamus, curriculum vocabatur στάδιον, quia mensuram cognominem, quæ CXXV. passus conficit, longitudine æquabat; cursores vero σταδιοδρόμοι. Non raro plus aut minus removebatur, quod dicebatur δόλιχος, (neque enim certa hujus cursus mensura fuisse videtur, etsi Suidas præcise XXV. stadia, & alii XII. τῷ δολίχῳ tribuant) & certatores δολιχοδρόμοι, unde natum est proverbium, Μὴ ζήτει ἐν σταδίῳ δόλιχον, id est, *Ne quæras in re minore majorem*. Sæpenumero ad carceres recurrebant; curriculum autem dicebatur δίαυλος, & cursores διαυλοδρόμοι: stadium enim αὐλὸς aliquando dictum fuit. Interdum armati currebant, vocabanturque ὁπλιτοδρόμοι.

Ἅλματι vel *saltu* quandoque utebantur ponderibus dictis ἁλτῆρσι, vel in capite, vel in humeris, vel in manibus ea gestantes, quæ licet nonnunquam diversæ fuerint figuræ, attamen, referente Pausania, vulgo ovalem referebant, & vel foraminosæ vel amentis obductæ, quo certatores digitos inserebant. Ἁλτῆρες pariter usuveniebant in jaculi certamine. Terminus a quo, βατὴρ, juxta Pollucem, terminus vero ad quem saltum dabant, dicebatur τὰ ἐσκαμμένα, quia notabatur terra effossa in cumulum; unde πηδᾶν ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα dicitur de iis, qui limites transiliunt vel modum excedunt; quinetiam in disci certamine τὸ τέρμα aliquando σκάμμα eadem ratione dictum invenias.

Ῥίψις vel *jaculatio* diversimode exercebatur. Aliquando hasta, virga, aut alio simili instrumento non mediocris magnitudinis utebantur, quod vel sola manu, vel ope amenti medio jaculo obligati torquebatur; id autem dicebatur ἀκόντισμα: alias vero sagittam aut jaculum ex arcu aut funda emittebant; arsque illa vocabatur τοξική.

Δίσκος intelligitur discus lapideus, æneus, aut ferreus, qui ope loramenti per medium foramen immissi (juxta Eustathium *Odyss.* θ'.) jaciebatur, sed alio plane modo quam in jaculatione, in qua manus sursum tollebantur & torquebantur; discus vero globi instar projiciebatur. Diversæ autem erat figuræ & magnitudinis, nonnunquam quadratus, licet vulgo patulus lentis figuram expresserit, qua de causa illud legumen a Dioscoride dicitur δίσκος. In hoc certaminis genere non raro adhibebatur quoddam ferramentum nomine σόλος, quem a δίσκος nonnulli ita distinguunt, ut ille ferreus, hic vero lapideus fuerit; sed alii rectius tradunt discrimen in hoc fuisse, quod σόλος sphæricus, δίσκος vero planus fuerit. *Tab.* II. *Fig.* I. *Col.* 410.

In pugilatu, qui Græce dicitur πυγμική, pugiles certare solebant globis lapideis aut plumbeis, dictis σφαίραις, quas in manibus gestabant; certamen autem vocabatur σφαιρομαχία. *Tab.* II. *Fig.* II. *Col.* 410. Prima institutione manibus & brachiis nudis & immunitis pugnabant, sed in posterum loramentis dictis cestibus, qui ab initio breviores, deinceps vero ampliores ad cubitum, imo ad humeros producti sunt, muniri solebant; qui tamen a Veteribus usitati fuisse videntur, utpote qui inventi fuerint ab Amyco Bebrycum Rege, qui Argonautarum tempore vixit. Vid. Clemens Alexandrinus *Strom.* I. *pag.* 307. Hi autem cestus lapsu temporis non solum pro armis tegentibus, sed & lædentibus adhibiti sunt; replebantur enim globulis plumbeis aut ferreis, ut hostem graviore ictu ferirent. *Tab.* II. *Fig.* III. *Col.* 410. Qui pugilatum exercebant, omnem operam dabant ad corporis pinguedinem & crassitiem contrahendam, ut ictibus perferendis strenuiores fierent; unde homines corpulenti, imo mulieres pugiles dici solebant, juxta Terentium *Eunuch. Act.* II. *Scen.* III.

Si qua est habitior paullo, pugilem esse ajunt. —

Πάλη aut *luctatio* aliquando dicebatur καταβλητική, quia luctatores se invicem prosternere certabant, quod vocabatur ῥῖξαι. Et primo quidem solo robore & firmitate corporis contendisse dicuntur, donec Theseus artificiosam quandam hujus certaminis rationem invenit, ut refert in *Atticis* Pausanias. Sæculis posterioribus, antequam in certamen descenderent, omnes corporis articulos membraque probe fricare, fovere, & oleo oblinire solebant, ut omni nervorum pressuræ occurrerent. Qui adversarium ter prostraverat, palmam ferebat; unde τριάξαι & ἀποτριάξαι est *vincere*, τριαχθῆναι vel ἀποτριαχθῆναι vero *vinci* sonat; & ἀτρίακτος ἄτη apud Hesychium significat *ineluctabile malum*. Licet enim nonnulli contendant hæc vocabula proprie intelligi de iis qui in omnibus τῷ πεντάθλῳ vel *quinquertii* certaminibus victores fuerant, teste Polluce *Onomast. lib.* III. *cap.* XXX. attamen mox memoratum morem in lucta usuvenisse abunde liquet ex Lucillii *Epigrammate in Milonem*, qui quum totum conventum in certamen provocasset, nec ullus cum illo certare sustinuisset, palmam sibi tribuit, quam dum iret acceptum, infortunate cecidit; populus autem exclamavit illum præmio excidisse, sed Milo *Anthol. lib.* II. *cap.* I. *epigram.* XI.

Ἀνστὰς δ' ἐν μέσοισιν ἀνέκραγεν, Οὐχὶ τρί' ἐστίν;
Ἓν κεῖμαι, λοιπὸν τἆλλα μέ τις βαλέτω.

Resurgens vero in medio clamavit, Nonne tria steterunt?
Uno tantum pede jaceo, cæterum in reliquis me quis dejiciat.

Lucta duplex fuit; scilicet ὀρθία πάλη vel ὀρθοπάλη, de qua mox actum est: altera dicebatur ἀνακλινοπάλη, quia luctatores uno consensu humi prostrati certabant extremis digitis premendo, mordendo, scalpendo, modisque omnibus se invicem lædendo: unde non raro contigit, ut certantium debilior, qui alias adversario in terram dejiciendo viribus impar erat, illum ad palmam dandam adegerit: hoc enim in certamine æque ac in pugilatu præmium decernebatur nonnisi quando pugnantium alter palam se dedisset, vel voce, vel digito sublato; unde δάκτυλον ἀνατεῖναθαι *palmam dare* significat; idcirco Plutarchus tradit, nulla illa certamina, in quibus victi δάκτυλον ἀνατείναθαι solebant, exercuisse Lacedæmonios, quia suæ gentis indolem cedere nesciæ minime decere existimabant, si quis illorum adversario placide manus dedisset; qui locus hucusque a plerisque Interpretibus perperam intellectus est. Hujusmodi luctæ meminit Martialis *Apophor. lib.* XIV. *epigram.* CXCIX.

Hunc amo qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et melius didicit τὴν ἀνακλινοπάλην.

Idem est autem ac illud certaminis genus vulgo dictum παγκράτιον, quod luctam & pugilatum complectebatur; ex illa prosternendi, ex hoc vero adversarium ictibus petendi mos ortus: luctatores enim ferire, ut & pugiles se invicem in terram proterere nunquam solebant, utrumque autem moliri παγκρατιασταῖς licebat; ita ut certantium debilior, quum ab adversario valide premeretur, procumbere & humi revolutus pugnare assueverit; unde hi athletæ vocati sunt κυλιστικοί, quod erroris ansam præbuit Hieronymo Mercuriali, qui pancratia facit duplicia, alterum, in quo certantes stare, alterum vero, in quo in arena volutari solebant. Illud exercitium sæpius dicebatur παμμάχιον, athletæ vero πάμμαχοι. Vid. Pollux, Suidas, Hyginus, &c. *Tab.* II. *Fig.* IV. *Col.* 411.

In cursu certabant vel singulari equo, tuncque dicebantur κέλητες aut μονάμπυκες: vel geminis equis, quorum altero stadium excurrebant, in alterum vero insilibant ad metam; dicebantur autem ἀναβάται, & si equa ad insulturam usi fuissent, illa dici solebat κάλπη: vel curru a bigis, trigis, quadrigis, &c. acto, unde frequenter memorantur δύοροι, τέθριπποι, τετράοροι, &c. Notandum est autem, equos, quotquot adhibiti fuerint, non dispositos fuisse eo ordine quo hodie solent, sed per paria una serie copulatos fuisse. In posterum medios equos solum, qui idcirco dicebantur ζύγιοι, conjungendi, reliquos vero habenis moderandi, qui hac de causa dicti sunt σειραφόροι, σειραῖοι, παράσειροι, παράοροι, ἀορτῆρες, &c. morem induxit Clisthenes Sicyonius. Equorum loco mulis sæpius agebantur currus, qui ea ratione dicti sunt ἀπῆναι. Aurigæ ars & peritia in cavendis νύσσαις, id est, *terminis*, sita erat, in quos si incurrisset, & currus evertebatur, & ipsemet auriga in magnum discrimen æque ac dedecus adducebatur.

Neque hæc solum exercitia, sed alia diversi generis in his ludis erant. Qualia sunt certamina Musica: item Poetica, unde Ælianus *Var. Hist. lib.* II. *cap.* VIII. refert Euripidem & Xenoclem

A Olympiade XCI. dramatibus certasse: & Cleomenes in Olympiis Empedoclis quædam ῥαψῳδῆσαι dicitur ab Athenæo *Deipnosoph. lib.* XIII. Sed & alia erant literaria certamina: nam & Gorgias Leontinus dicitur publice ab omnibus Græcis poposcisse, *qua de re quisque vellet audire*: is enim orationes extemporales instituit, referente Philostrato; & de omni re, quæcumque in disceptationem vocaretur, se copiose dicturum esse profitebatur. Et Herodotus a Suida dicitur in Olympico conventu *Historiarum* libros novem publice recitando ingentem gloriam retulisse.

B

CAP. XXII.

De Ludis Olympicis.

Ludi Olympici sic dicti sunt a Jove Olympio, vel ab Olympia agri Pisæi civitate, vel juxta Stephanum ipsa Pisa. Ex nonnullorum sententia illos instituit Jupiter devictis Titanis filiis ex Aristophane ejusque Scholiaste in *Pluto*, in quibus Mars pugilatus, Apollo vero cum Mercurio certans cursus palmam tulit. Phlegon *Olympiadum* Auctor Pisum, a quo urbi Pisæ nomen inditum videtur, hoc certamen instituisse scribit.

C Alii illos tribuunt uni Dactylorum nomine Herculi, non Alcmenæ filio, sed alteri multo antiquiori, qui una cum quatuor fratribus Pæoneo, Ida, Jasio, & Epimede, antiquis sedibus in Ida Cretæ monte relictis, Elida insedit, ubi hæc solennia instituit. Initium fuit tantum cursus, in quo quatuor juniores fratres animi oblectandi gratia certabant; victor autem ab Hercule accepit pro præmio coronam oleaceam, nec ex vulgari, nec ex nativa olea, secundum Aristotelem & ex eo Aristophanis Scholiastem, sed ab Hercule de Scythia Hyperborea (prout Fabulæ narrant) allata D consertam, quam in Pantheo ad Olympiam plantavit, quo in loco floruit illa arbor, sed non in morem aliarum olearum, suos enim ramos quemadmodum myrtus propandebat; dicebatur καλλιστέφανος, id est, *coronis idonea*, quandoquidem corollæ, quas victores in his ludis referebant, semper ex illa consertæ erant; imo severa pœna interdictum est ne alium in usum distraheretur. Hi Dactyli quinque erant, quocirca ludi Olympici semel in quinquennio, licet alii contendant de quadriennio tantum, celebrati sunt; ita ut juxta illos quinque, horum vero ex sententia quatuor tantum annos complectebatur Olympias: sed neu- E tra computatio accurata est; verum est enim illud festum singulis quinquenniis, non vero omnino effluxis, sed ad quinquagesimum mensem, qui quinti anni tantum secundus est, celebratum fuisse, juxta Isaacium Tzetzem *in Lycophronem*, & Johannem Tzetzem *Chiliad.* I. *Histor.* XXI. Quemadmodum autem isti ludi singulis quinquenniis agitabantur, ita spatio quinque dierum durabat celebritas, initio facto ab undecimo usque ad decimum quintum diem mensis lunaris in plenilunio.

Alii iterum (si Julio Scaligero credere fas est) volunt hos ludos instituisse Pelopem in honorem F Neptuni, cujus ope Oenomai devicti filiam Hippodamiam in uxorem duxerat.

Nonnulli asserunt illos introduxisse Herculem Alcmenæ filium in honorem Pelopis, a quo originem ducebat a parte matris; sed aliquandiu intermissos illos restituit Iphitus aut Iphiclus Herculis filius. Lege Solinum Polyhist. & Statium *Theb. lib.* VI.

Vulgaris autem opinio illorum est, qui sentiunt ludos Olympicos instituisse juniorem Herculem in honorem Jovis Olympici ex spoliis Augeæ Elidis

Regis, quem throno & opibus exuerat, quia mercede promissa pro stabulis purgandis illum frustraverat, prout tradit Pindarus *Olymp. initio ode* II. Ei accinit Diodorus Siculus *Biblioth. Histor. lib.* IV. qui subjicit nullum aliud præmium præter coronam in memoriam suorum laborum, quos perfecit in generis humani commodum nulla alia mercede quam bene factorum laude sibi proposita, victoribus statuisse Herculem. In ipsa institutione victor fuisse in omnibus certaminibus, si excipias luctam, dicitur Hercules; quum enim omnes adstantes in certamen provocasset, nec ullus cum illo luctari auderet, tandem Jupiter forma humana assumpta in arenam descendit, & postquam certamen in dubio diu hæsisset, nec ullus certantium alterum vincere posset, nec ei victoriam cedere vellet, Deus suo filio cognoscendum se præbuit, qui exinde cognominatus est *παλαιστὴς* aut *luctator*, quo cognomine insignitur apud Lycophronem *Cassandra vers.* 41.

Sed illa omnia tanquam commenta respuit Strabo in *Elidis descriptione*, ubi tradit Ætolorum coloniam simulque nonnullos ex Herculis posteris multas Pisæorum urbes & inter illas Olympiam suo imperio subjecisse, quo in loco illos ludos vel instituerunt, vel saltem instaurarunt, ampliarunt, & auxerunt, quia (inquit ille) de iis nunquam siluisset Homerus, qui hujusmodi solennia aucupatur, ut illorum descriptione sua carmina decoret, si ante belli Trojani tempora claruissent.

Quicquid de primo hujus solennitatis auctore fiat, id in confesso est, eam intermissam vel negligenter habitam fuisse usquedum ab Iphito instaurata fuit: is autem secundum Pausaniam Lycurgo Spartano legislatori *σύγχρονος* fuit, quod etiam affirmat Aristoteles in Plutarchi *Lycurgo*. Et is quidem *Olympica certamina instauravit post excidium Trojæ anno quadringentesimo octavo: ergo ab Iphito numeratur Olympias prima*, ut utar verbis Solini Polyhist. *cap.* I. At vero ludi ab Iphito renovati iterum sunt neglecti usque ad Corœbi tempora, qui viginti octo Olympiadibus post Iphitum vixit, ut refert Phlegon: ex eo tempore constanter observari cœperunt; & hoc quidem revera contigit circa annum a Trojæ excidio CCCCVIII. qui male ad Iphiti tempora a Solino relatus est. Et ab hoc numero Eusebius biennio saltem abit, quando a Troja capta ad primam Olympiadem annos CCCCVI. numerat: primam Olympiadem vocans non simpliciter, sed ex ejus solennitatis renovatione: vel, ut Scaligeri verbis utar, non tempore, sed dignitate, vel respectu usus chronologici, qualem ante Corœbum celebratæ Olympiades nullum habuere.

Horum ludorum curam & administrationem gerebant aliquando Pisæi, sed utplurimum Elei, qui Pisæorum gentem & nomen internecione deleverant, quique communi totius Græciæ consensu ab omnibus bellis liberi in pace plerumque vivebant, eo quod solennitatis hujus præsides essent: quam rationem assignat Polybius *Hist. lib.* IV. cur Elei veteres rustica vita delectentur, nec in urbes & oppida, velut reliquæ Græciæ incolæ, congregentur. Postea tamen accidit, ut iis prospicere Pisæis non licuerit; centesima enim quarta Olympias jussu Arcadum, qui tunc temporis Eleos subegerant, celebrata est; sed hic & alii ludi, quorum administrationem gerebant Pisæi, ab Eleis dicebantur *ἀνολυμπιάδες*, id est, *illicitæ Olympiades*, nec in illorum annalibus exstabant, in quos victorum nomina & quicquid notatu dignum in ludis occurrebat referebantur. Usque ad quinquagesimam Olympiadem unus tantum fuit præses; sed deinceps duo præfecti sunt. Centesima tertia
A Olympiade illorum numerus auctus est ad duodecim juxta numerum Eleorum tribuum, ex quarum singulis unus præses creabatur: sed sequentibus Olympiadibus, postquam in bello contra Arcades ingentem hominum jacturam passa fuisset & ad octo tribus decrevisset Eleorum gens, ad parem numerum redacti sunt præsides: centesima quinta Olympiade unus additus est; & centesima sexta alter accessit, ita ut decem fuerint & permanserint præsides usque ad tempora Adriani Romanorum Imperatoris. Hi viri dicti sunt *Ἑλλανοδίκαι*, solebantque convenire in locum vocatum *Ἑλλανοδικαῖον* in Eleorum foro, ubi spatio decem men-
B sium ante ludorum celebrationem manere tenebantur, & cavere ut qui certaminibus nomina dabant sua *προγυμνάσματα*, vel *prima exercitationes*, peragerent, & in ludorum legibus instituerentur a quibusdam viris dictis *νομοφύλαξι*, id est, *legum custodibus*. Præterea, ut omnibus fraudibus occurrerent, juramento obstringebantur, se æquum sancte servaturos, nec ulla munera accepturos, nec causas dicturos, cur certantes vel damnarint, vel laudarint: in his solennibus nudi sedebant corona palmari tamdiu præ illorum facie deposita, donec certaminibus finitis iis, quibus illam adjudicabant, donabatur. Tamen ab Hellanodicis ad
C Olympicum Senatum provocationem fuisse docet Pausanias: itaque cum Eupolemus Eleus cursu adversus Leontem Ambraciotam decertasset, & quidem Eupolemo duo ex Hellanodicis, Leonti vero unus victoriam decrevisset, dictus est duobus a Leonte apud Olympicum Senatum dies, a quo gravi ære condemnati sunt. Vid. Pausanias *Eliacis β'. pag.* 457. 458. *Edit. Lips.*

Quo pax & ordo in his ludis servari possent, publici erant ministri, qui immorigeros coercebant. Hi ab Eleis *ἀλύται* dicti sunt, nam Elei *ἀλύτας* vocant, quos cæteri Græci *ῥαβδοφόρους*, ἢ
D *μαστιγοφόρους*, *lictores*. His præerat unus *εὐκοσμίας ἄρχων*, qui cæteris mandata dabat, idcirco *ἀλυτάρχης* appellatus. Vid. *Etymologici* Auctor.

His ludis interesse mulieribus non licebat: imo Elei tam severam legem tulerunt, ut mulier, quæ tempore celebritatis fluvium Alpheum trajecisse deprehensa fuisset, de rupe præceps danda foret, juxta Pausaniam. Traditur autem, nullam hac in re unquam deliquisse præter Callipateram ab aliis dictam Pherenicen, quæ filium Pisidorum, a nonnullis vocatum Eucleum, in certamina producere ausa fuisset; detecta vero & apprehensa coram præsidibus comparuit, qui ex reverentia erga
E patrem, fratres, & filium, qui præmia in ludis Olympicis tulerant, illam licet vetante lege absolverunt. Attamen Auctor mox citatus tradit in *Laconicis* Cyniscam Archidami filiam in ludis Olympicis forti & virili animo contendisse, & primam inter mulieres equos in hunc usum aluisse, imo præmium semel tulisse; sed in posterum plures alias mulieres, præsertim Macedonias illam viraginem æmulatas, Olympiæ coronam reportasse. Neutrum illorum, quæ ab illo Scriptore traduntur, a vero alienum videtur, quia diversæ mutationes his ludis obtigerunt, prout tempora & rerum vices
F mutatæ requirebant; quæ omnia ample describuntur a Pausania, Natali Comite, aliisque Mythologis.

Qui certaminibus nomina dabant, per decem menses ante celebritatem in publico Elidis Gymnasio continuis laboribus se exercere tenebantur: præparatoria certamina triginta tantum diebus ante ludorum celebrationem peracta fuisse tradit quidem Phavorinus; sed hæc intelligenda sunt de omnibus & integris certaminibus impletis eodem modo, quo in ludis ipsis agitari solebant [illegible]

enim ultimo tantum mense exercebantur, novem vero superiores menses levioribus & facilioribus exercitiis insumebantur. Nemini, nisi prius hoc debito more se stitisset, de palma contendere licebat: nec solita præmia ferebant, qui quocumque modo in certamina se intruderant, licet adversarios devicissent, nullaque absentiæ excusatio, quantumvis justa, admittebatur. Nam bis centesima decima octava Olympiade Apollonius repulsam tulit, nec certare permissus est, quia constituto tempore se non stiterat, licet adversis ventis in insulis Cycladibus detentus fuisset; sed palma non decertata Heraclidi cessit, eo quod nullus legitimus & idoneus adversarius comparuit. Nemo flagitiosus nec ejus consanguinei in certamen admittebantur. Præterea, ad omnes fraudes prævertendas, qui adversarium ullis muneribus corrumpere convictus tenebatur, gravi mulcta plectebatur: nec id solum cavebant; sed ut omnia inhonesta pacta & iniquas artes prævenirent, decem integros menses in certaminibus præparatoriis se transegisse jurabant certantes: imo ipsimet & patres fratresque sacrosancto juramento obstringebantur, se nulla iniqua & illicita arte ludorum leges & mores perversuros.

Luctatorum ordo sorte hunc in morem decernebatur: In urnam argenteam dictam *κάλπιν*, quæ hunc in usum ibidem posita erat, injiciebantur globuli fabarum figuram & magnitudinem referentes, quibus singulis inscripta erat littera, quæ certantium pari addicta erat, qui eamdem litteram sortiebantur, una certabant; si luctantium numerus impar fuisset, ille, cui impar globulus obtingebat, omnium ultimus cum victore certabat; qua de causa dicebatur *ἔφεδρος*, quia ultimus in arenam descendebat: hæc autem omnium sortium fortunatissima habebatur, quandoquidem ei, qui illam consequebatur, certandum erat cum adversario jam defatigato & defesso in priore antagonista devincendo, dum ipsemet vigens & viribus instructus erat. Lege Cœlium Rhodiginum *Antiq. Lect. lib.* XXII. *cap.* XVII. & Alexandrum ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* V. *cap* VIII.

Quotquot in his ludis certarunt, fœlicissimus & sumptuosissimus fuit Alcibiades Atheniensis, prout in *ejus Vita* scribit Plutarchus verbis istis: *Αἱ δ' ἱπποτροφίαι περιβόητοι μὲν ἐγένοντο καὶ τῷ πλήθει τῶν ἁρμάτων· ἑπτὰ γὰρ ἄλλος οὐδεὶς καθῆκεν Ὀλυμπιάσιν ἰδιώτης, οὐδὲ βασιλεὺς, μόνος δὲ ἐκεῖνος. Καὶ τὸ νικῆσαι δὲ, καὶ δεύτερον γενέσθαι, καὶ τέταρτον, (ὡς Θουκυδίδης φησὶν) ὁ δ' Εὐριπίδης τρίτον, ὑπερβάλλει λαμπρότητι καὶ δόξῃ πᾶσαν τὴν ἐν τούτοις φιλοτιμίαν.* *Hujus* (Alcibiadis) *in equis alendis magnificentia etiam curruum multitudine fuit celebris: solus enim hic, præterea nemo, ad Olympios ludos, neque privatus, neque rex, septem misit. Palmam vero quod retulerit primam, & secundam, & quartam, (ut ait Thucydides) vel, ut Euripides, tertiam, in his excellit splendore & gloria omnibus qui in eo genere elaboraverunt.*

CAP. XXIII.

De Ludis Pythiis.

Ludi Pythii prope Delphos celebrari solebant: creduntur autem a nonnullis instituti fuisse vel ab Amphictyone Deucalionis filio, vel Amphictyonum concilio; alii vero, ut *Etymologici* Auctor & Phavorinus, illos Agamemnoni tribuunt; Pausanias econtra in *Corinthiacis* Diomedi Tydei filio, qui dum Troja rediret dira procella ereptus, Trœzene templum dicavit Apollini cognomine *ἐπιβατηρίῳ*, & in ejus honorem ludos Pythios instituit: sed vulgaris opinio est eorum, qui volunt ipsum Apollinem illorum ludorum auctorem fuisse, Pythone vel serpente vel immani Tyranno devicto: sic canit Ovidius *Metam.* I. *fab.* VIII.

Neve operis famam possit delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.

Ab initio agitabantur tantum semel singulis novem annis, sed deinceps quovis quinto anno juxta numerum Nympharum Parnassiarum, quæ Apollini victori gratulatum venerunt, muneraque obtulerunt.

Præmia fuerunt poma Apollini sacra, juxta Istrum *lib. de Caronis*, & superius citatum Archiæ *Epigramma*, in quo horum & trium reliquorum sacrorum ludorum præmia recensentur *Anthol. lib.* I. *cap.* I. *epigram.* I.

Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.
Præmia vero illorum olea, poma, apium, pinus.

In quem locum Brodæus contendit *μῆλα* denotare Delphicam laurum, quæ, inquit ille, baccas rubro & viridi colore interstinctas & ad pomorum crassitiem proxime accedentes ferebat: sed hæc interpretatio nullo modo genuina videtur, quandoquidem vox *μῆλα* in hoc sensu nunquam usurpatur: attamen corollas ex lauro consertas accepisse victores disertis verbis tradit Pindarus, quum ait *Pyth. ode* VIII. *vers.* 28. Aristomenem *ποίᾳ Παρνασίᾳ*, id est, *lauro in monte Parnasso nata*, coronatum esse: inde duplex fuisse præmium, tum sacra poma, tum serta laurea, nonnulli opinantur. Prima autem institutione victores ferebant coronam ex frondibus palmeis, vel esculeis, juxta nonnullos, inter quos Ovidius, qui *Metamorph. lib* I. *fab.* VIII. proxime a carminibus mox allatis addit:

Hic juvenum quicumque, pedibusve, rotave
Vicerat, esculeæ capiebat frondis honorem,
Nondum laurus erat. ——

Alii vero (ut Natalis Comes *Mythol. lib.* V. *cap.* II.) scribunt, in prima Pythiade Deos contendisse, quorum Castorem hippodromis, Pollucem pugilatu, Calaim cursu, Zetem hoplomachia, Peleum disco, Telamonem lucta, Herculem vero pancratio victorem fuisse, imo omnes coronis laureis donasse Apollinem. Iterum alii (nominatim Strabo *lib.* IX. & Pausanias in *Phocicis*) in diversam sententiam abeunt, asseruntque prima origine fuisse tantum musicum certamen, in quo qui in Apollinis laudibus decantandis reliquos superarat, præmium ferebat, quod primo fuit vel argenteum, vel aureum, vel quid simile pretiosum, sed in posterum corona tantum. Sed hoc in loco observare consentaneum duco diversa ludorum nomina pro diversis præmiis fuisse; quum enim de nummo certatum est, ludi *ἀγῶνες ἀργυρῖται*, quum vero de corona, *ἀγῶνες στεφανῖται*, *φυλλῖναι*, &c. dicebantur. Et probabile est hos ludos aliquando *ἀργυρίτας*, & alio tempore *στεφανίτας* fuisse. Primus palmam cantu reportavit Chrysothemis Cretensis, qui Apollinem post Pythonis cædem purificavit: secundum præmium retulit Philammon; tertium vero ejus filius Thamyris. Orpheus, postquam honores fere divinos sibi conscivisset eo quod impium & ignarum genus humanum in religione & Deorum cultu primus instituerat, pariterque Musæus, qui Orphei æmulus fuit, se minime decere, & a suo præclaro nomine alienum esse existimarunt, si cum hominibus in certamen venirent. Eleutherus victoriam reportasse traditur tantum ob vocis suavitatem, carmen enim ab al-

A tero compositum erat: Hesiodus vero palma excidit, quia citharam, qua omnes candidati certare solebant, tractare nescivit.

Fuit & aliud carmen dictum Πυθικὸς νόμος, quinque partes complectens, quibus Apollinis pugna singularis cum Pythone describebatur. 1. Dicebatur ἀνάκρουσις, quæ exhibebat Apollinem ad pugnam se accingentem. 2. Ἄμπειρα, vel primum tentamen. 3. Κατακελευσμὸς, vel ipsa pugna simulque hortatio, qua ipse Apollo ad fortiter pugnandum se animabat. 4. Ἴαμβοι καὶ δάκτυλοι, vel irrisiones hostiles Apollinis in Pythonem devictum insultantis. 5. Σύριγγες, in quibus serpentis morientis B sibilum simulabant. Alii huic carmini sex partes tribuunt. 1. Πεῖρον vel proludium. 2. Ἴαμβον, in quo Apollo Pythonem convitiis ad certamen provocans inducebatur; ἰαμβίζειν enim est *convitiari*, eo quod Jambici versus invectivis vulgo accommodabantur. 3. Δάκτυλος, Baccho sacer, cui illud carminum genus gratissimum credebatur; hæc pars illi Deo dicata erat, quia (ut nonnulli asserunt) vel oraculi Delphici particeps fuit, vel illud tenuit ante Apollinem. 4. Κρητικὸς, in honorem Jovis Apollinis patris, qui illis versibus delectari credebatur, eo quod in Creta, ubi usu veniebant, C enutritus fuit. 5. Μητρῷον, carmen Matri Telluri sacrum, quia oraculum Delphicum tenuit, antequam in Apollinis manus venisset. 6. Συριγμὸς, vel serpentis sibilus.

Pariter agitabatur solennis chorea quinque partibus constans, quæ a nonnullis (præsertim a Julio Scaligero *Poetices lib.* I. *cap.* XXIII.) sic describuntur. 1. Πεῖρα, in qua Apollinem se ad prælium omni cum considerati bellatoris cautela accingentem simulabant. 2. Κατακελευσμὸς, id est, *provocatio hostis ad pugnam*. 3. Ἰαμβικὸς, vel exhibitio pugnæ, quæ dum agebatur, tubæ classicum canebant; sic autem dicebatur a versibus Jambicis, qui D animo & furori ciendis aptissimi sunt. 4. Σπονδεῖος, vel a carminum genere cognomini, vel a σπένδειν, id est, *libare*, quia hac in parte victoria celebrabatur, pro qua parta libaminibus & sacrificiis Diis grates rependere solebant. 5. Καταχόρευσις, in qua exhibebatur Apollinis tripudium post victoriam adeptam. Verum hæc descriptio est altera τοῦ νόμου Πυθικοῦ, neque enim alio tempore cantasse, & alio saltasse putandi sunt: sed potius saltasse ad cantum tibiæ. Pollux *lib.* IV. *cap.* X. *sect.* V. Τοῦ δὲ Πυθικοῦ νόμου τοῦ αὐλητικοῦ μέρη πέντε· πεῖρα, κατακελευσμὸς, ἰαμβικὸν, σπονδεῖον, καταχόρευσις· δήλωμα δ' ἐστὶ νόμος τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος μάχης πρὸς τὸν δράκοντα· E καὶ ἐν μὲν τῇ πείρᾳ, διορᾷ τὸν τόπον, εἰ ἄξιός ἐστι τοῦ ἀγῶνος· ἐν δὲ τῷ κατακελευσμῷ, προκαλεῖται τὸν δράκοντα· ἐν δὲ τῷ ἰαμβικῷ, μάχεται· ἐμπεριείληφε δὲ τὸ ἰαμβικὸν καὶ τὰ σαλπιστικὰ κρούματα, καὶ τὸν ὀδοντισμὸν, ὡς τοῦ δράκοντος ἐν τῷ τετοξεῦσθαι συμπρίοντος τοὺς ὀδόντας· τὸ δὲ σπονδεῖον δηλοῖ τὴν νίκην τοῦ Θεοῦ· ἐν δὲ καταχορεύσει, ὁ Θεὸς τὰ ἐπινίκια χορεύει. Pythici vero modi, *qui tibia canitur, partes quinque sunt:* Rudimentum, Provocatio, Jambicus, Spondeum, Ovatio. *Repræsentationem autem continent pugnæ Apollinis adversus draconem. Et in* Rudimento *quidem, locum circumspicit, num pugnæ sit conveniens. In* Provocatione, *draconem provocat. In* F Jambico, *pugnat: cæterum in Jambico continetur tubæ cantus, & dentium stridor, utpote dracone sagittis vulnerato dentibus frendente.* Spondeum, *Dei victoriam exhibet. Denique in* Ovatione, *Deus in victoriæ memoriam saltat.*

Deinceps tertio quadragesimæ octavæ Olympiadis anno Amphictyones, qui horum ludorum præsides erant, usum tibiarum, quæ hucusque in his solennibus nunquam adhibitæ fuerant, induxerunt; primus præmium retulit Sacadas Argivus: sed quia epicediis & luctui magis accommodatæ erant quam hilaribus & jucundis cantibus, quales in festis decantari solebant, brevi in desuetudinem venerunt. Præterea omnia gymnica certamina, quæ in ludis Olympicis obtinebant, in Pythiis agitata sunt, lexque lata est, qua solis pueris cursu contendere licebat. Circa illud tempus præmia, quæ antea pretiosa fuerant, in coronas & serta transierunt; necnon hi ludi, qui eousque vel aliud vel nullum nomen obtinuerant, dicti sunt Pythii ab Apolline Pythio, prout nonnulli asserunt. Tandem tum equestres, tum curules ludi circa tempora Clisthenis Argivorum Regis, qui in iis vectus quadrigis primus palmam tulit, introducti sunt. Plures alias vices gradatim passi sunt hi ludi, quas consulto prætereo.

CAP. XXIV.

De Nemeis Ludis.

NEmei Ludi (juxta Strabonem *Geogr. lib.* VIII. Pausaniam in *Corinthiacis* & *Eliacis*, Pindari Scholiastem *in Nem.*) sic appellati a Nemea, pago & nemore sito inter civitates Cleonas atque Phliuntem, ubi quovis triennio edebantur die duodecimo mensis Corinthiorum Πανέμου, sæpius dicti Ἱερομηνίας, ejusdemque cum Atheniensium Boedromione. Hi ludi peragebantur cursus certaminibus omnibusque pentathli partibus. Eorumdem præsides ex urbibus Corintho, Argis, ac Cleonis electi, atraque & lugubri veste induti, quandoquidem hisce ludis exhibebantur funebria justa instituta in memoriam Opheltæ, alio nomine Archemori, ab ἀρχή, *initium*, & μόρος, *fatum* seu *mors*, quia Amphiaraus ejus mortem paulo post ortum prædixit: aut, juxta Statium *Theb. lib.* V. quoniam infestus iste casus præludium exstitit omnium improborum successuum, quos athletæ Thebani sortiti sunt; Archemorus enim fuit filius Euphetæ & Creusæ, vel Lycurgi, Regis Nemeæ Thraciæve, ac Eurydices, & nutritus ab Hypsipyle, quæ relicto in prato puerulo, interea dum profecta ad fontem monstrandum iis qui Thebas obsidebant, illincque reversa, invenit eum mortuum ejusque collo circumplicatum anguem; unde fonti antea dicto Langiæ inditum nomen Archemorus; ducesque ad dolorem Hypsipyles levandum hosce ludos instituerunt, ut canit Statius *Theb. lib.* IV.

Una tamen tacitas, sed jussu Numinis, undas
Hæc quoque secreta nutrit Langia sub umbra,
Nondum illi raptus dederat lacrymabile nomen
Archemorus, nec fama Deæ; tamen avia servat
Et nemus, & fluvium; manet ingens gloria Nympham,
Cum tristem Hypsipylen ducibus sudatus Achæis
Ludus, & atra sacrum recolit trieteris Ophelten.

Alii (ut Pindari Scholiastes) opinantur istos ludos ab Hercule post devictum leonem Nemeum institutos fuisse in honorem Jovis, cui, tradente Pausania, erat templum splendidum Nemeæ, ibique ludis solennibus condecoratus, in quibus viri armati cursu certabant; sed forsan isti diversi sunt a solennitate, de qua jam sermo. Denique alii concedunt quidem prius institutos in Archemori memoriam, verum contendunt intermissos, ab Hercule instauratos Jovique consecratos fuisse.

Victores donabantur corona apii, oleris in funeribus adhibiti & ex Archemori sanguine progerminare crediti; de quo historiam notatu dignam, qua non incommode hocce caput claude-

tur, narrat Plutarchus in *Timoleonte* hisce verbis: Ἀναβαίνοντι δ' αὐτῷ πρὸς λόφον, ὃν ὑπερβάλλοντες ἔμελλον κατόψεσθαι τὸ στράτευμα καὶ τὴν δύναμιν τῶν πολεμίων, ἐμβάλλουσιν ἡμίονοι σέλινα κομίζοντες· καὶ τοῖς στρατιώταις εἰσῆλθε πονηρὸν εἶναι τὸ σημεῖον, ὅτι τὰ μνήματα τῶν νεκρῶν εἰώθαμεν ἐπιεικῶς στεφανοῦν σελίνοις· καὶ παροιμία τὶς ἐκ τούτου γέγονεν. τὸν ἐπισφαλῶς νοσοῦντα δεῖσθαι τοῦ σελίνου. Βουλόμενος οὖν αὐτοὺς ἀπαλλάξαι τῆς δεισιδαιμονίας καὶ τὴν δυσελπιστίαν ἀφελεῖν ὁ Τιμολέων, ἐπιστήσας τὴν πορείαν, ἄλλα τε πρέποντα τῷ καιρῷ διελέχθη, καὶ τὸν στέφανον αὐτοῖς ἔφη πρὸ τῆς νίκης κομιζόμενον αὐτομάτως εἰς τὰς χεῖρας ἥκειν. Οἱ γὰρ Κορίνθιοι στεφανοῦσι τοὺς Ἴσθμια νικῶντας, ἱερὸν καὶ πάτριον στέμμα τοῦ σελίνου νομίζοντες· ἔτι γὰρ τότε τῶν Ἰσθμίων, ὥσπερ νῦν τῶν Νεμείων, τὸ σέλινον ἦν στέφανος, οὐ πάλαι δ' ἡ πίτυς γέγονεν. Ἐντυχὼν οὖν ὁ Τιμολέων (ὥσπερ εἴρηται) τοῖς στρατιώταις, καὶ λαβὼν τῶν σελίνων, κατεστέψατο πρῶτος αὐτὸς, εἶτα οἱ περὶ αὐτὸν ἡγεμόνες καὶ τὸ πλῆθος. *Adscendenti vero ipsi* (Timoleonti) *collem, quo superato exercitum copiasque hostium* (Carthaginensium) *prospecturi erant, occurrunt muli apium portantes: ipsisque militibus id visum est malum omen, eo quod mortuorum sepulchra apio coronare maxime solerent: hincque natum proverbium, aliquem periculose ægrotantem opus habere apio. Timoleon igitur, ut eos religione solveret ac diffidentia liberaret, agmen sustinuit, disseruitque cum alia tempori convenientia, tum coronam demonstravit ante victoriam ipsis delatam ultro in manus pervenire. Corinthii enim, coronam apii sacram patriamque existimantes, ea victores ludis Isthmiorum coronant: nam Isthmiorum ea etiam tum ætate, ut nunc Nemeorum, apium corona erat, nec ita dudum successit pinus. Timoleon igitur milites affatus, (ut dictum est) apium sumpsit, ipseque primus coronam ex eo composuit, dein ipsius duces militesque.*

CAP. XXV.

De Isthmicis Ludis.

Isthmici Ludi sic appellabantur a loco ubi editi, nimir. Isthmo Corinthiaco, quo Peloponnesus juncta continenti; instituti dicuntur in honorem Palæmonis aut Melicertæ, filii Athamantis Thebarum Regis & Inus, quæ mariti iram metuens, (cum ipsius filius alter Learchus ab eo in furorem acto trucidatus fuisset) Melicertam ulnis complexa præcipitem in mare se dedit, & a Neptuno in numerum æquoreorum Numinum relata, ut honeste gratificaretur Baccho ab Ino nutrito. Ipsorum conditione mutata, nomina quoque mutata, cum Ino vocata sit Leucothea, ipsiusque filius Palæmo; utut Palæmonis divinitas non potuerit impedire quin corpus suum per mare jactaretur, usquequo a delphino exceptum & in littus Corinthium devectum fuerit, ubi a Sisypho tunc temporis Corinthi Rege inventum, ab ipso honorifice inhumatum, istique funebres ludi in ejus honorem instituti, quemadmodum refert Pausanias in fine *Atticorum* & initio *Corinthiacorum.* Alii tradunt Melicertæ cadaver in Isthmum ejectum fuisse, ibi aliquandiu insepultum jacuisse, unde dira lues in hasce regiones desævire cœpit, ad quam depellendam nullum aliud remedium dari oraculo editum est, quam ut solitis solennibus ritibus cadaver sepeliretur, ludique in memoriam pueri celebrarentur; quo mandato peracto, aeris intemperies cessavit; verum postea hisce ludis neglectis, pestis rursum grassata est, oraculoque consulto, responsum acceperunt, honores perpetuos Melicertæ persolvendos esse, quod ex præscripto fecerunt, erecta ei ara, ac lege lata, qua ludi isti in perpetuum ederentur.

Nonnulli in laudem Neptuni a Theseo institutos fuisse referunt; alii fuisse duo diversa solennia opinantur, in Isthmo celebrata, alterum Melicertæ, Neptuno alterum; quæ sententia nititur auctoritate Musæi, qui *Tractatum de Isthmicis Ludis* conscripsit. Hosce ludos in honorem Neptuni prius inductos, posteaque in Palæmonis memoriam editos fuisse narrat Phavorinus. Econtra Plutarchus docet primum institutos in Melicertæ gloriam, sed deinceps a Theseo immutatos, ampliatos, ac Neptuno dicatos fuisse; pluresque alias opiniones de eorum origine affert. En ipsius verba in *Vita Thesei:* Καὶ τὸν ἀγῶνα πρῶτος ἔθηκε κατὰ ζῆλον Ἡρακλέους, ὡς δι' ἐκεῖνον Ὀλύμπια τῷ Διῒ, καὶ δι' αὐτὸν Ἴσθμια τῷ Ποσειδῶνι, φιλοτιμηθεὶς ἄγειν τοὺς Ἕλληνας· ὁ γὰρ ἐπὶ Μελικέρτῃ τεθεὶς αὐτόθι, νυκτὸς ἐδρᾶτο, τελετῆς ἔχων μᾶλλον ἢ θέας καὶ πανηγυρισμοῦ τάξιν. Ἔνιοι δέ φασιν ἐπὶ Σκίρωνι τὰ Ἴσθμια τεθῆναι, τοῦ Θησέως ἀφοσιουμένου τὸν φόνον διὰ τὴν συγγένειαν· Σκίρωνα γὰρ υἱὸν εἶναι Κανήθου καὶ Ἡνιόχης τῆς Πιτθέως. Οἱ δὲ Σίννιν, οὐχὶ Σκίρωνα, καὶ τὸν ἀγῶνα τεθῆναι διὰ τοῦτον ὑπὸ Θησέως, οὐ δι' ἐκεῖνον. Ἔταξεν οὖν καὶ διωρίσατο πρὸς τοὺς Κορινθίους, Ἀθηναίων τοῖς ἀφικνουμένοις ἐπὶ τὰ Ἴσθμια παρέχειν προεδρίαν, ὅσον ἂν τόπον ἐπίσχῃ καταπετασθὲν τὸ τῆς θεωρίδος νεὼς ἱστίον, ὡς Ἑλλάνικος καὶ Ἄνδρων ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἱστορήκασιν. *Et ludos primus* (Theseus) *instituit exemplo Herculis, ambitiose conatus, ut, quemadmodum in illius memoriam Olympia Jovi, ita in suum honorem Isthmia Neptuno agerent Græci: ludi enim in Melicertes honorem illic instituti nocte peragebantur, initiationis speciem potius quam spectaculi ac celebritatis publicæ præ se ferentes. Quidam autem ajunt Scironi Isthmia dicata esse, ut Theseus ob affinitatem expiaret illius cædem: Scironem enim fuisse filium Canethi & Heniochæ filiæ Pitthei. Alii vero Sinnim, non Scirona, atque hujus gratia, non illius, istos ludos a Theseo institutos fuisse. Constituit igitur & convenit ei cum Corinthiis, ut Atheniensibus, qui ad Isthmia venirent, attribuerent prima subsellia tanto spatio, quantum occuparet speculatoriæ navis velum extensum, prout Hellanicus & Andron Halicarnassensis memoriæ prodiderunt.*

Ex omnibus Græciæ populis soli Elei in hisce solennibus non intererant, idque ob hanc causam a Pausania adductam in *Eliacis* ά. Isthmicos ludos cum indixissent Corinthii, ad eos celebrandos convenerunt filii Actoris, verum nec opinantes oppressi fuerunt ac prope civitatem Cleonas ab Hercule occisi: cædis auctor aliquandiu ignoratus est, sed tandem cum detectus fuisset cura ac diligentia Moliones uxoris Actoris, Elei Argos profecti expiationem facinoris depoposcerunt, siquidem Hercules Tirynthe agri Argivi pago tunc domicilium habebat; Argis repulsam passi Corinthios adierunt, ab iisque petierunt, ut universis Argorum incolis tanquam publicæ pacis perturbatoribus interdicerentur Isthmici ludi; cum autem ibi loci non melius quam Argis res ipsis successisset, Molione vetuit ad ludos Isthmicos venire, dirisque execrationibus devovit quemcunque Eleorum, qui istorum celebrationi unquam interforet; quod edictum tam religiose observatum fuit, ut hoc etiam tempore nullus Eleorum ad Isthmicos ludos se conferre ausus fuerit, (inquit Auctor noster) ne Moliones devotio in eum derivaretur.

Isti ludi (juxta Alexandrum ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* v. *cap.* VIII.) quovis quinto anno, vel, ut quidam existimant, tertio observabantur, habitique adeo sacri ac intemerandi, ut, postquam aliquantisper interrupti fuerunt durante tyrannide Cypseli Regis Corinthi, mortuo Tyranno Corinthii illis instaurandis omnem operam navarint,

eosque celebrarint tanto splendore ac magnificentia, quanta nunquam antea factitarunt. Corintho direpta ac penitus eversa a Mummio Romanorum duce, ne quidem isti ludi intermissi sunt, sed Sicyoniorum curæ commissi donec reædificaretur Corinthus, tumque suis oppidanis redditi fuerunt, quemadmodum narrat Pausanias init. *Corinthiacorum.*

Victores corollas ex frondibus pineis pro præmio accipiebant; deinceps ipsis datum apium, quo etiam decorabantur qui victoriam in Nemeis ludis tulerant, cum hac tamen differentia, quod hic esset recens ac viride, in Isthmicis ludis aridum flaccidumque. Postea in desuetudinem venit apium, rursusque pinus in honore ac pretio fuit; quas mutationes memoriæ prodidit Plutarchus v. *Sympostac.*

CAP. XXVI.

De veteri Anno.

A Priscis fabularum auctoribus accepimus, Regem illum Atlantiarum, quem Græci Οὐρανὸν, Latini *Cœlum*, utrique patrem Saturni vocant, propter inventam Astrologiam, Deorum antiquissimum habitum esse. Vid. Diodorus Siculus *lib.* III. *pag.* 132. & Mythologiæ Auctores. Alii narrant Atlantem invenisse Astrologiam, totumque λόγον σφαιρικὸν, atque ab eo edoctum Herculem eam artem in Græciam transtulisse: inde denique natas fabulas esse de cœlo eorum humeris imposito. Vid. Diodorus Siculus *lib.* III. *pag.* 135. & *lib.* IV. *pag.* 163. Plinius *lib.* VII. *cap.* LVI. Clemens Alexandrinus *Strom. lib.* I. *pag.* 306. Cretenses Hyperionem fabulantur solis lunæque & aliorum syderum motus primum deprehendisse: is autem Cœli filius, Solis pater fuisse fingitur, quandoque etiam pro ipso Sole accipitur. Vid. Diodorus *lib.* V. *pag.* 231. Arcades popularem suum Endymionem lunæ cursum primum observasse ferunt. Vid. Lucianus in *Comment. de Astrologia*, Apollonii Scholiastes *in lib.* IV. Ab aliis denique Actæus, sive Actis, Cecropis Atheniensis tempore, Astrologiam tum in Rhodo insula invenisse, tum etiam Ægyptiis communicasse fertur. Vid. Diodorus *lib.* V. *pag.* 223.

Verum qui veterum Græcorum res gestas descripsere, coloniis e Græcia in Asiam deductis primam excultæ Astronomiæ laudem plerumque tribuunt: quam a Babyloniis vel Ægyptiis acceptam primus in Græcia docuisse dicitur Thales Milesius, vel Pythagoras Samius, vel Anaximander Milesius, vel ejus discipulus & concivis Anaximenes, vel Cleostratus Tenedius, vel Oenopidas Chius, vel Anaxagoras Clazomenius Periclis magister, qui primus scholam sectæ Ionicæ ex Asia Athenas transtulit, quo anno Xerxes Græciam hostili exercitu ingressus est. Vid. Suidas, & Diogenes Laertius in *Vitis Philosophorum*, & Plinius *lib.* II. *cap.* LXXVI. Ante hæc tempora cœlestium motuum adeo penitus ignari fuerant, ut Thales Græcorum omnium primus eclipsin solarem circa annum IV. Olympiadis XLVIII. observasse dicitur: annoque quarto Olympiadis XC. eclipsis lunæ Niciæ Atheniensi fatalis eam præcipue ob rationem fuit, quod ejus causa nondum esset vulgo explorata. Vid. Plutarchus in *Nicia*. Quin & ipse Herodotus de solari defectu agens, rustice quidem & plane aniliter tradit, *solem disparuisse, sedemque, quam in cœlo tenuerat, deseruisse*, de lunæ interpositione nihil suspicatus. Vid. Herodotus *lib.* I. *cap.* LXXIV. *lib.* VII. *cap.* XXXVII. *lib.* IX. *cap.* X.

Hinc pro certo tenendum, Græcos nullam habuisse certam temporum mensuram, antequam ab Orientalibus populis Astronomiam acceperunt: quamvis enim ex redeuntibus anni tempestatibus

A cuivis imperito facile constare poterit, præterlapsum esse id tempus, quod *annuum* dicimus; tamen certum dierum numerum præfinire, quibus hæ vicissitudines absolvuntur, easque juxta lunæ cursum in menses ita distinguere, ut ad certam aliquam cum solis motu proportionem statuantur, id sane penitiorem artis Astronomicæ cognitionem requirit. Hinc in heroicis temporibus secundum varia serendi & metendi, laborandi & quiescendi tempora numeravisse videntur: & ne diem quidem ipsum in certas portiones dividebant, sed τῇ τοῦ ἡλίου ἄλλως ἁπλούστερον κινήσει, nempe solis accessu aut recessu metiebantur, ut observat Eusta-
B thius *ad Iliad.* λ'. *pag.* 765. unde Homerus eum in tres partes, ἠῶ, δείλην, & μέσον ἦμαρ, *auroram*, *pomeridianum*, & *meridiem*, divisit *Iliad.* φ'. *vers.* III. & alibi a *caloris intensione*, & *cessatione a laboribus* diei tempora distinguit *Iliad.* λ'. *vers.* 84. Et longo postea tempore πόλον, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον, *polum, & gnomonem, & duodecim diei partes a Babyloniis didicerunt*, ut utar Herodoti verbis *lib.* II. *cap.* CIX. Nihilominus Homeri ætate, imo & in Trojani belli tempore aliquam anni civilis formam habuere, nam Agamemnon ait *Iliad.* β'. *vers.* 134.

C

Ἐννέα δὴ βεβάασι Διὸς μεγάλου ἐνιαυτοί.

Novem autem præterierunt magni Jovis anni.

Atque eam lunarem fuisse discimus ex *Odyss.* ξ'. *vers.* 161. quo Ulysses Eumæo sic loquitur:

Τοῦ δ' αὐτοῦ λυκάβαντος ἐλεύσετ' ἐνθάδ' Ὀδυσσεὺς,
Τοῦ μὲν φθίνοντος μηνὸς, τοῦ δ' ἱσταμένοιο.

Hoc autem ipso anno veniet huc Ulysses,
D *Hoc quidem inclinato mense, illo autem incipiente.*

Menses enim lunares primi fuerunt, quia facilius erat lunæ menstruum, quam solis annuum cursum observare; unde & μῆνα, *mensem*, Grammatici ἀπὸ τῆς μήνης, *a luna*, deduxere. Si qui autem menses memorentur, antequam periodum lunæ cognoscerent; illi aut ex anni tempestatibus conflati, aut penitus fictitii reputandi sunt. Cujusmodi erant tres Arcadum menses, quos *prius habuerunt, quam annus in Græcia ad lunæ cursum*
E *constitueretur, & ob id* προσέληνοι *appellati* sunt, ut refert Censorinus *de Die Nat. lib.* I. *cap.* XIX.

Qui vero primus cyclum excogitavit, quo solis lunæque motus conciliarentur, Thales erat Milesius: is enim observans mensem nullum lunarem triginta dierum numerum superare, duodecim menses statuit tricenarios, quibus annus intra dies CCCLX. terminabatur. Tum post duos annos lunares triginta dies intercalavit, quo factum ut *id tempus* τριετηρίδα *appellarent, quod tertio quoque anno intercalabatur, quamvis biennii circuitus, & revera* διετηρὶς *esset*: ut refert Censorinus *loc. cit.*
F *cap.* XVIII. Vid. etiam Herodotus *lib.* I. *cap.* XXXII. & *lib.* II. *cap.* IV. Geminus *cap.* VI. Hinc biennium illud dies DCCL. continebat, verumque solare biennium diebus fere XX. excessit: quod adeo enorme discrimen, ut Scaliger fictitium esse hunc cyclum, nec ulla unquam in civitate receptum contenderit.

Cum autem Solon deprehendisset circuitum lunæ non integris triginta diebus, sed viginti novem cum dimidio perfici, annum suum lunarem ita disposuit, ut alternis mensibus triginta, & vi-

A ginti novem dies inessent; adeoque duodecim menses dies CCCLIV. capiebant. Et quia solaris annus hunc lunarem dies circiter undecim quadrantemque diei unius excedebat, Solon ipse, vel coævi Astronomi τετραετηρίδα, *cyclum quadriennalem*, excogitarunt, in qua post primum (ut videtur) biennium, *embolimum* mensem viginti & duorum dierum intercalabant: post vero secundum biennium, quia diei quadrantes quarto quoque anno ad integrum diem consurgebant, mensem viginti & trium dierum addebant.

Nec tamen hac ratione solis lunæque motus inter se constabant: nam cum huic quadriennio dies B quadraginta & quinque supra lunares annos adderentur, iique mensem lunarem integrum aliumque dimidium continerent, necesse erat ut hic cyclus in medio mense lunari terminaretur. Vid. Censorinus. Quamobrem τετραετηρίδι ὀκταετηρὶς, sive *cyclus octo annorum*, successit, qua prius quadriennium duplicatum tres integros menses lunares embolimos complectebatur.

Post octaeterida nihil in Calendario mutatum fuisse ad Metonis usque tempora reperitur: is autem finito octiennio aliquot horarum distantiam inter solem & lunam intercedere animadvertens, C (quæ quidem differentia quamvis exigua, tamen aliquot cyclorum in revolutione dies mensesque omnes e propriis sedibus exterminatura erat) ἐννεακαιδεκαετηρίδα, sive *cyclum novemdecim annorum*, excogitavit, intra quod tempus, cum luna periodos CCXXXV. sol autem XIX. peregisset, uterque eodem in die ad idem cœli punctum redibant, quod ante novemdecim annos occupaverant.

Postea cum deprehensum esset cujusque cycli novilunia circiter septem horas præfinitam regulam excedere, Calippus novum cyclum instituit, qui quatuor Metonicos, hoc est LXXVI. annos, continebat: post quem alius cyclus ab Hipparcho de- D signatus quatuor Calippicos complectebatur. Verum eruditissimus Dodwellus contendit, Metonis cyclum integrum octo ἐννεακαιδεκαετηρίδας, sive CLII. annos, continuisse: quem postea Calippus in duas partes divisit, diemque unicum a singulis partibus ademit, quem invenerat superfluum fuisse. Vid. Dodwelli immensum opus *de veteribus Cyclis*.

Ab annorum periodis ad menses transeo: in his autem neque Græcis inter se, neque cum aliis gentibus convenit; unde in scriptis Veterum nunc hos, nunc alios menses inter se tam varie compositos reperimus, ut in illis conciliandis viri docti E pene operam luserint. Et Plutarchus in *Romulo* fatetur, *nihil convenire inter Græcorum & Romanorum* novilunia: idemque in *Aristide* de die, quo Platæis devicti sunt Persæ, agens, affirmat, quod ne suo tempore mensium initia inter se constarent, quamvis tum cœlestes motus accuratius quam olim supputarentur. Quæ dissensio his, vel similibus a caussis oriri potuit.

1. Quod annum diversis temporibus inchoarint. Romanis in hyeme a Januario principium anni fuit. Arabes & Damasceni verno tempore annum inchoabant. Vid. Simplicius in *lib.* v. *Physicæ Aristotelis*. Macedones ab autumnali æquinoctio Dium, F qui mensis primus erat, deducebant. Attici veteris anni initium erat post hibernum solstitium; recentioris vero principium erat a novilunio, quod solstitium æstivum proxime sequebatur. Hinc toto errat cœlo, si quis Romano Januario contigisse putet, quod primo Atheniensium, aut Macedonum mense gestum fuisse narratur: aut veteris anni Atheniensis rationem ab eo, qui post Metonem fuit, ducendam statuit.

2. Quia non erat idem numerus mensium. Romani primo decem habuere menses, quorum ultimus inde *December* appellatus: postea Numa Pompilius duodenarium numerum constituit. Ægyptii veteres unum solummodo mensem, & postea quatuor secundum anni tempestates numeravere. Barbari quidam in tres menses annum dividebant; quod etiam de Arcadibus priscis e Censorino prius observatum. Iisdem Arcadibus alio tempore quatuor, Acarnanibus sex, Græcis autem plerisque recentioris ævi duodecim menses præter *embolimos* erant. Vid. Plutarchus in *Numa Pompilio*.

3. Quod non fuerit eadem mensura mensium. Aliis tricenarii menses, aliis alius dierum in quovis mense numerus. His lunares, illis solares erant. Athenienses & πλεῖσται τῶν νῦν Ἑλληνίδων πόλεων, *pleræque urbium Græcàrum hujus sæculi*, menses suos ad lunæ motum constituunt: verum in Macedonia, ἔν τε ἁπάσαις τῶν ἀρχαίων (mavult clariss. Usserius Ἀσιανῶν) καὶ ἐν πολλοῖς τῶν ἐθνῶν, *& in omnibus veteris Græciæ* (vel *Asiæ*) *urbibus, & non paucis aliarum gentium*, menses a solis motu supputantur; ut refert Galenus I. *ad* I. *Epidemiorum Hippocratis librum Commentario.*

4. Quod menses ejusdem urbis haud semper eodem in loco constiterint: quod partim a cœlestium motuum ignorantia, partim a varia dierum & mensium embolimorum dispositione contigit.

Porro Athenienses annum suum inchoabant a nova luna, quæ proxime sequebatur solstitium æstivum, quod in Junium incidebat. Vid. Plato initio *lib.* VI. *de Legibus*, & Simplicius in *lib.* v. *Physicæ Aristotelis*. Quod Metonis exemplo faciebant: sic enim Festus Avienus:

Sed primæva Meton exordia sumsit ab anno,
Torreret rutilo Phœbus cum sidere Cancrum, &c.

Menses duodecim erant, qui alterna vice triginta & viginti novem dies continebant, sic tamen ut menses tricenarii perpetuo præcederent. Tricenarii, πλήρεις, *pleni*, & a *denario* numero δεκαφθινοί dicebantur: cæteri erant κοῖλοι, *cavi*, & a novem dierum numero supra viginti, ἐναφθινοί. Vid. Galenus *lib.* III. *cap.* IV. *de Diebus Decret.* & Grammatici.

Mensem in τρία δεχήμερα, *tres decadas dierum*, (ut Pollucis verbo utar) distribuere: quarum primam μηνὸς ἀρχομένου, seu ἱσταμένου, secundam μηνὸς μεσοῦντος, tertiam μηνὸς φθίνοντος appellabant: quasi dicas *mensis ineuntis, medii, & desinentis*.

I. Decadis I. diem νεομηνίαν, 2. δευτέραν ἱσταμένου, 3. τρίτην ἱσταμένου, & sic deinceps, vocabant.

II. Decadis I. diem πρώτην μεσοῦντος, vel πρώτην ἐπὶ δέκα, 2. δευτέραν μεσοῦντος, vel δευτέραν ἐπὶ δέκα, 3. τρίτην μεσοῦντος, vel τρίτην ἐπὶ δέκα, &c. usque ad εἰκάδα.

III. Decadis I. diem πρώτην ἐπ' εἰκάδι, 2. δευτέραν ἐπ' εἰκάδι, 3. τρίτην ἐπ' εἰκάδι, aut retro nominantur adjunctis vocibus φθίνοντος, παυομένου, vel λήγοντος: ut, I. φθίνοντος δεκάτη, 2. φθίνοντος ἐννάτη, 3. φθίνοντος ὀγδόη, & sic deinceps ad ultimam diem, quæ post Demetrii Poliorcetæ tempora Δημητριὰς appellabatur. Vid. Plutarchus in *Demetrio*. Antea ex instituto Solonis ἕνη καὶ νέα dicta, id est, *vetus ac nova*, quia tum facto novilunio, altera pars diei ad veterem, altera ad novam pertinebat. Vid. Plutarchus in *Solone*, Aristophanis Interpres *ad Nubes*, & Suidas *Voc.* Ἕνη καὶ νέα. Eadem τριακὰς appellata dicitur, idque non modo in mensibus tricenariis, verum in iis qui viginti novem diebus constabant; nam in his dies vicesimus nonus, (ut Proclus, Tzetzes, & Moscho-

pulus in *Hesiodi Dies vers.* 2.) vel secundus dies, (ut alii volunt) non erat distincte numeratus. Hinc menses universi pro tricenariis habebantur secundum veterem Thaletis cyclum, etsi quidam ex iis sex viginti novem diebus constarent: unde annus Atticus lunaris CCCLX. dies continere dicitur, cum CCCLIV. diebus post Solonis tempora compleretur. Hinc Plinius *Nat. Hist. l.* XXXIV. c. VI. tradit Demetrio Phalereo trecentas & sexaginta statuas erectas ab Atheniensibus fuisse, quod annus intra totidem dies absolveretur. Idem Varro in *Hebdomad.* apud Nonium:

B *Hic Demetrius æneus tot aptu' st,*
Quot lucis habet annus absolutus.

1. Ἑκατομβαιὼν, mensis πλήρης, δεκαφθινὸς, seu triginta dierum, inchoatus primo novilunio post æstivum solstitium, incidit in finem Junii, & priorem partem Julii Romani, nomenque accepit ἀπὸ τῶν πλείστας ἑκατόμβας θύεσθαι τῷ μηνὶ τούτῳ, *a numero hecatombarum, quas hoc tempore offerebant*, ut refert Suidas; olim Κρόνιος, vel Κρονιὼν dictus, quia Cronia, festum Saturni, in hunc mensem incidebant.

1. Ἱσταμένου, vel ἀρχομένου πρώτη.
2. Ἱσταμένου, vel ἀρχομένου δευτέρα.
3. Ἱσταμένου, vel ἀρχομένου τρίτη. Minervæ sacra, uti tertia dies reliquorum mensium.
4. Ἱσταμένου, vel ἀρχομένου τετάρτη.
5. Ἱσταμένου, vel ἀρχομένου πέμπτη, seu πεμπτάς.
6. Ἱσταμένου, vel ἀρχομένου ἕκτη, seu ἑκτάς.
7. Ἱσταμένου, vel ἀρχομένου ἑβδόμη.
8. Ἱσταμένου, vel ἀρχομένου ὀγδόη. Neptuno, itemque Theseo sacra, ut in reliquis mensibus.
9. Ἱσταμένου, vel ἀρχομένου ἐννάτη.
10. Ἱσταμένου, vel ἀρχομένου δεκάτη.

11. Πρώτη ἐπὶ δέκα, vel πρώτη μεσοῦντος.
12. Δευτέρα μεσοῦντος, vel ἐπὶ δέκα. Κρόνια, Saturni festum.
13. Τρίτη μεσοῦντος, vel ἐπὶ δέκα.

A
14. Τετάρτη μεσοῦντος, vel ἐπὶ δέκα.
15. Πέμπτη μεσοῦντος, vel ἐπὶ δέκα.
16. Ἕκτη μεσοῦντος, vel ἐπὶ δέκα. Μετοίκια, seu Ξυνοίκια, festum.
17. Ἑβδόμη μεσοῦντος, vel ἐπὶ δέκα.
18. Ὀγδόη μεσοῦντος, vel ἐπὶ δέκα.
19. Ἐννάτη μεσοῦντος, vel ἐπὶ δέκα.
20. Εἰκὰς, seu εἰκοστή.

21. Φθίνοντος, παυομένου, vel ληγομένου δεκάτη, πρώτη ἐπ' εἰκάδι, vel μετ' εἰκάδα, seu εἰκοστὴ.
22. Φθίνοντος ἐννάτη, seu δευτέρα ἐπ' εἰκάδι.
23. Φθίνοντος ὀγδόη, seu τρίτη ἐπ' εἰκάδι.
24. Φθίνοντος ἑβδόμη, seu τετάρτη ἐπ' εἰκάδι.
25. Φθίνοντος ἕκτη, seu πέμπτη ἐπ' εἰκάδι.
26. Φθίνοντος πέμπτη, seu ἕκτη ἐπ' εἰκάδι.
27. Φθίνοντος τετάρτη, seu ἑβδόμη ἐπ' εἰκάδι. Παναθήναια, festum.
28. Φθίνοντος τρίτη, seu ὀγδόη ἐπ' εἰκάδι.
29. Φθίνοντος δευτέρα, seu ἐννάτη ἐπ' εἰκάδι.
30. Τριακὰς, ἕνη καὶ νέα, seu δημητριάς.

2. Μεταγειτνιὼν, mensis κοῖλος, ἐναφθινός, seu viginti novem dierum, in quo Μεταγείτνια, Apollinis sacra, celebrata sunt.

3. Βοηδρομιὼν, mensis *plenus*, a *Boedromiorum* C festo sic dictus.

4. Μαιμακτηριὼν, mensis *cavus*, a *Mæmacteriis* sic appellatus.

5. Πυανεψιὼν, mensis *plenus*, a *Pyanepsiis*.

6. Ἀνθεστηριὼν, mensis *cavus*, in quo *Anthesteria* celebrata.

7. Ποσειδεὼν, mensis *plenus*, in quo *Posidonia* celebrata.

8. Γαμηλιὼν, mensis *cavus*, Junoni Γαμηλίῳ, *nuptiarum præsidi*, sacer.

9. Ἐλαφηβολιὼν, mensis *plenus*, in quo *Elaphebolia* celebrata.

10. Μουνυχιὼν, mensis *cavus*, in quo *Munychia* D celebrata.

11. Θαργηλιὼν, mensis *plenus*, in quo *Thargelia* celebrata.

12. Σκιῤῥοφοριὼν, mensis *cavus*, in quo *Scirrophoria* celebrata.

ARCHÆOLOGIA SEU ANTIQUITATES GRÆCÆ.

Lib. III. Cap. I.

De Bellis, Fortitudine, Fama militari, &c. priscorum Græcorum.



GRæci primævi genus hominum simplex ac rude erant, recentiorum & subtiliorum belli pacisque artium plane ignari. Viri natalibus & conditione illustrissimi, quique a Diis immortalibus originem ducere fingebantur, in agris colendis aut gregibus & armentis pascendis fere totum tempus consumebant; illorumque deprædationes, vel quidquam aliud parvi momenti, quod illis temporibus pro illustri & heroico facinore habebatur, plerorumque bellorum, quæ ab illorum Historicis celebrantur, origo erant. Achilles apud Homerum *Iliad. α. vers.* 152. *seqq.* Agamemnoni dicit, se nullam aliam ob causam tam diuturnum tamque periculosum bellum adversus Trojanos suscepisse, quam ut ejus gratiam iniret; nullam enim materiam litium eos unquam præbuisse, cum boves aut equos nunquam abegerint, nec fruges suas vastaverint.

Οὐ γὰρ ἐγὼ Τρώων ἕνεκ' ἤλυθον αἰχμητάων
Δεῦρο μαχησόμενος· ἐπεὶ ἔτι μοι αἴτιοί εἰσιν.
Οὐ γὰρ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους,
Οὐδέ ποτ' ἐν Φθίῃ ἐριβώλακι βωτιανείρῃ
Καρπὸν ἐδηλήσαντ'· ἐπειὴ μάλα πολλὰ μεταξὺ
Οὔρεά τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα·
Ἀλλά σοι, ὦ μέγ' ἀναιδὲς, ἅμ' ἑσπόμεθ', ὄφρα
σὺ χαίρῃς.

Non enim ego Trojanorum gratia veni bellicosorum
Huc pugnaturus: cum nulla in re ipsos incusare
possim.
Non enim unquam meas boves abegerunt, neque
equos,
Neque unquam in Phthia glebosa populosa
Fructum læserunt: quoniam valde multi
Montesque umbrosi intermedii sunt, mareque
resonans:
Sed te, o valde impudens, consequimur, ut tu
gaudeas.

Illorum autem imperitia satis superque demonstrari potest variis exemplis, ac præsertim Achillis, Hectoris, Ajacis, &c. qui cum multitudine hominum confligentes, & propriæ fortitudinis vi ac impetu turmas hostium in fugam pellentes, inducuntur. Nec vituperio dignus est Poeta, ac si res parum probabiles narrasset, quæ etsi prodigii similes & incredibiles hac ætate videantur, tamen moribus illius temporis, quo scribebat, omnino conveniunt. Imo in Sacris Codicibus 1. *Sam.* XVII. 10. 23. traditur unum Goliathum ad certamen provocasse totum exercitum Israeliticum, & unico aspectu torvo ac paucis verbis tumidis tantum terrorem ipsis incussisse, ut ab ipsius facie fugerint.

Nihilominus, paucis sæculis elapsis, Græcia evasit clara mater fortissimorum ac expertissimorum militum in toto orbe terrarum: cum enim in innumeras exiguas Respublicas distincta foret, quæ etsi

A sibi invicem conterminæ, tamen diversis legibus regebantur, rationibusque politicis discrepabant, fuit sedes perpetuorum bellorum; ex eo quod unusquisque pagus limites dominii proferendi ambitione ardebat, proximum pagum sensim invadendo, ac decertando tanto zelo & furore de occupandis exiguis quibusdam agris, ac si de regnis lis fuisset: unde Græci a pueritia rebus militaribus assueti, & innatæ fortitudini superaddita longa experientia, ut ordine & disciplina, ita virtute atque audacia nulli genti cedebant. Omnibus populis vicinis terrori fuerunt, militumque exigua manu ingentem barbarorum numerum in fugam verterunt: Persæ

B hoc idem frequenter experti sunt, cum deletis illorum magnis exercitibus, tum denique ipsorum imperio potentissimo a Græcis perdito. Et (ut alia exempla rei notissimæ taceam) Carthaginenses ipsi, quamvis Martia virtute clari, artisque bellicæ peritissimi, a Timoleonte Corinthio variis præliis, & quidem numero impari militum, profligati, Græcorum magnanimitatem mirari coacti sunt, ac fateri illos esse mortalium pugnacissimos & vinci nescios; atque abhinc illud præsertim curarunt, ut Græcos, quotquot potuerunt conscribere, suo stipendio conductos haberent; quemadmodum Plutarchus refert in *Timoleonte.*

C Sed etiamsi omnes Græci fama militari inclaruissent, nihilominus Lacedæmonii cæteros antecellebant, quippe ex legibus suæ civitatis rei bellicæ operam navare tenebantur, nec ullam artem, officium, aut mercaturam exercebant, quæ nobilium ac ingenuorum hominum indigna existimabant; sed illa committentes curæ Ilotarum, qui genus mancipiorum minus ignobile erant, totum tempus exercitiis virilibus insumebant, ut corpora robustiora ac agiliora efficerent. Nec non severo victu, verberibus, aliisque macerationibus assuescebant, omnem laborem patienter subire, vulnera tolera-

D re, pericula adire, &, si aliquando gloria patriæ requireret, mortem impavide atque libenter obire. Attamen non ita imprudentes ac temerarii erant, ut pericula mortemque ambirent, econtra a pueris edocti erant, ut ad vitam & mortem æque parati essent; sicut patet ex his carminibus, quæ huc faciunt, a Plutarcho in *Pelopida* citatis:

Οἳ δὲ θάνον, οὐ ζῆν θέμενοι καλὸν, οὐδὲ τὸ θνήσκειν,
Ἀλλὰ τὸ ταῦτα καλῶς ἀμφότερ' ἐκτελέσαι.
Hi cecidere, bonum non vitam, aut cedere fato,
Rati, at utrumque horum fine locasse bono.

E Nec solum de illa dispositione animi ad vitam & mortem æque parati, tanquam de opinione mere theoretica, in scholis differebant; sed diligenter ac serio illam eorum mentibus a teneris annis instillabant, eademque amplectebantur pro uno ex præcipuis principiis suæ praxeos; quæque tam invictam fortitudinem tamque firmum animi robur ipsis indidit, ut vix quidquam carne & sanguine conflatum illorum impetum sustinere valuerit. Illa insolita & incomparabilis fortitudo, sapientissimo

A consilio atque summa stratagematum peritia, prout illa tempora ferebant, decorata & suffulta, ipsis conciliavit ingentem famam apud Historicos, illosque sæculis futuris exempla virtutis militaris proposuit; ut videre est apud Plutarch. in *Pelopida* his verbis: *Καίτοι πάντων ἄκροι τεχνῖται καὶ σοφισταὶ τῶν πολεμικῶν ὄντες οἱ Σπαρτιᾶται, πρὸς οὐδὲν οὕτως ἐπαίδευον αὑτοὺς καὶ συνείθιζον, ὡς τὸ μὴ πλανᾶσθαι μηδὲ ταράττεσθαι τάξεως διαλυθείσης, ἀλλὰ χρώμενοι πᾶσι πάντες ἐπιστάταις καὶ ζυγίταις, ὅποι ποτὲ συνίστησιν ὁ κίνδυνος καὶ καταλαμβάνοι, καὶ συναρμόττειν καὶ μάχεσθαι παραπλησίως. Quamvis rei militaris omnium Spartiatæ peritissimi & summi artifices, nul-* B *la in re æque laborarent aut versarent se, ac ne dissolutis ordinibus inconditi fluctuarent, verum ut omnes omni ex parte, ubicumque periculum præsens opprimeret, præfectorum & manipulariorum munus obeuntes juxta instruerent ordines & dimicarent.* Idcirco non mirum videri debet, quod extraneæ ac remotissimæ gentes Lacedæmonios sub suis vexillis militantes habere voluerint; quod Cyrus junior apud se reputaverit illorum ope rectissimam ac tutissimam viam ad imperium Persarum sibi straturum; quod Crœsus, ille Rex Lydiæ opulentus, ac varii Monarchæ Ægyptii, etsi innumeris propriis copiis muniti, nunquam securos sese crede- C rent, nisi Spartanorum auxilio freti; aut quod Sicilienses, Thraces, Carthaginenses, Cyrenæi, pluresque alii populi, copiis Lacedæmoniorum auxiliaribus salutem ac liberationem a potentissimis hostibus deberent. Quod ad Græcos attinet, cum quædam exigua Respublica apud illos in maximo discrimine a parte præpotentium vicinorum versaretur, scriptum reperimus illos statim confugisse ad opem Spartanorum, qui erant commune perfugium oppressorum, illorumque, qui jura aliena invadebant, ambitionem compescebant.

Indidem contigit, ut in omnibus fœderibus præcipui confœderati existimarentur, & in omnibus D bellis, quæ subsidiis plurium civitatum gerebantur, summum imperium pro jure proprio sibi arrogabant. Nec ulla ratione unquam vinci potuerunt, ut illam prærogativam alteri, ne quidem maximis Principibus, cederent: Gelo Rex Siciliæ, quamvis Lacedæmoniis polliceretur ampla subsidia in barbaros, ea lege ut agnosceretur summus imperator copiarum Græcarum, nihilominus ab ipsis repudiatus est, ut narrat Herodotus *l.* VII. Attamen scriptum occurrit, post victoriam in Mardonium Platæis adeptam, Pausaniam ducem Lacedæmonium nimia severitate & tyrannide, quam in milites cæterarum Rerumpublicarum exercebat, E Spartanis maximam invidiam conscivisse, tandemque illæ Respublicæ ad Athenienses defecerunt; moderatio enim & comitas suorum ducum, nominatim Aristidis ac Cimonis, Atheniensibus amicitiam reliquorum Græcorum conciliaverat: hac autem in re mira elucet Lacedæmoniorum magnanimitas; cum enim senserint mores suorum ducum corrumpi, & illorum animos inflari ac superbire maxima auctoritate, qua gaudebant, nullum amplius ad bella miserunt; cum mallent cives moderatione insignes, atque antiquis suæ gentis moribus adhærentes, apud se detinere, quam honore F summi imperii in totam Græciam gaudere. Vide Plutarchum in *Aristide*. Sed illo infortunio non omnino depressa est Lacedæmoniorum ambitio; nam intra exiguum temporis spatium ad pristinam vivendi rationem redierunt; ita ut ipsius Alexandri summam auctoritatem agnoscere recusarint, quamvis reliqui Græci ei se subjecerint, & summum imperium in copias adversus Persas in bellum ituras tribuerint: inde ratio reddi potest, cur in monumentis post victorias in Persas reportatas, Alexandri Græcorumque nomina præ se ferentes erectis, nominatim illo honore excludebantur Lacedæmonii; ut notant Plutarchus in *Alexandro* & Arrianus *de Gestis Alexandri l.* I.

Soli Athenienses de hac prærogativa cum Lacedæmoniis decertare non impares erant; nisi quosdam casus excipias, cum nempe inexpectato quodam fœlici eventu aliqua ex aliis Rebuspublicis ad gloriam solito majorem promovebatur; pro exemplo sint Thebani, qui ab obscura & contempta gente, auspiciis Epaminondæ ac Pelopidæ, æquam, ne dicam superiorem, conditionem cum Græciæ civitatibus florentissimis consecuti sunt.

Hæc & alia hujusmodi impedimenta, quæ occurrebant, non obstiterunt quominus Lacedæmonii utplurimum suo jure potirentur, ac in bellis mutuo fœdere susceptis imperatores copiarum terrestrium forent; sed tandem dominium maris Atheniensibus cedere coacti sunt; cum enim omnes vires in classe instruenda adversus Xerxem contulissent, diu imperium maris soli obtinuerunt: qua occasione a suo Senatu ita decretum est, *Quod imperium omnium copiarum navalium Græciæ ad Athenienses pertineret, copiæ vero terrestres sub imperatore Lacedæmonio militarent.* Ut refert Xenophon Ἑλληνικῶν *l* VII. Sed cæteræ civitates, sibi invicem æmulæ, illam æquam summæ potestatis distributionem diu subire noluerunt, cum unaquæque sese existimaret toti Reipublicæ gubernandæ præ cæteris parem; donec Athenienses, sua classe in celebri pugna, ad Ægos-Potamos decertata, a Lysandro Archithalasso Spartanorum, exceptis duodecim triremibus, profligata, Lacedæmonios maris terræque dominos agnoscere coacti sunt; sicut patet ex Xenophonte περὶ Κύρου ἀναβάσ. *l.* VI. & ex Plutarcho in *Vita Lysandri*.

Lacedæmonii vero illud imperium diu servare non potuerunt; cum enim Athenienses refecissent vires navales, necnon Euagoram Cypri Regem & Pharnabazum Persarum Imperatoris Præfectum ad suas partes traxissent, illorum ope atque prudentissimo Archithalassi Cononis consilio tanta clade apud Cnidum Lacedæmonios afflixerunt, ut deinceps de dominio maris nunquam certare ausi fuerint, (quemadmodum animadvertunt Isocrates *pro Euagora*, *in Philippum*, *Panathenaica*, Xenophon Ἑλληνικῶν *l.* VI. & Plutarch in *Artaxerxe*) contenti summo imperio terræ, quod Athenienses ipsis cesserunt, nec ullam molestiam amplius de hac re iis facesserunt; cum utramque Rempublicam illius litis tæderet, ac compertum haberet quod vulgo observatum erat, nimirum fortuna magis secunda usos esse Lacedæmonios in præliis terrestribus, Athenienses vero in pugnis navalibus, prout notat Xenophon Ἑλληνικῶν *l.* VII. Cujus rei ratio hæc reddi posse videtur; Athenienses enim commodo situ constituti erant, &, ut ita dicam, a natura invitabantur ad res navales tractandas; econtra Lacedæmonii a mari remotiores, & idcirco ad militiam terrestrem procliviores erant, in qua a teneris annis exercebantur, quam ut non assueti oceano se committere auderent; quippe Lycurgus eorum Legislator peregrinationes ad exteras gentes disertis verbis prohibuit, non immerito timens, ne mores suorum civium commercio peregrinorum vitiarent; atque ab illa præstanti regiminis forma, quam in illorum commodum composuerat, desciscerent: & certe illis obtigit quod Lycurgus sapienter prævideret; nam statim ac Lysander illam gentem ad dominium maris promovisset, ab antiquis institutis sensim desuescere, & a virtute atque gloria majorum degeneres esse cœperunt; ut videre est apud Demosthen. *Orat.* III. *in Philip.*

CAP. II.

De Conscriptione, Stipendio, &c. militum.

EXercitus Græcorum magna ex parte municipibus constabant, qui cum certam ætatem attigissent, ad arma gerenda ex mandato Magistratus aut cujusdam Præsidis tenebantur legibus patriæ. In quibusdam locis minorennes, in aliis vero majorennes, militiæ conscribebantur; Athenienses viginti annos nati militabant: nam ante eum annum & post decimum octavum intra fines Atticæ manebant, urbemque & castella custodiebant, vicibus suis *circumeuntes*, & inde περίπολοι dicti. Ulpianus in *Olynthiaca γ'*. Spartani autem raro ante trigesimum annum: juniores in utraque hac civitate, & qui ætatis decrepitæ causa immunes erant a militia, domi ad sedes propugnandas relinquebantur.

Quidam ob ætatem provectam emeriti fiebant; cum enim juventutem & vires pro patria impendissent, æquum erat ut in bellum amplius non irent, ac extremam vitæ partem in quiete transigerent. In plerisque locis domum repetendi venia sexagenariis dabatur, ut mihi videtur. Athenis excusabantur a militia, quicunque quadragesimum annum excesserant, nec postea nisi in summo Reipub. periculo inscribi poterant. Ulpian. in *Olynth. γ'*. Alii immunes erant ratione officii habita; cujusmodi Athenis *οἱ τέλος πριάμενοι, redemptores vectigalium*, (secundum Demosthenem *in Neæram*) quibus in urbe toto sui muneris tempore adesse oportebat; varii ex ministris sacrorum, necnon qui in Bacchanalibus ad saltandum ordinati erant. Vid. idem *in Midiam.*

Alii ab honore militiæ excludebantur; nimirum mancipia, & plures alii, qui apud illos vitam agentes civitate non donabantur. Hi nunquam conscribebantur nisi imminente periculo, cum salus Reipublicæ agebatur. De illo instituto jam ample disserui *l.* I. c. X.

Qui militiæ nomen dabant, in publicis tabulis describebantur; unde conscriptio dicebatur *καταγραφή, κατάλογος, στρατολογία*: & conscribere milites *κατάλογον* aut *καταγραφὴν ποιεῖσθαι*. Primævi Græci illud sortibus jactis dirimebant, cum quævis familia ad certum militum numerum conferendum teneretur, suam ratam partem implebat, prout sorte obtingebat; hinc cum Mercurius apud Homer. *Iliad. ω.* se diceret unum ex septem filiis Polyctoris Myrmidonis, addit se sortitum esse honorem cum Achille ad bellum Trojanum eundi:

> Τῶν μέτα παλλόμενος, κλήρῳ λάχον ἐνθάδ' ἕπεσθαι.
>
> *Cum his sortem jaciens, sorte assequutus sum huc sequi.*

Nam quod omnes cives certæ ætatis ad militandum obstricti essent, videtur esse institutum multo recentius; cum antiquitus ejusmodi negotia ad nutum summi Magistratus dirigerentur.

Milites proprio ære bellum gerebant; nihil turpius nomine *mercenarii*, quandoquidem nota infamiæ uteretur quivis generosus pro stipendio militans. Nihilominus nemini licebat militia abesse, nisi per legem; & qui in illam legem impingebat, Athenis jure suffragii privabatur in omnibus negotiis publicis, &, ut ita dicam, cæteris civium privilegiis omnibusque publicis templis interdicebatur solebat; ut notant Æschines *in Ctesiphontem* ac Demosthenes *in Timocratem*. Et ne, qui militiæ nomen dabant, vexilla sua desererent, in manu notis, quæ *στίγματα* dicuntur, inurebantur; Vegetius *de Re Milit. l.* II. c. V. *Victuris in cute punctis milites scripti, & matriculis inscripti, jurare solent.* Ea vero puncta continebant plerumque ducis nomen, aut insignia, aut aliquid simile: & manibus plerumque insculpta erant, ut milites distinguerentur a servis, quorum *χαράγματα* erant haud raro in fronte. Ælianus: *Στίγματά ἐστι τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσί. Militum stigmata sunt in manibus.* Quo ritu multi certis se Diis addicebant, ut notat Zacharias Propheta c. XIII. *vers.* 6. *Tunc dicet ei, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Ubi Grotius hæc verba habet: *Plagæ sunt stigmata manibus inusta, per quæ solebant Diis gentium se mancipare, inscripto eorum signo, nomine, aut numero.* Hinc *Apocalypseos* Auctor prædicit Bestiæ cultores ipsius nota insigniendos esse c. XIII. *vers.* 16. *Et facit ut omnes, parvi & magni, divites & pauperes, liberi & servi, accipiant characterem in manu sua dextra, aut in frontibus suis.* Ad hunc morem Divus Paulus *Epist. ad Galatas* cap. VI. *vers.* 17. alludere videtur, cum sermonem faciens de vulneribus, quæ in militia Christiana acceperat, asserit *στίγματα* seu *notas* Domini Jesu se in corpore ferre. Verum hoc de ritu plura habes in I. *Archæologiæ* hujus *lib.* ubi *de Servis* agitur.

Cares primi inter Græcos pro mercede militarunt, & idcirco illorum nomen ad posteros infamia traducitur; omnes enim Scriptores illius ævi eos describunt ceu vilem & mercenariam gentem; ita ut Καρικοὶ & Καρίμοιροι pro hominibus abjectæ ac pusillanimæ indolis conditionisque servilis proverbio trito dicerentur; quemadmodum videre est apud Strab. Hesych. & *Etymolog.* Auct. Nomina Κᾶρες & *mancipia* sunt synonyma; ut patet ex illa denuntiatione, quæ ad finem festi Atheniensis, nomine Anthesteriorum, haberi solita, qua omnia mancipia foras ejiciebantur, juxta Hesychium,

> Θύραζε, Κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια.
>
> *Foras, Cares*, (id est, mancipia) *Anthesteria acta sunt.*

Sic pauperes Cares despectui habiti sunt ob hujusmodi morem ab ipsis inductum, qui intra spatium paucorum sæculorum non ita ignobilis videbatur, quin tota gens Græcorum illum usurpaverit: illi enim stipendio militabant non solum pro patria, sed etiam pro Regibus exteris, bellaque gerebant mercedis causa; imo ipsi summi Magistratus non dedecori ducebant illis expeditionibus præire. Varia hujus rei exempla afferri possent, sed clarum illud magni Agesilai, qui tam abjecti animi fuit, ut pro Ptolemæo Ægypti Rege conducta mercede militaverit, pro innumeris aliis sufficiet.

Pericles primus Athenis introduxit morem milites mercede conducendi, qui cum auram popularem captaret, exponebat quam injustum foret homines tenuis census, qui familiæ sustentandæ vix sufficiebant, constringi ad res suas negligendas, atque insumere quidquid bonorum industria sibi paraverant, pro Republica, & idcirco fecit decretum, quo stipendium militibus ex publico ærario addicebatur, quodque omnibus comprobantibus receptum esse videtur. Leg. Ulpianus in *Orat. de Syntaxi.* Quantum fuerit stipendium quotidianum non auderem certo definire, quippe augeretur vel minueretur, prout occasio ferebat. Ab initio pedites duos obolos singulis di-

diebus referebant, qui ad mensem drachmas decem conficiebant. Vid. Demosthen. *Philipp.* I. Quod refert Thucydides *lib.* III. de militibus præsidiariis Potidææ, quibus singulis drachma in diem tribuebatur, præter alteram, quæ famulo cuilibet militi seorsim addicto solvebatur, non ita intelligendum est, ac si statutum stipendium illius valoris penderetur; nautæ enim Athenis tantum tres obolos, illi autem, qui sacram navem nomine πάραλον conscendebant, peditesque, quatuor accipiebant; inde τετρωβόλȣ βίος pro *victu militari*, & τετρωβολίζειν *militare*, proverbio usurpatur, juxta Eustath. *ad Odyss.* α. Equitum merces utplurimum triginta drachmarum per mensem erat, hoc est, una drachma singulis diebus, vulgoque dicebatur κατάστασις, ut notat Suidas ad hanc vocem.

Illi nummi vulgo colligebantur ex tributis, quæ toti Reipublicæ imponebantur, quæque singuli pro ratione facultatum solvere tenebantur. Illud autem usuveniebat solummodo, cum ærarium publicum exhaustum erat, & annui reditus, qui ex civitatibus tributariis, prædiis publicis, sylvis, fodinis, ac mulctis pecuniariis percipiebantur, non sufficiebant sumptibus belli exsolvendis. Quando durior necessitas urgebat, ditioribus civibus immodica tributa Athenis irrogabantur, & hic se prodebat generosa ac laude digna æmulatio inter nobiles illius civitatis, qui sponte deponebant ultra quod ab illis exigebatur, atque inter se invicem certabant, quis ex suis bonis largius conferret in gloriam ac salutem patriæ.

Bella fœdere pacta communi sumptu confœderatorum gerebantur, & quilibet seorsum ratam partem hominum ad militiam instruebat; ut patet exemplo belli Trojani, quo tota Græcia primum fœdere juncta est in hostem exterum. Modo bella agebantur ex publicis nummorum contributionibus, quæ a viris unanimi consensu sociorum ad hanc provinciam suscipiendam delegatis colligebantur, quod serius obtinuit; cum bella primæva, quibus milites suis impensis militabant, ac necessaria sibi parabant ex spoliis hostium, gerebantur minore sumptu Reipublicæ. Prima hujus generis taxatio apud Græcos facta est post pulsum ex Græcia Xerxem, qui unanimiter statuerunt dominia hostis communis invadere sub auspiciis Atheniensium: tunc enim Aristides Atheniensis, tota Græcia postulante, universam regionem perlustravit, censumque instituit in singulis urbibus juxta facultates cujuslibet civis: itidem ipsis imposuit tributum quadringentorum talentorum, quibus Pericles addidit circiter tertiam partem; quippe Thucydides narrat, ab initio belli Peloponnesiaci Athenienses sexcenta talenta a sociis retulisse; Pericle mortuo, gradatim auctum est ad mille trecenta talenta, quorum distributio prudentiæ Atheniensium committebatur. Vide Plutarchum in *Aristide*.

CAP. III.

De variis militum generibus.

Exercitus Græcorum variis militum generibus constabat; media acies utplurimum ex peditibus, reliqui insidebant vel curribus, vel equis, aut elephantibus. Pedites in tria genera distinguebantur; quorum primi ac præcipui dicebantur ὁπλῖται, qui graviore armatura instructi prælium inibant umbonibus ac sarissis; leg. Suidas in voce Ὁπλῖται.

2. Ψιλοὶ, *levis armaturæ milites*, qui pugnabant sagittis, spiculis, lapidibus, fundisque, hostem eminus lacessentes, cominus vero ad certandum minime apti. Honore atque æstimatione militibus gravis armaturæ cedebant; quapropter Teucer apud Sophoclem *Ajace vers.* 1141. cum Menelao contendens, hoc scommate illum petit:

> Ὁ τοξότης ἔοικεν ȣ̓ σμικρὰ φρονεῖν.
> *Sagittarius visus est non parva sentire.*

Illud pro more apud illos obtinuisse videtur, ut omnibus sagittis emissis pone clypeos militum graviter armatorum confugerent; quod demonstrari potest exemplo Teucri apud Homer. *Il.* θ'. *v.* 266.

> Τεῦκρος δ' εἴνατος ἦλθε παλίντονα τόξα τιταίνων.
> Στῆ δ' ἄρ' ὑπ' Αἴαντος σάκεϊ Τελαμωνιάδαο.
> Ἔνθ' Αἴας μὲν ὑπεξέφερεν σάκος, αὐτὰρ ὅγ' ἥρως
> Παπτήνας, ἐπεὶ ἄρ' τιν' ὀϊστεύσας ἐν ὁμίλῳ
> Βεβλήκει, ὁ μὲν αὖθι πεσὼν ἀπὸ θυμὸν ὄλεσσεν·
> Αὐτὰρ ὁ αὖτις ἰὼν, παῖς ὡς ὑπὸ μητέρα, δύσκεν
> Εἰς Αἴανθ'· ὁ δέ μιν σάκεϊ κρύπτασκε φαεινῷ.
> *Teucer autem nonus venit renitentes arcus tendens:*
> *Stetitque sub Ajacis scuto Telamonii.*
> *Tunc Ajax quidem ante eum tenebat scutum, ille vero heros*
> *Circumspiciens, postquam aliquem jaculatus in multitudine*
> *Vulneraverat, ille quidem ibi delapsus animam amittebat;*
> *Ipse vero retro se recipiens, puer tanquam ad matrem, submittebat se*
> *Ad Ajacem: ille autem ipsum scuto tegebat splendido.*

3. Πελτασαὶ, etsi non raro comprehendantur sub nomine, ψιλῶν, tanquam τοῖς ὁπλίταις oppositi, medium tenebant inter utrosque, instructi clypeis lanceisque, crassioribus illis quæ milites gravis armaturæ gestabant; leg. Suid. *loc. cit.* & Ælian. A minoribus clypeis, qui πέλτ) vocantur, nomen mutuati sunt.

Equitatus apud priscos Græcos rarus erat; cum illi soli equites militarent, qui amplis reditibus gaudebant, vel qui pares erant suis sumptibus equis ad militiam alendis. Inde Athenis ac Lacedæmone ἱππεῖς seu *equites* constituebant secundum ordinem in Republica, locum tenentes ante plebejos, & proximum ad nobiles & bene ditatos; idem refertur apud Historicos de equitibus Romanis, & ut alios taceam, Herodot. *l.* v. tradit, apud Chalcidenses neminem nisi divitem illo ordine accenseri. In posterum quando ditiores quietem & voluptatem sectari cœperunt, ac maluerunt equitem conferre suoque sumpto ære, quam vitam periclitari, prius nomen quidem retinuerunt, sed honor periit. Vid. Xenophon Ἑλληνικῶν *lib.* VI.

Non bene convenit inter veteres fabularum consarcinatores, quis primus homines artem equitandi docuerit; quidam illud inventum ad Amazones referunt, (ut notat Lysias Orator) alii Centauris juxta Palæphatum *lib.* I. alii vero Bellerophonti tribuunt, prout animadvertit Plin. *Nat. Hist. lib.* VII. *c.* LVI. denique (ne plures referam) cæteri illius artis inventorem Neptunum prædicant, secundum Home. in *Himno de Sophoclis Oedip.* nec non equi creatorem; quocirca varia epitheta Ἵππος apud Pausan. *Achaicis* Ἵππαρχος apud Pindarum *Pyth.* ἱππηγέτης apud Lycophron. *Cassandra*, Ἱπποκούριος, &c. a Poetis & Mythologis ei adscribuntur.

Quisquis fuerit illius artis inventor, illam generi humano valde rudem tradidit; illis enim priscis temporibus plus quam probabile videtur homines artem moderandi equos habenis frænisque nescivisse, sed illos regebant fune, aut flagello, aut voce; illud usui erat apud varias gentes, cujusmodi Numidæ apud Silium *lib.* I. Getuli apud

eumdem *lib.* XI. Libyes apud Strabonem *lib.* XVII. & Massilienses, de quibus Lucan. hæc habet *lib.* I.

Et gens quæ nudo residens Massylia dorso,
Ora levi flectit frænorum nescia virga.

Deinceps fræna usuvenerunt; quorum præcipua erant lupata, sic dicta a lupatis ferreis dentium lupinorum speciem referentibus, quibus armabantur, inde idiomate Græco λύκοι, Latino *lupi* vocantur: huc faciunt Horatii verba *Carm. lib.* I. *ode* VIII.

—— *Gallica nec lupatis*
Temperet ora frænis.

Inventio illorum a Statio ad Neptunum refertur in his carminibus:

—— *Neptunus equo, si certa priorum*
Fama patet, primus teneris læsisse lupatis
Ora, & littoreo domuisse in pulvere fertur.

Ab aliis ad Lapithas vel Centauros, qui Thessaliæ urbem nomine Pelethronium incolebant; ut canit Virgil. *Georg. lib.* III *vers.* 115.

Fræna Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere
Impositi dorso. ——

Etsi quidam opinentur Poetam tribuere inventum lupatorum, non Lapithis, sed viro cuidam illa gente oriundo, qui Pelethronius vocabatur; in hac re Virgilio accinit Plin. *Hist. Nat. l.* VII. *c.* LVI. ubi inventio frænorum ac phalerarum illi Pelethronio adscribitur: posteriores a Græcis appellantur στρώματα & ἐφίππια, quæ ex diversa materia, nimirum corio, panno, aut pellibus ferarum, conficiebantur. Equus Parthenopæi apud Statium pelle lyncea, Æneæ vero apud Virgil. *Æneid. lib.* VIII. *vers.* 552. leonina sternitur:

—— *quem fulva leonis*
Pellis obit totum. ——

Aliquando describuntur magnifico ac pretioso apparatu ornati; ut apud eundem Poetam *Æneid. lib.* VII. *vers.* 276. legere est:

Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Ephippiorum, quæ apud nos usurpantur, nemo inter veteres Scriptores meminit, nec *stapiorum*, vel rectius subicis pedanei, Anglice *stirrop* dicti, qui nisi his recentioribus sæculis adhiberi cœpit; nullus enim Scriptor, quem noverim, illorum mentionem fecit ante Eustathium, qui floruit abhinc circiter quingentis annis, & in suis ad Homerum *Scholiis* hujusmodi apparatum equestrem memoravit. Antiquitus ars vel agilitas corporis supplebat illa adjumenta; cum in equum subsilire habiles erant; quemadmodum ait Virgil. de Heroibus *Æn. lib.* XII. *vers.* 287.

—— *corpora saltu*
Subjiciunt in equos. ——

Vel ut commodius insilire possent, equi edocebantur summissi inclinare corpora, ac sessorem in dorsum excipere, prout notat Poll. *l.* I. *c.* XI. ac refertur usurpatum a Græcis & antiquis Hispanis, juxta Strabon. *l.* III. nec non ab aliis gentibus. Unde Silius *l.* X. de equo Clœlii equitis Romani hæc habet:

Inde inclinatus collum, submissus & armos
De more, inflexis præbebat scandere terga
Cruribus. ——

Modo lanceis vel aliis adminiculis innitentes in equum subsiliebant. Aliis mediis utebantur illi, quorum corpora debiliora ac tardiora erant: quidam

A dorso mancipiorum insistentes, juxta Volaterranum *Epit. Xenoph.* alii vero ope brevium scalarum equum conscendebant; utrumque illud adminiculum dicebatur ἀναβολεῖς. Denique in viis regiis lapides ad certa spatia hunc in finem erigebantur; quod Gracchus in Italia primus instituit, ut apparet ex Plutarch. in *Gracchis*; & in Græcia hæc erat pars officii curatorum viarum, sicut notat Xenophon in *Hipparch.*

Nunc redeamus ad priscorum rem militarem, ubi controvertitur an veteres bellatores in campum se conferrent, curru aut equo vecti: equidem Lucretius refert *lib.* V. quod primævi Heroes equo veherentur, sed currus serius inventi sunt:

B

Et prius est repertum in equi conscendere costas,
Et moderarier frænis dextraque vigere,
Quam bijugo curru belli tentare pericla.

Attamen Palæphatus nos docet usum curuum antiquiorem esse; Lapithæ, qui circiter Herculis tempora floruerunt, primi auii sunt equo se committere, quod illa ætate videbatur res portenti similis atque inaudita apud Græcos, qui illos primum viderunt magno cum stupore ac habuerunt pro monstris compositis ex diversa specie hominum & equorum vel taurorum, quibus frequenter insidebant; unde natæ sunt Centaurorum atque Hippocentaurorum fabulæ. Et plusquam probabile videtur tempore belli Trojani morem equitandi & ex equo pugnandi a Græcis nondum receptum esse; quandoquidem Heroes apud Homerum (cujus auctoritas hac in re apud nos plurimum valere debet) semper in prælium inducuntur curru, non equo, vecti.

C

Principum ac Heroum currus non solum usui, sed ornamento erant; quippe auro aliisque metallis magnifice insculpti erant, ut legere est de Orsines Persæ curru apud Curtium *l.x.* & de pluribus apud

D Homerum, exempli causa de curru Rhesi *Iliad.* κ'. *vers.* 438.

Αρμα δέ οἱ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ εὖ ἤσκηται.
Currus autem ei auroque & argento scite elaboratus est.

Ac Diomedis *Iliad.* ψ'. *vers.* 503.

Αρματά τε χρυσῷ πεπυκασμένα κασσιτέρῳ τε
Currus autem auro accurate elaborati stannoque.

Necnon pretiosis stromatibus ornabantur; huc facit quod legitur de Lycaonis curru *Iliad.* έ. *vers.* 194.

E

—— *ἀμφὶ δὲ πέπλοι*
Πέπτανται. ——
—— *circum vero stragula.*
Expansa sunt. ——

Et Achillea apud eundem *Iliad.* β'. *vers.* 777. vocantur *ἅρματα εὖ πεπυκασμένα currus bene tecti.*

Apud Homerum plerique currus bigis trahuntur; Achilles non pluribus vehitur, cum nomina equorum suorum sint tantum Xanthus atque Balius. Idem narratur de Lycaone apud eumdem Poetam *Iliad.* έ. *vers.* 195.

F

— παρὰ δέ σφιν ἑκάστῳ δίζυγες ἵπποι
Εστᾶσιν. ——
— apud autem eorum unumquemque bijuges equi
Adstant. ——

Item de Æneæ curru apud Virgil. *Æneid. lib.* VII. *vers.* 280.

Absenti Æneæ currum, geminosque jugales.

Bigis aliquando præibat tertius, qui cum aliis duo-

bus non copulabatur, sed habenis regebatur; idcirco vocatus σειραῖος, σειραφόρος, παράσειρος, &c. sed apud Homerum vulgo dicitur παρήορος, & frænum, quo moderabatur, παρηορία. Idem mos apud Romanos obtinuit usque ad tempora Dionysii Halicarnassæi *Antiquit. Rom. l.* VII. ast in Græcia multo citius obsoleverat. Hectoris currus quadrigis trahitur; nam ille Heros his verbis equos alloquitur *Iliad.* θ'. *vers.* 185.

Ξάνθε τε, καὶ σὺ Πόδαργε, καὶ Αἴθων, Λάμπε τε δῖε.
Xanthe autem, & tu Podarge, & Æthon, Lampeque generose.

Et quidquid contendant quidam inter veteres Criticos, duos priora nomina esse tantum epitheta amborum aliorum, quia mox inferius Hector affatur illos duali numero:

Νῦν μοι τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον. ——
Nunc mihi alimentorum præmia rependite. ——

Nihilominus ex aliis locis patet illa ipsa ætate Homeri usum curruum quadrigis junctorum jam obtinuisse; sic ille Poeta refert navem Phæacum æquora secare *Odyss.* ν.

—— ὡς ἐν πεδίῳ τετράορες ἄρσενες ἵπποι.
—— *sicut in campo quadrijuges masculi equi.*

Quivis curru duos præliatores vehebat, unde appellabatur δίφρας, quasi δίφορος, apud Eustathium; quamvis illud vocabulum stricto ac proprio sensu non totum currum, sed solam illam partem, qua bellatores insidebant, denotabat. Ex his duobus unus dictus est ἡνίοχος, quia habenas moderabat, quod illis diebus minime servile ac ignobile officium habebatur, sed non raro a viris nobilibus susceptum est: nam ipse Nestor *Iliad.* τ'. Hector *Iliad.* ρ'. & diversi alii Heroes illud subierunt, nec tantum casu singulari, sed frequenter, cum quidam ex ipsis hujusmodi exercitio ex professo incumberent. Nihilominus rhedarius, si non semper dignitate, saltem robore ac fortitudine bellatori cedebat, qui nominabatur παραιβάτης, & alteri imperabat, viamque, quo flecteret, monstrabat; ut Eustathius animadvertit *ad Iliad.* τ'. Cum cominus ipsi decertandum erat, ex curru desiliebat; ut occurrit ubique apud Homerum reliquosque Poetas. Sic Hercules atque Cycnus manus conserturi, apud Hesiodum *Scuto Herculis vers.* 370.

—— ἀπ' εὐπλεκέων δίφρων αἶψ' ἐπὶ γαῖαν.
—— *a bene compactis bigis desilierunt celeriter in terram.*

Et Turnus apud Virgilium *Æneid. lib.* X.
—— *desiluit bijugis, pedes apparat ire.*

Lassi, ut sæpius iis obtingebat, pondere armorum præ cæteris gravium, se recipiebant intra currus, unde jaculis ac missilibus hostem lacessebant.

Præter currus memoratos, Historici frequenter meminerunt aliorum, qui dicuntur *falcati* & δρεπανοφόροι, quia falcibus armati erant, quibus militum ordines uno impetu demetebantur. Sed imposterum, cum animadverterent hujusmodi currus nulli usui esse nisi in campo plano & aperto, necnon sæpissime revolvi ab equis indomitis ac perterritis in proprium exercitum, unde perturbatio & strages oriebantur, præterea cum alia media excogitata essent ad eorum vim irritam reddendam, usus horum aliorumque omnium curruum plane obsolevit. Quapropter postquam disciplina militaris ad summam perfectionem perducta esset, quamvis aliquando hujusmodi currus in prælium a barbaris immitterentur, (ut notat Curtius de Persis) nihilominus Græci non dicuntur illos usurpasse, aut ab illis magnum detrimentum passos fuisse; sed contempto illo antiquo & imperito more bellandi, malebant ex equo pugnare, quod videtur receptum esse paulo serius post bella heroica.

Ex omnibus Græcis Thessali maximam famam sibi compararunt ex arte equitandi, ac in singulis bellis equitatus illorum maximi fiebat. Colophonii illustribus belli facinoribus tantam gloriam sibi consciverant, ut invicti existimarentur; bellis diuturnis & molestis auxilium eorum ab omnibus ambiebatur & partes, quæ ab illis copias auxiliares impetrabant, certam victoriam ac felicem successum sibi promittebant: ita ut Κολοφῶνα τιθέναι, Latine *Colophonem addere*, proverbio trito usurpabatur, cum summa manus rei cuipiam imponebatur; sicut legere est apud Strabonem *lib.* XIV. Lacedæmonii equitatu minime pollebant, & usque ad tempora bellorum Messeniorum liquet, quod nec ipsi nec cæteri Peloponnesii artem equitandi curarent, sed peditatui imprimis fiderent, ut narrat Pausanias in *Messenicis*; cum Peloponnesus montana atque salebrosa regio foret, & ob id equitatui ferendo minime idonea, qui hujusmodi in locis ad prælium fere nihil prodest, juxta Platonem. Sed Messeniis devictis, Spartani bella alio intulerunt, ubi animadverterunt quantum equitatu indigerent ad peditatum tuendum ac firmandum, & sine mora illud vitium submoverunt instituendo juventutem ad artem equitandi; quapropter memorantur illius artis magistri, ἡνιοχαρχῖται vocati apud Hesychium. Sed maximam equitum partem suppeditabat Sciros, (vid. Xenoph. Κυροπαιδ. *lib.* IV) urbs Lacedæmone non longe distans, cujus incolæ alam sinistram exercitus Lacedæmoniorum tanquam locum sibi proprium occupabant, prout notat Thucydides *lib.* V. Itidem Attica montibus intersecta, &, ideo natura atque situ equis alendis minime apta erat; unde equitatus Atheniensium valde tenuis fuit, qui numerum nonaginta sex equitum non excedebat: cum enim gens Atheniensium primitus in quadraginta octo naucrarias distingueretur, Pollux refert unamquamque ex illis non plures duobus equitibus ad bellum misisse. Quamobrem non mirum videri debet, si Medi illos væcordes existimarint, cum prælio Marathonio exercitum potentissimum tam exiguis ac specie contemnendis copiis adoriri ausi fuerint, sicut legitur apud Herodotum. Deinceps Medis atque Persis ex Græcia pulsis, Græcisque ad meliorem conditionem evectis, equitatum ad numerum trecentorum equitum auxerunt; & paulo post sua Republica iterum pace donata, atque ad majorem splendorem & potentiam restituta, numerus equitum ad mille ducentos crevit, idemque peditum numerus, arcu ac sagittis armatorum, ipsis adjectus est, qui antea æque pauci ac equites erant; vid. Æschines *Orat. de falsa Legat.* & Andocides *Orat. de Pace*, nam his temporibus & subsequentibus sæculis vis exercitum Græcorum in militibus graviter armatis plerumque erat.

Apud Athenienses nemini in equitatu militare licebat, nisi prius severum examen subiisset; & si quis in numerum equitum fraude se intrusisset, criminis manifestus habebatur ἄτιμος, *sine honore*, fiebatque ærarius; leg. Lysias *Orat. de Ordine deserto*. Hujusmodi examen respectu hominum peragebatur inquisitione redituum cujusvis, & animadversione roboris ac virium corporis; nemo enim catalogo accensebatur, nisi qui amplis facultatibus & sano corporis habitu gaudebat, secundum Xenophontem. Cui probationi præerat Hipparchus, & si res exigeret, Phylarchi, & Sena-

tus Quingentorum. Xenophon *Hipparchico*, Hesychius *Voc.* Τρυσίππιον. In equis vero requirebatur imprimis obsequium sessoribus, & qui indomiti aut meticulosi erant, recusabantur: illud periculum faciebant τῷ κώδωνος ψόφῳ, *sonitu campanæ*, aliusve hujusmodi instrumenti; unde κωδωνίζειν interpretatur πειράζειν, id est, *probare*: & ἀκωδώνιστον ac ἀπείραστον synonyma sunt, denotantque *incompertum*, juxta Aristophanis Interpretem *Ranis*. Itidem equorum longa militia attritorum maxillæ apponebatur nota, quæ non raro dicitur τροχὸς, quia figuram rotæ aut circuli referebat juxta Hesychium, alias vero τρυσίππιον, qua jumentum ab omni belli labore liberabatur. Natum inde proverbium ἐπιβάλλειν τρυσίππιον, id est, *excusatum habere*. Eupolidis illud citari solet:

Εἶθ' ὥσπερ ἵππῳ μοι ἐπιβαλεῖς τρυσίππιον.
Tum velut equo imprimis mihi trysippium.

Quod paulo aliter, sed eodem sensu, protulit Crates Comicus in Σαμίοις:

Ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κύκλ' ἐπίβαλε.
Equo senescenti minores circulos imprime.

Vid. Zenobius *Cent.* IV. *Proverb.* XLI.

Apud Scriptores Græcos varia equitum nomina occurrunt, quorum pleraque a diversitate armorum aut modi pugnandi desumuntur; exempli gratia ἀκροβολισαὶ, qui missilibus hostem eminus molestabant, δορατοφόροι, ξυστοφόροι, ὑπακοντισαὶ, ἱπποτοξόται, κοντοφόροι, θυρεοφόροι, &c. quorum discrimen ex nominibus facile erui potest.

Ἀμφιπποι, corrupte aut mendose dicti aliquando αὔιπποι, (ad quam vocem vid. Suidas, Poll. *l.* I. *c.* X.) intelliguntur illi equites, qui duobus equis ad majorem commoditatem utebantur, quibus alternatim insidebant. Aliquando appellantur ἱππαγωγοὶ, διὰ τὸ ἄγειν ἵππον, quia alterutrum equum manu ducebant; quod inventum referri debet non ad sæcula recentiora, sed ad tempora heroica, ut patet ex Homero, qui hujus rei meminit *Iliad.* ό. *vers.* 683.

—— ὁ δ' ἔμπεδον ἀσφαλὲς αἰεὶ
Θρώσκων, ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον ἀμείβεται, οἱ δὲ πέτονται.
—— hic autem firmiter sine lapsu assidue
Saliens, alias in alium alternat, illi autem volant.

Διμάχαι, quorum inventio Alexandro M. debetur, erant, ut vernacule dicam, genus Draconariorum, & paulo gravius vulgaribus equitibus armabantur, sed non æque graviter ac pedites, ut indiscriminatim equo vel pedibus militarent, quamobrem servi ipsis præsto aderant equis capessendis, cum imperator jubebat ut ex illis descenderent; leg. Pollux *loco cit.*

Iterum distinguebantur in καταφράκτυς & μὴ καταφράκτυς, id est, *graviter* & *leviter armatos*, ex more peditum. Κατάφρακτοι, aut *loricati*, non solum armis se tuebantur, sed ipsorum equi tegebantur squamis æneis aliorumve metallorum, quæ a partibus corporis, quas muniebant, varia nomina sortiebantur; cum dicantur προμετωπίδια, παρώτια, παρήϊα, προστερνίδια, παραπλευρίδια, παραμηρίδια, παρακνημίδια: vid. idem *eod. cap.* alias conferebantur ex pellibus obductis bracteis ahenis, quæ in plumam aut aliam speciem affabre elaborabantur. Apud Virgilium equus cujusdam Herois ad hunc morem armatur *Æneid. l.* XI. *vers.* 770.

Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Item variis ornamentis sternebantur, nimirum campanulis, ut equi Rhesi apud Euripidem; tapetibus, pannis acu pictis, aliisque stromatibus affabre factis; magnificis helciis & phaleris, quæ a Græcis dicuntur φάλαρα, quæque quidam autumant ornasse sinciput, alii vero maxillas; nec desunt qui putent illis significari totum equorum apparatum. *Tab.* III. *Fig.* I. *col.* 440.

Camelorum atque elephantum, qui in bellis quorumdam populorum celebrantur, nulla fit mentio apud Historicos Græcos ante tempora Alexandri, quibus ingens numerus elephantum ex Oriente transvecti sunt. Hi in prælium turriti ingrediebantur, qui decem, quindecim, & (ut quidam afferunt) triginta milites vectabant, qui a periculo securi hostem jaculis infestabant, quemadmodum animadvertit Philostratus in *Vita Apollonii l.* I. *c.* VI. Nec ista jumenta pigra aut inutilia in præliis erant; nam non solum ab illorum fœtore, portentoso corpore, & insolito horrendoque barritu, cum equi, tum milites, terrore ac consternatione percellebantur; sed etiam strenue se gerebant, obvios pedibus conculcantes, aut proboscide comprimentes, aut sursum deorsumque agitantes, aut manibus sessorum tradentes; vid. Curtius *lib.* VIII. Nec ipsis insolitum pugnam inter se invicem magno cum furore conserere, quo multo magis perciti erant post vulnera accepta, cum hostem dentibus in frusta dilacerarent, juxta Polyb. *lib.* V. Sed paulo post temporis non amplius adhibiti sunt, quia commodum, quod ex illorum usu manabat, ingentia mala & incommoda, quæ frequentissime in exercitum inferebant, minime compensare poterat: nam etsi sagacitate pollerent & ad rationem humanam propius cæteris brutis accederent, unde rectoribus dociliores & ad obsequium promptiores se præbebant, nihilominus graviter vulnerati ab hoste ingruente indomitos se gerebant, ac rabiem in suas partes non raro convertebant, exercitus ordines perturbabant, horrendaque strage facta, victoriam hostibus tradebant; cujus rei exempla varia exstant apud Historicos cum Græcos tum Latinos. *Tab.* III. *Fig.* II. *ibid.*

CAP. IV.


De eorumdem armis & militari apparatu.

MYthologi referunt Martem primum arma induisse, qui forsan hac de causa titulo Dei belli condecoratus est; nam primævi Ethnici, in indicium grati animi erga cujusvis artis proficuæ inventores, in numero Deorum eos collocabant, illorumque curæ ac præsidio committebant artes ingeniosas & utilia inventa, quæ ipsis debentur. Mars Vulcanum pro fabro adhibuit, qui tunc temporis magisterium in insula Lemno exercebat, artisque fabrilis ita peritus fuit, ut Diis illum annumerarint posteri, ac præfecerint suæ arti: sed popularibus ipsius non tam feliciter successit; nam omnibus sæculis describuntur tanquam totius generis humani hostes, & omni nota infamiæ inuruntur, ob tam execrandum ac exitiosum inventum. Unde Poetæ nomine Σιντίων illos infamarunt, ad memoriam damni, quod hominibus intulerant, servandam. Sic cecinit Homer. *Iliad.* ά. *vers.* 594.

Ἔνθα με Σίντιες ἄνδρες ἄφαρ κομίσαντο πεσόντα.
Ibi me Sinties viri statim exceperunt cadentem.

Similiter eorum regio Σιντηΐς dicta est, ut patet ex Apollonii *lib.* I. *Argonaut. vers.* 608.

Εἰρεσίῃ κραναὴν Σιντηΐδα Λῆμνον ἵκοντο.
Remigando capessiverunt calculosam Lemnum Sintiacam.


TAB. III.
Fig. 4.
Fig. 5.
Fig. 2.
Fig. 6.
Fig. 1.
Fig. 3.

Ex eodem fonte manarunt hujusmodi trita adagia, A
Λήμνια κακὰ, gravissima mala: *Λημνία χεὶρ*, exitiosa manus: & *Λήμνιον βλέπειν* pro torvo ac truculento adspectu; ut notat Eustath. *ad Iliad. α*. Etsi quidam strenue contendant, Lemnios hoc stigmate inuri, non ob armorum inventionem, sed potius ob depredationes & injurias, quibus peregrinos afficiebant, vel propter alias causas: nam afferunt Liberum sive Bacchum usum armorum in mundum primo induxisse, juxta Isidorum *Orig. l.* IX. *c.* III.

Arma veterum Heroum ex ære conflabantur, ut exstat apud Homerum, cujus vestigiis hac in re insistunt cum antiqui Poetæ Græci ac Latini, tum alii Scriptores, qui illa tempora describunt. B
Pausanias innumeris exemplis illud probare conatur in *Laconicis*; Plutarch. in *Theseo* refert, cum Cimon Miltiadis filius ossa Thesei ex insula Scyro Athenas deferret, ensem æneum, & hastam, nec non galeam ex eodem metallo, cum illo inhumata reperisse. Plura exempla supervacanea forent, cum Hesiodus disertis verbis affirmet, his temporibus ferrum nondum in usu fuisse, sed eorum arma, omnia instrumentorum genera, ipsasque ædes ex ære condita esse, *Oper. & Dier. vers.* 149.

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχη, χάλκεοι δέ τε οἶ- C
κοι,
Χαλκῷ δ' εἰργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.
His erant ænea quidem arma, æneæque domus,
Ære vero operabantur, nigrum autem nondum
erat ferrum.

Unde ferri usu reperto, fabri eorumque artes antiqua nomina retinuerunt. Sic Aristoteles in *Poet.* nos docet, quod *χαλκεὺς fabrum ferrarium* denotet; & ne plura exempla afferam rei omnibus notissimæ, Plutarchus in *Camillo* vocem *ἐχαλκεύσατο* usurpat de galeis ferreis.

Quædam illorum arma stanno conficiebantur, D
præsertim ocreæ, ut Achilleæ describuntur *Iliad σ'*. Illud metallum pariter adhibebatur cæteris armis fabricandis, prout liquet ex Agamemnonis thorace apud Homerum *Iliad. λ'*. & Æneæ clypeo *Iliad. υ*.

Diversa alia metalla itidem usurpabantur; aurea & argentea arma ab illis plurimi fiebant, quamvis illustrissimi Heroum illa gestarint tantummodo ad decus; illi, quorum tota armatura ex his metallis constabat, vulgo depinguntur artibus effœminatis ac mollibus potius quam fortitudini addicti. Enimvero arma Glauci auro fulgent; sed magnus Diomedes ænea gestabat. Amphimachus, qui ad bel E
lum ivit armis aureis instructus, nitidæ virgini ab Homero *Iliad. β'*. comparatur:

Νάστης Ἀμφίμαχός τε, Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα,
Ὃς καὶ χρυσὸν ἔχων πόλεμόνδ' ἴεν, ἠύτε κούρη,
Νήπιος· οὐδέ τί οἱ τόγ' ἐπήρκεσε λυγρὸν ὄλεθρον,
Ἀλλ' ἐδάμη ὑπὸ χερσὶ ποδώκεος Αἰακίδαο
Ἐν ποταμῷ· χρυσὸν δ' Ἀχιλεὺς ἐκόμισσε δαΐφρων.
Nastes Amphimachusque, Nomionis clari filii,
Qui & aurum gestans ad bellum ibat, velut puella,
Stultus: neque omnino hoc ipsi depulit gravem F
mortem,
Sed stratus est sub manibus velocis Æacidæ
In fluvio: aurum vero Achilles abstulit belli peritus.

Pariter Persæ molles ac voluptarii prælium cum ferocibus & robustis Græcis committebant auro gemmisque decorati, sicque ipsis facilis præda fuerunt. Græci Heroes etsi non ita imperiti ut ab illis ornamentis penitus abstinerent, tamen tam prodige ac extra modum illis non utebantur, nec ad eumdem finem usum illorum referebant: Achillis clypeus a Vulcano tam artificiose cœlatus lectionem philosophicam atque descriptionem fere omnium naturæ operum exhibebat. Arma aliorum fortium Principum sæpius decorabantur propriis majorumque gestis, aut beneficiis a Diis acceptis; modo iis insculpti erant leones draconesve, adeo politi & fulgentes, ut terrorem ac consternationem hosti incuterent, secundum Homeri verba *Iliad. ι. vers.* 340.

——*ὄσσε δ' ἄμερδεν*
Αὐγὴ χαλκείη.——
——*oculos autem perstringebat*
Splendor æreus.——

Itidem nostri majores Britanni corpora variis animalium figuris pinxisse tradunt, quo hostibus terribiliores forent.

Prisci Græci semper armati prodibant, minime tutum reputantes, inermes se viæ committere. Hinc Aristoteles non immerito colligit Græcos fuisse gentem rudem & barbaram: nam altis tenebris obruti, & æqui honestique parum conscii, (ad quæ præstanda omnes mortales æterna & immutabili naturæ lege tenentur) nec non exleges, sibi ipsis suadebant, quod cuivis sibi proprium arrogare liceret quidquid vi invadere posset, quodque servabant iisdem mediis, quibus sibi paraverant, vindiciis vero cedebant, cum quis potentior jus suum exhibebat. Mari piratæ, terraque latrones grassabantur, quæcumque obvia diripiebant, frequentibusque incursionibus agros vastabant ac depopulabantur, & si viribus superiores, incolas inde pellebant & ad novas sedes alio quærendas cogebant. Ab hujusmodi nebulonibus Io, Europa, Ganimedes, pluresque alii abducti sunt; qua de causa Tyndarus filiæ Helenæ ita timuit, ut omnes Principes, qui illam ambibant, sacro-sancto jurejurando obstringeret, se illam domum reducturos, si unquam ab aliquo raperetur. Thucydides *lib.* I. narrat a piratis maria primum liberasse Minoem Cretæ Regem, qui potentissima classe dominium pelagi per plurimos annos tenuit. Interea terræ infestabantur, idcirco cum Theseus primo apud se statuisset Trœzene Athenas iter facere, Plutarch. in *ejus vita* tradit illius consanguineos tutius duxisse, ut mari illud emiteretur: *Χαλεπὸν γὰρ ἦν πεζῇ πορεύεσθαι τὴν εἰς Ἀθήνας ὁδὸν, οὐδὲν μέρος καθαρὸν οὐδ' ἀκίνδυνον ὑπὸ λῃστῶν καὶ κακούργων ἔχουσαν. Ὁ γὰρ δὴ χρόνος ἐκεῖνος ἤνεγκεν ἀνθρώπους, χειρῶν μὲν ἔργοις καὶ ποδῶν τάχεσι καὶ σωμάτων ῥώμαις (ὡς ἔοικεν) ὑπερφυεῖς καὶ ἀκαμάτους, πρὸς οὐδὲν δὲ τῇ φύσει χρωμένους ἐπιεικὲς οὐδὲ ὠφέλιμον, ἀλλ' ὕβρει τε χαίροντας ὑπερηφάνῳ, καὶ ἀπολαύοντας τῆς δυνάμεως ὠμότητι, καὶ πικρίᾳ, καὶ τῷ κρατεῖν, βιάζεσθαί τι καὶ διαφθείρειν τὸ παραπίπτον. αἰδῶ δὲ, καὶ δικαιοσύνην, καὶ τὸ ἴσον, καὶ τὸ φιλάνθρωπον (ὡς ἀτολμίᾳ τοῦ ἀδικεῖν, καὶ φόβῳ τοῦ ἀδικεῖσθαι, τοὺς πολλοὺς ἐπαινοῦντας) οὐδὲν οἰομένους προσήκειν τοῖς πλέον ἔχειν δυναμένοις. Arduum enim erat itinere terrestri commeare Athenas, quod intutum undequaque infestumque latronibus & facinorosis esset. Nam seculum illud edidit homines, manuum strenuitate, ac pedum pernicitate, viribusque corporum (ut videbatur) eximios atque invictos, sed qui hasce naturæ dotes ad nullam rem bonam aut utilem converterent, imo arroganti improbitate gauderent, fruerenturque lacertis ad violandum opprimendumque sævitia, feritate, & virium præstantia, quidquid in manus eorum incidebat: pudorem, justitiam, æquitatem, humanitatemque (quasi has timiditate alicujus lædendi, & ne læderentur formidine, plerique homines laudent) nihil attinere ducebant ad eos qui plus possent.* Verum enimvero Hercules & Theseus aliique magnanimi Heroes,

qui commodo publico imprimis consulebant, regionem magna ex parte a latrociniis securam asseruerunt: sed ante illud tempus non mirum videri debet, si Græci arma semper & ubique ad se tutandum gestaverint, præsertim quandoquidem illis temporibus pauci in amplas civitates coaluissent, sed in villis aut ad summum in pagis exiguis & imminutis vitam privatam agerent. Hic mos Athenis primum obsolevit, cum illius causa ac necessitas ex hac civitate primum remota esset:ut legere est apud Thucydidem *l.* I. nam Historici in genere consentiunt, Athenienses decora præcepta humanitatis & urbanitatis excoluisse, atque in formam regiminis bene institutam convenisse, necnon sanis ac proficuis legibus gavisos fuisse ante cæteros Græcos. Postea a Solone decretum legimus, ut mulctam incurreret, qui intra urbem, nulla necessitate cogente, ferro accinctus armisque instructus prodiret. Vid. Lucian. *Anacharside*. Hinc enim cædibus & rapinis occasio ministrabatur, fiebatque ut cives circa sua negotia secure versari non possent. Quo respexit etiam Zaleuci lex, μηδένα φορεῖν ὅπλα ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, *nemini licere arma in senatu gestare*.

Sed redeamus ad arma Græcorum, qui in duo genera distinguuntur; alia ad tegendum, alia vero ad nocendum. Græci primigenii dicuntur potius instructi esse armis prioris generis, juxta Euripidis Scholiastem: cum econtra barbari majore cum cura alterum armorum genus sibi prospicerent: horum enim præfecti imprimis studebant hostibus perdendis, dum Græci naturæ legibus magis congruum existimarent, salutem ac tutamen suorum procurare: quapropter Homerus illud præsertim curat, ut suos fortissimos Heroes in prælium probe armatos producat, & Græci legislatores pœnas decreverant in illos qui clypeos abjicerent, sed ab illis immunes erant, qui hastam aut ensem amisissent,ut sic indicarent militem decere se tueri potius, quam in hostem ruere;prout narrat Plutarch. in *Pelopida*.

Ordiamur ab armis, quibus se tegebant, & quatenus variis corporis humani partibus adaptata erant; primo de capite, quod casside, Græce περικεφαλαία, κράνος, κόρυς, &c. tegebatur. Hæc aliquando ære aut aliis metallis conficiebatur, ut illa Menelai apud Homer. *Iliad. κ'. vers.* 30.

—— αὐτὰρ ἐπὶ στεφάνην κεφαλῆφιν ἀείρας
Θήκατο χαλκείην. ——
—— *sed galeam in capite sublatam*
Posuit æream. ——

Sed frequentius ex pellibus animalium; unde natæ sunt variæ appellationes ab animalium nominibus desumptæ; cujusmodi apud Homerum ἰκτιδέη, ταυρείη, ἀλωπεκέη, λεοντέη, αἰγείη, & aliæ; quarum usitatissima κυνέη, ex cute canina constans; Eustatius interpretatur ποτάμιον κύνα, *canem aquaticum*, cujus usus apud Veteres tam vulgo obtinebat, ut sæpius pro ipsa galea sumatur, etsi ex diversa materia conflata, teste Homero *Iliad. κ'. vers.* 257.

—— ἀμφὶ δέ οἱ κυνέην κεφαλῆφιν ἔθηκε
Ταυρείην. ——
—— *& ei galeam capiti imposuit*
Taurinam. ——

Hæ cutes villosæ gestabantur, & ad majorem terrorem dentibus quasi in hostem rigentibus non raro armatæ. Ad hunc morem miles apud Virgil. *Æneid. l.* VII. *vers.* 666. in publicum prodit:

Ipse pedes tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta cum dentibus albis,
Indutus capiti, sic regia tecta subibat.

Non absimili galea suum Ulyssem instruit Homerus *Iliad. κ'. vers.* 261.

—— ἀμφὶ δέ οἱ κυνέην κεφαλῆφιν ἔθηκε
Ῥινοῦ ποιητήν· πολέσιν δ' ἔντοσθεν ἱμᾶσιν
Ἐντέτατο στερεῶς· ἔκτοσθε δὲ λευκοὶ ὀδόντες
Ἀργιόδοντος ὑὸς θαμέες ἔχον ἔνθα καὶ ἔνθα,
Εὖ καὶ ἐπισταμένως· μέσσῃ δ' ἐνὶ πῖλος ἀρήρει.
—— *& ei galeam capiti imposuit*
Ex pelle factam: multis autem intrinsecus loris
Ligata erat fortiter: extrinsecus autem candidi dentes
Albos dentes habentis apri crebri muniebant hinc atque illinc,
Bene & scite: in media autem lana spisse compacta aptata erat.

Galea a fronte patebat; Heroes enim vultu detecto pugnam subibant; lateri pendebat lorum, quo alligabatur bellatoris collo, vocabaturque ὀχεύς, unde Homer. *Iliad. γ'. vers.* 371. de Paride sic ait:

Ἄγχε δέ μιν πολύκεστος ἱμὰς ἁπαλὴν ὑπὸ δειρήν,
Ὅς οἱ ὑπ' ἀνθερεῶνος ὀχεὺς τέτατο τρυφαλείης.
Præfocabat autem ipsum acu pictum ligamen teneram sub gulam,
Quod ipsi sub mento lorum adstringebatur galeæ.

Quædam illius partes nomen sortiebantur a membris, quæ tuebantur, exempli gratia ὀφρύες, illa pars quæ supercilia tegebat, & sic de cæteris. Panniculus superciliis eminens vocabatur γεῖσον, hoc est, *projectura*. Sed omnium galeæ partium præcipua erat crista, nomine φάλος & λόφος; vid. Hesychius in his vocibus; quam Cares primi usurparunt; leg. Herodotus *Clio*, Strabo *l.* XIV. & hinc appellata ab Alcæo λόφος Καρικός:

Λόφον τε σείων Καρικόν.
Cristam vero movens Caricam.

Cares enim antiquitus celebrabantur ob facinora bellica, nec non de genere humano bene meriti sunt propter hoc & alia inventa; unde Thucydides *l.* I. refert illos solitos fuisse parmulam galeamque in sepulcris defunctorum reposuisse. Quidam contendunt φάλος distingui a λόφος, illo denotante *conum*, hoc vero *plumam* ei insertam, ut observat Suidas. Sed alii nullum inter has voces discrimen ponunt. Ex his prior diversa materia constabat utplurimum eximia ac pretiosa, quippe in galeæ ornamentum apponeretur. Pariter posterior variis coloribus pingebatur; unde Pollux *l.* I. *cap.* X. illi tribuit epitheta διανθής, ὑακινθινοβαφής. Homerus hujusmodi partem auro decorat *Iliad. σ'. vers.* 610.

Τεῦξε δέ οἱ κόρυθα βριαρὴν, κροτάφοις ἀραρυῖαν,
Καλὴν, δαιδαλέην· ἐπὶ δὲ χρύσεον λόφον ἧκε.
Fecit etiam ei galeam fortem, temporibus aptatam,
Pulchram, variegatam: supraque auream cristam posuit.

Virgilii Heros instruitur galea aurea, cristaque rubra pingitur, *Æneid. l.* IX. *vers.* 49.

—— *maculis quem Thracius albis*
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.

Crista utplurimum pennis aut pilis ex cauda vel juba equina detonsis compta erigebatur; idcirco memoratur λόφος ἱππιοχαίτης, κόρυς ἱπποδάσεια, ἵππουρις. Ita Homer. *Iliad. γ'. vers.* 381.

—— ἣ δ' ἀστὴρ ὣς ἀπέλαμπεν
Ἱππουρις τρυφάλεια· περισσείοντο δ' ἔθειραι
Χρύσεαι, ἃς Ἥφαιστος ἵει λόφον ἀμφὶ θαμειάς.
—— hæc autem tanquam stella refulgebat
Setis equinis comans galea: circum autem movebantur crines
Aurei, quos Vulcanus posuerat cristam circum frequentes.

Vulgares milites cristas minores gestabant; præcipui vero præfecti ac viri genere clari majoribus plumis eminebant, & non raro duabus, tribus, quatuorve gloriabantur. Suidas contendit Geryonem tricipitem apud Poetas celebrari hac sola de causa, quod ejus galea tribus cristis decorata esset. Virgilius cassidem Turni ad hunc morem describit, addita figura Chimæræ, *Æneid. lib.* VII. *vers.* 785.

Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Sustinet. ——

Hujusmodi galea appellabatur τρυφάλεια, plumis in orbem cincta ἀμφίφαλος: quatuor vero adornata τετράφαλος. Sic Apollon. *Argonaut. lib.* II. *vers.* 922.

Τετράφαλος φοίνικι λόφῳ ἐπελάμπετο πήληξ.
Effulgebat imposita cum quatuor bullis & crista rubra cassis.

His utebantur Veteres ad terrorem hosti incutiendum; hinc Homeri verba *Iliad.* γ'. *vers.* 337.

—— δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν.
—— horribiliter autem crista desuper nutabat.

Eumdem in finem Pyrrhus Rex Epiri, præter fastuosam cristam, capri cornua in casside gestabat, ut refert Plutarch. in *Pyrrho*. Non inficior Suidam nos docere, quod τρίχωσις aut ipsa crista frequenter vocetur κέρας. Attamen quædam ex galeis antiquis crista aut cono plane carebant. Hoc galeæ genus dicitur καταῖτυξ, ut discere est ex Homero *Il.* κ'. *v.* 257.

—— ἀμφὶ δέ οἱ κυνέην κεφαλῆφιν ἔθηκε
Ταυρείην, ἄφαλόν τε καὶ ἄλοφον, ἥ τε καταῖτυξ
Κέκληται. ——
—— circumque ejus galeam caput posuit
Taurinam, sine cono & sine crista, quæ καταῖτυξ
(id est, cassis)
Vocatur. ——

Alia ornamenta galeis apponebantur, ex. gr. στεφάνη, quæ denotat *supercilium montis*, & ob hanc causam prædicatur de galeis, in quibus variæ ἐξοχαὶ seu *eminentiæ* exstant; vid. Hesych. in voce Ἐξοχή. Homerus hanc speciem notavit *Iliad.* λ'. *vers.* 96.

— οὐδὲ στεφάνη δόρυ οἱ σχέθε χαλκοβάρεια.
— neque galea hastam ei repressit ære gravis.

Ex omnibus Græcis cassidibus Bœotica optima commendatur. *Tab.* III. *Fig.* III. *col.* 445. Leg. Poll. *lib.* X. Macedones peculiari galea dicta καυσίη utebantur, quæ ex pellibus confecta loco pilei ad frigus arcendum usurpabatur, ut discimus ex hoc *Epigrammate* apud Suidam:

Καυσίη, ἡ τοπάροιθε Μακεδόσιν εὔκολον ὅπλον,
Καὶ σκέπας ἐν νιφετῷ, καὶ κόρυς ἐν πολέμῳ.
Καυσίη, (seu galea) antea Macedonibus expedita armatura,
Et munimen in vehementi nivis defluxu, & galea in bello.

Plin. *Hist. Nat. lib.* VII. *c.* LVI. inventionem galeæ æque ac ensis & hastæ Lacedæmoniis tribuit: sed hæc tantum intelligenda sunt de illorum armorum speciebus, quæ Spartæ obtinebant; aliæ enim spe-

A cies jamdiu ante Spartanæ gentis ac Reipublicæ jacta fundamenta innotuerant.

Heroes maximæ gloriæ ducebant pellibus ferarum in sui tutelam amiciri, quas præ se ferebant tanquam pignora suæ fortitudinis. Hujusce rei exempla ubicunque apud Poetas occurrunt. Sic Theocritus Διοσκούροις:

Αὐτὰρ ὑπὲρ νώτοιο καὶ αὐχένος ᾐωρεῖτο
Ἄκρων δέρμα λέοντος ἀφημμένον ἐκ ποδεώνων.
At super dorsum & collum exstabat
Pellis leonis ab extremis suspensa pedibus.

B Pellis leonis ab Hercule interfecti apud Historicos celebratur, & Homerici Heroes eodem habitu sæpius inducuntur; cujus ad exemplum alii Græci Latinique Poetæ suos Heroes simili indumento instruxerunt. Sic Acestes apud Virgil. *Æn. l.* v. *vers.* 36.

—— occurrit Acestes
Horridus in jaculis & pelle Libystidos ursæ.

Sed sæpissime non ipsos pudebat meliore ac robustiore armatura se tegere, cujus communia genera hæc fuerunt.

C Μίτρη ex ære conflata, lana vero intus offerta, quam ad cutem sub lorica hamata gestabant. Sic nos docet Homer. *Iliad.* δ'. *v.* 132. verba faciens de jaculo, quod totam armaturam Herois transfixit, sed a μίτρῃ retusum cutem solummodo perstrinxit:

Αὐτὴ δ' αὖτ' ἴθυνεν, ὅθι ζωστῆρος ὀχῆες
Χρύσειοι σύνεχον, καὶ διπλόος ἤντετο θώρηξ.
Ἐν δ' ἔπεσε ζωστῆρι ἀρηρότι πικρὸς ὀϊστός·
Διὰ μὲν ἂρ ζωστῆρος ἐλήλατο δαιδαλέοιο,
Καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο,
Μίτρης θ', ἣν ἐφόρει ἔρυμα χροός, ἕρκος ἀκόντων,
Ἥ οἱ πλεῖστον ἔρυτο. ——
D *Ipsa vero rursus direxit, ubi balthei fibulæ*
Aureæ constringebant, & duplex occurrebat thorax.
Incidit autem in baltheum aptatum acerba sagitta:
Perque baltheum adacta est affabre factum,
Et per thoracem artificiose factum transacta est,
Et per laminam, quam portabat tutamen corporis, septum telorum,
Quæ ipsum plurimum juvit. ——

Ζῶμα vel ζωστὴρ a genubus ventrem attingebat, quo loricæ inserebatur; ut notat Eustath. *ad Iliad.* δ'. Sed posterius vocabulum sæpius usurpatur pro
E cingulo totam armaturam ambiente; quemadmodum Homerus cecinit *Iliad.* δ'. *vers.* 215.

Λῦσε δέ οἱ ζωστῆρα παναίολον, ἠδ' ὑπένερθε
Ζῶμά τε, καὶ μίτρην, τὴν χαλκῆες κάμον ἄνδρες.
Solvit autem ipsi baltheum variegatum, & subtus
Cingulum, & laminam, quam ærarii fecerunt fabri.

Hujusmodi cingulo instructum esse bellatorem imprimis decebat; unde ζώννυσθαι, juxta Pausan. *Bœoticis*, in genere sumitur pro *accingere se ad prælium:* idcirco Homerus inducit Agamemnonem Græcos
F ad arma capienda hortantem, his verbis *Il.* λ'. *v.* 15.

Ἀτρείδης δ' ἐβόησεν, ἰδὲ ζώννυσθαι ἄνωγεν
Ἀργείους. ——
Atrides autem clamavit, & accingi jussit
Argivos. ——

Idem Poeta, cum illum Heroem Deo belli non absimilem describit ζώνῃ sua, hac parte (ut observat Pausanias *loco citato*) totam armaturam intelligit. Romani idem usurpare solebant, ut pa-

tet ex Plutarcho in *Coriolano*; necnon apud Perſas obtinuit; quamobrem Herodot. *Urania* ſeu *l.* VIII. *c.* CXX. refert Xerxem, cum Abderam perveniſſet, Athenis fugientem, ac ſe a periculo tutum exiſtimantem, *zonam ſolviſſe*, hoc eſt, armis ſe exuiſſe. Sed ζώνη latius ſumitur quam ζωστὴρ; uſurpatur enim pro μίτρῃ.

Θώραξ duabus partibus conſtabat, ex quibus una dorſum, altera vero ventriculum tuebatur; extrema dicuntur πτέρυγες, media autem γύαλα. Vid. Pollux & Pauſan *Atticis*. Latera ſimul ſubnectebantur quibuſdam fibulis, juxta Pauſan. *ibid.* Id ipſum de lorica Romana notat Silius *lib.* VII. quæ ad Græcorum thoracem prope accedebat; hinc θώραξ ab Heſychio λωρίχιον exponitur, cujus Poetæ hæc ſunt carmina;

—— *qua fibula morſus*
Loricæ crebro laxata reſolverat ictu.

Ἡμιθωράκιον erat dimidius thorax; cujus inventionem Jaſoni tribuit Pollux: illud autem armaturæ genus maximi fiebat ab Alexandro, qui (ut Polyænus *Stratag. lib.* IV. animadvertit) timens ne milites thorace tecti fugam meditarentur, cum terga æque ac pectora illo munirentur, imperavit, ut, parte poſteriore depoſita, ἡμιθωρακίῳ ſe tegerent; unde, ſi in fugam verterentur, illorum dorſa ictibus hoſtium detecta paterent. Thoraces ex diverſa materia conficiebantur; alii ex lino aut cannabi in funiculos contortis ac compactis; idcirco memorantur thoraces *bilices* & *trilices*, a numero liciorum juxta ſe poſitorum. His utebantur in venatione, quia leones aliæque feræ illos dentibus transfigere non valebant, quippe qui funibus inhærebant; ſed in præliis raro geſtabantur, ſicut monet Pauſanias *Atticis*; attamen non deſunt exempla hujus rei; Ajax enim filius Oilei inſignitur epitheto λινοθώρηξ apud Homerum *Iliad.* β'. *verſ.* 528.

—— ὀλίγος μὲν ἔην, λινοθώρηξ.
—— *parvus enim erat, lineum thoracem habens.*

Similiter Alexander apud Plutarchum dicitur geſtaſſe θώρακα λινοῦν διπλοῦν, *thoracem lineum duplicem*: & Iphicrates milites juſſit, ut, gravibus & inhabilibus thoracibus ferreis depoſitis, armaturam cannabinam accingerent; prout Cornelius Nepos nos docet in *Vita illius imperatoris*. Thoraces utplurimum conflabantur ex ære, ferro, aut aliis metallis, quæ aliquando ita indurabantur, ut validiſſimam vim retundere poſſent: Plutarch. in *Demetrio* refert, Zoilum artificem, ut periculum faceret firmitatis duorum thoracum ferreorum, quibus Demetrium Poliorceten donaverat, ſagittam emiſiſſe ex machina dicta *catapulta*, ad diſtantiam XXVI. paſſuum, quæ tantum abeſt ut ferrum transfigeret, ut vix illud perſtringeret, aut minimam notam ipſi incuteret. Hujus armaturæ duo ſunt genera; quorum aliud, quia conſtabat una aut duabus continuis metalli laminis, necnon quia flecti neſciebat & rigebat, vocabatur θώραξ στάδιος vel στατὸς, juxta Euſtathium; aliud vero ex feræ corio compoſitum erat, ſecundum illud Poetæ:

—— τῷ δὲ θώρακος σκύτει.

Unde multi cenſent vocem *lorica* apud Latinos a *loro* derivari. Hujuſmodi corium laminis metallicis diverſæ figuræ apponebatur; quæ aliquando hamos aut annulos non abſimiles catenæ referebant; alias ad pennas aut ſquamas ſerpentum piſciumve propius accedebant, quibus bracteæ aureæ ſæpius ſuperinducebantur. Hinc diſtinguuntur θώρακες ἀλυσιδωτοὶ, λεπιδωτοὶ, φολιδωτοὶ, &c. quorum Poetæ Græci & Latini frequenter meminerunt. Sic Silius de Conſule Flaminio diſſerens ait *lib.* V.

Loricam induitur, tortos huic nexilis hamos
Ferro ſquama rudi, permiſtoque aſperat auro.

Virgilius ſuos Heroes eumdem in morem inſtruit *Æneid. l.* XI. *verſ.* 487.

— Rutulum thoraca indutus, ahenis
Horrebat ſquamis. —

Quia cum non raro obtingeret, ut ſimplex lamina a jaculo aliiſque miſſilibus tranſadigeretur, eam firmare ſolebant duabus, tribus, aut pluribus, ſuperadditis. Ita canit Statius *Thebaid. l.* VII.

— ter inſuto ſervant ingentia ferro
Pectora. —

Item *lib.* XII.

Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ.

Unde ex plicarum numero dicti ſunt *bilices* & *trilices*, a Græcis διπλοῖ ac τριπλοῖ. Virgil. *Æneid. lib.* III. *verſ.* 467.

Loricam conſertam hamis, auroque trilicem.

Κνημῖδες, *ocreæ*, erant tibialia ænea, ferrea, aut ex alio metallo confecta. Sed Heſiodus *Scuto Herculis verſ.* 122.

—— κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ,
Ἡφαίστου κλυτὰ δῶρα, περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε.
—— *ocreas ex orichalco ſplendido,*
Vulcani inclita dona, tibiis induxit.

Homerus non raro ex ſtanno conflatas deſcribit *Iliad.* σ'. *verſ.* 612.

Τεῦξε δέ οἱ κνημῖδας ἑανοῦ κασσιτέροιο.
Fecit etiam ei ocreas ex ductili ſtanno.

Latera ipſa ad malleolos fibulis utplurimum ſubnectebantur, ex ſolido auro argentove ſæpius confectis; ut occurrit apud eumdem Poetam *Iliad.* γ'. *verſ.* 330.

Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε
Καλὰς, ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.
Ocreas quidem primum circa tibias poſuit
Pulchras, argenteis fibulis apte junctas.

Veroſimilius videtur illud armorum genus apud Græcos ſolos prius uſui fuiſſe, aut ſaltem latius obtinuiſſe apud illam quam ullam aliam gentem; quia Græci ab Homero ſemper vocantur ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοὶ, *bene ocreati Achivi*.

Χειρῖδες, *manicæ*, quibus manus tegebantur; nonnulli quoque iis utebantur ad munienda brachia.

Ἀσπὶς erat clypeus frequenter ex viminibus contextus, juxta iſtud Virgilii *Æn. l.* VII. *verſ.* 632.

—— *flectuntque ſalignas*
Umbonum crates. ——

Unde dicitur ἰτέα ab Heſychio. Quo genere armorum primi in acie uſi fuiſſe dicuntur Prœtus & Acriſius. Vid. Pauſan. *Corinthiacis*. Conficiebatur quoque ex ligno; & ut bellatores commodius illum flecterent, hunc in finem leviſſimo ligno utebantur, cujuſmodi ficus, ſalix, fagus, populus, ſambucus, & ſimiles; quemadmodum nos docet Plin. *Nat. Hiſt. l.* VI. *cap.* XL. Sed vulgo ex pellibus conflabatur; hinc frequentiſſime memorantur ἀσπίδες βόειαι *clypei bubuli*. Hi in varias plicas complicabantur, bracteis æneis corroboratas. Clypeus Ajacis ex tergore ſeptuplici conſtabat, unica vero lamina ærea tegebatur; ut legere eſt apud Homerum *Iliad.* η'. *verſ.* 222.

Ὅς οἱ ἐποίησεν σάκος αἰόλον, ἑπταβόειον,
Ταύρων ζατρεφέων, ἐπὶ δ' ὄγδοον ἤλασε χαλκόν.
Qui ei fecit ſcutum varium, ſeptem bubulis pellibus munitum,
Taurorum præpinguium, octavum autem ſuperinduxerat æs.

Achil-

Achillis clypeus tribus duplicatis ſuperadditis firmabatur, juxta Poetam:

—— & æs, proxima rupit
Terga novena boum, decimo tamen orbe moratum eſt.

Sed ejuſdem Herois clypeus apud Homerum *Iliad. ύ. verſ.* 270. firmius munitur duabus laminis æneis, duabus ſtanneis, & quinta aurea:

—— ἐπεὶ πέντε πτύχας ἤλασε Κυλλοποδίων,
Τὰς δύο χαλκείας, δύο δ' ἔνδοθι κασσιτέροιο,
Τὴν δὲ μίαν χρυσῆν. ——

—— quoniam quinque plicas ſuperinduxerat Vulcanus,
Duas æreas, duaſque intus ſtanni,
Unam vero auream. ——

Præcipuæ clypei partes hæ ſunt.

Ἄντυξ, ἴτυς, περιφέρεια, aut κύκλος, *extremus circulus*, vel *circumferentia*.

Ὀμφαλὸς & μεσομφάλιον, Latine *umbo*, projectura in medio clypeo prominens, cui altera prominentia, ἐπομφάλιον dicta, incumbebat. Ipſis inſerviebat non ſolum miſſilibus detorquendis ac repellendis, ſed etiam hoſtibus proturbandis; unde Martialis huc alludit:

In turbam incideris, cunctos umbone repellet.

Τελαμὼν erat lorum coriaceum, & aliquando virga ahena, clypeum trajiciens, qua parte humeris pendebat, pro more antiquo; ut obſervat Euſtathius *ad Iliad. β'. pag.* 184. *Edit. Baſil.* Hinc Homerus *Iliad. π'. verſ.* 802. ait:

—— αὐτὰρ ἀπ' ὤμων
Ἀσπὶς σὺν τελαμῶνι χαμαὶ πέσε τερμιόεσσα.
—— ſed humeris
Clypeus cum loro in humum cecidit talaris.

Alias dicitur κανὼν, niſi id intelligatur de virga, cui τελαμὼν fixus inhærebat, ex interpretatione Heſychii, quod videtur vero non abſimile; nam κανόνες erant laminæ, quibus clypeus apprehendebatur, prout narrat Homeri Scholiaſtes: ſed τελαμῶνες lora ipſis annexa, & de humeris bellatoris pendentia, quamvis Euſtathius *loco citato* contendat τελαμῶνας priori uſui inſerviiſſe, idemque eſſe ac κανόνας. Clypei non raro retinebantur annulis, qui dicti πόρπακες: ſed lapſu temporis plerique Græci utebantur anſa, nuncupata ὀχάνῳ ſeu ὀχάνῃ, quod etſi cum vocabulis ſupra memoratis confundatur illiſque explicetur, nihilominus ab utroque reipſa diverſum erat; cum a Caribus inventum ſæpius conſtabat (ut vulgo creditur) ex ferreis longuriolis ſeſe invicem tranſverſa ſecantibus ac litteram X. referentibus; vid. *Etymolog.* Auctor, Hom. Scholiaſtes, & Euſtathius *loco citato*. Bello finito, clypeis, quos templis Deorum appendere ſolebant, anſas detrahebant, ne quis illis uti poſſent in tumultibus repente obortis: unde Ariſtophanes *Equitibus Act.* II. *Scen.* IV. quemdam inducit perterritum, qui clypeos anſis appenſos viderat:

Οἴ μοι τάλας! ἔχουσι γὰρ πόρπακας. ——
Væ mihi miſero! habent enim (clypei) *lora.* —

Quod alter *ibidem* paulo ante animadverterat:

Οὐ γὰρ ἐχρῆν, εἴπερ φιλεῖς τὸν δῆμον, ἐκ προνοίας
Ταύτας ἐᾶν αὐτοῖς τοῖς πόρπαξιν ἀνατεθῆναι.
Neque enim oportebat, ſiquidem amas populum, ex prudentia

Eos (clypeos) *ſinere cum loris ipſis ſuſpendi.*

Æſchylus meminit tintinnabulorum de umbonibus pendentium, ad hoſtem terrefaciendum:

—— ὑπ' ἀσπίδος δὲ τῷ
Χαλκήλατοι κλάζουσι κώδωνες φόβῳ.
—— ſub clypeo autem ei
Ærea exiſtunt tintinnabula in metum.

Plerique clypei artificioſe depingebantur variis figuris avium ac quadrupedum, præſertim fortiſſimorum, ut aquilarum, leonum, &c. Nec illis tantum, ſed etiam Diis, corporibus cœleſtibus, omnibuſque naturæ operibus decorabantur: qui mos a temporibus heroicis peti debet, deinde ad ſæcula inferiora tranſmiſſus; Herodotus enim refert *lib.* I. a Caribus primo introductum, & ab illis ad Græcos, Romanos, ac Barbaros perveniſſe.

Apud Græcos varia clypeorum genera obtinebant, inter quos eminebant Argolici, qui reliquis majores creduntur; unde Virgilius *Æneid. lib.* III. *verſ.* 637. illis aſſimilat oculum Polyphemi portentoſum:

Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.

Verum enimvero plerique antiqui clypei videntur totum corpus obtegiſſe; hinc Virgilius *Æneid. lib.* II. *verſ.* 227.

—— clypeique ſub orbe teguntur.

Trytæus membra clypeo tecta enumerat:

Μηροὺς τε, κνήμας τε κάτω, καὶ στέρνα, καὶ ὤμους
Ἀσπίδος εὐρείης γαστρὶ καλυψάμενος.
Femora, tibiaſque inferne, & pectora, & humeros
Clypei lati ventre tegens.

Idem plenius patet ex more corpora confoſſorum clypeis impoſita extra campum efferendi; quo alludit illud celebre mandatum matrum Spartanarum ſuis filiis, Ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, id eſt, *Aut hunc* (nempe clypeum) *refer, aut ſuper illo effertor*; his verbis ſignificantes, illos decere aut clypeos ſervare, aut vitam amittere illis tuendis; leg. Plutarchus *Apophthegm. Lacon.* Ea ipſa de cauſa Homerus illos vocat ἀσπίδας ἀμφιβρώτας & ποδηνεκεῖς, quos Euſtathius interpretatur ἀνδρομήκεις, hoc eſt, *qui hominis ſtaturam æquabant*; ut videre eſt *Iliad. ζ'.*

Figura eorumdem vulgo rotunda erat; unde apud Virgilium *clypei orbis*, & frequentiſſime memorantur ἀσπίδες εὔκυκλοι, πάντοσε ἶσαι, &c. Idcirco extrema circumferentia appellabatur κύκλος, ut ſupra notavimus.

Præterea alii clypei exſtabant minoris craſſitiei ac diverſæ figuræ, quorum uſus invaluit poſt tempora heroica.

Γέρρον aut γέρρα quadratum erat, rhombum referens, quod Perſæ primi uſurparunt, juxta Strabonem *lib.* XV. *Tab.* III. *Fig.* IV. *col.* 450.

Θυρεὸς oblongus erat & utplurimum acclivis: mihi videtur idem eſſe ac ἀσπὶς κοίλη ἑτερομήκης, cujus meminit Pollux *lib.* I. *cap.* X.

Λαισήϊον videtur ejuſdem fuiſſe figuræ cum priore, & ex tergoribus villoſis conſerebatur; unde Grammatici illud deducunt a λάσιος, id eſt, *villoſus*. Hoc clypei genus leve erat, quapropter (ut Euſtathius animadvertit *ad Iliad. έ. pag.* 433. *Edit. Baſil.*) Homerus ei tribuit epitheton πτερόεν *ibid. verſ.* 452.

—— βοείας
Ἀσπίδας εὐκύκλους, λαισήϊά τε πτερόεντα.
—— bubulos
Clypeos rotundos, & parmulas leve.

Πέλτη erat exiguus & leviuſculus clypeus, lunæ

dimidiatæ non absimilis, ex Isid. Hispal. *Orig. lib.* XVIII. aut juxta Xenophontem folium iliceum referens, quo Amazones primæ usæ sunt. Sed Suidas asserit esse clypeum quadrangularem extremo annulo, qui dicitur ἴτυς, carentem.

Hæc sunt præcipua Græcorum arma: quanti illa fecerint, patet cum ex iis quæ antea notavimus de cura, quam in illis adornandis ac servandis adhibebant, tum præsertim ex illo quod de Epaminonda vulgo refertur, qui lethaliter vulneratus & morti vicinus, sollicite sciscitatus est de clypeo, an salvus esset, necne; quemadmodum notat Ammianus *lib.* XXV. Pariter Chabrias, celeberrimus ille Atheniensium dux, nave, quam conscendebat, pessumdata, maluit præclare vitam cum clypeo amittere, quam illo relicto in aliam navem confugere; leg. Æmil. Probus in *Chabria*. Cum enim virtus bellica naturæ humanæ maximum decus ab illis existimaretur, idcirco illa arma reverebantur, quibus hanc adipiscebantur; unde si quis ea hosti reliquisset, aut in pignus vel alio modo turpi tradidisset, apud Græcos & Romanos illud ei æternæ infamiæ vertebatur, quæ vix ac ne vix quidem ablui & expiari poterat, juxta Scholiastem Aristoph. *Pluto*.

His pro virili descripsi notiora Græcorum arma ad tegendum, quæ in genere dicuntur ἀλεξητήρια, σκεπαστήρια, φυλακτήρια, & προβλήματα.

Veteres pro armis lædentibus utebantur lapidibus, aut clavis, aliisque hujusmodi, quæ rudior natura ipsis subministrabat. Minime callebant illas omnes artes nec machinas illas ad hostem perdendum excogitatas, quæ dura necessitas atque insatiabilis gloriæ cupido deinceps introduxerunt; sic Horatius *Serm. lib.* I. *sat.* III.

Unguibus & pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus,

describit pugnas illorum rudium & incultorum temporum. Apud Lucretium *lib.* V. de hac re locus insignis exstat:

Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuere,
Et lapides, & item silvarum fragmina, rami,
Et flammæ, atque ignes, postquam sunt cognita primum;
Posterius ferri vis est ærisque reperta;
Sed prius æris erat quam ferri cognitus usus.

Illorum clavæ vocabantur φάλαγγες & φαλάγγια, unde Grammatici conjiciunt militum agmina appellari φάλαγγες, Latine *phalanges*, a more pugnandi, qui antiquitus obtinebat; vid. Eustath *ad Iliad. δ'. pag.* 357. *Edit. Basil.*

Prima inter arma nocentia, quæ recentius inventa sunt, erant ἔγχος ac δόρυ *hasta* & *lancea*, cujus hastile ligneum erat, ac temporibus heroicis vulgo fraxineum; hinc Homerus frequentissime meminit μελίης, ex gr. cum de hasta Achillea disserit *Iliad. δ'. vers.* 143.

Πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε Χείρων
Πηλίου ἐκ κορυφῆς, φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσιν.
Peliadem fraxinum, quam patri charo dedit Chiron
Pelii ex vertice, ut cædes esset heroibus.

Trojani similiter eodem ligno armantur *Iliad. δ'. vers.* 47.

Καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο.
Et Priamus & populus hastæ fraxineæ periti Priami.

Cuspis, Græce αἰχμὴ, ahenea erat, necnon σαυρωτὴρ, sic dictus vel quasi σταυρωτὴρ a σταυρὸς *crux*, aut a σαῦρος *lacerta*, cujus speciem (ut ajunt) referebat, ab una parte, qua extremæ hastæ inserebatur, recurvus, altera vero acuminatus, qui humi infixus hastam erectam sustinebat, quotiescunque milites a laboribus quiescebant, juxta Eustathium & Pollucem *lib.* I. *cap.* V. Inde Homerus de Diomedis comitibus verba faciens sic ait *Iliad. κ'. vers.* 151.

—— ἀμφὶ δ' ἑταῖροι
Εὗδον· ὑπὸ κρασὶν δ' ἔχον ἀσπίδας· ἔγχεα δέ σφιν
Ορθ' ἐπὶ σαυρωτῆρος ἐλήλατο. ——
—— *circumque socii*
Dormiebant: sub capitibus autem habebant scuta: hastæque ipsis
Erectæ in cuspide posteriore fixæ erant. ——

Aristoteles *de Arte Poet.* eumdem morem apud Illyricos sua ætate obtinuisse testatur, qui videtur ad alias gentes pervenisse; ut liquet ex 1. *Sam. cap.* XXVI. *vers.* 7. ubi Saul dicitur obdormivisse, hasta juxta caput terræ infixa. Pace hastas ad columnas erigebant in oblonga lignea theca, quæ dicitur δουροδόκη, ut exstat apud Homerum *Odyss. α'. vers.* 129.

Εγχος ὁ μὲν ἔστησε, φέρων πρὸς κίονα μακρὴν,
Δουροδόκης ἔντοσθεν ἐΰξόου. ——
Hastam quidem statuit, ferens ad columnam longam,
Intra armarium bene politum. ——

Virgilius *Æneid. lib.* XII. *vers.* 92. accinit Homero:

Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus adstabat, validam vi corripit hastam.

Hastarum duo genera exstant, ut Strabo probe notavit *lib.* X. priori, quæ dicebatur δορυόρεκτον, cominus pugnabant, cujus moderandæ ac torquendæ peritia Abantum celebratur apud Homerum *Iliad. β'. vers.* 542.

Τῷ δ' ἅμ' Αβαντες ἕποντο θοοὶ, ὄπιθεν κομόωντες,
Αἰχμηταὶ, μεμαῶτες ὀρεκτῇσι μελίῃσιν
Θώρηκας ῥήξειν δηΐων ἀμφὶ στήθεσσι.
Hunc simul Abantes sequebantur veloces, a tergo comati,
Pugnaces, prompti porrectis hastis fraxineis
Thoraces disrumpere hostium circa pectora.

Ubi notanda est significatio verbi ὀρέξασθαι, quod (ut Scholiastes animadvertit) ad arma, quibus ex propinquo decertabant, refertur; econtra πάλλειν de missilibus potius dicitur, quæ efferuntur generalioribus nominibus παλτὰ & βέλη, posterius hastarum genus complectentibus; unde verba Thrasonis cujusdam jactabundi *Odyss. θ'.*

Δουρὶ δ' ἀκοντίζω ὅσον οὐκ ἄλλος τις ὀϊστῷ.
Hasta autem jaculor quantum nullus alius sagitta.

Heroes pugnam singularem hunc in modum decertare solebant, qui, hastis vibratis, dimicabant ensibus. Sic Hector & Achilles *Iliad. χ'.* Menelaus ac Paris *Iliad. γ'.* cæterique inter se pugnantes inducuntur. Theocritus pugnam Castoris cum Lynceo eamdem describit *Idyll. κβ'.*

Εγχεσι μὲν πρώτιστα τιτυσκόμενοι πόνον εἶχον
Αλλάλων, εἴπου τι χροὸς γυμνωθὲν ἴδοιεν.
Αλλ' ἤτοι τὰ μὲν ἄκρα, πάρος τινὰ δηλήσασθαι,
Δοῦρ' ἐάγη, σακέεσσιν ἐνὶ δεινοῖσι παγέντα.
Τὼ δ' ἄορ' ἐκ κολεοῖιν ἐρυσσαμένω, φόνον αὖθις
Τεῦχον ἐπ' ἀλλάλοισι· μάχης δ' οὐ γίνετ' ἐρωή.

Hastas quidem dirigentes primum certamen habebant A
Alter in alterum, si quam corporis partem nudam viderent.
Verum extremitates, priusquam quemquam læderent,
Hastarum frangebantur, quum in duris scutis fixæ essent.
Illi vero enses e vaginis stringentes, rursum cædem
Struebant sibi mutuo: neque ulla pugnæ remissio fiebat.

Macedones utebantur specie hastæ dictæ σαρίσης quæ XIV. aut XVI. cubitorum longitudinem æquabat. B

Ξίφος, id est, *ensis*, antiquitus a baltheo superhumerali pendebat; unde Homerus hæc habet *Iliad. β'. vers.* 45.

Αμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον.
Circum autem humeros posuit ensem argenteis clavis.

Hesiodus ac reliqui Poetæ idem memorant: sic ille *Scuto Herculis vers.* 221.

Ωμοισιν δέ μιν ἀμφὶ μελάνδετον ἄορ ἔκειτο C
Χάλκεον, ἐκ τελαμῶνος ——
Ex humeris autem circa ipsum vagina inclusus nigra ensis pendebat
Æreus, de loro. ——

Baltheus ad femora usque dimittebatur. Hinc Homericus Heros *Odyss.* λ'.

Αὐτὰρ ἐγὼ ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηρῦ
Ηλυν. ——
Cæterum ego gladio acuto stricto a femore
Ibam. —— D

Et Æneas apud Virgilium *Æneid. lib.* X. *vers.* 786
—— *ocyus ensem*
Æneas, viso Tyrrheni sanguine lætus,
Eripit a femore.

Quæri potest, an a dextro an vero a sinistro latere ensis penderet; quidam regerunt, pedites ad sinistram, equites autem ad dextram, gladium gestasse; & Josephus *Excid. Hierosol. lib.* III. disertis verbis meminit equitum, quibus ensis dextrorsum demittebatur: sed an illud semper & ubique fuerit observatum, an vero alternas vices subierit, (ut Lipsius *Milit. Rom.* de ense Romano animadvertit) non tam facile definiri potest. Ad vaginam, quæ vocabatur κολεὸς, appensus erat pugio, dictus τὸ παρὰ μηρὸν, παραμήριον, aut παραζώνιον ξιφίδιον, juxta Eustathium *ad Iliad.* γ'. παραξιφίδιον vel ἐγχειρίδιον, & apud Homerum μάχαιρα. Raro illo pugnabant, sed data occasione loco cultri utebantur; sicut patet hoc uno exemplo ex eodem Poeta petito *Iliad.* γ'. *vers.* 271. E

Ατρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
Η οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κυλεὸν αἰὲν ἄορτο,
Αρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας. —— F
Atrides autem districto manibus cultro
Qui ei ad ensis magnam vaginam semper pendebat,
Agnorum ex capitibus abscidit pilos. ——

Possidonius apud Athenæum *Deipnosoph. lib.* XIV. testatur priscos Gallos id ipsum usurpasse. Juxta illum, aut potius pro illo, milites serius sicam, dictam ἀκινάκην, gestabant; cujus usum a Persis acceperant, prout notant Moschopulus in *Vocib. Atticis*, Pollux, cæterique. Aliquando alio ense, nomine κοπὶς, utebantur, qui proxime accedebat ad Romanorum *ensem falcatum* ac nostrum *acinacem*; nec non apud Argivos præsertim usui erat. Huic non absimiles erant Spartanorum enses, qui juxta Pollucem ξυῖναι, sed, si Xenophonti credimus, ξυήλαι, ab Atheniensibus vero κνήστεις appellati sunt; vid. Suidas, Eustathius *ad Iliad.* γ'. Hesychius, aliique; falcati erant ac multo breviores illis, qui in aliis Græciæ locis vulgo obtinebant; cujus moris causa redditur ab Antalcide, qui interrogatus respondit, *Se illo gladio uti, quia hostem cominus adoriebantur*; ut censet Plutarchus *Apophth.* & cum alter apud Agesilaum ensem hujusmodi derisisset, quem agyrta facile deglutiret, si vellet: *imo* (reponit Rex ille) *nihilominus hostem his brevibus armis attingere valemus*; juxta eumdem *loc. cit.* & in *Lycurgo*. Denique in antiquorum Græcorum ense animadverti debet capulus, quem summa cum cura decorabant, non tam argento, auro, gemmisque, quam figuris capitum leoninorum, quo majorem terrorem hosti incuterent.

Αξίνη est genus securis, qua Agamemnonem adoritur Pisander apud Homerum *Iliad.* ν'. *vers.* 611.

—— ὁ δ' ὑπ' ἀσπίδος εἵλετο καλὴν
Αξίνην εὔχαλκον, ἐλαΐνῳ ἀμφὶ πελέκκῳ,
Μακρῷ, εὐξέσῳ. ——
—— *ille autem de sub scuto sumpsit pulchram*
Securim ex ære scite factam, oleaginum insertum habens manubrium,
Longum, bene politum. ——

Πέλεκυς prædictæ ἀξίνῃ non absimilis erat, imo cum illa confunditur ab Homero *Iliad.* ό. *vers.* 710.

Αλλ' οἵ γ' ἐγγύθεν ἱστάμενοι, ἕνα θυμὸν ἔχοντες,
Οξέσι δὴ πελέκεσσι καὶ ἀξίνῃσι μάχοντο.
Sed hi cominus stantes, unum animum habentes,
Acutis jam securibus & bipennibus pugnabant.

Varia alia armorum genera notæ obscurioris apud Scriptores occurrunt, quorum hoc unum memorare lubet, & deinde ad arma missilia pergam: illud est κορύνη, fustis ligneus aut ferreus; a quo famosus ille latro Periphetes, a Theseo occisus, Κορυνήτης dictus est; vid. Plutarchus in *Theseo*, Diodorus Siculus *lib.* IV. Eodem nomine insignitur Areithous, qui (ut Homerus refert *Iliad.* ή. *vers.* 136.) clava ferrea integra hostium agmina facile perrumbebat:

Τοῖσι δ' Ερευθαλίων πρόμος ἵστατο, ἰσόθεος φὼς,
Τεύχ' ἔχων ὤμοισιν Αρηϊθόοιο ἄνακτος,
Δίε Αρηϊθόε, τὸν ἐπίκλησιν Κορυνήτην
Ανδρες κίκλησκον καλλίζωνοί τε γυναῖκες·
Οὕνεκ' ἄρ' ὐ τόξοισι μαχέσκετο δουρί τε μακρῷ,
Αλλὰ σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας.
Inter illos autem Ereuthalion in acie primus stabat, par deo vir,
Arma gestans humeris Areithoi regis,
Nobilis Areithoi, quem cognomento Clavigerum
Viri appellabant pulchreque cinctæ mulieres:
Quoniam non sagittis pugnabat hastaque longa,
Sed ferrea clava rumpebat phalanges.

Τόξον, *arcus*; cujus inventio Apollini a quibusdam tribuitur, idcirco ab arte arcum tendendi varia nomina obtinuit; cujusmodi ἑκηβόλος, ἑκατηβελέτης, ἕκατος, τοξοφόρος, χρυσότοξος, ἀργυρότοξος, εὐφαρέτρης, &c. Quæ omnia epitheta etsi Fabularum Interpretes ad peregrinos sensus detorqueant, attamen antiqui Mythologi ad hanc originationem uno consensu referunt. Istud inventum Deus ille largitus est primævis Cretæ incolis juxta Diodo-

rum, qui dicuntur primi mortalium artem sagittandi calluisse, ut notat Isidorus; imo inferioribus sæculis arcus Cretenses celebrantur, ac reliquis omnibus, qui in Græcia obtinebant, anteponuntur; leg. Pollux *lib.* I. *cap.* X. Alii malunt Persem filium Persei hujus generis armorum inventorem prædicare, alii vero Scythem Jovis filium, juxta Plinium, gentisque Scytharum parentem, qui illius artis peritissimi erant, ejusdemque primi magistri a multis laudantur; ab his autem ad Græcos pervenit, quorum plures nobilissimi juvenes a Scythis instituti sunt; quod pro ratione temporum non immerito haberi potest eximia institutio. Sic Hercules (ne plura exempla afferam) illam artem edoctus est a Teutaro pastore Scytha, qui illum donavit arcu & sagittis Scythicæ artis; hinc Lycophron de Herculis sagittis verba faciens hæc ait *Cassand. vers.* 56.

Τοῖς Τευταρείοις βουκόλου πτερώμασι,
Teutari bubulci sagittis,

Item Tzetzis Scholia *ibid.* & Theocriti Scholiastes *Idyll.* XIII.

Et quamvis Theocritus nomen magistri in Eurytum mutaverit, nihilominus ipsemet Eurytus Scytha origine erat: idcirco apud eumdem Poetam *Idyll.* eodem Heros ille inducitur Mæotico, id est, Scythico, arcu instructus;

Ωχετο, Μαιωτιςὶ λαβὼν εὐκαμπέα τόξα.
Abiit, more Scytharum sumpto incurvo arcu.

Pariter Lycophron *Cassand. vers.* 915. Μαιώτην πλόκον, hoc est, *Mæoticum arcum*, Minervæ tribuit, eodemque loco meminit Herculis draconis Scythici, quo intelligit arcum ab Hercule Philoctetі donatum in pignus animi grati, cum rogum accenderet, quo vivus combustus est:

Αὐτὴ γὰρ ἄκραν ἄρδιν εὐθυνεῖ χεροῖν
Σάλπιγξ, ἀποψάλλουσα Μαιώτην πλόκον·
Δύρα παρ' ὄχθαις ὅς ποτε φλέξας θρασὺν
Λέοντα, ῥαιβῷ χεῖρας ὥπλισε Σκύθῃ
Δράκοντ', ἀφύκτων γομφίων λυροκτύπον.
Ipsa namque extremam sagittam diriget manu
Tubicina, Mæotium intendens nervum:
Qui apud ripas Duræ quondam comburens audacem
Leonem, curvo manus armavit Scythico
Dracone, inevit ab lium molarium lyricine.

Præterea ambo illi Poetæ flexuram arcus Scythici præsertim notant, qua distinguitur ab arcubus Græcorum cæterarumque gentium; & tantæ magnitudinis erat, ut lunam dimidiatam aut semicirculum complecteretur; sicut legere est apud Marcellinum *lib.* XX. Unde Opilio apud Athenæum *Deipnosoph. lib.* X. describens litteras nominis Thesei, & uniuscujusque figuram ad quidquam simile referens, tertiam arcui Scythico assimilat:

Σκυθικῷ δὲ τόξῳ τὸ τρίτον ἦν παρεμφερές.
Scythico autem arcui tertia erat fere similis.

Qua intelligit non recentiorem figuram litteræ *S*, sed antiquiorem *C*, quæ semi-circulum exhibet, & in nomine ΘΗCΕΥC tertium locum obtinet.

Arcus apud Græcos vulgo decorabantur auro argentove, quapropter memorantur *arcus aurei*, & Apollo vocatur ἀργυρότοξος; sed ex ligno ut plurimum conficiebantur; etsi antiquitus Scytharum in morem cornei erant; quemadmodum lege-

A re est de Pandari arcu apud Homerum *Iliad.* δ'. *vers.* 105.

Αὐτίκ' ἐσύλα τόξον εὔξοον, ἰξάλου αἰγὸς
Ἀγρίου, ὅν ῥά ποτ' αὐτὸς ὑπὸ στέρνοιο τυχήσας,
Πέτρης ἐκβαίνοντα δεδεγμένος ἐν προδοκῇσι,
Βεβλήκει πρὸς στῆθος· ὁ δ' ὕπτιος ἔμπεσε πέτρῃ.
Τοῦ κέρα ἐκ κεφαλῆς ἑκκαιδεκάδωρα πεφύκει·
Καὶ τὰ μὲν ἀσκήσας κεραοξόος ἤραρε τέκτων,
Πᾶν δ' εὖ λειήνας, χρυσέην ἐπέθηκε κορώνην.
Statim eduxit arcum perpolitum, salacis capri
Agrestis, quem quondam ipse sub pectore assecutus,
B *Et rupe exeuntem excipiens in insidiis,*
Percusserat in pectus: hic autem supinus cecidit in petram
Cujus cornua ex capite sexdecim palmorum nata erant:
Et illa quidem elaborans cornuum politor aptaverat faber,
Totumque cum recte lævigasset, auream imposuit cuspidem.

Unde Lycophron *Cassand. vers.* qui mores antiquatos ac phrases obsoletas affectat, hæc babet
C de Apolline Idam arcu aggrediente:

—— ἐν χάρμαισι ῥαιβώσας κέρας.
—— *in pugna curvato cornu*.

Sed quidam inter veteres Glossographos κέρας malunt interpretari τρίχωσιν, id est, *arcus nervum*, qui ex pilis equinis contortus erat, ideoque dictus ἱππεία Hesychio: ad quod Accius alludit, cum ait:

Reciproca tendens nervo equino concita
Tela. ——

Apud Homerum vero illi nervi conficiuntur ex
D tergoribus in corrigias dissectis: unde legimus τόξα βόεια *Iliad.* δ'. *vers.* 122.

Ελκε δ' ὁμοῦ γλυφίδας τε λαβὼν καὶ νεῦρα βόεια.
Traxit autem simul crenas sagittæ prebensas & nervos bovinos.

Ut Eustathius observat *ad hunc locum*. Hoc unum denique de arcu notandum est: nimirum illa pars, cui nervus annectebatur, quæque extremo arcu exstabat, vocata κορώνη, vulgo aurea, & arcum absolvens; quapropter Homerus *Iliad.* δ'. post-
E quam arcum delinearit, hæc subdit:

—— χρυσέην ἐπέθηκε κορώνην.
—— *auream imposuit cuspidem*.

Hinc Eustathius nos docet χρυσῆν ἐπιτιθέναι κορώνην denotare *rem ad felicem exitum perducere*.

Sagittæ leviore ligno sæpius conficiebantur, cui præfigebatur cuspis ferrea, ut plurimum hamata; unde Ovidius de Amore:

Et manus hamatis utraque est armata sagittis.

Aliquando duobus, tribus, imo quatuor uncis armabantur; ut legere est apud Statium *Thebaid. lib.* IX.

F *Aspera tergeminis acies se condidit uncis*.

Eodem sensu Hippocratis τετράγωνα βέλη intelligenda veniunt. Acies sagittæ veneno infici solebant; qua inhumana arte celebratur Amycus apud Virgilium *Æneid. lib.* IX. *vers.* 771.

—— *inde ferarum*
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno.

Mos iste, qui apud barbaras gentes invaluit, a

Græcis raro usurpatus est; hinc Minerva apud Homerum personam agens Mentæ Regis Taphiorum & Anchiali filii obtendit patrem suum, amicitiæ ergo, illo lethifero unguento Ulyssem liberali manu donasse, qui molestum iter in Ephyram antea susceperat ad illud sibi comparandum, sed ipsi denegatum fuit ab Ilo Mermeri filio, qui postea (ut Poeta refert *Odyss. α. vers.* 260.) religionis causa petitionem Ulyssis ratam habere noluit, timens ne Dii illius criminis vindices forent;

Ἐξ Ἐφύρης ἀνιόντα παρ' Ἴλου Μερμερίδαο.
Ὤχετο γὰρ κἀκεῖσε θοῆς ἐπὶ νηὸς Ὀδυσσεὺς,
Φάρμακον ἀνδροφόνον διζήμενος, ὄφρα οἱ εἴη
Ἰοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας· ἀλλ' ὁ μὲν οὔ οἱ
Δῶκεν, ἐπεί ῥα θεοὺς νεμεσίζετο αἰὲν ἐόντας·
Ἀλλὰ πατήρ οἱ δῶκεν ἐμὸς, φιλέεσκε γὰρ αἰνῶς.
Ex Ephyre reversum ab Ilo Mermerida.
Profectus enim erat illac celeri in navi Ulysses,
Venenum mortiferum inquirens, ut ipsi esset
Ad sagittas ungendas ære acuminatas: sed ille quidem non ei
Dedit, quoniam deos verebatur sempiternos:
Sed pater illi dedit meus, amabat enim vehementer.

Præterea alis instruebantur ad vim & celeritatem augendam unde nati sunt apud Homerum πτερόεις ἰὸς *Iliad.* δ'. πτερόεις οἰστὸς *Iliad.* ε'. apud Oppianum Ἁλιευτ. β'. οἰστὸς φερέπτερυξ, & Κυνηγετ. εὔπτερος, & apud Sophoclem in *Trachin.* ἰὸς κομήτης, aliaque hujusmodi epitheta ac nomina; vide si placet, *Commentarium nostrum in Lycophronem v.* 56. Sagittæ gestabantur in pharetra undique clausa, ideoque (ut Eustath. notat *ad Iliad.* α'.) dicitur ἀμφηρεφής: pharetram cum arcu Heroes humeris imponebant; sic describitur Apollo apud Homerum *Iliad.* α'. *v.* 45.

Τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην.
Arcus humeris gestans, circumtectamque pharetram.

Pariter Hercules apud Hesiodum *Scuto Herculis vers.* 129.

—— κοίλην δὲ περὶ φαρέτρην
Καββάλετ' ἐξόπιθεν, πολλοὶ δ' ἔντοσθεν ὀϊστοὶ
Ῥιγηλοὶ, θανάτοιο λαθιφθόγγοιο δοτῆρες.
—— *cavam autem circa pectora pharetram*
Rejecit in tergum, multæ autem intus sagittæ
Horrendæ, mortis vocem reprimentis datrices.

His adde celebrem illam Heroidem apud Virgilium *Æneid. lib.* XI. *vers.* 652.

Aureus ex humero sonat arcus, & arma Dianæ.

Flectendo arcu manum ad aurem dextram minime adducebant Græci veteres, recentiorum temporum Persarumque in morem, juxta Procopium *de Bello Pers. lib.* 1. sed arcu recta ex adverso pectoris disposito manum ad mammam dextram reducebant, ex Eustathio *ad Iliad.* δ'. *pag.* 344. & *Iliad.* θ'. *p.* 602. *Edit. Basil.* prout solebant Amazones, quæ dextram mamillam rescidisse referuntur, ne illis sagittam emittentibus impedimento foret; qua de causa illarum nomen vulgo deducitur ab α privativo & μαζὸς *mamma*, quasi *absque mamma*. Hinc Homerus de Pandaro ait *Iliad.* δ'. *vers.* 123.

Νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον.
Nervum quidem mammæ admovit, arcui autem ferrum.

Varia jaculorum erant genera; ex. gr. ξυστὸς, qui ab Homero *Odyss.* δ'. & Eustathio *ibid.* dicitur

A αἰγανέη; ὑσσὸς, & plurima alia; quorum quædam torquebantur ope lori, medio corpori accincti, quod Græcis dictum ἀγκύλη, Latinis vero *amentum*; actio ipsa verbo ἀγκυλίσασθαι effertur, etsi non raro usurpetur in genere pro quovis modo jaculandi & sine amento; jaculum sic contortum appellatur μεσάγκυλον; hujusmodi moris meminerunt Romani ac Græci Scriptores; unde Seneca in *Hippolyto*:

Amentum digitis tende prioribus,
Et totis jaculum dirige viribus.

B Antiqui Græci hostem lapidibus lacessere soliti. Sic Agamemnon apud Homerum *Iliad.* λ'. *v.* 264.

Αὐτὰρ ὁ τῶν ἄλλων ἐπεπωλεῖτο στίχας ἀνδρῶν,
Ἔγχεΐ τ', ἄορί τε, μεγάλοισί τε χερμαδίοισιν
At hic aliorum obibat ordines virorum,
Hastaque, enseque, magnisque saxis.

Hi lapides tantæ magnitudinis erant, ut viribus conjunctis plures homines hac nostra ætate vix ac ne vix quidem sustollere valerent. Lapide hujus crassitiei Diomedes apud Homerum *Iliad.* ε'. *v.* 302. Æneam prostravit;

C —— ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν· ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος.
Τῷ βάλεν Αἰνείαο κατ' ἰσχίον. ——
—— *ille autem saxum prehendit manu*
Tydides, magni ponderis, quod non duo viri ferrent,
Quales nunc homines sunt: hic vero ipsum facile movebat etiam solus.
Eo percussit Æneæ coxendicem. ——

D Pariter Ajax & Hector iisdem armis se invicem adoriuntur; posterioris quidem (ut Poeta refert *Iliad.* η'. *v.* 270.) clypeus confractus est lapide molari:

Εἴσω δ' ἀσπίδ' ἔαξε βαλὼν μυλοειδέϊ πέτρῳ.
Perfregit autem clypeum percussum molari saxo.

Imo ipsimet Dii hujusmodi armis usi sunt, ut patet exemplo Minervæ apud Homerum *Iliad.* φ'. *v.* 403. quæ in Deum belli irruit, armata lapide portentosæ magnitudinis, qui superioribus sæculis in terminum erectus fuerat.

Ἡ δ' ἀναχασσαμένη, λίθον, εἵλετο χειρὶ παχείῃ,
E Κείμενον ἐν πεδίῳ, μέλανα, τρηχύν τε, μέγαν τε,
Τόν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης.
Τῷ βάλε θοῦρον Ἄρηα κατ' αὐχένα, λῦσε δὲ γυῖα.
Illa vero retro cedens, saxum prehendit manu forti,
Jacens in campo, nigrum, asperumque, magnumque,
Quod prisci homines posuerant ut esset terminus agri:
Hoc percussit impetuosum Martem ad cervicem, solvitque membra.

F Virg. *l.* XII. *Æneid. v.* 896. hujus rei præclarum exemplum eleganter describit, cum ait de Turno:

Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis:
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida contorsit in hostem,
Altior insurgens, & cursu concitus heros.

Cujusmodi descriptiones plurimi inter recentiores Criticos, præsertim inter Gallos, exagitant exploduntque tanquam absurdas atque ineptas, qui

dum leges probabilitatis ex moribus suæ ætatis statuunt, vix ullus locus occurrit apud veteres Poetas, qui illorum subtiliori palato bene sapiat hac vel illa de causa.

Sed quamvis prælia veterum Heroum prædicto stylo describi debeant, ex testimonio plerorumque Poetarum antiquorum, nihilominus recentioribus sæculis, quibus tradunt hominum robur ac fortitudinem minui, dum illorum prudentia & astutia proficiebant, raro fit mentio lapidum, nisi in obsidionibus, cum obsessi in capita hostium saxa ingentia devolvere solebant. Variis instrumentis bellicis similiter emittebantur, quorum usitatissimum in præliis erat,

Σφενδόνη, seu *funda*; quæ (ut plures volunt) ab incolis insularum Balearium inventa est, qui tanta arte atque dexteritate eam torquebant, ut a matribus cibus pueris non porrigeretur, nisi prius de summo palo lapidem aut quid simile dejecissent; ut discere est ex Vegetio *de Re Milit. lib.* I. *c.* XVI. Cum vero in militiam ibant, hujusmodi instrumentum primas tenebat inter arma lædentia illius gentis; solebant enim tres fundas gestare, quarum duæ de collo, (ut notat Eustathius *Comment. in Dionysium*) aut (prout sentit Lycophron ejusque Scholiastes) altera collo, altera vero manu pendebant, denique tertia lumbis circumcingebatur. Hinc fundæ Balearicæ ab omnibus priscis Scriptoribus celebrantur; ex. gr. ab Ovid. *Metam. lib.* II.

Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum
Funda jacit; volat illud, & incandescit eundo,
Et quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.

Funda similiter utebantur Græci, præsertim Acarnanenses, e Polluce *lib.* I. *c.* X. qui artis fundam moderandi peritissimi erant, & a multis creduntur ejusdem inventores; alii hanc laudem Ætolis tribuunt, juxta Strabonem; sed nulli Græcorum tanta arte ac peritia illam torquebant ac Achæi, qui Ægium, Dymas, & Patras tenebant; illi enim a pueritia hanc artem exercebant, (ut legere est apud Livium *lib.* XXXVIII.) ipsosque Balearicos hac in arte antecelluisse a non paucis produntur: unde trito proverbio quidquid in scopum recta collimabat, dictum Ἀχαϊκὸν βέλος, secundum Suidam. Vulgares leviterque armati milites illis armis uti solebant: Cyrus existimabat hæc non decere præfectum, sicut refert Xenophon *Cyropæd.* l. VII. ipseque Alexander, ut hostes apud suos milites in contemptum adduceret, illos sic alloquitur apud Curtium *lib.* IV. *Intuerentur Barbarorum inconditum agmen: alium nihil præter jaculum habere, alium funda saxa librare, paucis justa arma esse.* Figuram fundæ ex Dionysio discere est, qui terræ illam assimilat, cum non foret perfecte rotunda, sed oblonga & ad meditullium latior: funda enim funiculo implexo non absimilis erat, in medio aliquantulum patens, figuram ovalem referens, & paulatim in duo lora desinens: Geographi illius hæc sunt ipsissima verba Περιηγ.

Οὐ μὲν πᾶσα διαπρὸ περίδρομος, ἀλλὰ διαμφὶς
Εὐρυτέρη βεβαυῖα πρὸς ἠελίοιο κελεύθους,
Σφενδόνῃ εἰοικυῖα. ——
Non quidem omnis prorsus rotunda, sed utrinque
Latior adscendit ad solis ortum,
Fundæ similis. ——

Videntur ex diversa materia confici; apud Homerum ex lana ovina; idcirco cujusdam Herois manum vulneratam Agenor funda obligat *Il.* ν́. *v.* 599.

Αὐτὴν (scil. χεῖρα) δὲ ξυνέδησεν ἐϋστρόφῳ οἰὸς ἀώτῳ,
Σφενδόνῃ, ἣν ἄρα οἱ θεράπων ἔχε ποιμένι λαῶν.
Ipsam vero colligavit pulchre circumvoluta ovis lana,
Funda, quam ei minister tenebat pastori populorum

A Hac emittebantur sagittæ, lapides, & laminæ plumbeæ, quæ dicuntur μολυβδίδες aut μολυβδίναι σφαῖραι, ex quibus quædam libram Atticam, id est, centum drachmas, pondo æquabant. In varia genera distinguebantur; aliæ una, aliæ duabus, aliæ vero tribus habenis moderabantur.

Funda bis terve circum caput adducta globum emittebant. Sic Mezentius apud Virgilium *Æneid. lib.* IX. *vers.* 587.

Ipse ter adducta circum caput egit habena.

Attamen a Vegetio illius artis peritissimi laudantur, qui funda semel tantum circumacta globulum explodebant. Quousque illud genus armorum glan-
B dem adigebat, ex sequenti versiculo edocemur.

Fundum Varro vocat, quem possis mittere funda.

Tanto impetu ferebatur, ut nec galea, nec clypeus, nec aliud armaturæ genus, illi sustinendo par esset; atque ex concitatissimo motu, quo agitur, plumbatæ (ut Seneca refert) non raro liquefiebant. *Tab.* III. *Fig.* V. & VI. *col.* 460.

Denique memorantur glandes igniariæ, quæ appellantur πυροβόλοι λίθοι, &c. aliæ σκυτάλια aut σκυταλίδες, quæ ligneæ erant, & aliquando pe-
C dem, imo cubitum æquabant: spicis ferreis armabantur, quibus substernebantur faces, cannabis, pix, aut tale quid combustibile, quæ cum ignem concepissent, magno cum impetu in obvios hostium ordines vibrabantur; unde spicæ illæ ferreæ cuivis rei occurrenti adhærentes penitus comburebant, ut notum est ex Suida: quapropter mihi videntur, præsertim in obsidionibus, hostium operibus diruendis inserviisse; etsi modo memoratus Scriptor nihil tale notaverit.

De militari vestitu quidquam certi aut firmi dici non potest; tantum observari debet, Lycurgum apud Lacedæmonios habitum purpureum militibus
D præcepisse; cujus instituti varia causa reddi potest; vel quia illo colore pannus facillime imbuitur, nec non cæteris perennior existimatur, ex Xenophonte *de Repub. Lacedæm.* vel quia acris & splendidus, qui color illi Legislatori videbatur idoneus hominum animo erigendo, atque viros fortes maxime decens, juxta Plutarchum *Instit. Lacon.* aut denique quia aptissimus erat maculis sanguinis absorbendis, ad cujus adspectum aut imperiti ac inexperti milites animum desponderent partesque desererent, aut hostes novas vires & alacritatem reciperent, ex Plutarch. *loc. cit.* Æliano *lib.* VI. *c.* VI. Valerio *lib.* II. *c.* VI. Quod probe sapienterque ani-
E madversum fuisse notat Eustathius in *Scholiis ad locum Homeri Iliad.* λ΄. ubi pusillanimes Trojani, cum sanguinem ex Ulyssis vulnere defluentem vidissent, animum de novo colligunt, ac se invicem adhortantes, in Heroem conjunctis viribus ruunt *Iliad.* λ΄. *v.* 459.

Τρῶες δὲ μεγάθυμοι, ἐπεὶ ἴδον αἷμ᾽ Ὀδυσῆος,
Κεκλόμενοι καθ᾽ ὅμιλον, ἐπ᾽ αὐτῷ πάντες ἔβησαν.
Trojani autem magnanimi, postquam viderunt sanguinem Ulyssis,
Cohortantes sese per turbam, in ipsum omnes iverunt.

F Ulterius de Lacedæmoniis notandum venit, illos cum hoste manum conseruisse, coronas sertaque capitibus gestantes, etsi alias illis ornamentis uti minime solerent: his signis felicem successum sibi promittentes, &, ut ita dicam, ante victoriam tropæa erigentes, cum in omnibus Græciæ partibus victores in præmium virtutis coronari soliti essent. Verum enimvero aliquid stupendum & prodigii simile animadvertere est in veterum Lacedæmoniorum fortitudine ac fortuna, qui impavidi & securi hostem aggrediebantur, cum non solum de prælii

exitu felici minime dubii, imo vero de victoria certo persuasi forent; quod ipsis innatum ac solitum erat, ita ut in signum grati animi pro optima fortuna vix quidquam melius, præter gallum gallinaceum, Diis mactarent: ne dum plus nimium superbia inflabantur ob optatissima nova accepta, nec illorum nuncios muneribus alicujus momenti donabant, ut aliæ civitates solitæ erant: nam qui nuncium victoriæ adeptæ in celeberrimo prælio Mantinensi attulit, nullum aliud præmium, præter carnis bovinæ conditæ grandiorem partem, accepisse refertur, ut legere est apud Plutarchum in *Agesilao*.

Milites commeatum secum circumferre solebant, qui plerumque carne salita, caseo, olivis, cepis, &c. constabat. Idcirco quivis miles vas vimineum colli oblongi & angusti, dictum γύλιον, gestabat, ex Aristoph. Scholiaste *in Acharnens.* unde homines colli oblongi a Poeta Comico in *Pace* γυλιαύχενες ironice dicuntur.

CAP. V.

De Præfectis Atheniensium ac Lacedæmoniorum exercituum.

CUm civitates Græciæ variis legibus regerentur, munera, quæ aut militiæ aut domi exercebantur, natura titulisque necessario distinguebantur; idcirco quia infinitum foret varias præfecturas, quæ apud totam Græcorum gentem obtinebant, recensere, breviter exponam sola præcipua officia militaria apud Athenienses ac Lacedæmonios.

Priscis temporibus cum civitates a Regibus moderabantur, summum imperium jure meritoque ad eos pertinebat; & imprimis illorum officii erat, subditis præire in bellum, ac pugna singulari in exercitus fronte cum hostium fortissimis dimicare. Præterea observatu dignum est, si Princeps ex ignavia aut quadam animi imbecillitate populo protegendo minime idoneum se præberet, fide fracta alterum melioribus dotibus ornatum in illius locum sufficere subditos solitos fuisse: hujus rei memorandum exemplum exstat Thymœtes Atheniensium Rex, qui cum certamen, ad quod Xanthus Bœotiæ Rex eum provocabat, detrectasset, sua dignitate statim exutus est, eique subrogatus quidam peregrinus nomine Melanthius, genteque Messenius, qui controversiam Atheniensium cum Bœotis ferro decernere suscepit; vide supra *Archæologiam nostram*.

Nihilominus certo casu usurpatum est, ut Rex virum virtute ac fortitudine eximium eligeret πολέμαρχον seu *belli imperatorem*, qui vel proximus Regi exercitum regebat, aut, si res urgebat ut Rex domum repeteret, illius locum subibat: sic Rex Erechtheus in Ionem Xuthi filium bello Eleusiniaco illum honorem contulit, ex Pausania in *Atticis*.

Sed postquam lapsu temporis suprema majestas ad populum devoluta foret, res alium in morem tractabantur; cum enim omnes tribus æqua potestate gauderent, statutum est, ut unaquæque ex suo collegio imperatorem crearet: quod Cimonis tempore factum fuisse ex Plutarchi *Cimone* discimus. Verum Petito, in *Commentario ad leges Atticas*, incertum videtur an id semper observatum fuerit, ut singulæ tribus suum στρατηγὸν ex propria tribu, vel potius ut universæ simul e quacumque tribu decem eligerent.

Qui strategus creabatur, liberos e legitimis nuptiis susceptos, & agrum intra fines Atticæ habere debebat; (vid. Dinarchus *in Demosthenem*) neque prius ad munera sua admissi videntur, quam hæc comperta forent. Nempe bona oppignorabant Reipublicæ, liberique paternæ fidei obsides erant: itaque factum aliquando ut illa paterna delicta luerent. Cicero *Epist. ad Brutum*: *In qua videtur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna pervenit; sed id & antiquum est, & omnium civitatum; siquidem Themistoclis etiam liberi eguerunt.* Hinc Sinon Virgilianus de suis liberis *Æneid. lib.* 11. *vers.* 139.

Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
Effugia, & culpam hanc miserorum morte piabunt.

Illa nominatio peragebatur publica concione, quæ ea occasione in Pnyce celebrata est, & frequenter in eosdem viros incidebat, si antea fortiter ac prudenter se gessissent atque munere fungerentur in salutem gloriamque patriæ; ita ut Phocion quadraginta quinque vicibus summum imperium administrasse dicatur, etsi illum honorem nunquam ambiisset, sed libero & spontaneo populi suffragio electus fuisset; ut legere est apud Plutarchum in *Phocionis Vita*. Ante inaugurationem apud Rempublicam sacramentum dicebant, in quo aliquid singularius animadverti debet, nimirum obstringebantur ad agrum Megarensem bis in anno invadendum: quæ clausula eidem sacramento primum inserta est, Charino postulante in vindictam Anthemocriti Atheniensium fecialis a Megarensibus inhumaniter occisi principio belli Peloponnesiaci, juxta Plutarchum in *Pericle*. His præmissis, summum imperii ac cura belli instruendi ipsis committebatur, ut omnia adhiberentur & dirigerentur ad eorum nutum; nihilosecius eorundem potestas minime arbitraria, sed certis legibus circumscripta erat; nam finita præfectura, ad rationem sui ministerii reddendam vi statuti tenebantur: solummodo necessitate urgente rectius ducebatur eos ab illa lege solvere, ac plenissima auctoritate induere, tuncque dicebantur αὐτοκράτορες, juxta Suidam; quo titulo ornatus est Aristides, cum summo imperio præesset ad celeberrimam pugnam Platæensem; necnon Nicias, Alcibiades, & Lamachus in expeditione Sicula; his adde plures alios, ex Plutarcho in *Aristide* notandos. Isti duces erant decem juxta numerum tribuum Athenis, vocabanturque στρατηγοὶ, qui æqua potestate potiebantur, & cum primo eligerentur, sæpissime ad expeditionem magni momenti suscipiendam simul ablegabantur, qua unusquisque per dies summam potestatem exercebat: sed ne in controversiis obortis æqua suffragia rebus agendis moram imponerent, undecimus ipsis adjungebatur, dictus πολέμαρχος, cujus suffragium utrivis partium dissidentium superadditum alteram vincebat; ut patet ex iis, quæ Herodotus refert de gestis Atheniensium in bello Medico. Eidemque dextrum aciei cornu ducere lege jussum erat, ut idem Auctor refert.

Sed alias inutile, ac forsitan periculosum, habebatur tot imperatores æquo jure instructos ad rem militarem agendam amandari: quapropter, etsi juxta numerum superius memoratum quotannis eligerentur, attamen ad militiam obeundam non omnes tenebantur: sed unus, duo, aut plures, si occasio urgeret, ad illud munus suscipiendum mittebantur. Polemarchus ad res civiles agendas distrahebatur, fiebatque Judex forensis, qui lites inter cives & peregrinos dirimere solebat: reliqui duces proprium officium singuli exercebant, quamvis nullus eorum a rerum militarium cura omnino immunis esset, sed liticulas, quæ inter homines illius ordinis nascebantur, componere satagebant, & rem bellicam, quæ intra civitatem agebatur, administrare soliti erant; vid. Demosth. *in Philipp.* Unde in duo genera distinguebantur; alii dicti οἱ ἐπὶ τῆς διοικήσεως, quia negotia ad civitatem spe-

ctantia tractabant: alii vero appellati οἱ ἐπὶ τῶν ὅπλων, a rebus militaribus, quas curabant. Horum posterioribus milites conscribendi aut exauctorandi copia dabatur, prout occasio ferebat, juxta eumdem *Orat. de Epitrierch.* ac Plutarchum in *Phocione*; & ut paucis dicam, tota res bellica ipsorum curæ tradebatur durante præfectura, quam per breve tempus exercebant, cum præfecti in civitate agentes alternatim rebus bellicis agendis constituerentur; leg. Ulpianus *in Midianam*.

Ταξίαρχοι pariter decem erant, (cum unaquæque tribus unum eligendi jus haberet) ac imperium post στρατηγὺς obtinebant. Exercitus castrametationibus & profectionibus dirigendis ac designandis præerant, necnon militibus commeatum præcipiebant, ipsorumque mandata ad exercitum per publicos præcones deferebantur. Præterea induti potestate quemvis vulgarem militem criminis convictum exauctorandi. Præfecturam exercebant in solum peditatum; ut notat Lysias *Orat. pro Mantitheo*, & *de Neglecta Militia*, Aristophanis Scholiastes *Avibus*.

Ἵππαρχοι numerum duorum non excedebant, juxta sententiam Sigonii *de Republ. Athen.* atque equitatui imperabant, proximi στρατηγοῖς, ex Demosthene in *Midiana*.

Φύλαρχοι numerum decimum æquabant, quorum singuli ab unaquaque tribu nominati erant. Hi ἱππάρχυς excipiebant, eorumque juris erat equites rude donare ac sedes vacuas supplere pro re nata; quemadmodum legere est apud Lysiam *locis citatis*.

Hæc sufficiant de præcipuis præfectis. Inferiores duces vulgo nomina sortiebantur ab agmine aut numero militum, qui eorum imperio parebant; ex. gr. λοχαγοὶ, χιλίαρχοι, ἑκατόνταρχοι, δεκάδαρχοι, πεμπάδαρχοι, &c. Pergamus nunc ad exercitus Spartani præfectos.

Summum imperium uni committebatur; Lacedæmonii enim, etsi regimen aristocraticum in rebus civilibus sectarentur, experti erant monarchicum imperium in bello pluribus de causis cuivis alii anteponendum esse, ex Isocratis *Orat. ad Nicoclem*: quia, duobus ipsorum Regibus Demarato & Cleomene a se invicem dissentientibus, prior partem exercitus, cui imperabat, abduxisset, & consortem ad impetum hostium sustinendum solum deseruisset, idcirco lex sancita est, qua prohibitum fuit, ne ambo summo cum imperio exercitui simul præessent, ut ante illud infortunium usurpatum fuerat; leg. Herodot. *lib.* v. *c.* LXXV. Nihilominus urgente necessitate, cum salus atque honor Reipublicæ agebatur, prudenter malebant violata lege Rempublicam a periculo asserere, quam minutiis plus æquo servandis eamdem in discrimen adducere: Historici utique narrant, dubio bello in Argivos ac Mantinenses cum Agis pugnaret, Plistonacem ipsius in regno collegam exercitum conscriptum ex civibus, qui ratione ætatis alias a militia immunes erant, in auxilium duxisse, ex Thucydide *lib.* v.

Imperator, ut multi volunt, βάγος appellabatur, juxta Hesychium; quod nomen plures alii omnibus præfectis bellicis commune contendunt. Vulgo ille regnum apud Spartanos tenebat vi cujusdam legis a Lycurgo latæ, qua ea dignitas solis Regibus tribuebatur: sed necessitate postulante, ex. gr. Rege annis minore, protector aut Regis vicarius, dictus πρόδικος, subrogabatur rebus militaribus ac civilibus tractandis, secundum Xenophont. *de Rep. Lacedæmoniorum*. Lycurgus hoc nomine & hac forma Rempublicam Lacedæmoniorum restituit ac composuit, necnon exercitui præfuit, Rege Charilao pupillo, ut videre est apud Plutarchum in *Lycurgo*, Pausanias Plistarcho pupillo tutor itidem præerat, cum Lacedæmoniis cæterisque Græcis imperabat ad prælium Platæense cum Mardonio Xerxis duce decertatum; vid. Herodotus, Thucydides, Corn. Nepos in *Pausania*, Plutarchus.

Hæc ad exercitum terrestrem tantum spectabant; lex enim de classe nil certi definiebat, imo ipse legislator a rebus marinis agendis eos expressis verbis arcuerat; quapropter cum classi instruendæ operam navarunt, archithalassos ex regia familia non semper eligebant, sed malebant munus tanti momenti civibus rei nauticæ peritissimis & expertissimis committere; ut patet exemplo Lysandri pluriumque aliorum, qui classi Spartanæ summo cum imperio præfuerunt, quamvis dignitate regia minime induti. Nec ipsis Regibus licebat summam potestatem in classem habere, dum exercitui terrestri imperarent: magnus Agesilaus duplici illa præfectura simul solus decoratus est, juxta Plutarchum in *Agesilao*.

Regia potestas, quæ domi certis legibus cohibita, militiæ suprema atque arbitraria erat, ex singulari præcepto legis, qua omnes tenebantur Regi subjici ejusque mandatis parere; vid. Herod. *lib.* vi. Thucydides *lib.* v. Nihilominus non semper Regi permittebatur ex solo nutu & arbitrio omnia agere, sed quidam Ephori ei comites adjungebantur, ut ipsorum consiliis uteretur, ex Xenophontis Ἑλληνικῶν *lib.* II. His, data occasione, plures ablegabantur; cum Agis fœdus cum Argivis inconsulto pepigisset, quibus tum temporis leges in majorem regni sui gloriam imponere potuisset, Spartani illud factum inconsideratum ægre tulerunt, ac legem sanciverunt, qua illum a summo imperio arcebant, nisi decem Ephori ei consilio adforent. An Reges sequentes huic legi obstricti fuerint, necne, non ita liquet; attamen verosimilius est in posterum nunquam in bellum ivisse sine consiliariis, qui si non iidem numero forent, attamen non pauci sapientissimi viri ex Spartanis cum Rege mittebantur: Agesipolim triginta comitati sunt, juxta Xenophontem Ἑλληνικῶν *lib.* v. quamvis autem teneræ illius Regis ætati tot senatoribus prospectum fuerit, nihilosecius in bellis magni momenti, & quæ in regionibus remotis gerebantur, Regibus expertissimis ac sapientissimis adjungebantur plures viri consilio clari; nam ipse Agesilaus, cum expeditionem in Asiam susciperet, triginta viros, qui ei a consiliis forent, ut plebiscito pareret, secum abduxisse narratur a Plutarcho in *Agesilao*, & Xenophonte.


Præterea exercitus prætor a trecentis fortissimis militibus Spartanis, qui dicebantur ἱππῆες, id est, *equites*, custodiebatur. Hi imperatori tuendo semper circumstabant, ex Thucydide *lib.* v. & proxime accedebant ad Romuli satellites dictos *celeres*, id est, equites levis armaturæ, ut refert Dionysius Halicarnasseus. Sub ejus oculos pugnabant quotquot in sacris ludis præmia retulerant; etenim in hac statione pugnare maximæ gloriæ ducebatur, omnibusque eximiis præmiis, quæ aliæ civitates victoribus largiebantur, æquipollenti; ut videre est apud Plutarchum in *Lycurgo*.

Præcipuus inter inferiores præfectos appellabatur πολέμαρχος. Reliquorum tituli facile dignosci queunt ex nominibus variis agminum, quæ ipsis parebant, cum inde desumpti sint: ex. gr. λοχαγοὶ, πεντηκοστῆρες, ἐνωμοτάρχαι, &c.

CAP. VI.

De variis divisionibus ac dispositionibus exercitus Græcorum, ut & de aliis vocabulis militaribus.


Totus exercitus, qui equitatu ac peditatu constabat, dicebatur στρατιά. Frons appellatur μέτωπον aut πρῶτος ζυγός: miles, qui dextrum illius locum æque ac sequentium ordinum occupabat, effertur nomine πρωτοστάτης: alæ vocantur κέρατα, quo-



TAB. IV.

d

Pag. 403



A quorum inventionem Pani, Bacchi præfecto in expeditione Indica, plures tribuunt; milites, qui hunc locum tenebant, eorumque præpositus, nuncupantur *παραςάται*: qui vero in medio exercitu ſtabant, *ἐπιςάται*: poſtrema acies *ἔσχατος ζυγὸς* vel *ὐρὰ*, ejuſque præfectus *ὐραγὸς* ſeu *ὀπισθοφύλαξ*, ut notat Orbitius; quæ nomina videntur in genere dici de quibuſvis aliis præfectis, etſi minoribus agminibus præeſſent, dummodo eamdem ſtationem tenerent.

Πεμπὰς agmen quinque militum erat; illius præfectus nominatur *πεμπάδαρχος*: *δεκὰς* vero decem, & dux *δεκάδαρχος*, atque ſic de cæteris.

B *Λόχος* octo, aliquando duodecim, imo ſexdecim militibus conſtabat, quorum ultimus numerus perfectum *λόχον* conficiebat, etſi plures contendant numerum viginti quinque abſolviſſe. Sæpius dicitur *ςίχος* aut *δεκανία*, ejuſque præpoſitus *λοχαγός*.

Διμοιρία ſeu *ἡμιλοχία* eſt dimidius *λόχος*: qui huic agmini præerat, appellabatur *διμοιρίτης* vel *ἡμιλοχίτης*.

Συλλοχισμὸς plures *λόχυς* complectebatur: aliquando nuncupatur *σύςασις*, quæ quatuor dimidios aut duos integros *λόχυς*, id eſt, triginta duo milites, conficiebat.

C *Πεντηκονταρχία*, etſi quinquaginta ſonet, attamen duplicem *σύςασιν*, hoc eſt, quatuor *λόχυς* aut ſexaginta quatuor milites, conſtituebat: unde illius agminis dux non ſolum *πεντηκόνταρχος*, ſed etiam *τετράρχης* dicebatur, & loco *πεντηκονταρχία* ſæpius uſurpatur *τετραρχία*.

Εκατονταρχία, alio nomine *τάξις*, duas *πεντηκονταρχίας* vel centum viginti milites conficiebat. Ejuſdem dux primo *ταξίαρχος* vocabatur, ſed deinceps nomen *ἑκατοντάρχυ* vulgo obtinuit. Cuique *ἑκατονταρχίᾳ* præficiebantur quinque viri, dicti *ἔκτακτοι*, quia vulgaribus militibus non accenſebantur. Hi ſunt:

D 1. *Στρατοκήρυξ*, *exercitus præco*, qui imperatoris mandata alta voce proferebat. Robuſtiſſimis pulmonibus vulgo pollebat: apud Hiſtoricos præ cæteris celebratur Homeri Stentor, cujus vox dicitur æque ſonora fuiſſe ac quinquaginta hominum, *Iliad. ε. verſ.* 784.

Ενθα ςᾶσ' ἤϋσε Θεὰ λευκώλενος Ηρη,
Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι, χαλκεοφώνῳ,
Ος τόσον αὐδήσασχ', ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.
Ibi ſtans clamavit Dea albas ulnas habens Juno,
Stentori ſimilis magnanimo, æream vocem habenti,
Qui tantum vociferabatur, quantum alii quinquaginta.

E 2. *Σημειοφόρος*, *ſignifer*, præfecti mandata militibus indicabat ſignis; illius miniſterio utebantur ad illa, quæ nec divulgari nec palam proferri licebat, nuncianda; nec non cum ſtrepitus armorum vocem præconis ſubmittebat.

3. *Σαλπιγκτής*, aut *tubicen*, fungebatur officio voluntatem præfectorum militibus ſignificandi, (cum per nimium pulverem duo priores nulli uſui erant) ut & illos ad prælium animandi & hortandi, nec non diverſum alium in finem.

F 4. *Υπηρέτης* erat ſervus, qui militibus præſto aderat ad neceſſaria ipſis ſubminiſtranda. Hi quatuor ſummum ordinem excipiebant.

5. *Οὐραγὸς*, *ſubcenturio*, agmen cogebat, & curabat ne ullus militum ex ordinibus cederet aut ad hoſtem transfugeret.

Συνταγμα, *παράταξις*, *ψιλαγία*, (juxta alios *ξεναγία*) duas *τάξεις*, ſeu ducentos quinquaginta ſex milites, conſtituebat. Præfectus illius appellatur *συνταγματάρχης*.

Πενταχοσιαρχία, aut *ξεναγία*, duo *συντάγματα*, hoc eſt, quingentos & duodecim viros, æquabat. Dux nomine *πενταχοσιάρχυ* aut *ξεναγῦ* efferebatur.

Χιλιαρχία, *σύςρεμμα*, aut, ut alii opinantur, *ξεναγία*, mox memorato ordine duplo major erat, cum mille & viginti quatuor militibus conſtaret. Præfectus *χιλίαρχος*, *χιλιοςὺς*, aut *συςρεμματάρχης* nuncupabatur.

Μεραρχία, quam alii *τέλος*, alii vero *ἐπιξεναγίαν* dici volunt, duplicem *χιλιαρχίαν*, hoc eſt, duo millia quadraginta octo hominum, complectebatur. Dux *μεράρχης*, *τελάρχης*, aut *ἐπιξεναγὸς* dictus eſt.

Φαλαγγαρχία, quæ ſæpius dicitur *μέρος*, *ἀποτομὴ κέρατος*, *ςίφος*, & antiquitus *ςρατηγία*, duo *τέλη*, id eſt, quatuor millia nonaginta ſex, aut, ut alii ſentiunt, quatuor millia triginta ſex, conficiebat. Præfectus appellatur *φαλαγγάρχης*, *ςρατηγος*.

Διφαλαγγία, *κέρας*, *ἐπίταγμα*, &, ut quidam autumant, *μέρος*, duplicem *φαλαγγαρχίαν* fere conſtituebat, cum octo millibus centum & triginta militum conſtaret. Dux nuncupatur *κεράρχης*.

Τετραφαλαγγαρχία duas *διφαλαγγίας*, aut numerum ſexdecim millium trecentorum octuaginta quatuor virorum, adæquabat. Præpoſitus nomine *τετραφαλαγγάρχης* venit. *Tab.* IV. *Fig.* I.

Φάλαγξ ſumitur aliquando pro agmine viginti octo armatorum, alias vero octo millium; ſed perfecta *φάλαγξ* dicitur eadem cum *τετραφαλαγγαρχίᾳ*. Varii alii numeri hoc nomine efferuntur, quod non raro uſurpatur pro toto peditatu, & frequentius in genere pro quovis militum agmine. Etenim acies apud Græcos vulgo diſponebatur in certum ordinem, qui nominabatur *φάλαγξ*, ac ita validus, ut quemvis impetum etſi vehementiſſimum ſuſtinere valuerit. Macedones cæteros antecellebant arte aciem hunc in modum diſponendi; eorumdem phalanx a Polybio deſcribitur quadratum haſtatorum agmen, ſexdecim armatos a latere, quingentos vero a fronte complectens; militum enim ordines ita condenſati erant, ut haſtæ quinti ordinis tribus pedibus ultra aciei frontem protenderentur; reliqui ordines, quorum haſtæ non ita inſervire poterant, quia a fronte diſſiti, eaſdem imponebant humeris ordinum præeuntium, ita ut toto agmine longa ferie condenſato a fronte urgentes ordines anteriores protruderent ac ſuffulcirent, unde majore cum impetu, ac, ut ita dicam, cedere neſcio, agmen irruebat. Præfectus vocatur *φαλαγγάρχης*.

Μῆκος φάλαγγος denotat longitudinem aut primum phalangis ordinem, quæ ab extrema ala ad alteram porrigebatur. Coincidit cum *μέτωπον*, *πρόσωπον*, *ςόμα*, *παράταξις*, *πρωτολοχία*, *πρωτοςάται*, *πρῶτος ζυγὸς*, &c. Ordines ſequentes vocabantur a ſitu, *δεύτερος*, *τρίτος ζυγὸς*, &c. *Fig.* II.

Βάθος aut *πάχος φάλαγγος*, aliquando *τοῖχος*, erat latitudo, quæ a fronte ultimam aciem attingebat.

Ζυγοὶ φάλαγγος dicebantur ordines in longitunem diſpoſiti.

Στίχοι aut *λόχοι* ſignificabant ſeries armatorum a latitudine phalangis deſumptas.

Διχοτομία φάλαγγος intelligitur diſtributio phalangis in duas partes æquas, quæ dicuntur *πλευραὶ*, *κέρατα*, &c. id eſt, *alæ*, *cornua*: harum ſiniſtra nominatur *κέρας εὐώνυμον* vel *ὐρὰ*: dextra vero *κέρας δεξιὸν*, *κεφαλὴ*, *δεξιὸν ἀκρωτήριον*, *δεξιὰ ἀρχὴ*, &c.

Αραρὸς, *ὀμφαλὸς*, *συνοχὴ φάλαγγος*, interpretatur media acies inter alas.

Λεπτυσμὸς φάλαγγος apprehenditur decurtatio phalangis, quibuſdam armatorum ordinibus a latitudine detractis.

Ορθία, *ἑτερομήκης*, ſeu *παραμήκης*, *φάλαγξ*, eſt acies recta, qua phalangis craſſities longitudinem excedebat. *Fig.* III. & IV.

Πλαγία φάλαγξ a ſuperiore diſtinguebatur, eo quod a fronte latior, a latere vero anguſtior erat;

cum e contrario altera a fronte angustius, a latere vero latius extendebatur; vid. Ælianus *Tacticis*.

Λοξὴ φάλαγξ dicitur obliqua acies, cum alterum cornu ad hostem accedebat, ut manus consererent, dum alterum eminus stabat. *Tab*.IV. *Fig*.V. *col*.465.

Αμφίστομος φάλαγξ appellatur, cum milites dorso sibi invicem oppositi erant, ut hostis impetum undique a fronte excipere possent: quam aciei formam usurpabant, cum timerent ne exercitus ab hoste circumcingeretur.

Αντίστομος φάλαγξ a mox dicto agmine hac in re discrepabat, quod in longitudinem disponebatur & ab utroque latere dimicabat; altera vero a fronte & a tergo pugnabat.

Αμφίστομος διφαλαγγία intelligitur, cum ductores in utramque frontem adducebantur, οὐραγοὶ vero, qui agmen cogebant, in mediam aciem transferebantur, ita ut undique a fronte hostibus oppositi essent.

Αντίστομος διφαλαγγία præcedenti opponitur, cum οὐραγοὶ ultimaque acies utrumque latus tenerent, ac reliqui præfecti, qui alias a fronte positi erant, in medium agmen succedebant facie sibi invicem obversa; qua aciei forma frons, quæ alias utrinque patens, iterum sic condensabatur, ut cornua ejus locum subirent, ultimi vero ordines locum alarum obtinerent.

Ομοιόστομος διφαλαγγία intelligi debet, cum utriusque phalangis præpositi ab eodem latere stabant ac recto ordine se invicem subsequebantur. *Fig*.VI.

Ετερόστομος διφαλαγγία accipitur, cum unius phalangis duces a dextro latere, alterius vero a sinistro disponebantur.

Πεπλεγμένη φάλαγξ tribuitur phalangi, cujus figura mutabatur pro ratione viarum, quibus progrediebatur. *Fig*. VII.

Επικαμπὴς φάλαγξ dimidiam lunam referebat, alis retrorsum versis, dum media acies hosti obversabatur, aut vice versa: aliquando dicitur κυρτὴ ac κοίλη, cum esset convexa atque concava. *Fig*.VIII.IX.

Εσταρμένη φάλαγξ, cujus diversa agmina impari situ ab hoste distabant, quorum alia aliis prominebant.

Υπερφαλάγγισις intelligitur, cum ambæ alæ ultra hostium frontem protendebantur, cum vero earumdem altera, dicebatur ὑπερκέρωσις.

Ρομβοειδὴς φάλαγξ, dicta pariter σφηνοειδὴς, est acies quadrata, sed non rectangularis, figuræ adamantis non absimilis. Hanc aciei formam primi usurparunt Thessali, a Jasone illorum populari inventam. Etsi fatendum sit aciem apud Græcos, Siculos, & Persas juxta hanc aut aliam figuram quadratam dispositam fuisse; leg. Ælianus *Tacticis*, ac ubique in hoc capite consulendus.

Εμβολον, *rostrum* vel *cuneus*, rhombum per medium divisum referens, figuræ triangularis, aut cuneo, aut, si vis, litteræ Δ similis. Acies hunc in morem disponebatur, quo per hostem facilius majorique cum impetu perrumperent.

Κοιλέμβολον, aut *forfex*, erat cuneus transversus & basi carens: forficem sive litteram *V* exhibebat; videtur autem destinatum cuneo excipiendo *Fig*.X.

Πλινθίον, πλινθία, *laterculus*, denotat aciem dispositam secundum figuram lateris aut tegulæ, quatuor lateribus imparibus constantem; longitudo, quæ latitudinem excedebat, versus hostem porrigebatur. *Fig*. XI.

Πύργος, *turris*, erat laterculus inversus, qui quadrati oblongi vel turris figuram referebat; acies autem brevior ad hostem protendebatur. Hæc aciei forma ab Homero memoratur *Iliad*. μ'. *vers*. 43.

Οἱ δέ τε πυργηδὸν σφέας αὐτοὺς ἀρτύναντες.

Hi autem quadratis agminibus cum seipsos instruxerunt.

Πλαίσιον erat figuræ oblongæ, etsi ad circulum quam ad quadratum propius accedentis. *Fig*.XII.

Ἑρπηδὼν erat acies in longitudinem porrecta, cujus singuli ordines paucis armatis constabant, nimirum cum exercitus ob locorum angustiam in latiores ordines duci non posset: nomen desumitur a verme, qui in ligni foramina irrepit. Eodem sensu memoratur φάλαγξ ξιφοειδὴς, hunc in ordinem disposita, ut ita dicam, ad aditus penetrandos.

Πύκνωσις φάλαγγος intelligi debet, quando armatorum ordines condensabantur; cum enim aliis aciei figuris cuivis militi quatuor cubiti ab utroque latere definirentur, hac vero duo tantum.

Συνασπισμὸς superiore densior erat; quivis enim armatus spatio cubitali tantum gaudebat: sic vocatur a clypeis, qui longa serie sibi invicem conjuncti erant.

Plures aliæ aciei formæ apud Scriptores occurrunt; cujusmodi erant, quæ omnimodas species figuræ sphæricæ referebant. Inter quas celebratur ἴλη, ab Ilione Thessalo inventa, figuræ ovi non absimilis, in quam Thessali equitatum disponere solebant; ut videre est apud Ælianum *lib. cit.* In genere sumitur pro quovis equitum agmine, quorumcunque esset; sed non raro strictiori sensu pro agmine sexaginta quatuor armatorum.

Επιλαρχία duas ἴλας, hoc est, centum viginti octo viros, conficiebat.

Ταραντιναρχία superiore duplo major erat, cum ducentis quinquaginta sex armatis constaret: vulgo enim obtinebat genus equitum nomine Ταραντίνων aut ἱππακοντιστῶν, qui missilibus hostem lacessebant, quia levis armaturæ causa cominus pugnare non sustinebant. Pariter aliud equitum Tarentinorum genus animadverti debet, qui jaculis emissis hostem e propinquo adoriebantur. Illorum nomen a Tarento Italiæ urbe desumptum est, qua hujusmodi equites ad militiam instrui solebant: sed an nomen illius agminis ab ipso equitum genere, an vero a numero virorum, qui numerum apud Tarentinos usurpatum æquabat, deductum sit, necne, non constat.

Ιππαρχία duo superiora agmina, id est, quingentos duodecim armatos, adæquabat.

Εφιππαρχία duplex ἱππαρχία erat, mille viginti quatuor equites complectens.

Τέλος proximum agmen duplo excedebat; duo millia enim quadraginta octo armatorum conficiebat.


Επίταγμα ad numerum duorum τελῶν accedebat; cum quatuor mille nonaginta sex milites capiebat.

Lacedæmonii varia exercitus agmina nominibus sibi propriis efferebant.

Exercitus in μόρας seu *legiones* distinguebatur. Quot armatos quævis confecerit, non liquet; plurimi quingentos, alii septingentos, alii nongentos assignant, ut refert Plutarchus in *Pelopida*; sed cum Respublica primo instauraretur, numerum quadringentorum armatorum, illorumque peditum, non excedebat. Præfectus vocabatur πολέμαρχος; lege Xenophontem *de Republ. Lacedæm.* cui adjungi solebat inferior præpositus nomine συμφορεὺς, juxta eumdem Ἑλλην. *lib*. VI. prior legionis tribunus, alter vero ipsius vicarius erat.

Λοχος erat quarta pars μόρας: quamvis autem multi asserant unamquamque μόραν quinque λόχους confecisse, ex Hesychio; nihilominus nostra sententia cum antiquo Spartanorum exercitus statu melius convenit: Xenophon enim refert singulis μόραις quatuor λοχαγοὺς præfuisse.

Πεντηκοστὺς quartam, aut juxta alios dimidiam, partem λόχου constituebat, quinquaginta autem armatos capiebat, ut ex nomine colligitur. Hujus agminis dux nuncupatur πεντηκοντὴρ, πεντηκοντατὴρ,


Fig. 2.
TAB. VI.

aut πεντηκοςὴρ: horum octo cuivis μόρᾳ præficie- A bantur, ut supra memoratus Auctor nos docet.

Ενωμοτία quartam, aut, ut alii contendunt, dimidiam partem πεντηκοςῦος complectebatur, & viginti quinque armatis constabat; sic autem vocabatur, quia omnes illius agminis milites erant ἐνώμοτοι διὰ σφαγίων, aut Reipublicæ sacramento obstricti mediante sacrificio: dux nuncupatus ἐνωμοτάρχης aut ἐνωμόταρχος. Horum, teste Xenophonte, sexdecim cuivis μόρᾳ præerant; quæ si supra dictis de λόχοις ac πεντηκόςυσι adjiciantur, cuivis attendenti patebit, veteres μόρας numerum quadringentorum non excessisse; dissensus Scriptorum hac in re incremento Lacedæmoniorum exercitus tribui B debet; recentioribus enim sæculis Spartani copiarum a se auctarum nomina non mutarunt, ita ut pars octava μόρας, etsi plures quinquagenos forsitan conficeret, nihilominus πεντηκοςὺς dicebatur. Sic Romanorum agmina, quamvis plurimum aucta, nomen *legionis* semper retinuerunt; nam quæ ab initio tria millia tantum capiebat, in posterum, prout necessitas urgebat, ad quatuor, quinque, aut sex millia armatorum adaucta est: idem observandum de eorumdem cohortibus, manipulis, ordinibus, &c.

Diversæ aliæ dantur militares appellationes, ex quibus nonnullas hic breviter exponere non tædet. C

Πρόταξις intelligitur de agmine militum fronti exercitus præpositorum; ex. gr. πρόταξις ψιλῶν, cum milites levis armaturæ præmittuntur toti exercitui, ut prælium missilibus e longinquo auspicentur.

Επίταξις præcedenti opponitur, denotans dispositionem militum in extrema acie.

Πρόςαξις interpretatur, cum alteri aut utrique medii agminis lateri pars extremæ aciei adjungitur, ita ut illi qui adduntur ad frontem mediæ aciei recta disponantur.

Υπόταξις, cum alæ duplicantur, militibus levis armaturæ adjectis forma arcuata, ita ut tota acies speciem triplicis januæ exhibeat. D

Εντaξις, παρένταξις, aut προσένταξις, est, cum milites diversæ armaturæ in eamdem aciem confunduntur; ex. gr. si milites leviter armati adducantur in interstitia, quæ inter graviter armatorum militum ordines intercedunt.

Παρεμβολὴ a superiore distinguitur, cum ordinum intervalla militibus ejusdem armaturæ replentur.

Επαγωγὴ est continuata series ordinum armatorum in eamdem formam & eamdem lineam dispositorum, ita ut frons posterioris tergo prioris parallela sit: unde istud vocabulum non raro prædicatur de figura Rhetoricæ, quæ dicitur *inductio*, cum E certæ consequentiæ plane ac necessario deducuntur a principiis antea concessis; vid. Aristot. *Topic. lib.* I. Quintil. *lib.* V. *cap.* X. Cicero.

Παραγωγὴ ab ἐπαγωγῇ discriminatur in eo, quod phalangis ala non sigillatim, sed turmatim procedebat; ductores enim non recta a fronte, sed ad latus declinantes progrediebantur; cum ad sinistrum, εὐώνυμος παραγωγὴ, cum vero ad dextrum, δεξιὰ παραγωγὴ vocabatur.

Επαγωγὴ & παραγωγὴ quadrupliciter distinguuntur; cum enim hostem excipiebant vel ei obviam ibant ab uno latere, nuncupabatur ἐπαγωγὴ F aut παραγωγὴ μονόπλευρος: cum a duobus lateribus, δίπλευρος: cum a tribus, τρίπλευρος: cum vero acies ab omnibus lateribus hosti excipiendo disposita erat, τετράπλευρος.

Conversiones militum ad præfectorum mandatum dicuntur κλίσεις.

Κλίσις ἐπὶ δόρυ ad dextram: quia hastam manu dextra moderabant.

Επανάκλισις est motus retrogradus, id est, ad sinistram.

Κλίσις ἐπὶ ἀσπίδα ad sinistram conversio: quod clypeum manu sinistra tenebant.

Μεταβολὴ est duplex conversio versus eamdem manum, qua terga convertebantur quo facies antea obversa erat. Hujus duo genera erant:

1. Μεταβολὴ ἐπ' ὀυρὰν, qua acies convertebatur a fronte ad terga, Græcis ὀυρὰ, ita ut illorum dorsa hosti obversarentur; unde μεταβολὴ ἀπὸ τῶν πολεμίων dicebatur. Hæc conversio semper peragebatur dextrorsum.

2. Μεταβολὴ ἀπ' ὀυρᾶς aut ἐπὶ πολεμίων, a tergo ad frontem terminabatur, qua facies hosti convertebatur motu sinistram versus duplicato.

Επιςροφὴ dicitur, cum tota acies arcte condensata convolvebatur sive ad dextram, sive ad sinistram.

Αναςροφὴ opponitur ἐπιςροφῇ, cum eadem acies redibat ad pristinum locum.

Περισπασμὸς est duplex ἐπιςροφὴ, cum dorsa convertebantur ad locum ubi facies antea adspicienti se offerebat, & frons ad terga transferebatur.

Εκπερισπασμὸς est triplex ἐπιςροφὴ aut conversio.

Εἰς ὀρθὸν ἀποδοῦναι, aut ἐπ' ὀρθὸν ἀποκαταςῆσαι, intelligitur, cum acies rediret in locum, quem ab initio occupabat.

Εξελιγμὸς, ἐξελισμὸς, vel ἐξέλιξις, erat exercitus evolutio, in qua singuli milites, alii post alios ordine incedentes a fronte ad tergum & vice versa, necnon ab uno latere ad alterum migrabant: unde duplex fuit illa evolutio, altera κατὰ λόχους seu *agmina*, altera vero κατὰ ζυγὰ, sive *ordines*; utraque autem iterum tripliciter distinguitur.

1. Εξελιγμὸς Μακεδὼν κατὰ λόχους, a Macedonibus inventus, sic peragebatur. Primus ordo ad dextram vel sinistram convertebatur; deinde secundus ordo versus eamdem manum progrediebatur, & certis interstitiis pone primarium ordinem subsistebat facie eodem respiciente; pariter tertius ordo, & quartus, & reliqui, donec ultimus ordo accessisset, qui facie conversa aciem claudebat. Sic exercitus a fronte in campum recedebat, & militum facies retroversa erat. Sed quia receptus videbatur iste procedendi modus, a Philippo Macedone abrogatus est, qui alium substituit.

2. Εξελιγμὸς Λάκων κατὰ λόχους, a Lacedæmonibus introductus, priorique contrarius. In illo enim ante, in hoc vero pone phalangem campum subibat exercitus, militumque facies in oppositum locum respiciebat: in illo a tergo ad frontem, in hoc vero a fronte ad tergum evolvebatur acies. Ab Æliano *Tact. cap.* XXVIII. cum Binghamii *Notis* duplex distinguitur ista exercitus conversio; scilicet altera, in qua postremus ordo faciem convertebat, proximus ordo similiter facie conversa pregressionem inchoabat, & ante alterum ordinem locum subibat: tertius ordo itidem, & sic de cæteris, donec primarius ordo reliquos omnes antecessisset. Altera autem intelligitur, quando primarius ordo primus procedebat, reliqui vero ordines sequebantur: sic autem propius ad hostem admovebatur, & impressionem facere videbatur exercitus.

3. Εξελιγμὸς Περσικὸς, aut Κρητικὸς κατὰ λόχους, apud Persas & Cretenses in usu erat; aliquando dicebatur χορεῖος, quia peragebatur in morem Græcorum chororum, qui in ordines distincti instar militum aciei, & ad extremum theatrum progressi, quum ulterius procedere non possent, unus ordo per alterum retrogrediebatur, interim totus chorus idem spatium, quod ab initio tenuerat, occupabat; qua in re hæc evolutio a duabus superioribus, in quibus phalanx de loco summovebatur, distinguebatur.

Εξελιγμὸς κατὰ ζυγὰ, evolutio per juga, evolu-

tioni per ordines opponitur; in superiore enim exercitus movebatur in latitudine aciei a fronte ad tergum, vel a tergo ad frontem, ita ut prima & postrema acies in locum sibi invicem succedebant; in hac vero per latera in longitudine aciei, uno cornu in medium vel penitus extra alterum cornu migrante: milites autem, qui extremum cornu latus tenebant, ad oppositum cornu primi removebantur, deinde cætera juga ordine sequebantur. Pariter triplex distingui solet.

1. Macedonum conversio, in qua cornu hosti ad utrumvis latus viso proximum in campum ad latus oppositi cornu recedebat; hæc autem evolutio fugæ speciem exhibebat.

2. Econtra Lacedæmonum evolutio dicebatur, quando cornu ab hoste remotissimum in locum ei proximum admovebatur, quæ impressio videbatur.

3. Evolutio in morem chori ita peragebatur, ut exercitus intra idem spatium contineretur, nisi quod cornua locum permutabant.

Διπλασιάσαι est *duplicare* vel *densare* aciem, quod duplici modo efficiebatur: etenim tum militum numerus augebatur intra idem campi spatium; tum vero acies non aucta militibus extendebatur in ampliorem campum ordinibus extenuatis: sed quia hæc aciei duplicatio vel in milites vel in campum, tum in longitudine, tum in latitudine perficiebatur, idcirco quatuor distingui solent διπλασιασμοὶ, qui per diversas conversiones efficiebantur.

1. Διπλασιασμὸς ἀνδρῶν κατὰ ζυγὰ vel κατὰ μῆκος intelligebatur, quando longitudine aciei non immutata ordines densabantur militibus aucti.

2. Διπλασιασμὸς ἀνδρῶν κατὰ λόχους vel κατὰ βάθος dicebatur, quando ordines duplicabantur, non explicato campo, sed densata acie.

3. Διπλασιασμὸς τόπου κατὰ ζυγὰ vel κατὰ μῆκος dicebatur, quando acies in longum extendebatur nullis accedentibus copiis, sed militibus majoribus intervallis a se invicem remotis.

4. Διπλασιασμὸς τόπου κατὰ λόχους vel κατὰ βάθος erat, quando latitudo campi, qui exercitum capiebat, extendebatur non novis ordinibus adjectis, sed aliis extenuatis.

Pro capitis clausula notabo Græcos artis exercitum in aciem disponendi peritissimos fuisse, imo magistros dictos τακτικοὺς a τάττειν aluisse, qui juventutem in hac arte instituebant, & diversas aciei formas accurate docebant, antequam in bellum irent.

CAP. VII.

De eorumdem ratione pacis pangendæ, & belli indicendi, ut & de legatis, &c.

GRæci, antequam bellum alicui inferrent, injuriam acceptam publice denunciare, & per legatos compensationem jubere solebant: licet enim ad bellum parati, aut rerum bellicarum peritissimi essent, pacem, quando honestis conditionibus illam impetrare possent, eligere malebant; quem morem ab antiquissimis temporibus viguisse patet ex iis, quæ de Tydeo referuntur, quem Polynices ad fratrem Eteoclem Thebarum Regem misit, ut lites inter illos obortas componere tentaret, antequam illius urbis obsidionem aggrederetur, prout inter plures alios tradit Statius *Thebaid. lib.* II. *vers.* 368.

> —— *potior cunctis sedit sententia, fratris*
> *Prætentare fidem, tutosque in regna precando*
> *Explorare aditus: audax ea munera Tydeus*
> *Sponte subit.* ——

Nec bellum Trojanum tanto cum discrimine & ambarum partium dispendio unquam gestum fuisset, nisi prius eamdem viam, etsi incassum, tentassent. Ulysses enim & Menelaus Trojam in legationem missi dicuntur ad Helenæ redditionem petendam; quapropter Helenam sic alloquitur Antenor *Iliad.* γ'. *vers.* 205.

> Ἤδη γὰρ καὶ δεῦρό ποτ' ἤλυθε δῖος Ὀδυσσεὺς,
> Σεῦ ἕνεκ' ἀγγελίης σὺν ἀρηϊφίλῳ Μενελάῳ.
> *Jam etenim huc olim venit divinus Ulysses,*
> *Tui causa legatus cum bellicoso Menelao.*

Imo quæ ab illis legatis proposita sunt, a Trojanis consilio Antimachi viri maximæ existimationis apud illos, quem Paris largis nummis in suas partes adduxerat, plus nimio obsequiosis repudiata fuisse satis aperte docet idem Poeta *Iliad.* λ'. *vers.* 123.

> —— Ἀντιμάχοιο δαΐφρονος, ὅς ῥα μάλιστα
> Χρυσὸν Ἀλεξάνδροιο δεδεγμένος, ἀγλαὰ δῶρα,
> Οὐκ εἴασχ' Ἑλένην δόμεναι ξανθῷ Μενελάῳ.
> —— *Antimachi bellicosi, qui sane maxime*
> *Aurum ab Alexandro accipiens, splendida dona,*
> *Non permittebat Helenam reddere flavo Menelao.*

Certo certius est, excursiones ex improviso factas in regionem aliquam habitas fuisse pro latrociniis potius quam legitimis bellis, quæ inferri credebantur, non tam ad damna accepta resarcienda, quæ, si per excursores licuisset, facilius compensari potuissent, quam ad insontes & incautos diripiendos & deprædandos. Idcirco non mirum videri debet, si Polybius *lib.* IV. scribat Ætolos vulgo Græciæ extorres & prædones dictos fuisse, quia illius gentis moris fuit impetum ex improviso facere, & vicinis nulla injuriarum denunciatione promulgata bellum inferre, quandocunque illorum exuviis se ditandi occasio offerebatur. Nihilominus non desunt exempla bellorum ab ipsis gentibus, quæ meliore justitiæ & humanitatis nota gaudebant, illatorum vel indictorum: sed hoc raro contingebat, nec alia de causa quam quum injuria accepta ita atrox & acerba erat, ut nullo piaculo litari & resarciri posse crederetur: quocirca illa bella omnium crudelissima & damnosa erant, eo quod cum extrema rabie decertata sunt, & quia partes disceptantes se & suum nomen penitus delere, si fieri posset, invicem certabant.

Legati vulgo erant viri existimatione & genere conspicui, ut dignitate & bonis moribus ipsorum hostium reverentiam & attentionem sibi conciliarent. Licet autem injuriis & probris ad rabiem usque exasperati fuissent, nihilominus legati undique sacri habiti sunt, nec quidquam mali iis inferre licebat per Deorum & hominum leges, imo tantæ impietatis acerrimos vindices se gerere sui officii esse existimabant; quocirca (ne plura exempla referam) Xerxis legatis a Lacedæmoniis inhumanum in morem occisis, illius populi dona & sacrificia, quæ omnia diris ominibus contaminata reperiebantur, Dii repudiasse dicuntur, donec duo nobiles Spartani ad Xerxem in piaculum missi fuissent, quorum sanguine ejus legatorum cædes litaretur. Equidem Rex ille eos domum remisit salvos & incolumes, nec ullo alio dedecore affectos, nisi quod illum audiverint gentis Spartanæ mores acriter perstringentem, cujus immanem crudelitatem imitari nolle professus est, etsi ab iis lacessitus: attamen illorum crimen impunitum non sivit divina vindicta, quæ pœnam a patribus demeritam, filiis inflixit, quorum morte cœlum scelerum vindex Lacedæmoniorum crudelitatem juste ultum fuisse colligit Herodotus *Polymn. cap.* CXXXIV.

Unde hæc religio ad legatos manaverit, controvertitur. Fabularum consarcinatores ejus ortum

deducunt ab honoribus τοῖς κήρυξι vel *præconibus* a Veteribus persolutis, qui vel ipsimet legati vel legatorum comites erant, & ideo sacri habiti, quia originem ducebant a Ceryce Mercurii filio, qui eodem officio in cœlis, quo hi viri in terra, fungebatur. Equidem hi præcones in magna existimatione, imo sacri & intemerati habebantur: unde, prout Eustathius *in Homerum* observat, quandocunque Ulysses ad oras peregrinas & incognitas advectus est, fecialem mittere solebat ad incolas, ut regionem tuti & securi explorare ipsis fas esset; viros enim illo munere indutos reverebantur ipsæ gentes barbaræ, paucis exceptis, cujusmodi Læstrygones, vel Cyclopes, qui omnem humanitatem exuerant. Lege Eustathium *Iliad. ά.* p. 83, 84. *Edit. Basil.* Pariter sub cura & patrocinio Mercurii illorum muneris præsidis Dei, Jovisque erant. Vide eumdem *Iliad. κ'.* p. 729. quapropter nuncios hominum & Jovis illos vocat Achilles apud Homer. *Iliad. ά. vers.* 334.

Χαίρετε κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.
Salvete præcones, Jovis nuncii, atque etiam hominum.

Sed hi honores præconibus tributi videntur, non tam quia Mercurii sanguine sati, (plures enim aliæ familiæ nobiliorem ortum jactabant, quibus tanta observantia debita minime credebatur) quam sui muneris gratia, quod quia iis cum legatis commune, idcirco parem reverentiam utrisque conciliabat. Revera, si viros illius dignitatis injuria afficere ullo modo liceret, omnis spes pacis inter hostes resarciendæ evanesceret. Quapropter ipsis rudioribus sæculis legati amice excipiebantur & incolumes domum remittebantur: unde Tydei uxor eo adducta est, ut conjugem Thebas in legationem ire permitteret, quia illo nomine inter ipsos hostes tutus futurus esset, prout canit Statius *Thebaid. l.* II. *vers.* 371.

—— Te, fortissime gentis
Ætolum, multum lacrymis conata morari est
Deiphile, sed jussa patris, tutique regressus
Legato, justæque preces vicere sororis.

Atheniensium feciales ex una eademque familia nati erant, nam a Ceryce filio Mercurii & Pandrosi Cecropis Athenarum Regis filiæ ortum ducebant.

Lacedæmoniorum vero feciales a Talthybio Agamemnonis præcone, qui Spartæ juxta Herodotum *loco citato* & Pausaniam in *Laconicis* templo & divinis honoribus decoratus est, orti credebantur.

Gestabant autem in manibus baculum laureum vel oleaceum dictum κηρύκιον, cui pro pacis & concordiæ emblemate gemini angues cristis demissis circumplicati erant, tradente Plinio *l.* XXIX. c. III. Ejus loco in pacis & abundantiæ signum εἰρεσιώνη, quæ erat ramus oleæ lana obvolutus & omnigeno fructu decoratus, non raro utebantur Atheniensium feciales.

Κήρυκες vel *præcones* a πρέσβεσι juxta nonnullos hac in re distingui creduntur, quod legati ad pacem pangendam, feciales vero ad bellum indicendum mittebantur; lege Suidam. Sed hæc distinctio non semper observatur; κήρυκας enim non raro significasse viros constitutos ad lites componendas patet, tum ex nonnullis Eustathii locis mox citatis, tum ex diversis Homeri & aliorum Scriptorum locis.

Legatorum duo genera erant; vel qui præscripta delegatione, quam transgredi nefas erat utebantur; vel qui res dirimendi pro sua prudentia ampla potestate gaudebant: illi suæ administrationis rationem, hi vero nullam reddere tenebantur,

A sed omnino sui juris erant, qui ea de causa πρέσβεις αὐτοκράτορες, id est, ut vernacule dicam, *Plenipotentiarii*, nuncupati. Vide *Archæolog. nostram l.* I. c. XV.

Non autem prætermittendum, Lacedæmoniorum, qui in plerisque moribus a cæteris Græcis diversi erant, in delectu legatorum hoc pariter proprium erat, quod viros, inter quos non bene conveniebat, utplurimum delegabant, quia plusquam verosimile ducebant fore, ut sibi invicem nunquam fiderent ad quid in Rempublicam uno consensu moliendum; eadem de causa illius Reipublicæ ars politica erat inter suos Reges diffidia ciere & fovere, prout testatur Aristoteles *Politic. l.* II.

B Illorum fœdera triplicia erant. 1. Simplex σπονδὴ, συνθήκη, εἰρήνη, aut *pax*, qua omnes hostilitates & adversus se invicem, & adversus utrorumvis confœderatos exuere tenebantur.

2. Ἐπιμαχία, qua sibi invicem copias auxiliares ferre obstricti erant, quando hostis aliquem eorum invaderet.

3. Συμμαχία, qua consentiebant sibi invicem opem laturos, ut quando eos adoriretur hostis, ita quum ipsimet aliis bellum inferrent, pariter iisdem amicis & inimicis ambos usuros. Leg. Suidas.

Hæc omnia fœdera solennibus jurejurandis, quæ C superius *l.* II. c. VI. descripsimus, utrinque firmari solebant: sed ut strictiori vinculo tenerentur ad illa inviolate præstanda, in tabulis, quæ in locis frequentissimis affigebantur, inscribi solebant, ut suæ justitiæ & intemeratæ fidei omnes testes forent: exempli gratia, conditiones fœderis inter Athenienses & Spartanos icti, non solum Athenis & Spartæ, sed & in ludis Olympicis, Pythiis, & Isthmiis promulgatæ sunt, teste Thucydide *de Bello Peloponnesiaco*. Quidam tesseras invicem dabant, quæ velut amicitiæ notæ proferri possent: quæ Græce σύμβολα: eodem nomine fœdus ipsum aliquando dictum est. Harpocration *Voc.* Σύμβολον. D Præterea, ut fœderum memoria renovarent, civitatibus confœderatis vulgare fuit sibi alternatim legatos mittere, qui statis diebus, quando populus cum magna frequentia in unum convenire solebat, pacta publice relegebant, & mutuo consensu iterum firmabant; quod ab Atheniensibus & Spartanis, postquam fœdus mox memoratum pepigissent, factum traditur: illorum enim legati Spartæ Hyacinthi festo, horum vero Athenis Bacchi festo se stiterunt.

Bellum indicere solebant per fecialem, qui iis, a quibus injuriam acceperant, imminentem incursum denunciabat, & aliquando, quasi in certamen E illos provocare videretur, hastam versus eos vibrabat. Agnum in hostium confinia sæpius emittebant Athenienses, hoc signo indicantes, illam regionem, quæ modo ab hominibus incolebatur, proxime vastandam & depopulandam esse, imo ovium pascuum tantum futuram; unde ἄρνα προβάλλειν proverbialiter dicitur ἐπὶ τῶν πολεμεῖν αἱρουμένων, *de iis qui bello congredi statuunt*. Οἱ γὰρ πόλεμον αἱρεῖν βουλόμενοι, κήρυκα ἔπεμπον ἄρνα ἐπιφερόμενον, ὃν ἠφίει ἐνδὸν, ἐνδεικνύμενος μηλόβοτον αὐτῶν τὴν οὐσίαν ἔσεσθαι καὶ τὴν πόλιν. Consulendi sunt Diogenianus *Collect. Prov.* Suidas, &c.

Bella raro indicebantur, nisi Deorum consilium F & approbationem prius quæsiissent. Haruspices omnigenique divinatores consulebantur, oracula muneribus ditabantur, nullique sumptui & labori parcebant, ut cœlum (prout imaginabantur) sibi propitium redderent. Tot sunt fere hujus generis exempla, quot bella indicta, quæ nunquam suscipiebantur, nisi de illorum exitu Deos prius interrogassent: nec unius Numinis sententia iis sufficiebat; etenim in bellis magni momenti, in quibus Reipublicæ salus & libertas vertebantur, ad totam

Numinum fatidicorum turbam confugiebant supplicibus votis, pretiosorum sacrificiorum & opulentissimorum munerum alis, ad cœlum sublatis illa sollicitantes, ut salutiferis consiliis illos dignarentur. Insigne exstat Crœsi exemplum, antequam Persis bellum inferret, qui patriorum Deorum & oraculorum Græciæ celebrium, in quibus interrogandis amplos thesauros profuderat, responsa non solum quæsivit, sed usque in Libyam legatos, qui Jovis Hammonis oraculum consulerent, opibus onustos misit, referente Herodoto *Clio* seu *lib.* I.

Quando de bello suscipiendo statuerant, sacrificia & ampla vota ob fœlicem incœptorum eventum persolvenda facere solebant: sic quando Atticam invasisset Darius, Minervæ votum dicavit Callimachus, quod si Athenienses victoria donare vellet, tot capros, quot hostes occisi forent, in ejus aris mactaturus esset. Nec hic mos, in sola Græcia, sed in plerisque aliis gentibus obtinuit: plura exempla occurrunt in Historia Romana, Persica, &c. Imo ipsos Judæos non latuisse patet ex Jephthæ voto, quando exercitus Israelitici in Ammonitas imperium suscepit, ut legere est in *l. Judic.* c. XI. *vers.* 30.

His ita dispositis, licet rerum status quævis prospera promitteret, attamen æque impium ac periculosum credebatur, si bellum hostibus intulissent, antequam suis incœptis favere videretur tempestas; quandoquidem in ominibus & diebus observandis plus nimio superstitiosi forent, nil in hostem moliri sustinebant, donec illa fausta consecuti fuissent. Lunæ eclipsis visa, vel quidvis aliud ab iis creditum inauspicatum omen, ab expeditione suscipienda facile absterrebat, & licet bona spes ex cæteris affulsisset, nihilominus opus aggredi noluerunt antequam diem faustum, ut putabant, attigissent. Athenienses bellum nunquam suscipiebant ἐντὸς ἑβδόμης, id est, *ante septimum diem*, observantibus Aristophanis Scholiaste in *Equit.* & Hesychio; unde natum est proverbium, quo qui quidquam negotii intempestive aggrediuntur, dicuntur illud agere ἐντὸς ἑβδόμης, juxta Zenob. *Cent.* III. *Prov.* LXXIX. Sed omnium Græcorum Lacedæmonii maxime superstitiosi & religiosi erant in iis observandis, imprimis quia illius gentis Legislator iis præceperat, ut ominibus cœlestibus religiose & intemerate parerent, imo sua consilia tum in rebus politicis, tum in bellicis ex siderum positione dirigerent; inter cætera peculiari lege prohibebantur ante novilunium ullam expeditionem bellicam suscipere, teste Luciano *Astrolog.* rebus enim humanis præternaturali & peculiari modo præsidere credebatur illud sydus, quod hominum incœpta fœlici successu coronabat, quando in summo sui splendoris fastigio evectum; illa vero negligebat, aut dissipari patiebatur, donec eo pervenisset, quia vi opifera destitutum; tam firma autem illorum signorum fides Lacedæmonios invaserat, ut, quantumvis urgeret necessitas, a suis institutis discedere noluerint; Athenienses enim, quum a Dario iis immineret periculum, Spartanorum auxilium quæsiverunt, qui quidem consenserunt se copias auxiliares missuros, sed quia ante novilunium iter ingredi recusarent, pugnæ decretoriæ fortunam tentare, & cum exigua & contemnenda militum manu adversus centena millia Medorum pugnare adacti sunt Athenienses, prout tradit Herodotus *Erato* seu *l.* VI.

CAP. VIII.

De eorumdem Castris, Custodiis, Excubiis, vitæque militaris ratione ac instituto.

De figura apud Græcos castrorum nihil accurati ac firmi tradi potest, cum non semper eadem fuerit, sed mutaretur, prout consuetudo aut natura diversorum regnorum, vel opportunitas exigebat. Lacedæmonii quidem rationem constantem urbium ædificandarum & castrametandi præfinitam ab ipsorum Legislatore habuisse dicuntur, qui sphæricam figuram ad se tuendum maxime idoneam existimabat, secundum Xenophontem *de Rep. Laced.* quod contrarium Romanorum consuetudini, quorum castra erant quadrangularia; omnes vero hujuscemodi figuræ a Lycurgo rejectæ, utpote anguli nec ulli usui essent, nec defendi possent, nisi fluvio, monte, muro, similive propugnaculo muniti. Porro observandum est, Lacedæmonios sæpissime castra sua movisse, quippe quod omnia incœpta sua strenue prosequi assueti essent, moras longas male ferrent, nec libenter tempus otiose tererent: quapropter de hujusce rei causa interrogatus Lycurgus regessit, *Ut gravius damnum hostibus inferretur*, juxta Plutarchum *Apophthegm. Lacon.* cui Xenophon *loco cit.* aliam addit, nimir. *Ut suppetias amicis citius & alacrius ferrent.*

Cæterum de Græcorum castris notandum, quod fortissimi militum in alis, reliqui in medio positi essent; ut robustiores tegerent infirmiores, primosque impetus sustinerent, si hostis opera & munitiones eorum perrumpere vellet. Sic Achilles & Ajax extremitates Græcorum castrorum ante Trojam occuparunt, & utrinque tutati sunt cæteros Principes, quorum tentoria in medio posita, ut discere est ex Homero *Iliad.* θ'. *vers.* 222.

Στῆ δ' ἐπ' Ὀδυσσῆος μεγακήτεϊ νηῒ μελαίνῃ,
Ἥ ῥ' ἐν μεσσάτῳ ἔσκε, γεγωνέμεν ἀμφοτέρωσε,
Ἠμὲν ἐπ' Αἴαντος κλισίης Τελαμωνιάδαο,
Ἠδ' ἐπ' Ἀχιλλῆος, τοί ῥ' ἔσχατοι νῆας ἐΐσας
Εἴρυσαν, ἠνορίῃ πίσυνοι καὶ κάρτεϊ χειρῶν.

Stetit autem in Ulyssis ingenti navi nigra,
Quæ in medio erat, ut vox exaudiri posset in utramque partem,
Et ad Ajacis tentorium Telamonii,
Et ad Achillis, qui extremi naves æquales
Subduxerant, virtute freti & robore manuum.

Quando in castris diu residere statuebant, locum eligebant, ubi altaria Diis erecta, resque divinæ apud eos solenniter factæ; ibidem cœtus publici convocati, quum imperator aliquid cum militibus communicandum haberet; judiciaque exercita, quibus controversiæ inter milites ortæ dirimebantur, & in criminis reos sententia ferebatur: quæ consuetudo æque antiqua ac bellum Trojanum, cujusque mentio fit apud Homer. *Iliad.* λ'. *vers.* 805.

Ἀλλ' ὅτε δὴ κατὰ νῆας Ὀδυσσῆος θείοιο
Ἷξε θέων Πάτροκλος, ἵνα σφ' ἀγορή τε θέμις τε
Ἤην, τῇ δὴ καί σφι θεῶν ἐτετεύχατο βωμοί.

Sed cum jam e regione navium Ulyssis divini
Pervenit currens Patroclus, ubi eis forumque erat & jus dicebatur,
Ubi etiam eis Deorum facta erant altaria.

Quando castris imminebant hostes, vallo & muro turribus iis, quæ in civitatum mœnibus visuntur, non absimilibus undique firmatis, ex quibus hostem missilibus lacessebant, illa munire solebant. Nono belli Trojani anno, quo Achilles suas copias auxiliares abduxit, his munimentis castra tueri coacti dicuntur Græci apud Homerum, qui eousque nullis munitionibus indiguerant, quamdiu Trojanos intra sua mœnia coercere valuerant: illorum autem castra sic munita describuntur *Iliad.* η'. *vers.* 436.

—— τεῖχος ἔδειμαν,
Πύργους θ' ὑψηλοὺς, εἶλαρ νηῶν τε καὶ αὐτῶν·
Εν δ' αὐτοῖσι πύλας ἐνεποίεον εὖ ἀραρυίας,
Οφρα δι' αὐτάων ἱππηλασίη ὁδὸς εἴη.
Εκτοσθεν δὲ βαθεῖαν ἐπ' αὐτῷ τάφρον ὄρυξαν,
Εὐρεῖαν, μεγάλην· ἐν δὲ σκόλοπας κατέπηξαν.
—— murum ædificarunt,
Turresque altas, propugnaculum naviumque & ipsorum:
In ipsis autem portas fecerunt bene coagmentatas,
Ut per illas equestris via esset.
Exterius autem profundam prope illum fossam foderunt,
Latam, magnam: vallos autem infixerunt.

Disciplina castrensis pro moribus ducum diversa erat: alii enim militibus omnem intemperantiam & nequitiam permittebant: alii econtra ad severissimam temperantiam & sobrietatem illos obstringebant; insigne exemplum nobis suppeditat Philippus Macedo; qui (prout Polyænus tradit) duos milites nullum aliud ob delictum, quam quia in castris illos in psaltriæ consortio offenderat, in exilium pepulit. Disciplinam autem castrensem tam severam & strictam apud Græcos non semper viguisse patet ex Plutarcho, qui in *Cleomene p.* 810. *Edit. Paris.* & in *Lycurgo* scribit, omnium Græcorum solos Lacedæmonios, nullos histriones & agyrtas, nullasque saltatrices & cantatrices in castris tolerasse, pariterque ab omni pompa ludicra & nugis abstinuisse; juniores enim in virilibus certaminibus semper se exercebant; seniores vero in iis instituendis operam dabant, vel a peritioribus edocebantur; & solutiores horas in solitis facetiis & jocis Laconicis pro more suæ gentis insumebant. Nihilominus illorum Legislator majorem licentiam militiæ, ut eorum labores leniret, quam domi iis indulserat: in bello enim levioribus exercitiis & delicatiore victu utebantur, nec tam severo ducum imperio parebant, ita ut ex omnibus populis soli milites Lacedæmonii militia solutiore & liberiore gauderent; quandoquidem sumptuosa arma pretiosasque vestes gestare, imo sæpius unguento se inungere, & comam crispare iis pariter licebat; unde summopere admiratus dicitur Xerxes, quando ab exploratoribus audivisset, Lacedæmoniorum vigiles tum gymnicis certaminibus, tum capillis in cincinnos torquendis vacare, prout tradit Herodotus *l.* VII. cap. CCVIII. & CCIX. Quinetiam Athenis equites comam alebant: unde Aristophanes in *Nubibus Act.* I. *Scen.* I.

—— ὁ δὲ κόμην ἔχων
Ιππάζεταί τε, καὶ ξυνωρικεύεται.
—— ille autem comam habens
Equitat, & bigas agit.

Et in *Equitibus Act.* III. *Scen.* II.

Νοῦς οὐκ ἔνι ταῖς κόμαις
Υμῶν. ——
Nil mentis inest comis
Vestris. ——

Quod a veteris forte Græciæ moribus acceptum, cum ubique apud Homerum *καρηκομόωντες Αχαιοὶ*, *comati Achivi*, occurrant. Postea Cyneas & Phrynus, cum immutatam vellent Atheniensium disciplinam, legem rogarunt ne liceret illis amplius *κομᾷν*, & *ἁβροδιαίτους εἶναι*, *comam nutrire, & delicate vivere*. Vid. Aristophanis Interpres *ad Equites*.

Græcorum excubiæ distinguuntur in *ἡμεριvὰς*, & *νυκτερινὰς*: illæ interdiu, hæ vero noctu agebantur. Statis horis nocturnis nonnulli præfecti dicti *περίπολοι περιπολεῖν* vel castra lustrare, & vigilias explorare solebant; ut autem compertum haberent an dormirent necne, campanula, quæ dicebatur *κώδων*, sonare assueverant, qua audita milites respondere tenebantur, teste Suida: illud dicebatur *κωδωνίζειν*, & *κωδωνοφορεῖν*:

—— κωδωνοφορεῖται, πανταχῆ
Φυλακαὶ καθεστήκασι. ——
—— circuit cum campanula, ubivis
Excubiæ constitutæ sunt. ——

Qua de causa *κωδωνίζειν* sumitur pro *πειράζειν* *experiri* vel *probare*, ex Aristophane in *Ranis*, & *ἀκωδώνιστος* pro *ἀπείραστος*, id est, *inexpertus*, apud eundem in *Lysistrate*. In bello Peloponnesiaco iste mos Brasidam in urbe Potidæa invadenda non parum adjuvit: quando enim animadvertisset campanulæ sonitum desiisse, tempestive, antequam campana iterum pulsaretur, scalis mœnibus, ubi custodibus exuta erant, admotis civitatem invasit, referente Thucydide *l.* IV.

Apud Lacedæmonios clypeis tegi non permittebantur excubiæ, scilicet, ut armis tegentibus destituti a somno magis sibi caverent: ad quem morem alludit Tzetzes *Chiliad.* IX. *Hist.* CCLXXVI.

Ποτὲ καὶ τὶς τῶν στρατηγῶν μᾶλλον φρονούντων πάντας
Γυμνοὺς ἀσπίδων αὐτόθε τοὺς φύλακας ἔωσεν,
Οπως ἐπαγρυπνότερα τὴν φυλακὴν ποιῶνται,
Καὶ μὴ θαρρήσαντες αὐταῖς εἰς ὕπνον ἐκτραπῶσιν.
Olim & aliquis ducum prudentiorum omnes
Nudos sine scutis custodes reliquit,
Ut vigilantius custodiam agerent,
Et ne fidentes ipsis ad somnum se verterent.

Reliqui vero milites armati dormire tenebantur, ut, quamprimum classicum caneretur, ad pugnam accincti forent, prout nos docet Xenophon.

Non est prætermittendum Spartanum exercitum duplices excubias adhibuisse; alteras intra castra, quæ in confœderatis vigilem oculum tenerent, ne a suis partibus derepente deficerent; alteras vero extra castra in loco editiore, unde in exercitum hostilem commode despicere liceret. Leg. Xenophon.

Quoties & an statis horis an vero pro lubitu imperatoris excitarentur vigiliæ, non satis liquet. Equidem *φυλακὴ*, quæ denotat *excubias*, sæpius sumitur pro quarta parte noctis, juxta divisionem Romanarum vigiliarum, prout patet tum ex diversis Novi Testamenti locis, tum ex aliis Scriptoribus: sed hic vocis usus non tam a Græcis quam a Romanis vigiliis desumptus est, quæ per noctem quater, hoc est, singulis trihoriis, excitari solebant; (nocte supputata a sexta hora vespertina ad sextam matutinam, vel a solis occasu ad ejus ortum crastinum) tempus enim, quod intercedebat a sole occidente ad solem orientem diei sequentis, in duodecim æquas partes, quæ non semper pares erant, cujusmodi nostrates horæ sunt, sed minores vel majores, pro anni tempestate, quæ idcirco ab Astronomis impares & planeticæ horæ dicuntur, distingui solebant.

CAP. IX.

De ipsorum Præliis, imperatorum Orationibus, Sacrificiis, Musica, Signis, Vexillis, Tessera militari, Modo quo bella absolvebant pugna singulari, &c.

ANtequam committeretur prælium, cibariis semper se reficiebant milites, edendo ac bibendo copiose. Hujusmodi consuetudo ejusque ra-

tiones ample descriptæ exstant in oratione eleganti Ulyssis ad Achillem *Iliad.* τ'. *vers.* 155. ubi monet istum juvenem imperatorem, ne exercitum impransum educat:

Μηδ' οὕτως ἀγαθός περ ἐών, θεοείκελ' Ἀχιλλεῦ,
Νήστιας ὄτρυνε προτὶ Ἴλιον υἷας Ἀχαιῶν
Τρωσὶ μαχεσσομένους· ἐπεὶ οὐκ ὀλίγον χρόνον ἔσται
Φύλοπις, εὖτ' ἂν πρῶτον ὁμιλήσωσι φάλαγγες
Ἀνδρῶν, ἐν δὲ θεὸς πνεύσῃ μένος ἀμφοτέροισιν·
Ἀλλὰ πάσασθαι ἄνωχθι θοῇς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιοὺς
Σίτου καὶ οἴνοιο· τὸ γὰρ, μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή.
Οὐ γὰρ ἀνὴρ πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα
Ἄκμηνος σίτοιο δυνήσεται ἄντα μάχεσθαι.
Εἴπερ γὰρ θυμῷ γε μενοινάᾳ πολεμίζειν,
Ἀλλά τε λάθρῃ γυῖα βαρύνεται, ἠδὲ κιχάνει
Δίψα τε καὶ λιμὸς, βλάβεται δέ τε γούνατ' ἰόντι.
Ὃς δέ κ' ἀνὴρ οἴνοιο κορεσσάμενος καὶ ἐδωδῆς,
Ἀνδράσι δυσμενέεσσι πανημέριος πολεμίζει,
Θαρσαλέον νύ οἱ ἦτορ ἐνὶ φρεσὶν, οὐδέ τι γυῖα
Πρὶν κάμνει πρὶν πάντας ἐρωῆσαι πολέμοιο.
Ne tamen sic strenuus licet sis, deo similis Achilles,
Jejunos impelle ad Ilium filios Achivorum
Contra Trojanos pugnaturos: quia non exiguum tempus erit
Certamen, postquam primum congressæ fuerint phalanges
Virorum, Deusque inspiraverit animos utrisque:
Sed vesci jube velocibus in navibus Achivos
Cibo & vino: hoc enim, robur est & vis:
Neque enim vir totam diem usque ad solem occidentem
Expers cibi poterit contra pugnare.
Licet enim animo utique prompto sit ad pugnandum,
Tamen simul sensim membra gravantur, & occupant
Sitisque & fames, noxamq; trahunt genua eunti.
Qui vero vir vini satur & cibi,
Cum viris hostibus totam diem pugnat,
Audens omnino ei animus in præcordiis, neque quicquam membra
Prius defatigantur quam omnes recedant a pugna.

Livius quoque tradit *l.* IX. Romanos istud existimasse apparatum prorsus necessarium, nec unquam omisisse ante pugnam.

Deinde militum præfecti aciem instruebant: in qua arte Græci Romanis longe inferiores erant; illi enim, integro exercitu in unam quasi frontem statuto, fœlicem pugnæ exitum in uno conferto agmine ponebant; cum Romani, ipsorum *hastatis, principibus*, ac *triariis* in distinctas acies unam pone aliam dispositis, post primam aciem deletam prælium instaurare iterum pares erant, nec penitus profligari poterant, donec ter victi fuissent. Nihilominus aliquid non absimile factum reperimus tempore belli Trojani, quo senex Nestor equites in prima acie, post illos peditum infirmissimos, tandemque eos qui reliquos robore ac fortitudine superabant, collocasse dicitur apud Homer. *Iliad.* δ'. *v.* 297.

Ἱππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφι,
Πεζοὺς δ' ἐξόπιθεν στῆσεν πολέας τε καὶ ἐσθλοὺς,
Ἕρκος ἔμεν πολέμοιο· κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν,
Ὄφρα καὶ οὐκ ἐθέλων τις ἀναγκαίῃ πολεμίζῃ.
Equites quidem primum cum equis & curribus,
Pedites autem a tergo constituti multosque strenuosque,
Vallum ut essent belli: ignavos autem in medium coegit,
Ut etiam non volens quis necessitate pugnaret.

A Quo in loco etsi nonnulli accipiant τὸ πρῶτον & τὸ ὄπισθεν de dextro & sinistro cornu, pluresque alii aliter, tamen maxime propria ac nativa Poetæ sententia videtur esse, quod constituti fuerint alii post alios, teste Plutarcho *lib. de Homero.*

Tum imperator orationem ad milites habebat, in qua argumentis ad id accommodatis eos hortabatur ad omnibus viribus hosti obsistendum; successusque inde emergens adeo mirabilis erat, ut sæpenumero, quum res accisæ penitusque desperatæ essent, milites animum denuo erigerent, vires extemplo colligerent, ipsumque hostem, a quo antea profligati fuerant, propulsarent. Plurima hujusce B rei exempla in historiis Græcorum atque Romanorum passim occurrunt, quorum maxime notatu dignum illud Tyrtæi Atheniensis Poetæ claudi, cui monitu oraculi imperium exercitus Spartanorum traditum in quodam cum Messeniis bello; Spartani tunc temporis magnas clades in multis conflictibus acceperant, omniaque ipsorum stratagemata irrita evaserant, ita ut de successu penitus desperare inciperent, quum Poeta hortamentis honoris ac virtutis suffultis carmine pathetico tantum ardorem ipsis injecit, ut parati pro patria mori ac irruentes impetu violento congressi fuerint cum hoste prorsusque eum fuderint, sicque pugna decretoria fœli- C cem exitum bello imposuerint, quemadmodum scribunt Pausanias *Messenicis*, Diodorus Siculus *l.* XV. Justinus *Hist. l.* II. cap. V.

Antequam cum hoste manus conferere tentarent, Numina sibi propitia & præsentia reddere precibus, sacrificiis, votisque studebant, & Marti hymnum dictum Παιᾶνα ἐμβατήριον, ut & Apollini post victoriam lætam nuncupatum Παιᾶνα ἐπινίκιον cantabant, teste Thucyd. Scholiast. *l.* I. Musis sacrificium faciebant Lacedæmonii more sibi proprio, qui ab iis inductus sive ad affectus vehementissimos comprimendos molliendosque, cum animo D tranquillo atque sedato prælium inire solerent, juxta Plutarch. περὶ ἀοργησίας: sive ut seipsos excitarent ad facinora præclara efficienda, digna quæ ab hisce Deabus ad posteros transmitterentur, secundum eumdem in *Lycurgo.* Aruspices pugnæ eventum portendere volentes victimas omnes inspiciebant; & donec omina fausta ostenderentur, hostibus ignave se dedere malebant, quam seipsos defendere. Spartani imprimis hac superstitione præter modum imbuti; nam in celebri ad Platæas pugna, quando Mardonius Persarum dux in Græcos irruisset, Pausan. Spartanus, qui tum præerat Græcorum exercitui, sacrificium oblatum minime Diis gratum comperiebat, ideoque Lacedæmoniis impe- E ravit, ut, clypeis ante pedes positis, quieti mandata sua exsequerentur; sacerdotes alias ex aliis victimas mactabant, sed universas inauspicato, barbaris illos perpetuo adorientibus, vulnerantibus ac cædentibus intra eorum ordines, donec Pausanias ad templum conversus, manibus ad cœlum sublatis, & oculis lachrymantibus, Junonem Cithæroniam cæterosque Platæensium tutelares Deos supplex orat, si in fatis non foret ut potirentur Græci victoria, saltem ut quodam memorabili facinore hostibus ostenderent, viris fortibus & bellicosis eos arma intulisse: precibus vix finitis, sacrificia apparuerunt F propitia, signoque dato in Persas fortiter & impavide irruerunt, brevique integrum eorum exercitum penitus deleverunt, juxta eundem in *Aristide.*

Eorumdem signa vulgo dividuntur in σύμβολα & σημεῖα, quæ voces interdum quidem promiscue usurpantur, sed proprie loquendo diversæ sunt.

Σύμβολα duplicis generis erant, sive φωνικὰ, sive ὁρατὰ, hoc est, *ex ore prolata*, & *sub oculos cadentia*: priora συνθήματα, posteriora παρασυνθήματα dicebantur.

Σύν-

A Συνθημα, Latine *tessera*, dabatur ab imperatore inferioribus præfectis, & ab iis universo exercitui, tanquam signum, quo distinguerentur amici ab inimicis. Vid. Glossographi. In eo plerumque continebantur nonnulla fausta omina, vel nomina quorumdam Numinum in patria cultorum, aut imperatoris, a quibus fœlicem incœptorum exitum expectabant. Cyrus ex. gr. adhibebat Δία σύμμαχον, ἡγεμόνα, vel σωτῆρα, juxta Xenophontem *Cyropæd. lib.* VII. Cæsar *Venerem genitricem*, ex Appiano *Bell Civil. lib.* II. Augustus *Apollinem*, teste Valerio Maximo *lib.* I. *cap.* V. Verum ex ista consuetudine sæpissime proveniebant mali ac perniciosi B effectus; nam frequenter interrogantes alii alios perturbationem inter se afferebant, & (quod non minus periculosum) tesseram hostibus prodebant; ut contigit in pugna Atheniensium cum Syracusanis, de qua mentio apud Thucydidem *lib.* VII. Itidem inde cudebantur plurima noxia stratagemata, quorum unum adhibitum a quodam duce Arcade in bello cum Lacedæmoniis; quando prælio noctu commisso tessera, quam suis militibus dedit, hæc erat, ut illico occiderent quotquot illam rogarent; unde facile internoscebantur, Spartanosque trucidabant, cum ipsimet non proderentur, ideoque nihil ipsis timendum, ut tradit Polyænus C *Stratagem. lib.* II.

Παρασύνθημα erat perspicua nota, qua discernerentur, ut nutu capitis, manuum plausu, armorum fragore, similibusve, quemadmodum scribit Onosander *Stratagem. cap.* XXVI.

Σημεῖα erant signa aut vexilla, quibus sublatis signum prælii conferendi edebatur, & demissis ab illo cessandum, testibus Suida, Thucydidis Scholiaste *lib.* I. Eorum varia genera, ex iisque plura decorata simulachris animantium aliarumve rerum, quæ peculiariter congruebant civitatibus, ad quas spectabant; Athenienses ex gr. noctuam in signis habebant, quia sacra Minervæ patronæ istius D civitatis, juxta Plutarchum in *Lysandro*; Thebani sphingem in memoriam famosi monstri ab Oedipo devicti, secundum eumdem in *Pelopida*, & Cornelium Nepotem in *Epaminonda*; Persæ divinos honores soli deferebant, ideoque eum in suis vexillis effingebant, prout narrat Curtius *lib.* III.

Σημεῖον non raro purpureum paludamentum in summitate hastæ, ut patet ex illo Cononis apud Polyænum & Cleomenis apud Plutarchum; sæpe etiam adhibebantur alii colores; Polybius sub finem *lib.* II. loquens de pugna inter Antigonum & E Cleomenem sic scribit: Συνθημα δ' ἦν τοῖς μὲν Ιλλυριοῖς τότε ποιεῖσθαι τὴν ἀρχὴν τῆς πρὸς τὸν λόφον προσβολῆς, ὅταν ἴδωσιν ἀρθεῖσαν ἀπὸ τῶν κατὰ τὸν Ολυμπον τόπων σινδόνα· τοῖς δὲ Μεγαλοπολίταις καὶ τοῖς ἱππεῦσι παραπλησίως, ἐπειδὰν φοινικὶς ἐξαρθῇ παρὰ τοῦ βασιλέως. *Signum inchoandi prælii Illyriis quidem fuerat constitutum, ubi primum e proximis Olympo locis linteum attolli viderent: Megalopolitanis vero pariter & equitibus, cum primum Rex puniceum paludamentum attolleret.*

Veterum Græcorum signa erant accensæ faces, quas ab utroque exercitu mittebant viri dicti πυρφόροι aut πυροφόροι, Martis sacerdotes, ideoque sacri habiti, & jactis facibus, securi & incolumes se recipiebant, secundum Euripidis Scholiastem F *Phœnissis vers.* 1386 Lycophronis Scholiastem *Cassandra vers.* 250. aliosque plures; hinc de pugnis ardentibus ac sævis, in quibus vita nemini concedebatur, vulgo dictum, οὐδ' ὁ πυρφόρος ἐσώθη, *nec tædifer salvus evasit*. Ad hunc morem frequenter alludunt Græci atque Latini Poetæ: sic Lycophron *Cassandra vers.* 1295 loquens de Phœniciis, qui Io furtim abducta rixas inter Europam & Asiam excitarunt, ait:

> Εχθρας δὲ πυρσὸν ἦραν ἠπείροις διπλαῖς.
> *Odiique facem duabus extulere continentibus.*

Sic quoque Statius *Thebaidos lib.* IV. *vers.* 5.

> *Prima manu rutilam de vertice Larissæo*
> *Ostendit Bellona facem.* ——

Itidem Claudianus *de Raptu Proserpinæ lib* I. *vers.* 40. aliique, quos prætermitto, hanc consuetudinem observat:

> *Tisiphone, quatiens infesto lumine pinum,*
> *Armatos ad castra vocat pallentia manes.*

His intermissis, usurpatæ sunt conchæ, quibus sonabant ad instar tubarum tunc temporis nondum inventarum, ut videre est apud Tzetzem *in Lycophronis Cassandram vers.* 250. Hinc facile interpretari potest Theognidis ænigma:

> Ηδη γάρ με κέκληκε θαλάττιος οἴκαδε νεκρὸς,
> Τεθνηκὼς ζωῷ φθεγγόμενος στόματι.
>
> *Jam enim me vocavit domum marinus mortuus,*
> *Mortuus viventi loquens ore.*

Tritonis concha apud Poetas celebris est; unde Ovidius *Metamorph. lib.* I. de Neptuno verba faciens:

> —— *supraque profundum*
> *Exstantem, atque humeros innato murice tectum*
> *Cæruleum Tritona vocat, conchaque sonaci*
> *Inspirare jubet, fluctusque & flumina signo*
> *Jam revocare dato, cava buccina sumitur illi*
> *Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo.*

Et Poetarum plerique in describendis bellis antiquis istam consuetudinem memorant; hinc Theocritus Διοσκούροις seu *Idyll.* XXIII. *vers.* 75. canit:

> Η ῥ' Αμυκος, καὶ κόχλον ἑλὼν μυκάσατο κοῖλον,
> Οἱ δὲ θοῶς συνάγερθεν ὑπὸ σκιερὰς πλατανίσω,
> Κόχλω φυσαθέντος, ἀεὶ Βέβρυκες κομόωντες.
>
> *Dixit sane Amycus, & cava concha accepta insonuit,*
> *Tunc celeriter convenerunt sub umbrosam platanum,*
> *Concha inflata, Bebryces semper comam alentes*

Ita Lycophron *Cassandra vers.* 249.

> Καὶ δὴ καταίθει γαῖαν ὀρχηστὴς Αρης,
> Στρόμβῳ τὸ αἱματηρὸν ἐξάρχων νόμον.
> *Incendit quoque terram saltator Mars,*
> *Concha cruentum exordiens classicum.*

Quo in loco etsi Scholiastes invehatur in Poetam eo quod conchas induxerit tempore quo tubæ adhibitæ, (quod juxta illum ex Homero ostendi potest) tamen nimis audax hac in re esse videtur, cum observari queat ex Eustathio *ad Iliad.* ξ'. quod quamvis Homerus tubarum meminerit, tamen nunquam occurrunt quando Heroum pugnas describit, sed tantum ex iis similitudinem aut allusionem ducit; ut fit in loco citato a Tzetze *Iliad.* σ'. *vers.* 219.

> Ως δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνὴ, ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ
> Αστυ περιπλομένων δηΐων ὑπὸ θυμοραϊστέων
> Ως τότ' ἀριζήλη φωνὴ γένετ' Αἰακίδαο.
>
> *Ut vero cum admodum luculenta vox fit, quando clangit tuba*
> *Urbem cingentes hostes propter exitiales.*
> *Sic tum admodum luculenta vox erat Æacidæ.*

Unde conjici potest tubas revera usurpatas Homeri tempore, sed recens inventum fuisse, nec

æque vetuſtum ac bellum Trojanum, ut *Iliad. σ'. verſ.* 219. & *Iliad. φ'. verſ.* 388. obſervatum a veteri Scholiaſte. Virgilius equidem Tzetzi aliquomodo conſentire videtur, loquens de Miſeno, quem Hectori in bello Trojano, poſteaque Æneæ ut tubicinem miniſtraſſe aſſerit *Æneid. lib.* VI. *verſ.* 162.

—— atque illi Miſenum in littore ſicco,
Ut venere, vident indigna morte peremptum,
Miſenum Æoliden, quo non præſtantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu:
Hectoris hic magni fuerat comes; Hectora circum
Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta.
Poſtquam illum victor vita ſpoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ ſeſe fortiſſimus heros
Addiderat ſocium, non inferiora ſecutus.

Verum hic tuba ænea & lituus uſurpantur juxta uſum quo veniebant Poetæ ætate per figuram Poetis familiarem; Miſenus enim tam rarum inventum nunquam novit, & quamvis illum arte ſua ita ſuperbientem videamus, ut Deos æquoreos ad certamen provocare ſuſtineat, nihilominus non contendebant tuba, ſed concha, organo quo utebantur hæcce Numina; unde idem Poeta, qui verborum ſuorum optimus interpres habendus eſt, ſubjicit verſibus proxime ſequentibus:

Sed tum forte, cava dum perſonat æquora concha
Demens, & cantu vocat in certamina Divos:
Æmulus exceptum Triton (ſi credere dignum eſt)
Inter ſaxa virum ſpumoſa immerſerat unda.

Tubæ ſextuplicis generis erant, ex Euſtathio *ad Iliad. σ'. pag.* 1189. *Edit. Baſil.* unde ortæ veterum Scriptorum diſcrepantes de primo cujuſvis artis inventore ſententiæ; cum gloriam inventionis ei, qui primus quamdam artem excogitavit, dare ſoliti ſint.

1. Tubam primam adinvenit Minerva, omnium fere artium ac utilium inventorum communis parens atque patrona; hinc decorata titulo Σάλπιγγος, cujus mentio fit a Lycophrone *Caſſandra verſ.* 914.

Αὐτὴ γὰρ ἄκραν ἄρδιν ἰθυνεῖ χεροῖν
Σάλπιγξ. ——
Ipſa namque extremam ſagittam diriget manu
Tubicina. ——

Iſto nomine culta in templo Argis ipſi ſacro, juxta Heſychium, Phavorinum, Euſtathium *loc. cit* verum Pauſaniæ *Corinthiacis* potius videtur, hancce tubam excogitatam fuiſſe ab uno liberorum Herculis nuncupato Tyrrheno, cujus filius Hegelaus (organo hoc tradito quibuſdam Dorienſibus ſubditis Temeni) ad commemorandum inventum hocce, & ad animum gratum Deæ pro auxilio teſtandum, cognomen hoc ipſi indidit. Vide *Commentarium noſtrum in Lycophronem Caſſandra verſ.* 915.

2. Ægyptia tuba, dicta χνὴν, & ab Oſiride inventa: rotunda erat, & ad homines in concionem vocandos in ſacrificiis adhibita. Euſtathius *loc. cit.* ac deinceps videndus.

3. Excogitata in Gallia Celtica, dicebaturque κάρνυξ: ſonum acutiſſimum, ſed non valde diffuſum, reddebat: fundebatur in formam, ejuſque orificium decoratum figuris quorumdam animalium; tubus plumbeus ipſi inſertus, quo tubam inflabant ad ſonitum dandum.

4. Uſurpata prius in Paphlagonia, & nuncupata βόϊνος a βοῦς ſeu figura bovis ad ſummum orificium exſtante, ſonumque cæcum ac gravem efficiebat.

5. Adinventa a Medis, ejuſque ſonitus gravis audiebatur ope fiſtulæ arundinibus conflatæ.

6. Appellata σάλπιγξ Τυῤῥηνικὴ, quia inventa a Tyrrheniis, unde ad Græcos delata a quodam Archonda, qui venerat ad auxilium Heraclidis ſeu poſteris Herculis ferendum, ut tradunt Sophoclis Scholiaſtes *Ajace verſ.* 17. Suidas, Diodorus Siculus *lib* V. Alii, ut Hyginus *Fab.* 274. Tyrrhenum Herculis filium primum hujuſce inventorem faciunt. Patulum ipſi erat orificium, & ſonum valde clarum acutumque reddebat, non abſimilem ſono tibiæ Phrygiæ; hinc præ cæteris prælio committendo maxime idonea: Minervæ Deæ vocem huic aſſimilat Ulyſſes apud Sophoclem *Ajace Flagell. verſ.* 16.

Ὦ φθέγμ᾽ Ἀθάνας φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν,
Ὡς εὐμαθές, σου, κἂν ἄποπτος ᾖς, ὅμως
Φώνημ᾽ ἀκούω, καὶ ξυναρπάζω φρενὶ,
Χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς.
O vox Minervæ chariſſimæ mihi ex Diis,
Quam facilis perceptu, tuam, etſi inconſpicua eras, attamen
Vocem exaudio, & apprehendo mente,
Tanquam ſonum tubæ Tyrrhenicæ.

Ad quem locum annotat Scholiaſtes, quod Minervæ vox aſſimiletur ſono tubæ Tyrrheniæ, quia maxime clariſona facile diſtingui poſſet, quemadmodum iſta tuba omnibus aliis præſtabat, & ſimulatque audiebatur, nullo negotio ab aliis internoſci poterat.

Hæ erant uſitatiſſimæ ac notiſſimæ tubæ; aliæ forſan apud Auctores ſubinde reperiri queunt, ut Libyca apud Suidam, & alia apud Sophoclis Scholiaſtem *loc. cit.* memorata, verum minoris notæ fuiſſe nec tam frequenter adhibitæ videntur.

Pluribus aliis inſtrumentis ad claſſicum canendum utebantur; ut σύριγξ ſeu *fiſtula* apud Arcades; πηκτὶς, quandoque vocata μαγαδὶς, in Sicilia, juxta Clementem *Pædag. lib.* II. *cap.* IV. pugnæ ſe accingebant Cretenſes ad ſonum αὐλῶν vel *tibiarum*, (teſte Polybio *lib* IV.) alii citharæ, (ex A. Gellio *Noct. Attic. lib.* I. *cap.* XI. Martiano Capella *lib.* IX.) imo, ut aſſerunt plerique veterum Scriptorum, lyræ, (ſecundum Clementem *loc. cit.* Athenæum *Deipnoſoph. lib* XII. & XIV. Euſtathium *ad Iliad.* ψ'.) quam per multa ſæcula obtinuiſſe docet Plutarchus *lib. de Muſica*. Qui claſſicum canebat, dictus ἴβεμς Cretenſibus, & aliis ἰβυκτὴρ a quadam tuba nominata ἴβυκι, ex Heſychio.

Lacedæmonii præſertim notandi ſunt in prælio conſerendo pluribus tibiis modulate canentibus; (vid. iidem Auctores, qui de Cretenſibus citantur, item Xenophon, Maximus Tyrius *Diſſert.* XII. & XXI. Quintilianus *lib.* I. *cap.* XVI. Thucydides *lib.* V. Valerius Maximus *lib.* II. *cap.* VI. Lucianus *de Saltatione*, & alii paſſim) rationem cur ſic agerent rogatus Ageſilaus reſpondit, *Ad diſtinguendum ignavos*; quippe præ ipſorum trepidatione modos muſicos pedibus ſervare nequibant, ut ſoliti erant. Reſponſum hoc eſt quidem facetum, nec prorſus a vero alienum; attamen hujuſce moris vim non plane continet. Valerius Maximus longius a vero abeſt, huicque ſententiæ omnino adverſatur, ſtatuens illud maxime aptum eſſe ad animos militum erigendos, quo acrius & vehementius impreſſionem facerent; Thucydides enim (quicum conſentiunt cæteri veteres Hiſtorici) aſſerit, quod ex hoc potius redderentur placidi atque ſedati, cum econtra tubæ aliaque organa ad eos ardore ac rabie inflammandos magis idonea forent; hujuſmodi enim animi motus confuſioni perturbationique excitandæ quam alicui præclaro ac memorando facinori efficiendo, aptiores credebantur; cum fortitudo non oriatur ex ſubita quadam citoque evaneſcente animi impotentia, ſed ex ejuſdem innata firmitate & conſtantia; quapropter operam dabant ut non cum ſtrepitu & nimia celeritate, ſed animo tranquillo vul-

tuque sereno in aciem placide & alacriter procederent. Modum describit Plutarchus in *Lycurgo* hisce verbis: *Ηδη δὲ συντεταγμένης ἅμα τῆς φάλαγγος αὐτῶν, καὶ πολεμίων παρόντων, ὁ βασιλεὺς ἅμα τὴν τε χίμαιραν ἐσφαγιάζετο, καὶ στεφανοῦσθαι παρήγγελλε πᾶσι, καὶ τοὺς αὐλητὰς αὐλεῖν ἐκέλευε τὸ Καστόρειον μέλος· ἅμα δ' ἐξῆρχεν ἐμβατηρίου παιᾶνος. Ωστε σεμνὴν ἅμα καὶ καταπληκτικὴν τὴν ὄψιν εἶναι, ῥυθμῷ τε πρὸς τὸν αὐλὸν ἐπιβαινόντων, καὶ μήτε διάσπασμα ποιούντων ἐν τῇ φάλαγγι, μήτε ταῖς ψυχαῖς θορυβουμένων, ἀλλὰ πράως καὶ ἱλαρῶς ὑπὸ τοῦ μέλους ἀγομένων ἐπὶ τὸν κίνδυνον. Οὔτε γὰρ φόβον οὔτε θυμὸν ἐγγίνεσθαι πλεονάζοντα τοῖς οὕτω διακειμένοις εἰκός ἐστιν, ἀλλ' εὐσταθὲς φρόνημα μετ' ἐλπίδος καὶ θάρσους, ὡς τοῦ Θεοῦ συμπαρόντος.* *Jam instructa eorum acie, hostesque cum adessent, rex simul capellam immolabat, edicebatque ut omnes coronas sumerent, & ut tibicines canerent Castoris carmen jubebat: simul etiam ordiebatur* ἐμβατήριον παιᾶνα seu *classicum* canere. *Quæ res severam simul atque horribilem edebat speciem, numeris ad tibiam incedentium, neque turbantium aciem, neque animis fluctuantium, sed modeste & hilariter ad modos euntium ad certamen. Neque enim nimia percelli trepidatione probabile est ita comparatos, aut plus satis ferocire, sed animum cum fiducia & audacia suscipere stabilem, quasi Dei præsente favore.* Huic methodo tribuit Maximus Tyrius illos ingentes faustosque exitus ac plurimas victorias, quibus Spartanorum fama omnibus sæculis posterioribus maxime celebrata fuit; sed istud disciplinæ atque naturæ hujusce Reipublicæ præcipue adscribendum videtur, vixque imitandum, donec revocaretur veterum Lacedæmoniorum magnitudo atque eximia animi firmitas.

Reliqui Græci cum majore impetu ac furore in aciem progrediebantur, cumque primam impressionem faciebant, clamorem edebant omnes, quo seipsos incenderent, hostibusque terrorem injicerent; dicebanturque ἀλαλαγμὸς, ex eo quod ἀλὰλ clam itarent; ἐλελεῦ ipsos etiam acclamasse tradit Suidas: istius primus inventor fuit Pan Bacchi legatus in expeditione sua Indica; ubi, quum ab hostibus numero longe superioribus undique in valle cincti essent, Pan hunc Deum monuit ut per noctem omnes suos milites clamorem dare juberet, quo adeo improviso hostes oppressi, ut illico castra sua relinquerent: hinc factum, ut omnes subiti timores, quibus absque legitima causa perculsæ hominum mentes, Græcis Latinisque dicerentur *terrores panici*, juxta Polyænum *Stratagem. lib.* 1.

Hujusmodi consuetudo apud universas fere gentes, tam barbaras quam bene moratas, obtinuisse videtur, ac memoratur ab omnibus Auctoribus, qui de re militari scripserunt: Homerus ipse varias hujus descriptiones, sed nimio multas quæ hic recenseri possint, tradere non est dedignatus; attamen unam afferam ex *Iliad.* δ'. *vers.* 452. ubi militum clamores confert torrentibus rapidissime decurrentibus a montibus in valles subjectas:

Ως δ' ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ, κατ' ὄρεσφι ῥέοντες,
Ες μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄμβριμον ὕδωρ
Κρουνῶν ἐκ μεγάλων, κοίλης ἔντοσθε χαράδρης,
Τῶν δέ τε τηλόσε δοῦπον ἐν οὔρεσιν ἔκλυε ποιμήν.
Ως τῶν μισγομένων γένετο ἰαχή τε φόβος τε.

Ut vero quando torrentes fluvii, de montibus fluentes,
In convallem conferunt cum impetu delatas aquas
Scatebris ex magnis, concavum intra alveum voraginis,
Horum autem procul fragorem in montibus audit pastor:
Sic iis commistis oriebatur clamorque timorque.

Nonnulli colligere possent ex principio Homeri

A *Iliad.* γ'. hujusmodi clamorem extitisse immanem consuetudinem, usurpatam quidem a Trojanis, sed derisam a Græcis optime moratis:

Αὐτὰρ ἐπεὶ κόσμηθεν ἅμ' ἡγεμόνεσσιν ἕκαστοι,
Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὥς·
Ηὔτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρὸ,
Αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ανδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι·
Ηέριαι δ' ἄρα ταί γε κακὴν ἔριδα προφέρονται·
Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Αχαιοὶ,
Εν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν ἀλλήλοισιν.

B *At postquam instructi fuerunt una cum ducibus quique,*
Trojani quidem clangoreque clamoreque incedebant, sicut aves:
Velut clangor gruum est in aere,
Quæ postquam hyemem effugerunt & immensum imbrem,
Clangoreque hæ volant supra oceani fluenta,
Hominibus Pygmæis cædem & mortem ferentes:
Aeriæ quippe noxium conflictum afferebant:
Ac proficiscebantur tacite robur spirantes Achivi,
In animo parati opem ferre sibi invicem.

C Verum hoc tantum intelligendum de ipsorum itinere, ut itidem liquet ex alio loco *Iliad.* δ'. *vers.* 427. ubi Græcorum ordinem profectionemque constantem, Barbarorum vero confusionem ac itinera inordinata optime ostendit:

Ως τότ' ἐπασσύτεραι Δαναῶν κίνυντο φάλαγγες
Νωλεμέως πόλεμόνδε· κέλευε δὲ οἷσιν ἕκαστος
Ηγεμόνων· οἱ δ' ἄλλοι ἀκὴν ἴσαν, (οὐδέ κε φαίης
Τόσσον λαὸν ἕπεσθαι ἔχοντ' ἐν στήθεσιν αὐδὴν)
Σιγῇ δειδιότες σημάντορας· ἀμφὶ δὲ πᾶσι
Τεύχεα ποικίλ' ἔλαμπε, τὰ εἱμένοι ἐστιχόωντο.
Τρῶες δ' ὥς τ' ὄϊες πολυπάμμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ
D *Μυρίαι ἑστήκασιν ἀμελγόμεναι γάλα λευκὸν,*
Αζηχὲς μεμακυῖαι, ἀκούουσαι ὄπα ἀρνῶν·
Ως Τρώων ἀλαλητὸς ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν ὀρώρει.

Sic tunc confertæ Danaorum movebantur phalanges
Indesinenter ad pugnam: imperabat autem suis unusquisque
Ducum: cæteri vero taciti ibant, (neque dixisses
Tantas copias sequi habentes in pectoribus vocem)
Silentio reveriti ductores: at circum omnes
Arma varia splendebant, quibus induti procedebant ordine.
E *Verum Trojani perinde ac oves locupletis viri in caula*
Innumeræ stant dum mulgentur lac album,
Magno sonitu balantes, audita voce agnorum:
Sic Trojanorum fremitus per exercitum latum est excitatus.

Quo in loco perspicuum est Poetam solummodo loqui de eorum profectione, quoniam paucis antea versibus, ubi descripturus pugnas duorum exercituum, hoc agit in verbis ante citatis; omnibusque aliis locis mentio fit de maximo strepitu atque clamore ambarum partium in ipsorum certaminibus.
F Sic *Iliad.* π'. *vers.* 276. loquitur de Myrmidonibus Achillis sociis:

Εν δ' ἔπεσον Τρώεσσιν ἀολλέες· ἀμφὶ δὲ νῆες
Σμερδάλεον κονάβησαν ἀϋσάντων ὑπ' Αχαιῶν.

Irruerunt autem in Trojanos conferti: circum autem naves
Terribiliter resonabant clamantibus ab Achivis.

Et paulo ante *ibid. vers.* 266.

Τῶν τότε Μυρμιδόνες κραδίην καὶ θυμὸν ἔχοντες
Ἐκ νηῶν ἐχέοντο· βοὴ δ' ἄσβεστος ὀρώρει.
Harum tunc Myrmidones cor & animum habentes
Ex navibus fundebantur: clamor autem immensus ortus est.

Imo tam necessario requirebatur hujusmodi clamor in prælio, ut φύλοπις, ἀϋτὴ, & βοὴ apud Poetam vulgo idem significent ac μάχη: & quando Heroes suos præstare se βοὴν ἀγαθὰς jubet, frequenter nihil aliud intelligit quam μάχην ἀγαθὰς *bonos bellatores*. Itaque præstantissimi milites ac præprimis ipsorum præfecti voce pollere debebant, non solum quia mandata verbis significabant ante tubas inventas, sed quia repentino terrore percellebantur hostes, ut videre est apud Eustathium *Iliad. β'. pag.* 187. *Iliad. γ'. pag.* 309. *Iliad. λ'. pag.* 799. &c. *Edit. Basil.* Hujusce rei exempla sæpissime apud Homerum occurrunt, ubi Hector, Achilles, pluresque alii trepidationem hostibus clamore injiciunt: & hac in parte a posterioribus Scriptoribus potissimum deprædicatur. Plutarchus præcipue, depingens dotes Marcii Coriolani Romanorum ducis, observat in *ejus Vita*: Καὶ γὰρ ἦν (ὥσπερ ἠξίου τὸν στρατιώτην ὁ Κάτων) οὐ χειρὶ καὶ πληγῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ τόνῳ φωνῆς καὶ ὄψει προσώπου φοβερὸς ἐντυχεῖν πολεμίῳ καὶ δυσυπόστατος. *Erat enim (qualem esse Cato voluit militem) non manu tantum & gladio, sed etiam vocis contentione & obtutu vultus terribilis adspicienti hosti atque intolerabilis.*

Bellis Heroum in prima acie pugnabant imperatores, ut apparet ex omnibus præliis ab Homero descriptis: unde non raro nuncupati πρόμαχοι & πρόμοι, quia προεμάχιζον τῷ στρατῷ *in exercitus fronte pugnabant*; sic quando Alexander Trojanos educit *Iliad. γ'. vers.* 16.

Τρωσὶν μὲν προμάχιζεν Ἀλέξανδρος θεοειδής.
Trojanis quidem in prima acie erat Alexander divina forma præditus.

Et Achilles, militibus suis ad naves Græcorum propugnandas missis, postquam cæteris præfectis varias stationes assignasset, Patroclum & Automedontem ut principes duces in prima acie collocat *Iliad. π'. vers.* 218.


Πάντων δὲ προπάροιθε δύ' ἀνέρε θωρήσσεσθον,
Πάτροκλός τε καὶ Αὐτομέδων, ἕνα θυμὸν ἔχοντες,
Πρόσθεν Μυρμιδόνων πολεμιζέμεν. ——
Omnes autem ante duo viri armabantur,
Patroclusque & Automedon, unum animum habentes,
Ante Myrmidonas ut pugnarent. ——

Plura rei notissimæ exempla congerere supervacaneum foret. Ætatibus sapientioribus intermissa fuit hæc consuetudo, ducesque, animadvertentes quantopere exitus pugnæ in sua incolumitate positus esset, loca tutiora capere solebant, majoremque cautionem & diligentiam adhibebant ne periculis sese offerrent.

Eodem instrumento, quo classicum, receptui canebant, cæteraque imperata declarabant: attamen illis in locis, ubi leni ac suavi musica classicum concinebatur, organis magis sonoris interdum receptui signum dabant, aliaque mandata denunciabant: quod de Lacedæmoniis observari potest, qui ad imperatorum jussa significanda buccinas usurpasse videntur, prout patet ex Polybii *lib.* II. prope finem, ubi narrat Cleomenem jussisse ut levioris armaturæ milites ad tubæ sonitum locum mutarent.

Lacedæmoniis, cum hostes loco prælii decederent, victoriam urgere, eosve longius acriusque insequi, non permittebatur, testibus Thucydide *lib.* V. & Polyæno *Stratagem. lib.* I. dum obniti ac de palma certare pares erant, eos obruere invicto fortique animo contendebant; verum quando resistere desinerent, & victoriam deferrent, salutis fuga quærendæ copiam iis faciebant, ad brevissimum tempus pressoque gressu eos persequentes: cujus consuetudinis ratio adducitur hæc a Pausania in *Messenicis*: Καὶ τοὺς Λακεδαιμονίους ἅμα ὀργῇ, μὴ πρόσω τοῖς φεύγουσιν ἐπακολουθεῖν, οὐχ ἥκιστα καὶ ἡ ἀπειρία τῶν τόπων. Ἦν δὲ αὐτοῖς καὶ ἄλλως πάτριον σχολαιοτέρας τὰς διώξεις ποιεῖσθαι, μὴ διαλῦσαι τὴν τάξιν πλείονα ἔχοντας πρόνοιαν ἢ τινα ἀποκτεῖναι φεύγοντα. *Ipsos etiam Lacedæmonios, quo minus hostem fugientem insequerentur, plurimum quidem locorum ignoratio deterruit. Retardavit eos etiam patria disciplina; traditum enim a majoribus morem religiose tuentes, in fugam versos hostes non urgebant cupidius: quod providentius curandum putabant ne turbarentur ordines, quam ut fugientes cæderent.* Itidem quæ hac de re traduntur a Plutarcho in *Lycurgo*, rationi consentanea priscorumque Spartanorum mores optime exprimentia videntur: Τρεψάμενοι δὲ καὶ νικήσαντες ἐδίωκον, ὅσον ἐμβεβαιώσασθαι τὸ νίκημα τῇ φυγῇ τῶν πολεμίων, εἶτα εὐθὺς ἀνεχώρουν, οὔτε γενναῖον οὔτε Ἑλληνικὸν ἡγούμενοι, κόπτειν καὶ φονεύειν ἀπολεγομένους καὶ παρακεχωρηκότας. Ἦν δὲ οὐ μόνον καλὸν τοῦτο καὶ μεγαλόψυχον, ἀλλὰ καὶ χρήσιμον· εἰδότες γὰρ οἱ μαχόμενοι πρὸς αὐτοὺς ὑφισταμένους ἀναιροῦσι, φείδονται δὲ τῶν ἐνδιδόντων, τοῦ μένειν τὸ φεύγειν ἡγοῦντο λυσιτελέστερον. Spartani *fusos fugatosque hostes hactenus consectabantur, dum fuga eorum confirmassent victoriam, mox receptui canebant, cædere & contrucidare fractos & manus dantes neque generosum rati neque Græcis dignum. Erat id non præclarum modo & celsi animi, sed conducibile quoque; namque certi qui manus cum iis conferebant, occidere eos si qui subsisterent, terga vero vertentibus parcere, fugam capessere quam in acie manere ducebant commodius.* Leg. quoque *Apophthegm. Lacon.* & περὶ ἀοργησίας.

Porro unum adhuc restat observandum, antequam istud caput obsignemus, nim. quod Græci antiqui pugna singulari fortunam belli tentarent, controversiamque dirimerent ope duorum pluriumve utrinque athletarum: ipsorumque reges & duces optimi tanto suæ gloriæ studio flagrabant, subditorumque vitam adeo charam & antiquam habebant, ut Principes vicinos ac æmulos provocarent ad lites componendas privato congressu, sicque morte alterutrius mortem plurium anteverterent: memoranda hujusce rei exempla exstant tum in Xantho Bœotiæ Rege, qui, provocato Atticæ Rege, ab illo cæsus fuit, bellumque sævum inter ambas illas Respublicas finitum; (vide *Archæolog. nostram lib.* II. *cap.* XIX. in festis Ἀπατουρίοις) tum in Pittaco celebri illo Mitylenæo, qui Phrynonem ducem Atheniensem certamine singulari interfecit: similia exempla apud veteres Historicos passim obvia, ut & bella fœliciter confecta a paucis, qui controversiam tollerent, unanimi consensu delegatis: Lacedæmonii quoque nobis suppeditant illustre exemplum in bello, quod cum Argivis de jure in Thyream gesserunt, quodque ope trecentorum utrinque virorum concidit: nec minus notatu dignus exitus belli inter Tegeatas & Pheneatas, duas exiguas Arcadiæ Respublicas, quod consummatum fuit pugna trium utrinque fratrum, teste Plutarcho in *Parall. Græc. & Roman.* cujus historiæ circumstantiæ omnes exacte congruunt cum illa Horatiorum ac Curiatiorum apud Romanos Historicos maxime inclytorum: regiones quoque orientales eamdem consuetudinem tenuerunt, quod patet ex Goliatho Israeliticum exercitum provocante, ut eligerent virum qui certaret cum illo, & ex fuga Philistæorum post Davidis victoriam de adversario reportatam I. *Sam. cap.* XVII. 8. 50. 51.


TAB. VII.
Fig. 1
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4.

CAP. X.

De Græcorum obsidionibus præcipuisque inventis & machinis quæ in iis adhiberi solebant.

NUlla obsidionis exstant vestigia apud primævos Græcos: quandoquidem illorum urbes immunitæ forent, cuivis hosti ingruenti patebant, & earum incolæ in aperto campo devicti, victori facili erant prædæ: quapropter non mirari debemus, si in illis sæculis nullam fixam certamque sedem tenuerint populi, sed sæpius de regione in regionem migraverint, & ad antiquas sedes relinquendas adacti fuerint, quandocunque illos invasit hostis potentior, prout tradit Thucydides initio *lib.* I.

Illis sæculis dum mutabile & instabile fuit Græciæ populorum domicilium, diversam suas sedes a vicinorum impetu tegendi rationem excogitarunt homines: alii enim in summis atque inaccessis rupibus & montibus, unde vim hostium majorem arcere commode valerent, civitates condiderunt: alii vero, quorum sedes situ defensioni ineptæ erant, aliis artibus se tueri studebant, donec lapsu temporis quidam viri supra vulgus sagaces domos & prædia muris cingendi stupendi inventi auctores fuerunt: prima enim institutione illud opus tam mirum & humani ingenii vires multo superare videbatur, ut ipsi Dii de sedibus beatis ad id suscipiendum descendere crediti fuerint: mœnia Trojæ (ut reliqua taceam) artis esse divinæ, & ab illis nobilissimis architectis Neptuno & Apolline exstructa dicuntur: si autem mortalibus unquam obtigit, ut tam præclarum opus aggressi fœliciter perfecissent, ad cœlos evehi, & in numerum Deorum, ad quorum beatam naturam, dum in terris vivebant, proxime accedere credebantur, referri solebant.

Quandoquidem quantulicunque inventi auctores immortalitate donare assueverant, non mirum videri debet, si in viros tam beneficos, quibus tutam quietamque omnium bonorum, quæ cæteris Numinibus accepta ferebant, fruitionem debebant, eosdem honores contulerint: quamprimum enim mœnibus cincti fuerunt, se ab omni hostium impetu tutos tectosque credebant, & nisi exigua propugnantium vis majoribus oppugnantium copiis repellendis par fuisset, illa urbs Troja centum obsessorum millibus spatio decem annorum obsistere nunquam valuisset.

Nec Græci recentioribus sæculis, licet ob rei militaris notitiam celebrati, obsidiones libenter capessebant, multo minus facere noverant: sed suas lites, quantum fieri posset, uno prælio dirimere malebant, quam labores & tam molesti, periculosi, & sumptuosi incœpti alia incommoda subire.

Ab obsidionibus suscipiendis alienissimi, & in iis fœliciter gerendis imperitissimi omnium Græcorum erant Lacedæmonii, ita ut Mardonio Platæis devicto munimentum ligneum, in quod fugacium Persarum manus se receperat, perrumpere nunquam valuissent, sed ab incœpto absistere coacti fuissent, nisi Athenienses & reliqui Græci iis copias auxiliares tulissent, referente Herodoto *lib.* IX. *cap.* XLIX. Illorum enim Legislatorem peculiari lege prohibuisse ne obsidia libenter capesserent, tradit Plutarchus; imo in illis expeditionibus occumbere inglorium & Spartano indignum censebatur, prout asserit idem Scriptor in *Lysandro* & in *Sylla*, quo in loco verba faciens de *Lysandro* occiso ante portas Bœotiæ oppiduli dicti Haliarti tradit: *Λύσανδρος δὲ πελταστοῦ καὶ προδρόμου δίκην ἀκλεῶς παραβαλώσας ἑαυτὸν, ἐμαρτύρησε τοῖς παλαι-*

A *οῖς Σπαρτιάταις, ὅτι καλῶς ἐφυλάττοντο τὰς τειχομαχίας, ἐν αἷς οὐχ ὑπ' ἀνδρὸς μόνον τοῦ τυχόντος, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ παιδὸς καὶ γυναικὸς ἀποθανεῖν αὖ συντύχοι πληγέντα τὸν κράτιστον, ὥσπερ τὸν Ἀχιλλέα φασὶν ὑπὸ τοῦ Πάριδος ἐν ταῖς πύλαις ἀναιρεθῆναι. Lysander gregarii militis & antecursoris modo turpiter vitam projiciens, veteribus Spartiatis adstipulatus est, recte eos murorum oppugnationes declinasse, ubi non solum a viro abjecto, verum etiam contingat a puero & fœmina vulneratum cadere vel fortissimum, quomodo a Paride Achillem ajunt interemptum in porta.* Hom. *Iliad.* χ'. *vers.* 360. Pariter Pyrrhus magnus ille Epiri Rex Argis manu mu-
B lierculæ periit, juxta Plutarchum in *Pyrrho*.

Quando urbem aut arcem invadere studebant, illam integro exercitu cinctam & undique oppugnatam uno impetu expugnare primo tentabant, quod Græcis *σαγηνεύειν*, Romanis vero *corona cingere* dicebatur. Quando illa prima molimina infœliciter succedebant, obsidionem solvere solebant: sin vero in incœpto pergere statuissent, in longius obsidium omnia disponebant, in quo moderando nulla certa & firma via institisse videntur, sed diversam adhibebant pro ducum regimine, ut & pro tempore, loco, aliisque circumstantiis. *Tab.* VII. *Fig.* I.

C Quando urbem arcta obsidione claudere statuerant, *ἀποτειχισμὸν* vel *περιτειχισμὸν*, id est, *murorum circumvallationem*, quæ ex duplici muro cespitibus, Græce nucupatis *πλίνθοις* & *πλινθίοις*, aggestis constructo sæpius constitisse dicitur, ante omnia aggrediebantur. Interius munimentum repentinæ & inopinatæ ex urbe eruptioni præcavendæ & aditui in urbem copiis auxiliaribus præcludendo destinatum erat; exteriore vero sua castra tegebant ab exterioribus hostium assultibus, qui urbem obsidione eximere conarentur: exempli gratia, postquam Peloponnesii Platæas
D obsidione cinxissent, duplicem murum, alterum versus civitatem, alterum vero Athenas versus, ut ab illa parte omne periculum caverent, exstruxisse dicuntur a Thucydide: in spatio intermedio, quod sedecim pedes complectebatur, exstructæ erant pari distantia casæ in usum stationum & excubiarum, sed fere contiguæ, ita ut de longinquo tota structura videretur unus patulus murus turriculis utrinque munitus, post quarum decimam exstabat amplior turris, quæ utrumque murum attingebat.

Machinæ bellicæ antiquitus *μάγγανα*, recentius vero *μηχαναὶ* Græce dicebantur; illarum in-
E ventionem sibi tribuunt Græci, qui ullius artis inventæ laudem aliis gentibus concedere nolunt; solebant enim peregrinari in Ægyptum, Indiam, aliasque regiones orientales, unde artes & scientias hauriebant, quas deinceps in Europam divulgabant & a se inventas jactitabant; hinc Philosophia ad Græcos manavit. Quoad autem machinas in obsidiis adhibitas, patet ortas esse apud illas gentes orientales pluribus sæculis antequam Græcis ad minimum notæ & usurpatæ fuerint: jam a Mosis sæculo illarum usum innotuisse patet ex *Deut. cap.* XX. *v.* 20. pariter apud plures Judæorum Reges in usu fuisse constat: sed Græcos ante Homeri tem-
F pora nil omnino de illis machinis novisse compertum est. Equidem Statius illarum originem a temporibus belli Trojani repetit, qui de illis, quæ Græci ad Achillem tradiderunt ad bellum contra Trojanos gerendum, disserens, urbes Pylos & Messenen machinas Trojæ mœnibus quatiendis idoneas contribuisse his verbis tradit:

Murorum tormenta Pylos Messenaque tradunt.

Sed Poeta rudium & imperitorum hujus Herois temporum oblitus suam descriptionem suæ ætatis

usui accommodasse videtur, quandoquidem Scriptores certioris fidei nil tale memorarunt: verum est, Homerum meminisse τῶν κρόσσων, quas nonnulli Interpretes exponunt κλίμακας, id est, *scalas*, *Iliad.μ. vers.*443.

Ἴθυσαν δ' ἐπὶ τεῖχος ἀολλέες· οἱ μὲν ἔπειτα
Κροσσάων ἐπέβαινον, ἀκαχμένα δῦρατ' ἔχοντες.
Recta autem irruebant in murum frequentes: iique deinde
Pinnas adscendebant, acutas hastas tenentes.

Sed non improprie sumi possunt pro turrium pinnis, in quo sensu usurpantur *Iliad. μ'. vers.*258.

Κρόσσας μὲν πύργων ἔρυον, καὶ ἔρειπον ἐπάλξεις,
Στήλας τε προβλῆτας ἐμόχλεον. ——
Pinnas quidem turrium convellebant, & demoliebantur propugnacula,
Crepidinesque prominentes vectibus moliebantur. ——

Alii iterum scalarum usum temporibus belli Thebani earumque inventionem Capaneo uni ex septem illis celebratis athletis adscribunt; quæ enim de illo fulmine disjecto traduntur, nullo alio fundamento inniti videntur, quam in eo quod, quum Thebarum mœnia scalis superare moliretur, lapidibus detrusus & interfectus fuerit. Quia autem illud inventum facile & arti humanæ obvium videtur, non omnino vero absimile est, illis antiquioribus temporibus scalas Græcis notas fuisse, licet illarum diversæ species deinceps introductæ fuerint, quarum aliæ πλεκταὶ seu *plicatiles*, aliæ vero διαλύται vel *solutiles* dicebantur, ex Appiano; singulæ enim partes ad commodiorem vecturam a se invicem solvebantur, juxta Plutarchum in *Arato*. Similiter ex diversa materia, vel ligno, vel funibus, vel corio, &c. compositæ erant.

Reliquæ machinæ recentioris ætatis esse videntur: Plinius quidem scribit arietem in bello Trojano inventum fuisse; unde nata est fabula equi lignei arte Epei conflati; quia omnium inventorum originem fabulis involvere illis temporibus solenne erat; sed hæc est mera conjectura, quæ tam facile respuitur, quam asseritur; licet autem illam machinam antiquissimam faciat Athenæus *Deipnosop.* sub finem *lib.* VI. attamen, quando inventa fuerit, non definit, tantum observat illud inventum Græcis debere Romanos. Quandoquidem illius machinæ inventæ Carthaginensibus, dum Gades obsidione premerent, Vitruvius laudem tribuit, nec Homerus, nec pluribus inferioribus sæculis hujus rei omnino meminerit quisquam Scriptor Græcus, nulla adest idonea ratio, cur Plinii testimonio fides haberetur. Nihilominus probabile videtur nonnulla adminicula urbibus expugnandis apta in usu tunc fuisse, quæ inter alios præsertim ab Epeo Poetis tam celebrato illo fabro excogitata, cujus ars Græcorum exercitui plurimum profuit, prout tradit Lycophron *Cassandra vers.* 944.

Πύκτην μὲν ἐσθλὸν, πτῶκα δ' ἐν κλόνῳ δορὸς,
Καὶ πλεῖστα τέχναις ὠφελήσαντα στρατόν.
Pugilem bonum, timidum autem in hastæ strepitu,
Et arte plurimum exercitui utilem.

Sed hæc inventa maxime contemnenda & inertia fuisse videntur, qua de causa solertiore ætate omnino in desuetudinem venerunt, imo tam cito neglecta quam adinventa esse videntur. Solæ vulgares machinæ ab antiquis Græcis in mœnibus urbium dejiciendis adhibitæ, (quidquid adversari videatur) erant τρύπανα, Latine *terebræ*, id est, oblonga ferramenta acuminata. Quapropter probabilius videtur plerasque ac præcipuas machinas repertas esse circa tempora belli Peloponnesiaci, in quo adhibitas fuisse ex Thucydide liquet: ope Artemonis Clazomenii artificis plures machinas, cujusmodi arietes, testudines, &c. a Pericle inventas esse scribunt Diodorus *lib.* XII. & Plutarchus in *Pericle*. Econtra Cornelius Nepos asserit superiore sæculo a Miltiade in Pari obsidione usurpatas fuisse, imo ipse Plutarchus, postquam ex Ephoro attulerit machinas murales a Pericle in bello Samio primum adhibitas, & eo ipso tempore ab Artemone conflatas fuisse, mox addit ex Heraclide Pontico pluribus sæculis ante bellum Samium floruisse illum fabrum; ita ut nil certi de hac re adduci potest. Præcipue Græcorum machinæ hæ fuerunt.

Χελώνη, *testudo*, machina ad tegendum apta, sic dicta a robore, quia milites tegebat & tuebatur æque ac testudo a chelonio tegitur: diversæ autem describuntur species. *Tab.*VII. *Fig.*II.

1. Χελώνη στρατιωτῶν, *testudo militaris*, non raro dicta συνασπισμός, intelligitur, quando ordinum condensatorum postremi inclinati a primorum scutis supra capite sublatis tegebantur; id est, primus ordo stabat, reliqui continuo deprimebantur usque ad postremum, qui humi in genua procidebat; qui autem a fronte & lateribus stabant, sua corpora scutis tuebantur, cæterorum vero posteriores priorum clypeis tegebantur, ita ut tota machina videretur imbricium declive vel tectum tegulis opertum, in cujus declivitate hostium missilia resiliebant, nullo damno a militibus subjectis accepto: adhibebatur autem in præliis, sed sæpius in urbium obsidionibus, quum impetu assiliebantur muri, antequam ad propugnandum se accinxerant obsessi, & quum obsessores mœnibus subibant, illa machina se tuebantur.

2. Χελώνη χωστρὶς erat testudo quadrata, quæ (prout nomen exprimit) in militibus tegendis, dum fossas implebant & aggeres tollebant, præcipue inserviebat.

3. Χελώνη ὄρυξ triangularis & a fronte declivis erat, qua se tuebantur cunicularii, dum cuniculos ad mœnia agebant.

4. His adde testudinem arietariam, qua qui muros quassabant protegebantur; sed de hac specie inferius.

Γέῤῥαι craticulæ erant vimineæ, Romanorum *vineis* non absimiles, quibus milites sua capita tegebant. Hæc vox a Syracusarum obsidione, in qua Athenienses craticulas, quibus se tuerentur, vocitabant, unde obsessores ironice conclamare soliti γέῤῥαι γέῤῥαι, tandem pro *nugis* usurpata est.

Alio machinamento tabulato, & Romanum pluteum referente, Alexandri milites usi sunt, prout tradit Curtius.

Χῶμα, *agger*, cujus altitudo æquabat, imo superabat, mœniorum obsessorum fastigium: latera muniebantur muro lateritio aut lapideo, vel robostis tignis firmabantur ne conciderent; sola pars anterior, quæ gradatim ad muros admovebatur, nuda erat. Ipsa moles ex diversa materia, ut terra, ligno, ramis, lapidibus, &c. conferta erat, prout refert Thucydides in Platæarum obsidione; in medium conjiciebantur vimina & virgulta arborum, quorum ope instar cæmenti reliquæ partes connectebantur. Tota fabrica sic describitur a Lucano *lib.* III.

—— Tunc omnia late
Procumbunt nemora, & spoliantur robore silvæ;
Ut, cum terra levis mediam virgultaque molem
Suspendant, structa laterum compage ligatam
Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.

Πύργοι, *turres ligneæ mobiles*, quæ aggeri superstrui solebant, a rotis in imis tabulatis impactis, ut ab hostibus tutæ tectæque forent, agebantur; di-

versimode autem in altum tollebantur pro altitudine urbis obsessæ turrium: pars antica tegulis vulgo tegebatur; & recentioribus sæculis ipsa latera eodem munimento firmari solebant; fastigia tergoribus aliisque tegumentis ad hostium pyrobolos, restinguendos & missilia retundenda operiebantur, denique in multiplices stegas distinguebantur, in quibus non solum milites, sed & omnia machinamentorum genera convehebantur, unde Silius canit *lib.* XIV.

Turris multiplici surgens ad sidera tecto
Exibat, tabulata decem cui crescere Grajus
Fecerat, tabulata nemorum consumpserat umbras.

Inventi laus a quibusdam tribuitur nonnullis fabris Siculis circa tempora Dionysii Tyranni; ab aliis Polyido Thessalo Philippi Macedonis machinatori, juxta Athenæum in *Mechanicis* apud Turnebum, & Vitruvium *lib.* X. *cap.* XIX. ab aliis vero Diadi & Chæreæ, teste Herone *cap.* XIII. Polyidi discipulis & Alexandri stipendio, quando in partes orientales expeditionem susciperet, alitis; sed ultimi videntur rem inventam tantum promovisse; mentio enim fit apud Diodorum Siculum lignearum turrium regnante Dionysio seniore; forte ars conficiendi πύργυς φορητὺς, *turres portatiles*, & *solutiles*, quæ solvi & cum exercitu convehi poterant, iis debetur. *Tab.* VII. *Fig.* III.

Κριὸς, *aries*, erat machina capite ferreo, quod Græce dicitur κεφαλὴ aut ἐμβυλὴ, quodque arietino capiti non absimile, armata, quo urbis hostilis muros destruebant. Diversi autem occurrunt. *Tab.* VII. *Fig.* IV.

1. Primus fuit machina simplex & arte carens, quandoquidem nil aliud fuerit præter lignum oblongum capite ferreo armatum, quod milites in mœnia vi contrudebant.

2. Secundus funibus alteri trabi alligabatur, cujus ope cum majore vi propellebatur.

3. Tertius vero a secundo in hoc tantum distinguebatur, quod χελώνῃ vel tegumento ad milites tegendos operiebatur, unde dictus est *testudo arietaria*.

Lignum centum & viginti pedum longitudinem sæpius adæquabat, & laminis ferreis firmabatur, ne a propugnantibus de muro accenderetur: multiplici cornu pro lubitu armabatur caput. Josephus tradit, unum ex Vespasiani Imperatoris arietibus, qui quinquaginta cubitos tantum longitudine conficiebat, quique ad plurium Græcorum arietum mensuram non accedebat, munitum fuisse capite decem hominum crassitiem adæquante & viginti quinque cornubus, quorum quodvis unius hominis crassitiem æquiparabat, & cubiti mensura a se invicem dissita erant; pondus appensum pro more in parte posteriore mille & quingentis talentis pependisse: quando summovebatur, nisi partes solverentur, a centum & quinquaginta jugis boum, vel a trecentis equorum & multorum paribus vix adactum fuisse, imo mille & quingentos homines omnes vires collectas adhibuisse in illo contra muros impellendo: alias arietes rotis agebantur.

Ελέπολις inventa est a Demetrio Antigoni filio, qui, quia illius machinæ ope Rhodum pluresque alias urbes expugnarat, cognomen πολιορκητȣ͂ adeptus est. A Vitruvio *lib.* x. sæpius describitur; & Plutarchus in *Demetrio*, & Diodorus *lib.* xx. licet in pluribus dissentientes, in hoc tamen consentiunt, illam fuisse machinam portentosæ molis, testudini arietariæ non absimilem, sed multo majorem & robustiorem, quæ funium & rotarum ope adigebatur, quæque plura alia minora machinamenta, ex quibus lapides aliaque missilia emittebantur, capiebat. *Tab.* VII. *Fig.* V.

Καταπέλται multiplici sensu accipiuntur, vel pro ipsis sagittis, vel pro machinis, ex quibus sagittæ projiciebantur; qua posteriore significatione dicebantur ὀξυβελεῖς & βελοςάσεις. Iterum, licet improprius, machinamenta lapidibus, imo non raro ingentibus lignis jaciendis apta intelliguntur: illorum inventio a Plinio Syris tribuitur; econtra Diodorus *lib.* XIV. & Plutarchus tradunt illa excogitata fuisse in Sicilia tempore quo Dionysius major bellum cum Carthaginensibus commisit. *Tab.* VII. *Fig.* VI.

Machinæ lapidibus jaciendis aptæ diversæ erant; aliæ enim, quales σφενδόναι seu *fundæ*, minoribus tantum lapidibus, aliæ vero majoribus ejiciendis inserviebant; hæ autem sæpe dicebantur generaliori nomine μάγγανα & μαγγανικὰ ὄργανα, aut ἀφετήρια ὄργανα, quorum prius omnia machinarum genera complecti, posterius vero illa tantum, quorum ope missilia emittebantur, denotare videntur; alias magis peculiari nomine vocabantur λιθοβόλοι, πετροβόλοι, πετροβολικὰ ὄργανα, quæ voces iterum tam generali sensu accipiuntur, ut omnia machinamenta ad lapides excutiendos adhibita comprehendere videantur: nec ullum proprium & peculiare nomen, quod noverim, datur illius celebris machinæ, cujus ope lapides molares tanta vi excutiebantur, ut integræ ædes uno ictu corruerent: dicebatur quidem a Romanis *ballista*; hoc vero vocabulum, licet origine Græcum, nuspiam in Græcia usurpatum esse abunde liquet; Græcis tamen nota fuit machina illa, nec diversa ab ea, qua Romani utebantur, & cujus vis describitur a Lucano *lib.* III.

At saxum quoties ingenti verberis ictu
Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas
Frangit cuncta ruens, nec tantum corpora pressa
Exanimat, totos cum sanguine dissipat artus.

Hæ sunt præcipuæ machinæ a Græcis in urbium obsidionibus & expugnationibus adhibitæ. Proximo loco dicemus, qua arte obsessi se defendere solebant.

Quando hostis imminebat, confœderatis suis significabant, ut copias auxiliares sine mora ad eos mitterent: interdiu signum dabatur denso fumo concitato; noctu vero tædis accensis, quæ dicebantur φρυκτοὶ aut φρυκτωρίαι: unde ad hostis adventum significandum uti solebant verbo φρυκτωρεῖν, juxta Theognidis Scholiastem, & Homeri Scholiastem *Iliad.* σ'. vocabantur autem φρυκτοὶ πολέμιοι, diversi a φρυκτοῖς φιλίοις, qui adventantibus amicis accendebantur: in hoc distinguebantur, quod hi firmi & immoti tenebantur, illi vero in aere agitabantur.

Nulla certa methodo in urbibus propugnandis institisse videntur: tantum in genere observandum, est, mœnia militibus, qui hostem ingruentem lapidibus & omni genere missilium obruerent, munita fuisse; καταπέλτας vero & alias hujusmodi machinas intra urbem positas in obsessores continuo explosas fuisse. Diverso alio modo oppugnantes lacessere solebant; exempli gratia, Tyrii clypeos æneos candentes arena & calce conferciebant, quæ in Alexandri milites sparsa, & inter armaturam & cutem illapsa, ita exardebant, ut arma sine mora abjicere adigerentur, unde obsessi ab omni damno tuti tectique illos vulneribus petere opportune poterant. Vim machinarum frangere & dolos discingere diversa ratione noverant: cuniculis hostium cuniculos excipiebant; aggerum fundamenta suffodiebant, turres aliaque machinamenta pyrobolis accendebant; sua autem corpora tergoribus, fascibus laneis, aliisque propugnaculis ad lapides & quælibet missilia tela propellenda ido-

neis tegere solebant: capita arietum lapidibus de mœnibus protrusis abrumpere, vel (prout de Tyriis obsessis tradunt Historici) funibus, quibus moderabantur, ope oblongarum falcium abscissis illas machinas irritas facere moliebantur: & quando muros tuendi & tenendi omni spe exciderant, nova mœnia intra urbem exstruere & fortalitiis munire solebant. Pluribus aliis adjumentis utebantur pro rerum statu, & pro obsessorum solertia in illis excogitandis.

Urbium expugnatarum diversa fuit sors pro indole & institutis imperatorum exercitus hostilis; aliquando enim omnes, saltem qui intra civitatem armati deprehendebantur, internecione deleti mœnia ædificiaque diruta, ac reliqui cives servituti addicti erant; alias vero benigne & clementer habebantur, tributo tantum iis irrogato. Ad loca ab iis depopulata recolenda colonos ex nonnullis plebeiis in publicum conventum congregatis sortibus lectos mittere solebant Athenienses, prout nos docet Aristophanis Scholiastes in *Nubibus pag.* 134.

Quando civitatem funditus deleverant, quemvis ejus instaurationem aggressurum diris execrationibus devovere assueverant; qua de causa (prout nonnulli autumant) Trojam ex cineribus excitare nunquam licuit, etsi plures illud tentaverint, quia nimirum anathemati illam civitatem devoverat Agamemnon, teste Eustathio *ad Iliad. δ'. pag.* 350 *Editionis Basil.* Antiquissimus & in Oriente natus esse videtur iste mos: nam (ne plura exempla afferam) postquam Jerichuntem excidisset Josua, ei, qui illam civitatem instaurare aggrederetur, mala imprecatus est *Jos.* VI. 26. quæ in Hielem Bethelitam pluribus abhinc sæculis regnante Achabo impleta sunt 1. *Reg.* XVI. 34.

CAP. XI.

De confossis eorumque funeribus.

Hostium confossorum corpora probrose & inhumane habuisse videntur veteres Græci; quandoquidem ut injuriarum, quas ab iis dum viverent acceperant, turpem vindictam sumerent, illorum cadavera deformare & perfodere, imo ludibrio & ignominiæ exponere soliti: quæ immanis & inhumana consuetudo nondum plane obsoleverat tempore belli Trojani, prout ex diversis exemplis ab Homero in *Iliade* traditis liquet; hostium enim defunctorum membra ab insultantibus victoribus contumeliose mutilata *ibidem* dicuntur: præ cæteris celebre est Hectoris exemplum, cujus cadaver pluribus diebus insepultum jacuit, circa mœnia Trojæ Patroclique monumentum humi ductum, & quævis indigna passum est; quæ quidem tribui possent Achilli furenti ob Patrocli mortem, vel (juxta Scholiastem *in Iliad. χ'. vers.* 398.) Thessalorum moribus, quibus solenne erat cadavera illorum, qui proximorum cognatorum cædem admiserant, curru alligata solo ducere, nisi reliquos Græcos illius Herois cadaver tam inhumanum & immanem in morem habuisse, cui ignave insultabant, quodque armis perfodiebant, liqueret ex *Iliad. χ'. vers.* 367.

Ἦ ῥα, καὶ ἐκ νεκροῖο ἐρύσατο χάλκεον ἔγχος·
Καὶ τό γ' ἄνευθεν ἔθηχ', ὁ δ' ἀπ' ὤμων τεύχε' ἐσύλα
Αἱματόεντ'· ἄλλοι δὲ περίδραμον υἷες Ἀχαιῶν,
Οἳ καὶ θηήσαντο φυὴν καὶ εἶδος ἀγητὸν
Ἕκτορος· οὐδ' ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη.
Ὧδε δέ τις εἴπεσκεν ἰδὼν ἐς πλησίον ἄλλον,
Ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι
Ἕκτωρ, ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ.

Dixit, & e mortuo evulsit æream hastam:
Et hanc seorsim posuit; atque ab humeris arma detraxit
Sanguinolenta: cæteri autem accurrentes circumfusi sunt filii Achivorum,
Qui & admirabundi contemplabantur habitum corporis & speciem stupendam
Hectoris: neque ei quis sine vulnere inflicto adstitit.
Sic vero quis dicebat intuitus in proximum alium,
Papæ, certe longe jam mollior tractatu
Hector, quam quando naves incendit igne ardenti.

Nec humanius habitum dicitur Tydei cadaver apud Statium *Thebaid. lib.* IX. *vers.* 180.

Ducitur hostili (proh dura potentia fati!)
Tydeus ille solo, modo cui Thebana sequenti
Agmina, sive gradum, seu fræna effunderet, ingens
Limes utrinque datus: nusquam arma, manusque quiescunt,
Nulla viri feritas; juvat ora rigentia letho,
Et formidatos impune lacessere vultus;
Hic amor, hoc una timidi fortesque sequuntur
Nobilitare manu, infectaque sanguine tela
Conjugibus servant, parvisque ostendere natis.

Unde abunde patet apud illos viguisse illam consuetudinem, nec a virtute & bonis moribus alienam creditam fuisse, prout iterum observat Servius in Mezentium, qui apud Virgilium pari modo habitus esse videtur; quod licet Poeta non expresse affirmet, tamen plane colligi potest ex eo quod postquam *Æneid. lib.* X. sub finem duo tantum vulnera ab Ænea accepisse dictus fuerit, inferius *Æneid. lib.* XI. *vers.* 9. in duodecim, hoc est, in pluribus locis, numero finito posito pro indefinito, perfossus ejus thorax describitur:

—— bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis. ——

Gentibus barbaris vulgaris fuit hæc immanitas; Leonidæ enim Spartæ Regis in prælio contra Xerxem fortiter pugnando occisi caput perticæ infixum, & corpus truncum patibulo suspensum est, teste Herodoto in *Calliope*: sed hæc indigna & turpia facinora jamdiu habuerant Græci; quapropter Pausanias Spartanus sollicitatus ut injuriæ Leonidæ illatæ in Mardonium Xerxis ducem Platæis devictum vindicem se gereret, tam inhumanæ Græcique viri indignæ vindictæ conscius, vel illam permittere noluit: imo ipso belli Trojani ævo præ moribus tum suorum majorum, tum reliquarum gentium humaniores erant Græci. Suorum defunctorum corpora humo mandare hostibus per victores olim non licebat, nisi prius largis nummis illa redemissent: cujus inhumani moris nonnulla extant vestigia apud Homerum: Hectoris cadaver ab Achille magno pretio redemerunt Trojani *Iliad. ω.* Achillis vero de Trojanorum manibus redemptum est eodem pretio, quod pro Hectore acceperat, juxta Lycophronem *Cassandra vers.* 269.

Λαβὼν δὲ ταύρου τοῦ πεφασμένου δάνος,
Σχεθρῷ ταλάντῳ τρυτάνης ἠρτημένον,
Αὖθις τὸν ἀντίποινον ἐκχέας ἴσον
Πακτώλιον σταθμοῖσι πλαυγῆ μύδρον,
Κρατῆρα Βάκχου δύσεται. ——

Accepto autem tauri jugulati pretio,
Exacta trutinæ lance appenso,
Rursumque pro redemptione æquilibrem
Pactoliam effundens claram laminam,
Urnam Bacchi subibit. ——

Nisus a Virgilio *Æneid. lib.* IX. *vers.* 213. inducitur amicum Euryalum, ne tanto cum discrimine comitem ei se adjungeret, hoc argumento imprimis dehortans, nim. ut

Sit,

Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemptum
Mandet humo solita. ——

Unde liquet vita in prælio defunctos illis temporibus pretio vulgo redemptos fuisse; alias illorum cadavera in campo jacere insepulta sinebantur, quæ plurium Heroum ab Homero memoratorum sors infœlix fuit, prout discere est ex *Iliad. ά. vers.* 3. quo in loco hæc de Achillis ira habet Poeta:

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ηρώων, αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. ——
Multas autem fortes animas orco præmature misit
Heroum, ipsos autem prædam discerpendam fecit, canibus,
Alitibusque omnibus. ——

Sed vulgarior erat iste mos antiquioribus sæculis: nam ab ipso Achille celebratur funus Eetionis, Thebarum Ciliciæ Regis, & Andromaches patris, quam Poeta sic loquentem inducit *Iliad.* ζ'

Ητοι γὰρ πατέρ' ἁμὸν ἀπέκτανε δῖος Αχιλλεύς,
Εκ δὲ πόλιν πέρσεν Κιλίκων εὖ ναιετάωσαν,
Θήβην ὑψίπυλον· κατὰ δ' ἔκτανεν Ηετίωνα,
Οὐδέ μιν ἐξενάριξε· σεβάσσατο γὰρ τόγε θυμῷ·
Αλλ' ἄρα μιν κατέκηε σὺν ἔντεσι δαιδαλέοισιν,
Ηδ' ἐπὶ σῆμ' ἔχεεν. ——
Nam patrem meum interfecit nobilis Achilles,
Et urbem devastavit Cilicum bene habitatam,
Theben portis altam: interemitque Eetionem,
Neque ipsum spoliavit: religio enim fuit id animo:
Sed ipsum combussit cum armis artificiose factis,
Et tumulum aggesta terra super eum fecit. ——

Iterum Agamemnon Trojanis veniam dat suis confossis exequias persolvendi, & juramento obligatur, se nullo modo illos impediturum *Iliad* ή. *v.* 408.

Αμφὶ δὲ νεκροῖσιν κατακηέμεν οὔτι μεγαίρω·
Οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων κατατεθνειώτων
Γίνετ', ἐπεί κε θάνωσι, πυρὸς μειλισσέμεν ὦκα.
Ορκια δὲ Ζεὺς ἴστω ἐρίγδουπος, πόσις Ηρης.
Sed de mortuis cremandis nihil invideo:
Non enim ullo modo parcendum cadaveribus mortuis
Est, postquam occubuerint, igne gratum officium facere ocyus.
Fœderis autem Jupiter esto testis altitonans, maritus Junonis.

Paulo ante hujus humanitatis studium Græcis plane peregrinum erat; Hercules enim primus dicitur, qui hostibus cadavera suorum defunctorum tollendi copiam indulsit, teste Æliano *Var. Hist. lib.* XII. *c.* XXVII. Alii econtra volunt pactum de utrinque recipiendis & inhumandis confossorum corporibus primum initum fuisse a Theseo cum Thebanis, quando inter illos conventum est de Heroibus, qui in bello Thebano occubuerant, humo mandandis; sic sentit Plutarchus in *Theseo*. Sequentibus sæculis dira impietas habebatur, si officium naturæ debitum defunctis denegarum fuisset; quapropter legitimi hostes, nisi quando in alios gravissime & insolito modo deliquissent, illa gratia carere raro aut nunquam permittebantur: ingenui enim, præsertim Græci viri, indignum credebatur, si effræni malitia in hostem omnibus viribus exutum elatus fuisset.

Græci in honoratis exequiis suis militibus, qui in prælio occubuerant, persolvendis supra modum & ad superstitionem usque solliciti fuisse videntur; illi enim decem classis præfecti, qui in celebri pu-

A gna navali Arginusis Lacedæmonios profligarunt, nulla alia de causa morti traditi sunt, quam quia in cadaveribus suorum amicorum, quæ undis supernatabant, colligendis debitam curam non adhibuissent, licet prætexuissent procellam, qua tota classis in maximum discrimen adducta fuisset, nisi maturiore fuga sibi consuluissent, prout testatur Xenophon *Græc. Hist. lib.* I. Procul dubio eamdem ob causam post pugnam in agro Corinthiaco decertatam, Nicias Atheniensium dux, dum cadavera militum suorum abducebantur, animadvertens duo ex illis prætermissa fuisse, extemplo substitit & illa efferendi licentiam per fecialem hostes
B rogavit, victoria, quam adeptus erat, abdicata, & trophæum erigendi honore sublato; qui enim suos milites confossos exportandi veniam petebat, prælio potiri nullo modo cr. debatur, juxta Plutarchum in *Nicia*. Deinceps Chabrias, Lacedæmoniis ad Naxum fugatis, victoria persequenda, quando classem hostilem penitus delere ei non difficile foret, supersedere maluit, quam ullum suorum sociorum navalium vel illorum cadaverum fluctibus permittere, scribente Diodoro Siculo *lib.* XV.

Quando bellum in regione dissita gerebatur, defunctorum cadavera in cineres redacta ad consanguineos remittebantur, ut in majorum sepulchris
C jacerent. Hujus moris originem Herculi nonnulli tribuunt, qui quum Licymnio jurasset se ejus filium domum reducturum, dummodo illum permitteret secum militatum ire in Trojam, adolescente occiso, nulla alia ratione suum juramentum præstare licuit, quam filii cineribus patri in manus traditis juxta Homeri Scholiastem *Iliad. ά. v.* 52. Equidem tempore belli Trojani illud in usu fuit, quippe Græcos monet Nestor ut suos defunctos comburant, eorumque cineres, donec in patriam redierint, servent, ex Homeri *Iliad.* ή. *vers.* 332.

D Αὐτοὶ δ' ἀγρόμενοι κυκλήσομεν ἐνθάδε νεκροὺς
Βουσὶ καὶ ἡμιόνοισιν· ἀτὰρ κατακήομεν αὐτοὺς
Τυτθὸν ἀποπρὸ νεῶν, ὥς κ' ὀστέα παισὶν ἕκαστος
Οἴκαδ' ἄγῃ, ὅταν αὖτε νεώμεθα πατρίδα γαῖαν.
Nos vero congregati curribus advehemus huc cadavera
Bobus & mulis: & comburemus ea
Prope a navibus, ut ossa filiis quisque
Domum ferat, quando revertamur in patriam terram.

Huic labori tanquam supervacaneo parcebant Lacedæmonii, qui suorum militum cadavera in ea
E regione, in qua occubuerant, humo mandare solebant, solis Regibus exceptis, quorum corpora melle condita domum convehi curabant, teste Plutarcho in *Agesilao*, quo in loco tradit Agesilai in portu Menelai, littore Africæ deserto, vita defuncti corpus, deficiente melle, cera a Lacedæmoniis pollinctum & Spartam devectum esse.

Funera versis armis stipare solebant milites, lugentibus enim solenne erat contrarios gestus exhibere, quam vulgo soliti erant; in locis, in quibus oblongam capillitiem gestare moris erat, lugenti-
F um capilli abradebantur, econtra ubi homines tondebantur, qui lugebant oblongis capillis utebantur; quapropter vana est illorum conjectura, qui autumant milites in funeribus clypeos inversos tenuisse, ne Dii, quorum imagines in iis insculptæ erant, cadaveris adspectu polluerentur, teste Servio *in Æneid. lib.* XI. *vers.* 92. quandoquidem non Deorum tantum, sed & diversarum aliarum rerum imagines in iis sæpius depictæ visebantur: nec pauci tantum milites, sed tota caterva clypeos eumdem in morem gestabant: tandem non soli clypei, sed reliqua arma versa erant: sic Evandri

Arcades cæterique Æneæ milites Pallantis funus stipant apud Virgilium *loco* mox *citato*:

—— tum mœsta phalanx, Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, & versis Arcades armis.

Grajorum principes eumdem morem servare dicuntur ab Statio *Thebaid. lib.* VI.

—— versis ducunt insignibus ipsi
Grajugenæ Reges. ——

Illorum monumenta epitaphiis, in quibus nomina, imo sæpe genus & præclare facta inscribebantur, decorari solebant; quem honorem, juxta Plutarchum in *Lycurgo*, solis mulieribus, quæ in puerperio, & militibus, qui in prælio vitam amiserant, decreverat Lacedæmoniorum Legislator. Horum autem feretra ramis virentibus ornata humo mandabantur, & in eorum laudem peroratum est: qui reliquos virtute bellica antecelluerant, omnique numero absoluti milites censebantur, ad majorem gloriam tunica rubra, quæ militum Spartanorum vestis erat, induti humo dabantur, juxta Ælianum *Var. Hist. lib.* VI. *c.* VI. Pariter illorum arma tumulo infigebantur: unde Xerxis toga purpurea contempta, solo ejus clypeo monumentum decorari exoptat Leonidas Spartanorum Rex in Epigrammate Philippi *Anthol. lib.* I. *cap.* V. *epigramm.* XIX.

Πυλὺ Λεωνίδεω κατιδὼν δέμας αὐτοδάϊκτον
Ξέρξης, ἐγλαίνᾳ φάρει πορφυρέῳ·
Κἀκ νεκύων δ' ἤχησεν ὁ τᾶς Σπάρτας μέγας ἥρως·
„ Οὐ δέχομαι προδόταις μισθὸν ὀφειλόμενον,
„ Ἀσπίς μοι τύμβου κόσμος μέγας, ἔρρε τὰ Περσῶν,
„ Ἥξω κ' εἰς Ἀΐδην ὡς Λακεδαιμόνιος.

Magnum Leonidæ intuitus corpus per se laniatum
Xerxes, tegebat pallio purpureo:
Et inter mortuos vocem edidit Spartæ magnus heros:
„ Non accipio præmium proditoribus debitum,
„ Clypeus mihi sepulchri ornamentum magnum, pereant Persæ,
„ Veniam autem ad inferos ut Lacedæmonius.

Mos autem iste non tantum Spartæ, sed in tota Græcia obtinebat; ubi artis, quam defuncti professi fuerant, insignia armis adjungi solebant. Elpenor Ulyssem, cui in manibus inferis visus est, obnixe rogat, ut remum, quem, dum viveret, egerat, tumulo infigere, ejusque arma in rogum injicere dignetur *Odyss.* λ' *vers.* 74.

Ἀλλά με κακκῆαι σὺν τεύχεσι, ἅσσα μοι ἐςὶν,
Σῆμά τε μοι χεῦσαι πολιῆς ἐπὶ θινὶ θαλάσσης
Ἀνδρὸς δυστήνοιο, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι·
Ταῦτά τέ μοι τελέσαι, πῆξαι τ' ἐπὶ τύμβῳ ἐρετμὸν,
Τῷ καὶ ζωὸς ἔρεσσον, ἐὼν μετ' ἐμοῖς ἑταίροισιν.

Sed me combure cum armis, quæcumq; mihi sunt,
Sepulchrumque mihi erige cærulei in littore maris
Viri infœlicis, etiam posteris audiendum:
Hæc mihi perfice, figeq; super sepulchrum remum,
Quo etiam vivus remigabam, cum essem cum meis sociis.

Miseni Æneæ tubicinis arma, remus, & tuba sepulchro imponuntur apud Virgilium *Æneid. lib.* VI. *vers.* 232.

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque, tubamque.

Quando in vicinia pugnatum erat, suorum filiorum in prælio interfectorum cadavera explorare solebant Spartanæ matronæ; qui autem plura adversa vulnera adversis acceperant, vel clanculum subducebantur, aut turba confossorum mixti relinquebantur; quos vero plura vulnera adversa tulisse deprehendebant, exultantes & ovantes devehebant, ut in sepulchris majorum conderentur, teste Æliano *Var. Hist. lib.* XII. *c.* XXI. domum in clypeis efferebantur; unde illud celebre matris Spartanæ ad filium mandatum a Plutarcho in *Apophthegmat.* traditum, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, id est, *vel refer hunc*, (hoc est, clypeum) *vel in illo vehitor*; ad quem morem alludit Ausonius *Epigramm.* XXIV.

Arma supervehæris quid, Thrasybule, tua!

Defunctorum corpora triduo ante exequias in tentoriis exponere assueverant Athenienses, ut quilibet suos cognatos commode dignoscere, iisque ultimo honores persolvere possent: die autem quarto loculus cypressinus, quo efferrentur cognatorum ossa, a singulis tribubus mittebatur, quem excipiebat feretrum tectum in memoriam illorum, quorum corpora non inventa fuerant: funus autem stipabat totus populus usque ad commune sepulchrum dictum *Ceramicum*, in quo terræ committebatur cadaver; oratio in omnium laudem dicebatur, illorumque monumenta columnis, inscriptionibus, aliisque ornamentis, quæ in præclariorum virorum tumulis visuntur, decorata sunt. Ad orationem dicendam lege constituebatur is, cujus filius in bello se fortissime ante mortem gessisset, unde post Marathoniam pugnam Callimachi & Cynægiri patres funebrem orationem habuisse memorantur a Polemone, *Argumentum* τῶν ἐπιταφίων λόγων. Nec solum laudabantur tempore funeris, verum is honos quotannis instaurabatur *in populari oratione, qua mos est Athenis laudari in concione eos, qui sunt in præliis interfecti, quæ sic probata est, ut eam quotannis, ut scis, illo die recitari necesse sit*: prout ait Cicero *de Oratore*. Licet hæc fuit vulgaris consuetudo Athenis, tamen fortium illorum virorum, qui in prælio Marathonio vita functi sunt, corpora inhumata sunt in loco, in quo occubuerant, ad illius stupendæ victoriæ memoriam posteris tradendam. Lege Thucydid *lib* III.

Tandem non prætermittendum est, in catalogo militum defunctorum nomina littera θ, qua incipit vox θανόντες, seu *mortui*, viventium vero littera τ, quæ est prima in voce τηρούμενοι, vel *servati*, notari solita: qui mos in posterum ad Romanos transit; prout observarunt Ruffinus *in Hieronymum*, Paulus Diaconus *de Notis litterarum*, & Isidorus Hispal. *lib.* I. *c.* XXIII.

CAP. XII.

De eorundem præda in bello parta, animo grato erga Deos post victoriam adeptam, tropæis, &c.

GRæcorum præda constabat ex captivis ac manubiis. Captivi, qui seipsos redimere non volebant, mancipia fiebant, suamque operam victoribus dabant, aut vendebantur.

Spolia duplici nomine distinguebantur; cum enim mortuis detraherentur, dicta σκῦλα, cum vivis, λάφυρα: erantque quæcumque res mobiles ad victos spectantes, quorum omnia jura victoribus cedebant vi & armis, ut refert Plato *de Legibus lib.* I.

Homerici Heroes, cum primum victoriam de quodam adversario reportassent, arma sine mora ei detrahebant; cujus rei exempla æque frequenter ac ipsorum certamina occurrunt. Ut ut autem istud vulgare fuerit magnis ducibus, qui curru vecti prælium inibant, & ad cer-

tamen singulare cum viris suæ conditionis descendebant; nihilominus militibus gregariis talia raro permittebantur, sed prælio finito exuvias mortuorum convectabant: si ab illis manus non abstinerent, censebantur disciplinæ expertes atque ignari: nominatim hac de re Græcos sic monet Nestor *Iliad.* ζ'. *vers.* 66.

Νέστωρ δ' Ἀργείοισιν ἐκέκλετο, μακρὸν ἀΰσας·
Ὦ φίλοι ἥρωες Δαναοί, θεράποντες Ἄρηος,
Μήτις νῦν ἐνάρων ἐπιβαλλόμενος μετόπισθε
Μιμνέτω, ὥς κεν πλεῖστα φέρων ἐπὶ νῆας ἵκηται·
Ἀλλ' ἄνδρας κτείνωμεν· ἔπειτα δὲ καὶ τὰ ἕκηλοι
Νεκροὺς ἀμπεδίον συλήσετε τεθνειῶτας.
Nestor autem Argivos hortabatur altum clamans:
O amici heroes Danai, famuli Martis,
Ne quis nunc exuviarum cupidus pone
Maneat, ut plurima ferens ad naves redeat:
Sed viros interficiamus; postea autem & illis otiosi
Corpora per campum spoliabitis mortua.

Eamdem viam postea institerunt; nam simul ac pugnæ impositus finis, ad cadavera hostium spolianda atque diripienda irruebant: solis Lacedæmoniis vetitum fuit, ne iis, quos devicerant, spolia detraherent, juxta Ælianum *Var. Hist. lib.* VI. *c.* VI. hujusce interdicti causam rogatus Cleomenes respondit ex Plutarcho in *Apophthegm. Laconicis*: *Quia timidorum spolia Diis dicari non conveniret, iisque locupletari virum Lacedæmonium minime deceret*. Verum hoc tantum prætexitur; cum pluribus exemplis probari possit ipsos partem exuviarum Diis consecrasse; forte hujus interdicti vera ratio deducenda est ex natura suæ Reipublicæ, juxta quam æquabilitas juris apud ipsos omnino servata, nihilque severius vetitum, magisve contrarium ipsimet constitutioni sui regiminis, quam acquirere aut possidere amplas facultates; quapropter, ut impedirent quominus in manubias manum injicerent milites, ab ipsis trecenti viri semper delegati erant, qui observarent, quemadmodum unusquisque militum se gereret, & ex legibus in reos animadverterent, teste Eustathio *ad Iliad.* ζ. *vers.* 66.

Præda universa ad imperatorem convectabatur, qui primus eligebat, residuum iis, qui conspicuos se dederant, pro dignitate atque virtutibus dividebat, cæterisque ex æquo tribuebat: sic bello Trojano cum heroinæ captivæ eligendæ forent, Agamemnon primus accepit Astynomen filiam Chrysæ, proxime Achilles Hippodamiam Brisæ filiam, deinde Ajax Tecmessam, &c. prout observat Isaacus Tzetzes *in Lycoph. Cassand. v.* 299. hinc de Agamemnone conqueritur Achilles quod illi potissima pars prædæ, sibi vero, qui onus belli sustineret, minima cederet *Iliad.* ά, *vers.* 162.

Οὐ μὲν σοί ποτε ἶσον ἔχω γέρας, ὁππότ' Ἀχαιοὶ
Τρώων ἐκπέρσωσ' εὖ ναιόμενον πτολίεθρον·
Ἀλλὰ τὸ μὲν πλεῖον πολυάϊκος πολέμοιο
Χεῖρες ἐμαὶ διέπουσ'. ἀτὰρ ἤν ποτε δασμὸς ἵκηται,
Σοὶ τὸ γέρας πολὺ μεῖζον, ἐγὼ δ' ὀλίγον τε φίλον τε
Ἔρχομ' ἔχων ἐπὶ νῆας, ἐπὴν κεκάμω πολεμίζων.

Non equidem tibi unquam æquale habeam præmium, quando Achivi
Trojanorum exciderint bene habitatam urbem:
Sed quidem majorem partem impetuosi belli
Manus meæ gubernant: sed si quando divisio venerit,
Tibi præmium multo majus, ego parvumque dilectumque
Habens venio ad naves, postquam defessus sum pugnando.

Quotiescumque autem præda ingens ac opima parta, milites eam seponebant in munus imperatori aut manus militum ductori donandum; hujusmodi exempla passim obvia apud Scriptores, imprimis apud Homerum; sic Ulyssis socii optima & lectissima spoliorum parte eum semper cohonestarunt. Postquam victoriam de Mardonio Xerxis legato consequutus fuisset Pausanias Spartanus tunc universarum Græciæ copiarum imperator, ex ingenti præda ei dono data fuisse mulieres, nummos, equos, camelos, &c. præter quidquid cuivis alii largitum, refert Herodot. *Calliope* seu *lib.* IX. *cap.* LXXX. quod quidem tam universe obtinuit, ut *ducem esse & prima spolia adipisci* apud Poetas idem significent; unde Lycophron *Cassand. v.* st98 ait:

Πολλοὺς δ' ἀριστεῖς, πρωτόλεια θ' Ἑλλάδος
Αἰχμῇ φέροντας, καὶ σποραῖς ὠγκωμένους,
Αἱ σαὶ καταξανοῦσι ὄμβριμοι χέρες.
Multos vero præstantes, primaq; in Græcia spolia
Hastis adeptos, ac natalibus tumentes,
Tuæ conterent validæ manus.

Verum antequam dividerentur manubiæ, ex illis aliquid Diis offerendum existimabant, quorum auxilio accepta ferebant hæc omnia; quæ in hunc usum dicata vocabantur ἀκροθίνια, seu quasi ἀκροσίνια, παρὰ τὸ σίνεσθαι ἐν μάχῃ πολλοὺς, *quoniam bello, quo nacta, perierint multi*, ut observat Eustathius *ad Odyss.* δ'. vel ἀπὸ τοῦ θινὸς, quia post pugnas navales exponerentur in littore, juxta Bulengerum *lib. de Spoliis*; aut potius quod caperentur ἀπ' ἄκρου τοῦ θινὸς, *ex summitate acervi*; siquidem ex spoliis in unum cumulum convectis primitiæ Diis libabantur, teste Sophoclis Scholiaste *in Trachin.* Ad quem morem respiciens Euripides inducit Megaram, quando ex Atheniensibus, Spartanis, & Thebanis eximiis virginibus uxores pro filiis eligeret, hisce verbis utentem *Herc. Fur. v.* 476.

Ἐγὼ δὲ νύμφας ἠκροθινιαζόμην.
Ego vero deligebam sponsas eximias.

Dii, isto honore decorati, non solum ii erant, qui peculiarem rei militaris curam gerere censebantur, quales Mars, Minerva, &c. sed plures alii, ut Jupiter, Juno, & quivis alius, cui fœlicem belli exitum se debere putabant, præsertim patrii & tutelares Dii, &c.

Pluribus modis consecrabantur spolia: aliquando coacervata igne consumebantur; interdum oblata donaria, quæ dedicabantur ac in templis appendebantur: sic ex Persarum manubiis tripodem aureum Apollini Delphico, & statuam æream decem cubitorum Jovi Olympico, ut & Neptuno septem cubitorum, dicasse Pausaniam Spartanum refert Herodotus *Calliope* seu *lib.* IX. *cap.* LXXX.

Hostium arma sacrabant Græci, eaque in templis suspendebant; verum id vetitum Lacedæmoniis fuit; quo sensu forte accipiendum supra memoratum Cleomenis responsum; nam quod alia eorum spolia offerre permitterentur, patet tum exemplo Pausaniæ, tum aliis plurimis. Istiusmodi consuetudo fuit perantiqua, & universe obtinuit non tantum in Græcia, sed in multis aliis locis, juxta Eustathium *Iliad.* ή. *v.* 81. unde Hector arma sui adversarii in Apollinis templo consecrare pollicetur, si de illo victoriam concederet *Iliad. loco* mox *citato*:

Εἰ δέ κ' ἐγὼ τὸν ἕλω, δώῃ δέ μοι εὖχος Ἀπόλλων,
Τεύχεα συλήσας, οἴσω ποτὶ Ἴλιον ἱρὴν,
Καὶ κρεμόω ποτὶ νηὸν Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο.
Sin ego illum interfecero, dederitque mihi gloriam Apollo,

Arma detracta feram ad Ilium ſacram,
Et ſuſpendam ad templum Apollinis longe jaculantis.

Ad hunc morem reſpicit Virgilius deſcribens templum, in quo Latinus Æneæ legatos audit *Æneid. lib.* VII. *verſ.* 183.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum,& portarum ingentia clauſtra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque roſtra carinis.

Complura alia exempla ſuper hac re apud Auctores occurrunt. Conſuetudo iſta ex Populis Orientalibus, apud quos procul dubio obtinuit, originem duxiſſe videtur; & hoc ipſum intelligi poteſt eo quod Goliathi enſis repoſitus dicatur in loco ubi Judæi Deum colebant 1. *Sam.* XXI. 9.

Nec ſolummodo arma hoſtibus detracta, ſed & ſua propria Diis dicare conſueverant, quando tumultibus belli valedicentes vitam privatam agebant; quod videtur factum, ut animum memorem Diis oſtenderent, quorum ope periculis erepti. Eo reſpicit Horatius *lib.* 1. *Epiſt.* 1. *verſ.* 4.

—— *Vejanius, armis*
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.

Ovidius quoque eodem modo loquitur *Triſt. lib.* IV. *eleg.* VIII. *verſ.* 21.

Miles, ut emeritis non eſt ſatis utilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit, arma Lares.

Verum ne hiſce armis uterentur male affecti in repentinis tumultibus ac ſeditionibus, hac vel illa ratione utplurimum inepta ad præſentem uſum reddebantur: clypei ex. gr. abſque annulis ſuſpendebantur; hinc nonnemo apud Ariſtophanem *Equit. Act.* II. *Scen.* IV. videns illos ſecus ſuſpenſos, attonitus exclamat:

Οἴ μοι τάλας! ἔχουσι γὰρ πόρπακας. ——
Væ mihi miſero! habent enim (clypei) *annulos.* —

Ratio reddi poteſt ex præcedentibus verſibus, ubi alius inquit *ibid.*

Οὐ γὰρ ἐχρῆν, εἴπερ φιλεῖς τὸν δῆμον, ἐκ προνοίας
Ταύτας ἐᾶν αὐτοῖς τοῖς πόρπαξιν ἀνατεθῆναι.
Neque enim oportebat, ſiquidem amas populum, conſulto
Eos (clypeos) *ſinere cum annulis ipſis ſuſpendi.*

Ut majorem animi ſui grati ſignificationem erga Deos teſtarentur, ſacrificia ſolennia facere & gratias palam iis agere ſoliti erant: hoc in loco obſervandum eſt, quod Lacedæmonii pro rebus bene ac fœliciter geſtis vi & armis gallum tantummodo, ſed, quando callido conſilio nulloque ſanguine effuſo victoriam referebant, bovem Marti mactarent, ut tradit Plutarchus *Inſtit. Lacon.* quo oſtendere volebant ſuis ducibus, calliditatem æque neceſſario ac fortitudinem in præſtantiſſimo bellatore requiri, victoriaſque, in quibus leviſſima damna contrahebantur, anteferendas eſſe; præſtantiora hac in re habentes inſtituta quam Romani, apud quos amplioribus honoribus decorati qui campo aperto hoſtem vicerant, quam qui dolo victoriam adepti fuerant, prius illuſtrius magiſque Romano conveniens exiſtimantes; idcirco hi in urbem triumphantes ingredi permittebantur, illi vero tantum ovantes, juxta mox citatum Scriptorem in *Marcello*. Hoc in loco ſubjicere non erit incongruum, conſuetudinem apud Græcos ſervatam fuiſſe quodammodo ſimilem Romanorum triumpho; victores enim medias eorum urbes ſolenniter perambulabant, coronis redimiti, hymnos cantantes, haſtaſque vibrantes; captivi quoque dicti, eorumque exuviæ in oculis omnium expoſitæ, quod dicebant θεατρίζειν, juxta Phavorinum.

Trophæa a priſcis Athenienſibus vocabantur τροπαῖα, poſterioribus ſæculis τρόπαια, ex Ariſtophanis Scholiaſte in *Pluto*: dicata erant quibuſdam Diis, præcipue Jovi cognominato Τροπαίῳ & Τροπαιούχῳ, (teſtibus Pauſania in *Laconicis*, Plutarcho in *Parallelis*, atque Phornuto) & Junoni, quæ eodem titulo cum conjuge gaudebat, cum appellata fuerit Τροπαία a Phavorino; hinc Lycophron *Caſſandra verſ.* 1328. ait:

Μύστη Τροπαίας μαστὸν ἐν θηλοῦν θεᾶς.
Suxerat urbem Trophææ mammam Deæ.

Modus trophæorum exornandorum fiebat ſuſpendendo omnia armorum genera hoſtibus detractorum, ſecundum Euripidem *Eraclidis verſ.* 786.

—— τρόπαια ἱδρύεται,
Πανδοχίαν τῶν πολεμίων.
—— *trophæa collocantur,*
Quæ habent arma univerſa hoſtium.

Hinc etiam Juvenalis loquens de Romanorum arcubus ait *Sat.* X. *verſ.* 133.

Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremi
Aplustre. ——

Hiſce vulgo inſcribebantur nomina Deorum, quibus conſecrata erant, victorum, & ab iis devictorum, necnon ſubjungebantur univerſa ſpolia aliaque præclara belli acta; hujuſmodi inſcriptio dicebatur ἐπιγραφὴ aut ἐπίγραμμα, ac ſæpiſſime inſculpta erat, unde Lucianus inquit ἐπὶ τῷ τροπαίῳ ἐγκολάψαι: interdum cum atramento ſcribebatur, hinc Othryades Lacedæmonius, etiamnum ſuperſtes victoriæ, quam de Argivis retulerat, trophæum erexit, cui haſtæ innixus, ſuo ſanguine, loco atramenti, inſcripſit Διὶ Τροπαιούχῳ, ut tradunt Plutarchus *Parall.* & Stobæus *Tit. de Fort. Tab.* VIII. *Fig.* 1.

Spolia trunco arboris ſuſpendebantur; olea frequenter ad id adhibita, quippe emblemma pacis, quæ ex victoria naſcitur; plures aliæ arbores eodem honore decoratæ, imprimis quercus quia Jovi ſacra, qui peculiari jure hos honores ſibi vindicabat; hujuſce arboris apud Poetas frequens mentio: Sidonius *Panegyr.*

—— *quercuſque tropæis*
Curva gemit. ——


Eumdem morem deſcribit Statius *Theb.*

Quercus erat teneræ jamdudum oblita juventæ,
Huic leves galeas, perfoſſaque vulnere crebro
Inſerit arma. ——

In hac re cum iſtis convenit quoque Virgilius pluribus in locis, porroque adjicit, Æneæ trophæum ſuper tumulo exſtitiſſe; hinc probabile videtur illa in locis editis ſtatui ſolita, ut magis conſpicua forent: ecce Poetæ verba *Æneid. lib.* XI. *v.* 4.


Vota Deum primo victor ſolvebat Eoo;
Ingentem quercum, deciſis undique ramis,
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi, magne, trophæum,
Bellipotens; aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum

TAB.VIII.









A *Perfossumque locis, clypeumque ex ære sinistræ*
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Iidem Pompejus, Hispanis devictis, trophæum in vertice montium Pyrenæorum posuit.

Inferioribus sæculis loco arborum erectæ columnæ lapideæ æneæve, ad perpetuandam victoriarum suarum memoriam, idque dicebatur *ἱστάναι τρόπαιον*, quæ phrasis itidem intelligebatur de arboribus quas statuebant; si enim nullæ essent arbores huic rei idoneæ in loco quem eligerent, vulgo id supplebant in figenda una arbore, prout liquet ex mox adductis Virgilii versibus.

Trophæum diruere nefas, imo sacrilegum censebatur; quippe quæ cuidam Numini dicata erant B omnia; nec minus crimen habitum peragere sacra coram illis, eave collapsa instaurare, ut de Romanorum fornicibus observare est; cum inde rursus obortæ fuissent lites, posterique ad majorum dedecus ulciscendum accensi fuissent: ob eamdem rationem Græci, qui loco trophæorum consuetudinem columnas erigendi induxerunt primi, graviter reprehensi ac exagitati fuerunt a viris illorum temporum, quemadmodum narrat Plutarchus *Quæst. Romanis*.

A Macedonibus nulla unquam erecta trophæa, eo adactis more patrio antiquissimo, servato a tempore regni Carani, cujus trophæum a leone dirutum fuerat, secundum Pausaniam in *Bœoticis*; qua C ratione impulsus M. Alexander, utut alias admodum superbus, nunquam trophæum excitavit; ea autem, quæ a Macedonibus in posterum exstructa sunt, cum veteri more patrio stare nequeunt. Aliquanto post penitus intermissa trophæa videntur.

Nihilosecius non neglexerunt monumenta excitare ad memoriam suarum victoriarum conservandam, gratumque animum erga Deos testandum; quorum nonnulla itidem apud Auctores memorata, antequam prorsus abolita fuerint trophæa. Non nunquam statuæ Diis erectæ, præprimis Jovi, ut D patet ex illa, quam Pausanias de Persarum spoliis consecravit, docente Herodoto *Calliope* seu *lib.* IX. *c.* LXXX. & ex pluribus aliis. Hujusmodi consuetudinis frequens mentio apud Euripidem *Phœnissis vers.* 1482.

Οἱ μὲν Διὸς τρόπαιον ἵστασαν βρέτας.

Alii quidem statuerunt trophæum Jovis statuam.

Et *ibid. vers.* 1256.

—— ἐν σοὶ Ζηνὸς ὀρθῶσαι βρέτας
Τρόπαιον. ——
—— *penes te est erigere Jovis statuam*
Trophæi signum. ——

E Plurima alia exempla afferri possunt. Aliquando inde nata est occasio eidem Deo templum dicandi, ut apparet ex Historia Doriensium, qui, debellatis Achæis, Jovi Τροπαίῳ templum ædificarunt, juxta Pausaniam *Laconicis*.

Interdum exstructæ turres, quas decorabant spoliis hostium; quod pariter apud Romanos obtinuit, & usurpatum a Fabio Maximo & Domitio Ænobarbo, post domitos Allobroges, tradente Lucio Floro *lib.* III. *cap.* II.

F Altaria quoque Diis exstrui solita; cujus rei exemplum exstat in Alexandro, qui redux ex expeditione sua Indica erexit altaria, quæ altitudine vix cedebant excelsissimis turribus, illasque latitudine superabant, ex Arriano *Expedit. Alexandri lib.* V.

CAP. XIII.

De pœnis & præmiis militaribus, simulque de modo, quo magistratus sua mandata ducibus significabant.

GRæci nullas certas pœnas in milites statuebant, sed illas præfectorum prudentiæ exigendas relinquere solebant, paucis quibusdam delictis exceptis, quibus lege cautum erat.

Αὐτόμολοι, transfugæ, morte plectebantur.

Ἀστράτευτοι, vel *qui militias detrectabant*, & *λειποτάκται, qui ordines deserebant*, vi legis a Charonda latæ in publico foro veste muliebri induti triduo sedebant, teste Diodoro Siculo. Athenis hi tres, *ἀστράτευτοι qui militiam detrectassent, λειποτάκται, qui ordines deseruissent*, & *δειλοὶ timidi*, neque coronari, neque templa τὰ δημοτελῆ intrare neque ad concionem venire permittebantur; quod si ab hisce non temperarent, rapiebantur ab *Undecimviris* in *Heliastarum* tribunal, qui pro merito pœnam vel mulctam irrogabant: & si mulcta irrogabatur, reum in vinculis retinebant donec eam solvisset. Demosthenes *Timocratea*, Æschines *in Ctesiphontem*. Hos inter recensendi sunt *ῥιψάσπιδες, qui clypeum perdiderant*, quod summæ *timiditatis* argumentum habebatur: adeo ut mulcta a legibus imponebatur, si quis alteri immerito exprobrasset clypeum abjecisse. Lysias *Orat.* ά. *in Theomnestum.* Sed præ cæteris Græcis Lacedæmonii in hos fontes severissime animadvertebant; lege enim milites Spartani vel vincere vel mori in prælio tenebantur; qui clypeos reliquerant, pari probro afficiebantur, ac illi qui ordines deseruerant; transfugæ vero non solum omnibus honoribus exuebantur, sed & cum iis matrimonia contrahere turpissimum habebatur: cuilibet illos in vico obvios verberibus excipere licebat, nec vim vi repellere permittebantur; ut autem omnibus magis conspicui forent, quandocunque foras ibant, sordidam vestem, togas panniculamentis variegatis assutas, barbamque dimidiam rasam gestare obstringebantur, prout nos docet Plutarchus in *Agesilao*; pariter infamia in totam familiam redundabat, quocirca ad crimen litandum illos primo occursu interficere non dubitabant matres; ad quam consuetudinem sæpius alluditur in Græcis Epigrammatibus, nominatim in illo, in quo matrona Spartana, postquam filium ferro confodisset, his verbis eum exprobrans inducitur apud Plutarch. *Lacon. Instit.*

Ἔῤῥε, κακὸν φύτλημα, διὰ σκότος, ὃ διὰ μῖσος
Εὐρώτας δειλαῖς μηδ' ἐλάφοισι ῥέοι.
Ἀχρεῖον σκυλάκευμα, κακὰ μερίς, ἔῤῥε ποθ' ᾅδαν,
Ἔῤῥε, τὸ μὴ Σπάρτας ἄξιον, οὐδ' ἔτεκον.

I pessum proles mala nunc, tenebrasque petitum,
Eurotas cervis ne fluat ut timidis.
I catule, i mala sors pessum, manesque petitum,
Indigno Spartæ sit male, non peperi.

Plura alia exempla afferri possent, ut & illorum, qui ob scuta relicta eodem diro fato perierunt: Demaratus autem rogatus, cur tam severe animadverterent in illos qui clypeos abjecerant, dum cassidis aut loricæ derelictio multo minor culpa censebatur, regessit, *quia hæc arma privatis tantum militibus tegendis, illa vero integræ aciei inserviebant.* Plutarchus Archilochum Poetam urbe Lacedæmoniorum pulsum fuisse narrat, cum in carmine (quod etiam a Strabone citatur *lib.* II.) quasi re bene gesta gloriaretur de abjecto clypeo, neque mortem tantæ infamiæ prætulisset.

Ἀσπίδι μὲν Σαΐων τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ
Ἔντος ἀμώμητον κάλλιπον οὐκ ἐθέλων.
—————————— ἀσπὶς ἐκείνη
Ἐῤῥέτω· ἐξαῦθις κτήσομαι οὐ κακίω.

Nunc aliquis nostra se ex hostibus aspide jactet,
Sub vepre quam reliqui invitus integram:
Illa quidem valeat: nunc ipse a clade superstes
Emam suo non deteriorem tempore.

Vid. Plutarchus *Instit. Lacon. pag.* 239. *Edit. Paris.*

Arma pignori opponere maximum dedecus erat, & apud Athenienses lege vetitum fuisse videtur, ad quam alludit Aristophanes in *Pluto Act.* II. *Scen.* IV. ubi de Paupertate sic loquitur:

Ποῖον γὰρ οὐ θώρακα, ποίαν ἀσπίδα,
Οὐκ ἐνέχυρον τίθησιν ἡ μιαρωτάτη.
Quem non thoracem & clypeum
Illa scelestissima pignori opposuit?

Scholiastes: Φαίνεται δὲ ἀπηγορευμένον εἶναι μὴ θεῖναι ὅπλα ἐνέχυρα· λέγει οὖν ὅτι αὕτη (Πενία) τῇ ἑαυτῆς βίᾳ ἀναγκάζει καὶ τοὺς νόμους παραβαίνειν τοὺς θεσπίσαντας, ὅπλα ἐνέχυρα μὴ τιθέναι. Quinetiam apud Romanos *arma alienasse grave crimen est, & ea culpa desertioni exæquatur, utique si tota alienavit: sed & si partem eorum, nisi quid interest: nam si tibiale, vel humerale alienavit, castigari verberibus debet: si vero loricam, scutum, galeam, gladium, desertori similis est*: ut ait Paulus libro singulari *de pœnis militum*

Præter præmia fortitudinis superius memorata, plura alia fuerunt: privati milites ad munera, inferiores vero præfecti ad majorem præfecturam promovebantur. Similiter qui præclare se gesserant, amplis donis remunerare assueverant duces; unde Telamon, qui mœnia Trojæ ab Hercule obsidione cinctæ primus superavit, Hesionen Regis filiam captivam pro præmio retulit; Thesei præclare facta in bello contra Amazonas Antiopes illarum Reginæ dono compensavit idem Heros. Milites ad præclare se gerendum hujusmodi præmiis oblatis adhortantes a Poetis non raro inducuntur præfecti: exempli gratia Teucri fortem animum accendit Agamemnon, ampla mercede condicta post devictam urbem referenda, prout legitur apud Homerum *Iliad.* θ'. *vers.* 289.

Πρώτῳ τοι μετ' ἐμὲ πρεσβήϊον ἐν χερὶ θήσω,
Ἢ τρίποδ', ἠὲ δύω ἵππους αὐτοῖσιν ὄχεσφιν,
Ἠὲ γυναῖχ', ἥ κέν τοι ὁμὸν λέχος εἰσαναβαίνοι.
Primo tibi post me præmium honorarium in manu ponam,
Vel tripodem, vel duos equos cum ipsis curribus,
Vel mulierem, quæ tecum eumdem lectum adscendat.

Nec minora præmia Niso promittit Ascanius apud Virgilium *Æneid. lib.* IX. *vers.* 263.

Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quæ cepit Arisba,
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta,
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido:
Si vero capere Italiam, sceptrisque potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere sortem;
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus; ipsum illum clypeum, cristasque rubentes
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise:
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma;
Insuper id campi quod rex habet ipse Latinus.

Plura alia dona pollicitari solebant pro diversa hominum indole & conditione ad illorum animos accendendos: unde Ascanius sic pergit compellans Euryalum nisi comitem in omnibus periculis:

Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio, & comitem casus complector in omnes;
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus,
Seu pacem, seu bella geram, tibi maxima rerum
Verborumque fides. ——

Aliquando coronæ donabantur, in quibus virorum, qui illas demeriti fuerant, nomina factaque inscripta erant, prout patet ex inscriptione coronæ ab Atheniensibus Cononi datæ, quæ sic sonat, Κώνων ἀπὸ τῆς ναυμαχίας τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους.

Aliis columnas & statuas, in quibus illorum victoriæ inscribebantur, in honorem Deorum erigendi potestas dabatur, quam pauci ex ipsis præclarissimis imperatoribus consecutos fuisse asserit Plutarchus: Cimon quidem illis honoribus ornatus est, quos Miltiadi & Themistocli referre nunquam licuit; imo ipsi Miltiadi coronam tantum oleaceam poscenti quidam Sochares in medio conventu stans respondit, *Miltiade, quando tu solus vinces, talem triumphum ages*; cujus verba plebi ita placuerunt, ut alterius petitio repudiata fuerit præ reliquis, hanc reddit rationem Plutarchus in *Cimone*, quia scilicet sub alterorum virorum ductu tantum se defensitaverant, dum Cimone duce non solum hostes repellere, sed & illorum regionem invadere valuerant Athenienses; at forte ratio certius & verius peti posset a mutatione temporum & morum; antiquioribus enim sæculis præmia non ita profundebantur; æque ac recentioribus, quando homines a majoribus degeneres fuerunt, & pauca prodibant magnanimitatis & fortitudinis exempla; qua de causa via ad honores sternebatur facilior, & qui vulgariter tantum se gesserant, præmia, quæ solis viris virtute & fortitudine maxime conspicuis conferebantur, nullo negotio consequebantur, teste Æschine *in Ctesiphontem*.

Ad majus decus Athenis fortium virorum arma in arce ponebantur, ipsique dicebantur Cecropidæ, id est, cives ab ingenua & antiqua gentis stirpe orti; ad quem morem alludit Poeta:

Οὐ καλλινίκους Κεκροπίδας ἔθηκ' ἐγώ.
Non egregios victores Cecropidas constitui ego.

Alii pro præmio referebant πανοπλίαν, id est, *integram armaturam*; prout patet exemplo Alcibiadis, quando adolescens expeditionem in Potidæam suscepit, referente Plutarcho in *Alcibiade*.

Iterum alii laudabantur epiniciis, quorum primum in honorem Lysandri Spartani ducis compositum est. Lege Plutarchum in *Lysandro*.

Mutilati in bello, quos ἀδυνάτους vocabant, Athenis sumptu publico alebantur, idque ex quadam Pisistrati lege, quam tulit exemplo Solonis, qui primus ejusmodi præmium Thersippo cuidam decrevit, ut refert Plutarchus *Solone*. Pecunia, quam accipiebant, obolus erat in singulos dies: alii duos obolos in dies illis datos tradunt: alii denique existimant, novem drachmas sive quinquaginta quatuor obolos in singulos menses suffecisse. Probabile est, mercedis hujus rationem pro temporum varietate subinde mutatam fuisse, quod militari stipendio accidisse prius observatum est. Id non est prætereundum, quod non omnes ἀδύνατοι hac δημοσίᾳ τροφῇ alebantur, sed quorum proventus annuus intra tres minas erat: quare apud Senatum Quingentorum δοκιμασίαν subibant, qua tam in eorum opes inquiri solebat, an illæ prædictam summam excederent, quam in habitum corporis, an revera mutilati essent. Vid. Lysias περὶ ἀδυνάτου, Hesychius, Harpocration, Suidas *Voc.* Ἀδύνατοι.

Plures alii honores iis, qui de Republica bene meriti fuerant, tribui solebant; unum tantum memorabo, nimirum curam, quæ habebatur liberorum illorum virorum, qui pro nomine & salute Reipublicæ Atheniensis fortiter pugnando occubuerant, prout testatur Æschines *in Ctesiphontem*. Publico enim sumptu alebantur, donec maturiorem ætatem attigissent, qua donabantur integra armatura,

& ad populum prodibant, uno ex publicis præconibus proclamante: Ὅτι τοὺς δὲ τοὺς νεανίσκους, ὧν οἱ πατέρες ἐτελεύτησαν ἐν τῷ πολέμῳ ἄνδρες ἀγαθοὶ γενόμενοι, μέχρι μὲν ἥβης ὁ δῆμος ἔτρεφε· νυνὶ δὲ καθοπλίσας, τῇδε τῇ πανοπλίᾳ ἀφίησιν ἀγαθῇ τύχῃ τρέπεσθαι ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν, καὶ καλεῖ εἰς προεδρίαν. *Hos adulescentes, quorum patres in bello fortiter mortem oppetiissent, a populo usque ad pubertatem esse educatos: nunc autem panopliis instructos eosdem (quod fœlix faustumque sit) dimittere, ut suum quisque negotium agat, & ad principem in consessu locum invitare.* Sed ut illorum animi ad gloriam magis accenderentur, προεδρίαν vel *primas sedes* in spectaculis & publicis conventibus occupandi honore gaudebant. Nec solum occisorum liberis, sed etiam parentibus prospectum est a legibus Solonis; quibus civitas ipsa tenebatur eorum orbitati succurrere, & injurias propulsando filiorum vicem præstare. Vid. Plato *Menexeno*, Laertius *Solone*.

Non extra propositum erit, si pauca subjungamus de modo, quo mandata ducibus, dum militiæ erant, secretissime significari solebant: peragebatur autem diversa ratione & ope diverforum nunciorum, inter quos celebrantur ἡμεροδρόμοι, qui levem armaturam, ut jacula, pyrobolos, arcus & sagittas gestabant, juxta Suidam, cujusmodi fuit Phidippides ille apud Cornelium Nepotem in *Miltiade* ob visum Panem Deum tam celebratus.

Sed ex omnibus mediis, quibus utebantur ad consilia summi magistratus ad duces clanculum transmittenda, celebratissimum fuit Lacedæmoniorum σκυτάλη, id est, *alba membrana*, quæ nigro baculo circumplicari solebat, quæque quatuor cubitorum longitudinem æquabat, juxta Pindari Scholiastem in *Olymp. Ode* VI. sic autem dicebatur ab σκύτος, id est, *cutis*. En tibi illius inventi morem & usum: Quando quis ad summum imperium vel terræ vel maris a magistratu promovebatur, gemina ligna rotunda & oblonga ad amussim paria sumebantur, quorum alterum servabatur a magistratu, alterum vero summo præfecto tradebatur; quando de quodam consilio illum certiorem facere vellent, parata longa & angusta membrana, illaque suo baculo circumvoluta plicis probe compressis rem significandam inscribebant, hinc detractam membranam ad imperatorem mittebant, qui illam suo baculo circumplicabat, ita ut plicæ coinciderent æque ac quando membrana describebatur, & litteræ, quæ, antequam obvolveretur membrana, confusæ & incompositæ erant, quæque nullo modo intelligi poterant, manifestæ & conspicuæ legenti erant. Videndi sunt Plutarchus in *Lysandro*, Aristophanis Scholiastes in *Avibus*, Aulus Gellius, &c.

CAP. XIV.

De navium inventione atque speciebus.

ILlarum proficuarum artium & mirorum inventorum, quorum ope quasi sustentatur genus humanum, omnibusque vitæ requisitis & commodis instruitur, origo plerumque fortunato casui debetur, & ab obscuris ac contemnendis initiis per continua experimenta, assiduam indagationem, atque diversos progressus ad perfectionem provecta sunt. Hujusmodi exempla ubique exstant in Auctoribus; sed omnium maxime conspicuum est exemplum artis navigandi, cujus, licet postquam plura additamenta per singula sæcula ei accesserint, nostraque ætate præ plerisque aliis artibus majorem perfectionem attigerit, principia tam tenuia & rudia fuerunt, ut qui hunc animum

A & manum primi admoverunt, perexiguum & contemnendum tum oblectamentum, tum emolumentum inde perceperint.

Qui primo liquido huic elemento se commiserunt, prima pericula fecerunt in vadis, nec procul a littore provehi ausi sunt; sed crebris tentaminibus animo iis aucto, gradatim ulterius progressi sunt, donec ipsum Oceanum navigare sustinuerint: huc faciunt quæ habet Claudianus *Præfat. de Raptu Proserpinæ*:

Inventa secuit primus qui nave profundum,
Et rudibus remis solicitavit aquas,
B *Tranquillis primum trepidus se credidit undis,*
Littora securo tramite summa legens.
Mox longos tentare sinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela Noto:
Ast ubi paulatim præceps audacia crevit,
Cordaque languentem dedidicere metum,
Tam vagus irrupit pelago, cœlumque secutus,
Ægeas hyemes, Ioniasque domat.

Navium æque ac omnium illarum rerum primæ antiquitatis inventio cuinam debeatur, incertum est. Plures viri illam sibi vendicare videntur, scilicet, Prometheus, Neptunus, Janus, Atlas, Hercules, Jason, Danaus, Erythræus, &c. sed
C vulgo tribuitur Minervæ omnium artium & scientiarum matri: nonnulli, qui obsoletis illis Poetarum fabulis prætermissis quid certius afferre student, illud inventum adscribunt quibusdam incolis locorum maritimorum, quæ navibus hospitandis a natura destinata videntur, cujusmodi dicuntur Æginenses, Phœnices, &c. Consulendi Plinius *Nat. Hist. lib.* V. *cap.* XII. Strabo *lib.* XVI. Mela *lib.* I. *cap.* XII. In hac re Scriptorum dissensus ratio peti posset, vel ex eo quod navigatio in pluribus locis simul in usum venerit, (non est enim apud ullum certum populum nata illa ars, & inde ad cæteras gentes tradita, sed in regionibus a
D se invicem remotissimis simul reperta est) vel a diversam navium specie, quarum nonnullis a viris mox memoratis constructis, cæterarum inventio iisdem tributa est.

Primæ naves ineptæ, infirmæ, & inconcinnæ fuerunt; constabant enim ex asseribus una consutis & eo modo compactis ut aquis depellendis tantum valerent, prout tradunt Maximus Tyrius *Dissert.* XL. & Isidorus. In nonnullis conficiebantur tantum ex arboribus excavatis, quæ dicebantur πλοῖα μονόξυλα, quia ex uno ligno continuo confecta; horum navigiorum meminit Virgilius *Georg. lib.* I. *vers.* 136.

E *Tunc alnos fluvii primum sensere cavatas,*
Navita tum stellis numeros & nomina fecit.

Imo recentioribus sæculis in nonnullis locis adhuc usu veniebant, non diversa ab iis, quæ dicebantur σκάφη, quæque juxta strictam & propriam vocis significationem ex Polyæno *lib.* V. derivantur ab σκάπτεσθαι, quia ex arboris trunco excavata erant. Nec lignum solum adhibebatur, sed & quævis alia materia, quæ aquis supernatans non mergetur, quales fuerunt Ægyptia arundo dicta papyrus, aut (ne plura referam) corium, ex quo primæ naves sæpius consuebantur, unde dictæ
F sunt πλοῖα διφθέρινα vel δερμάτινα, quæ viminibus subligata frequenti usu adhibebantur in Ægypti, Æthiopiæ, & Sabææ Arabiæ fluminibus; sed ab initio ex solis corio, aut tergoribus consutis construebantur. Hujusmodi navigii ope Dardanus ex Samothrace antiqua sede vi diluvii horrendi ejectus in regionem dictam Troadem se recepit, prout tradunt Lycophron ejusque Scholiastes in *Cassandra vers.* 75. Charontis navigium in inferis ex eadem materia compositum dicitur a Virgilio *Æneid. lib.* VI. *vers.* 413.

—— *gemuit sub pondere cymba*
Sutilis, & multa accepit rimosa paludem.

Quando naves ad majorem perfectionem & molem provectæ sunt, rude & ignarum vulgus tremore & stupore perculsum est ad illarum adspectum; stupenda enim spectacula iis videbantur illa prægrandia castella insolitæ formæ aquis supernatantia, militibus munita, & alis quasi pansis super mari volantia; legendi Apollonius ejusque Scholiastes. Exinde autem ortum est commentum de Perseo ad Gorgones avolante, qui, prout Aristophanes in *Thesmoph. pag.* 814. *Edit. Amstelod.* expressis verbis tradit, nave eo vectus est:

Περσεὺς πρὸς Ἄργος ἀυσολῶν, τὸ Γοργόνος
Παρακομίζων. ——
Perseus ad Argos navigans, ad Gorgones
Se recipiens. ——

Nec aliunde nata fabula, vel Triptolemi, qui dracone alato vectus esse fingitur, quia fame Athenis grassante ad regiones fraciores, unde annonam populo subministraret, navigavit: tum Pegasi equi alati, qui, referentibus non paucis Mythologis, erat navis cognominis velis instructa, quo circa Neptuni maris domini progenies fingebatur, juxta Palæphatum & Artemidorum. Nec non eodem referenda sunt figmenta gryphorum, aut navium in aves & pisces mutatarum, quæ apud antiquos Poetas frequenter occurrunt.


Hujusmodi inventa illa prima mundi ætate tanti fiebant, ut quotquot vel artem navigandi provexerunt, vel naves formæ novæ firmioris & celerioris ædificarunt, vel antiquiorem profecerunt, vel regiones eousque navigatoribus incompertas detexerunt, summis honoribus digni censerentur, & (ut alii viri, qui in genus humanum præclara beneficia contulerant) in numerum Deorum referrentur, illorumque inventa consecrarentur, & in cœlos eveherentur: unde inter signa cœlestia annumerantur Aries & Taurus, geminæ naves, quarum altera Phryxus ex Græcia ad Colchos, altera vero Europa ex Phœnicia in Cretam vehebatur: pariter Argo, Pegasus, & Persei balæna fuerunt novæ navium species, quæ, quia de illis obstupescebant rudes & imperiti illorum temporum homines, in memoriam inventorum inter stellas relatæ, & in sydera a Poetis illorum vel inferiorum sæculorum mutatæ sunt. Hæc de navium inventione.

Prima origine, omnium navium, cuicumque usui destinatæ fuissent, eadem fuit forma; sed ex diverso navigandi fine, cui promovendo tum hæc tum illa forma magis conducebat, natæ sunt navium species, non solum mole, sed & structura atque armamentis diversæ. Ne minutulas mutationes sigillatim recenseamus, (quod molestum & infinitum foret opus) breviter notabimus tria præcipua navium genera, nim. onerariarum, præsidiariarum, & vectoriarum. Vectoriæ diversis nominibus a vectura desumptis distingui solebant: quæ hominibus, generaliore nomine πόρεια & ἐπιβάδες, quæ militibus, peculiario nomine ὁπλιταγωγοὶ & ςρατιώτιδες, quæ vero equis vehendis adhibebantur, ἱππηγοὶ, ἱππαγωγοὶ, & *hippagines* dicebantur, ut alias taceam.

Naves onerariæ vocabantur ὁλκάδες, φορτηγοὶ, & πλοῖα, ut a bellicis, quæ proprie dicebantur νῆες, distinguerentur: illarum forma vulgo rotunda erat, alveusque idcirco latus & capax, qui uberiorem annonam, commeatum, aliaque requisita, quibus onerari solebant, caperet: unde sæpius dictæ sunt ςογγύλαι, econtra præsidiariæ μακραὶ, juxta Ulpianum *in Demosth. Orat. adversus Leptinem*, quia his longiores, qua in re cum vectoriis aliquomodo conveniebant, quarum forma inter bellicas & onerarias naves media erat; illis enim capacitate, his vero longitudine cedebant. Iterum alia in re a se invicem diversæ erant hæ naves; bellicæ enim, licet velis non omnino carerent, remis præsertim agebantur, ut facilius converti, quandocunque casus prosper emergeret, & ad navis hostilis latus debilius admoveri possent; naves vero, quæ a velis & idcirco a ventis reguntur, non tam certo moderamini subjiciuntur; unde naves bellicæ vulgo dicuntur ἐπίκωποι & κωπήρα. Naves onerariæ velis, vectoriæ vero funibus agi solebant, licet utræque pro re nata triplici modo, nimirum velis, remis, & funibus simul moderatæ sint.

Naves bellicæ a Parhalo vel Samyræ, aliæ vero a Semirami, vel juxta nonnullos ab Ægæone instructæ dicuntur; legendus Plinius *Nat. Hist. lib.* VII. *cap. ult.* diversæ autem erant ab aliis navium speciebus, tum machinamentis, tum mole ædificii, quibus utebantur vel ad tegendos milites, vel ad hostem lædendum; de his inferius agemus. Iterum a se invicem distinctæ erant recentioribus sæculis diversis remorum ordinibus, qui, ut plures imaginantur, nullomodo plani in variis navis locis positi erant; nec, ut alii contendunt, recta & perpendiculariter sibi invicem oppositi; sed sedes ita dispositæ erant, ut retrorsum sensim in morem graduum adscenderent. Vulgo triplices, quadruplices, aut quintuplices erant; unde sæpius memorantur νῆες τριήρεις, τετρήρεις, & πεντήρεις, id est, *triremes, quadriremes*, & *quinquiremes rates*, quæ uno remorum ordine aliæ aliis auctiores erant, & idcirco altius surgebant, & majore vi agebantur. Primitivis temporibus, in navibus oblongis unus tantum erat remorum ordo, unde non raro vocantur μονήρεις, & κέλητες nomine sumpto a singulari equo; quocirca, quando naves dicuntur πεντηκόντοροι & ulterius ἑκατόντοροι, non inde colligendum illas quinquaginta aut centum remorum ordinibus, sed tantum totidem remis instructas fuisse: hujus generis fuit navis Argo, quæ quinquaginta remis agebatur, fuit autem prima navis oblonga & a Jasone inventa, quum hucusque omnigenarum navium forma fere fuit ovalis; alii, ut Apollodorus *Biblioth. lib.* II. oblongarum navium inventionem altius repetunt, Danæque tribuunt, qui, prout ipsi asserunt, ex Ægypto in Græciam rate quinquaginta remis acta vehebatur, licet autem concederetur Jasonem illarum usum in Græciam introduxisse, tamen non facile crederem illum fuisse primum inventorem, sed tantum Ægyptium vel Africanum archetypum imitatum fuisse, quorum posterius ab Atlante jamdudum inventum fuerat, & in illa mundi plaga vulgo adhibitum. Duplici remorum ordine primi usi sunt Erythræi, teste Plinio, quos tertio auxit Aminocles Corinthius, prout Herodotus, Thucydides, & Diodorus Siculus tradunt; econtra Clemens Alexandrinus *Stromat. lib.* I. laudem hujus inventi Sidoniis tribuit: his autem quartum addidit Aristoteles Carthaginensis, Nesicthon Salaminius juxta Plinium, vel Dionysius Siculus juxta Diodorum, quintum; Xenagoras Syracusanus sextum; Nesigiton ad decem usque illos adauxit, Alexander Magnus ad duodecim, Ptolemæus Soter ad quindecim; Philippus Persei pater decimum sextum adjecit, referentibus Polybio in *Fragm.* & Livio; deinde (quia inventis addere facile est, quando sedes remorum in morem graduum disponendi adinventa fuit) Demetrius Antigoni filius ratem triginta remorum ordinibus instruxit, & Ptolemæus Philopator cæteros antecellendi ambitione accensus illos quadraginta fecit, prout testantur Plutarchus in *Demetrio* & Athenæus *Deipnosoph. lib.* V. unde (cæteris paribus) ad tantam molem excre-

TAB. IX.








Fig. 2.

excrevit ratis, ut eminus mons aut insula, cominus vero prægrande castellum aquis supernatans videretur; complectebatur enim quatuor millia remigum, quadringentos nautas, & fere tria militum millia. Sed hæc & similia ædificia spectaculo & ostentui tantum inserviebant; nam ob portentosam molem agendo inhabiles & inutiles erant; Athenæus tradit eas vulgari nomine dictas fuisse *Cyclades* aut *Ætnas*, id est, *insulas* vel *montes*, quorum magnitudinem adæquare videbantur, quandoquidem, prout nonnulli referunt, tota harum navium materies ad minimum quinquaginta triremibus construendis suffecisset.

Præter naves jam memoratas, aliæ dimidiis remorum sedibus instructæ erant: cujusmodi fuerunt *ἡμιολία* vel *ἡμίολος*, quæ navis species inter uniremem & biremem media videtur, una & dimidia sede ornata: pariter *τριηρημιολία* navis mixti generis inter biremem & triremem, duobus & dimidio remorum ordinibus acta. Hæ species, licet alio respectu in morem oblongarum navium aut præsidiariarum ædificatæ fuerint, attamen hoc duplici nomine raro veniunt, imo sæpius iis opponuntur. Plures aliæ navium species apud Scriptores occurrunt, quæ ab iis, quas eousque recensuimus, discriminantur, quandoquidem ad certos usus & ad certa maria comparatæ, vel urgente necessitate in pugna navali adhibitæ, vel sæpius, quales fuerunt *ὑπηρετικαὶ*, id est, *naves frumentariæ*, in commeatu classi subministrando inserviebant, vel naves citæ ad nuncia deferenda destinatæ, vel naves exploratoriæ, quæ tam expeditæ erant, ut & firmiores & bellicas naves effugere habiles forent. Hæ species a superius recensitis distinguebantur structura & instructu, quia illarum forma inter bellicam & onerariam navem intermedia erat, & in nonnullis ab utrisque diversæ erant pro diverso usu, cui destinatæ erant.

CAP. XV.

De navis partibus, ornamentis, &c.

NAvium Græcarum speciebus descriptis, proximo loco agemus de illarum præcipuis partibus, quarum ignorantia innumeris erroribus ansam præbuit, & confusionem peperit iis, qui Veterum studio animum adverterunt. Hoc autem loco Schefferum sequar, qui hanc materiam ample tractavit, tantoque labore tantaque eruditione, quidquid illi illustrandæ conducebat, collegit, ut quid addendum vix mihi supersit.

Præcipuæ navis partes tres erant, nimirum *alveus*, *prora*, & *puppis*: hæ iterum componebantur ex aliis minoribus partibus, quas breviter & ordine describam. *Tab.* VIII. *Fig.* II.

I. Intra navis alveum aut meditullium continebatur *τρόπις*, *carina*, quæ lignea erat, quæque a robore & firmitate dicta est *στείρη*: in infima nave sita erat, ut undas intersecaret, juxta Homeri Scholiastem *in Odyss. μ'*. qua de causa, non patula, sed angusta & acuminata erat: unde notandum est non omnes naves, sed solas *μακρὰς*, quarum alveus angustam circumferentiam referebat, carinis instructas esse, dum reliquarum fundum planum erat, teste Isidoro *l.* XIX. *c.* I. Circa carinam circumposita erant ligna, ut ab illa omne damnum arcerent, quando navis vel in aquam primum solvebatur, vel in rupes excurrebat; dicebantur autem *χελυσμάτα*, Latine *cunei* apud Ovidium *Metam. l.* XI. *vers.* 520.

Jamque labant cunei, spoliataque tegmine ceræ
Rima patet. ——

Carinam excipiebat *φάλκις*, juxta Pollucem, quæ capiebat *ἀντλίαν* vel *sentinam*, cujus ope aqua ex nave exantlabatur, teste Aristophanis Scholiaste in *Equitibus*.

Deinde sequebatur *δευτέρα τρόπις* vel *secunda carina*, antliæ substrata, & appellata *λέσβιον*, *χαλκιὼν*, *χλειτοπόδιον*, ex Polluce. Hallucinantur qui hanc partem eamdem faciunt cum *φάλκις*.

Supra antliam occurrebat locus concavus, ab Herodoto dictus *κοίλη τῆς νηὸς*, a Polluce, *κύτος* & *γάστρα*, (quia patulus & capax instar vasis aut ventris) a Latinis vero *testudo*: munita autem erat costis, quæ erant tabulata a carina adscendentia, & ab Hesychio vocata *νομεῖς*, ab aliis *ἐγκοίλια*: (quæ conficiebant navis alveum) iis attexebantur asseres, quos Aristophanes vocat *ἐντερωνείας* aut *ἐντερωνίδα*.

Inde pergo ad *πλευρὰς* vel *latera* navis, quæ omnes partes memoratas utrinque complectebantur: contexta autem erant ex latis tabulatis, quæ proram & puppim contingebant, dicebanturque *ὑποζώματα* apud Platonem *de Republica lib.* X. *ζωστῆρες* apud Heliodorum in *Æthiopicis*, & *ζωμιάματα* apud Aristophanem in *Equitibus*, quia iis totum ædificium obligabatur vel circumcingebatur.

Ab utroque latere disponebantur *τοῖχοι* & *ἑδώλια*, Latine *fori* & *transtra*, instar scalæ retrorsum surgentia: infimum dicebatur *θάλαμος*, & qui in eo remigabant *θαλάμιοι*: media *ζυγά*, remiges *ζύγιοι*: suprema vero *θρᾶνοι*, remiges autem *θρανῖται*, juxta Pollucem. In his erant interstitia, in quibus remi immittebantur: erant autem sæpenumero una intercapedo ab uno extremo ad alterum excisa, dicta *τράφηξ*: sed sæpius distincta foramina, quorum singulis inserebatur remus: vocabantur *τρήματα*, *τρυπήματα*, necnon *ὀφθαλμοὶ*, eo quod animalium oculis non absimilia erant: sed generalius dicebantur *ἔγκωπα*, quia remos excipiebant, teste Athenæo *Deipnosoph. lib.* V. econtra *ἐγκωπὶν* quid aliud fuisse videtur, nimirum spatia inter transtra ab utroque latere excurrentia, vectorum sedes: ad summa transtra eminebat transitus vel ambulacrum dictum *πάροδος* vel *παράθρανος*, quia *θρανὺς* vel *suprema transtra* contingebat.

2. Πρώρα, *prora* vel pars navis anterior, qua de causa sæpe dicitur *μέτωπον frons*, & aliis nominibus a facie humana sumptis vulgo distinguitur. Nonnullæ naves duplici prora, æque ac puppi instructæ dicuntur; hunc in morem navis, qua Danaus in Ægyptum vectus est, arte Minervæ constructa est. Prora auro diversoque pigmento & colore depingi solebat: primitivis temporibus rubrum potissime adhibebatur; unde naves ab Homero vulgo appellantur *μιλτοπάρῃοι* & *φοινικοπάρῃοι*, id est, *rubram faciem præ se ferentes*: pariter cæruleus color frequenti usu veniebat, quia ad maris colorem proxime accedebat, quapropter apud Homerum rates vocantur *κυανόπρωροι*, & ab Aristophane *κυανέμβολοι*: plura alia pigmenta usurpabantur: nec simpliciter hi colores proræ obducebantur, sed & eximiam artem noverant illos ope ceræ ad ignem liquefactæ tam firmiter figendi, ut nec a sole, nec a ventis & aquis dilui possent: hæc ars a cera *κηρογραφία*, ab igne vero *ἐγκαυστικὴ* dicebatur; describitur autem a Vitruvio *l.* VII. *cap.* IX. & ab Ovidio memoratur *Fastorum l.* IV. *vers.* 275.

—— *picta coloribus ustis*
Cæruleam matrem concava puppis habet.

His coloribus effingebantur Dii, animalia, plantæ, &c. quorum figuris aliæ navis partes pariter decorabantur, prout liquide patet ex antiquis monumentis a Bayfio in lucem editis.

Proræ latera vocabantur *πτερὰ* vel *alæ*, & *παρία*, juxta Schefferum, potius legerem *παρειαὶ*, quia enim prora faciei humanæ vulgo assimilatur, inde sequi videtur ejus latera dicta fuisse *genas*. Summitas proræ æque ac puppis nominabatur *παρεξει-*

ρεσία, juxta Thucydidis Scholiastem, eo quod remigibus careret.

3. Πρύμνη, *puppis*, aliquando dicta οὐρὰ, *cauda*, quia navis pars extrema est; accedebat autem propius ad figuram rotundam quam prora, cujus extremitas in acumen desinebat, ut aquas facilius sulcaret; iterum altius surgebat quam prora, ibique nauclerus sedebat ad navem gubernandam. Arcus dicebatur ἐπισείων, tabulata vero, ex quibus contextus erat, τὰ περιτόναια. Summæ puppi suberat locus dictus ἀσαίδιον, cujus intima pars erat ἐνθέμιον. *Tab.* VIII. *Fig.* III.

Plura alia in prora & puppi notatu digna occurrunt; exempli gratia ornamenta illa, quibus extrema navis decorari solebant, generaliore nomine dicta ἀκρόνεα juxta Suidam, vel νεῶν κορωνίδες juxta Homerum, Latine *corymbi*, quæ vox a Græco κόρυμβα ab Homero usurpata derivatur; licet istud vocabulum Græce, prout apud Latinos usurpatur, non amborum extremorum ornamentis, sed proræ tantum tribuatur, teste *Etymologici* Auctore; dicuntur pariter ἀκροστόλια, quia ad extremum στόλον posita, qui erat longum tabulatum proræ capiti præfixum; quocirca non raro dicuntur περικεφαλαία apud Pollucem; aliquando cassidem, alias animal referebant, sed frequentius in orbem torquebantur, unde vulgo vocata *corymbæ* aut *corona*.

Proræ ἀκροστολίοις opposita erant puppis ἄφλαστα, quæ figuram rotundam referebant, & instar alarum conficta: iis non raro affixa erat umbella dicta ἀσπιδεῖον aut ἀσπιδίσκη: aliquoties lignum ibidem infixum erat, unde pendebant versicolores vittæ, eratque loco insignium ad distinguendam navem, prout tradunt Pollux & Eustathius, vel Tritonis ad ventos indicandos.

Χηνίσκος sic dicebatur a χὴν, *anser*, cujus figuram exhibebat, quia anseres nautis fausta omina credebantur, ex eo quod aquis supernatant, nec merguntur. Istud ornamentum juxta nonnullos in infima prora infixum fronti carinæ adhærebat: in hac parte anchoræ, quando in mare jaciebantur, alligari solebant: alii vero illud ponunt in opposita parte navis, & in extrema puppi fixum fuisse volunt. Legendus *Etymologici* Auctor.

Παράσημον erat signum, quo naves a se invicem discriminabantur: ejus sedes fuit in prora infra στόλον: aliquando exsculptum, sæpius vero pictum erat, unde Latine dicitur *pictura*; exprimebat enim montem, aut arborem, aut florem, aut quidvis simile; qua in re diversum erat a tutela navis, quæ Deorum, quorum curæ & præsidio credita erat rates, effigiem exhibebat; quocirca asylum fuit iis qui eo confugerant; pariter preces & sacrificia fiebant, necnon juramenta dicebantur in illo loco, tanquam Numinis tutelaris & præsidis navis sede: aliquando sumitur pro παράσημον, teste Lactantio *l.* I. *c.* II. Servio *Æneid. l.* V. & Glossis veteribus, quia Deorum imagines in signis aliquoties effingebantur: a quibusdam collocatur in prora, vide Procopium *in Esaiæ cap.* XII. & Cyrillum in *Catena ad eumdem Prophetam*, sed a plerisque bonæ notæ Scriptoribus puppi tribuitur. Sic Ovidius (ne plura testimonia afferam) *Epist.* XVI. *Paridis ad Helenam vers.* 112. ait:

Accipit & pictos puppis adunca Deos.

Præterea *tutela* & παράσημον frequenter expressis verbis distinguuntur, quia illa Dei, hoc vero alicujus creaturæ aut figmenti imaginem præferebat, quapropter idem Poeta *Tristium l.* I. *eleg.* IX. hæc habet:

Est mihi, sitque, precor, flavæ tutela Minervæ,
Navis & a picta casside nomen habet.

Quo in loco *tutela* Minervam, παράσημον vero cassidem exprimebat. Pariter navis, qua Europa ex Phœnicia in Cretam vecta est, Taurum in signo, Jovem vero in tutela gestabat: unde nata est fabula illius virginis a Jove sub specie Tauri raptæ. Veteres solebant præsidio illorum Deorum, quibus suam salutem curæ esse credebant, vel quibus affines aut bene effecti erant, naves suas committere: sic Thesei integram classem sexaginta vela conficientem Minervæ Athenarum præsidi concreditam fuisse tradit Euripides in *Iphigenia*: Achillis classis Nereidum præsidio suberat, quia iis affinis erat a parte matris Thetidis Nereidum unius: & (ne plura exempla afferam) Bœoticarum navium tutela exhibebat Cadmum draconem in manu tenentem, eo quod Thebarum Bœotiæ metropolis conditor fuit. Nec classes solum, sed & privatæ naves a veteribus Græcis committi solebant curæ Deorum patriorum, aut Penatum, aut rei quam aggrediebantur præsidum; exempli gratia mercatores se & suas naves Mercurio, milites Marti, amantes Veneri & Cupidini committebant: sic Paris amasiam apud Ovidium alloquitur *epist.* XVI. *vers.* 113.

Qua tamen ipse vehor, comitata Cupidine parvo
Sponsor conjugii stat Dea picta sui.

In navis prora circa στόλον positum erat lignum rotundum dictum πτυχὶς, imo aliquando ὀφθαλμὸς, id est, *navis oculus*, quia fronti præfixus, juxta Pollucem, Eustathium, Apollonii Scholiastem *Argonaut. l.* I. *vers.* 1089. In illo inscriptum erat navis nomen, a signo vulgo desumptum, prout patet ex *loco* Ovidii mox indicato, in quo nomen a casside in signo picta navis habuisse dicitur; eadem de causa plures naves memorantur dictæ Pegasi, Scyllæ, Tauri, Arietes, Tigrides, &c. quas Poetis libuit fingere animalia, quibus sessores ex una regione in alteram vecti sunt; nec aliunde petenda ratio (juxta nonnullos) tritarum illarum fabularum Pegasi Bellerophontis equi alati, aut Arietis, quo Phryxus ad Colchos advectus est, & similium, quæ apud Poetas ubicunque occurrunt.

Totum ædificium finitum pice oblinebatur ad lignum ab aquis servandum; unde apud Homerum naves sæpius dicuntur μέλαιναι, *nigræ*. Phæaciæ postea Corsicæ dictæ incolæ primi pice usi sunt, juxta Suidam *Voc.* Ναυσίκαα. Non raro in eumdem usum adhibebatur cera: quapropter Ovidius *Epist.* V. *Oenone Paridi vers.* 42. sic canit:

Cærula ceratas accipit unda rates.

Quandoque miscebatur resina aut alia similia huic usui idonea; unde navium pigmentum illarumque nomina inde petita apud Poetas diversa traduntur.

Tandem, navis sertis & floribus strata, dum nautæ corollis decorati erant, in mare solvebatur, omnibus acclamantibus aliaque lætitiæ signa edentibus, teste Athen. *Deipnosoph. l.* V. & tæda ardente, ovo, & sulphure, juxta Apulejum *Asin. l* XI. aut alio modo a sacerdote lustrata, Deo, cujus imaginem præferebat, dicari solebat.

CAP. XVI.

De navium instructu & instrumentis ad navigandum requisitis.

NAvium armamenta diversa fuerunt; altera enim in omnigena navigatione requirebantur, altera vero in certa tantum specie, ut quæ velis, remis, aut alio modo peragebatur, usu veniebant; prioris ordinis fuerunt:

Πηδάλιον, *gubernaculum*, in puppe positum, cujus ope navem dirigebat nauclerus. Minores rates

uno tantum gubernaculo, majores vero, pro re nata, pluribus regebantur, ita ut quatuor gubernacula in una nave fuiſſe dicantur: horum locus non certo definiri poteſt, quia forſitan eumdem non ſemper ſervabant: attamen probabilius videtur, cum duplex fuit gubernaculum, alterum in prora, alterum vero in puppi collocatum eſſe. Unde memorantur νῆες ἀμφίπρυμνοι, *naves duplicis puppis*; quando quatuor adhibita ſunt, ad utrumque navis latus alterum additum eſt.

Αγκυρα, *anchora*, cujus inventio a nonnullis, nominatim Plinio *Nat. Hiſt. lib.* VIII. *cap. ult.* Tyrrhenis tribuitur; ab aliis vero Midæ Gordii filio, cujus anchora ad Pauſaniæ ætatem, id ipſum referentis, in certo Jovis templo ſervabatur: quandoquidem autem diverſæ fuerunt anchoræ ſpecies, illius inventi laus veroſimilius utrique diſtribui licet. Antiquiſſimæ anchoræ dicuntur lapideæ apud Apollonium *Argonaut.* & Arrianum in *Periplo Ponti Euxini*: alias ligneæ fuerunt craſſo plumbo munitæ: nonnullis locis in eumdem uſum adhibebantur caniſtra lapidibus plena, juxta Joſephum, & Suidam *Voc.* Ζεῦγμα, vel ſacci arena conferti; ope autem rudentum in mare demittebantur, quorum pondere navis ſiſtebatur. Deinceps anchoræ ferreæ erant & dentibus armatæ, quibus in fundum maris impactis navis immota manebat; unde ὀδόντες vel *dentes* apud Græcos & Latinos Poetas pro anchoris ſæpenumero ſumuntur. Ab initio unicus fuit dens, qua de cauſa anchoræ dicebantur ἑτερόστομοι apud Pollucem; ſed brevi alter additus eſt ab Eupalamo, juxta Plinium *Nat. Hiſt. lib.* VII. *cap. ult.* vel, juxta Strabonem *lib.* X. ex *Ephoro*, ab Anacharſi Philoſopho Scytha: Apollonii Scholiaſtes *Argonaut. l.* V. *verſ.* 1271. audacter aſſerit ſimili anchora uſos fuiſſe Argonautas, qua in re ei vix credere licet, quia aliis Scriptoribus, imo ſuo Auctori Apollonio, qui lapidearum tantum meminit, adverſatur. Anchoræ bidentes vocabantur ἀμφίβολοι aut ἀμφίστομοι, & ex antiquis monumentis liquet illas a noſtratibus non diverſas fuiſſe, niſi quod caruerint ligno tranſverſo manubrio addito. Singulæ naves pluribus anchoris inſtructæ erant, quarum una reliquas mole & firmitate ſuperans dicebatur ἱερὰ, *ſacra*, quæ nonniſi in extremis periculis unquam jaciebatur; unde *ſacram anchoram ſolvere* tribuitur iis, qui ad extrema præſidia confugiunt.

Ερμα, θεμέλιος, ἕρεισμα, *ſaburra*, qua naves æquiponderatæ, hinc dicitur ἀσφάλισμα πλοίου: ad id utplurimum utebantur arena, interdum etiam quavis alia re gravi: Diomedes Troja profectus lapides murorum hujus civitatis eo adhibuiſſe refertur a Lycophrone *Caſſand. verſ.* 618. quandoque appellatur κεφαλὸς ac κέφαλον, ex Heſychio.

Βόλις, ab Herodoto in *Euterpe* καταπειρητηρίη, a Lucilio *l.* XIX. *c.* IV. *catapirates* nuncupata, erat inſtrumentum, quo altitudinem maris explorabant, & num fundum eſſet firmum commodumque anchoris jaciendis, an vero periculoſum propter arenæ cumulos aliave obſtacula cognoſcebant. Ex plumbo, ære, aut alio gravi metallo conſtabat, & catenæ alligata in imum demittebatur, ſecundum Gloſſas *in Act. Apoſt. c.* XXVII.

Κοντοὶ, a Sophocle dicti πλῆκτρα juxta Pollucem, & a Latinis *conti*, quibus vadoſarum aquarum profunditas explorabatur, ſcopulis ac ſyrtibus navis detrudebatur, & in vadis atque brevibis, ubi aqua ad eam vehendam minime ſufficiebat, propellebatur.

Αποβάθραι, ἐπιβάθραι, vel κλίμακες, erant ponticuli ſeu tabulata, quibus naves adhærebant terræ, aut aliæ aliis.

Αντλίον, ἄντλον, Latine *hauſtrum*, *tolleno*, ſeu *tollena*, &c. machina, qua aqua exantlabatur.

Nonnullis ſupra recenſitis inſtrumentis neceſſarii erant certi funes, qui diſtinguebantur pro vario uſu quo veniebant; ut

Πείσματα, *anchoralia*, ſeu *anchorarii*, rudentes, quibus in mare jaciebantur anchoræ, & quandoque appellati κάμιλοι ſecundum Ariſtophanis Scholiaſtem, vel κάμηλοι juxta Phavorinum; unde apud D. Matthæum *c.* XIX. *verſ.* 23. 24. ubi Chriſtus, declarans quam difficile ſit ut homo dives intret in regnum cœlorum, ait ſuis Diſcipulis, εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν, *facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in regnum Dei ingredi*, vocem κάμηλον non de animali dicto *camelo*, ſed de *rudente* interpretantur Theophylactus aliique nonnulli.

Ρύματα, ὁλκοὶ, vel σπεῖραι, *parolcones*, *remulci*, reſtes, quibus naves reducebantur.

Απόγεια, ἐπίγεια, πείσματα, πρυμνήσια, *retinacula*, funes, quibus naves littori alligabantur. In multis portubus lapides in hunc finem erecti exſtabant, perforati ad inſtar annulorum, hincque δακτύλιοι dicti, iiſque annectebantur funes e clavo laxati: quod ſemper fieri ſolebat, quando naves in portum invehebantur; ideoque cum navigationi ſe committebant, vulgo dicebant *ſolvere funes*; hujuſce rei exempla paſſim obvia, verum unicum tantum afferam ex Ovidio *Metam. l.* XV. *verſ.* 695. qui de Æneæ comitibus ita loquitur:

Æneadæ gaudent, cæſoque in littore tauro,
Torta coronatæ ſolvunt retinacula navis.

Iſtud agebant, ut naves a vi ventorum fluctuumque incolumes ſervarentur; quam ob cauſam in tutis & immotis ab acceſſu ventorum portubus naves ſolutæ remanebant; unde Homer. *Odyſſ. ι. verſ.* 136 canit:

Εν δὲ λιμὴν εὔορμος, ἵν' οὐ χρεὼ πείσματός ἐστιν.
Ibi autem portus opportunus, ut non opus funibus ſit.

Vide *Annotationes noſtras in Lycophronis Caſſandram verſ.* 20.

Pergimus ad inſtrumenta certæ cuidam navigationi neceſſaria, primumque dicemus de illis, quæ adhibebantur quando remigandum erat, cujuſmodi ſequentia.

Κῶπαι, *remi*, a quodam Copa, qui primus eos inveniſſe traditur, ita nuncupati. Πλάτη, Latine *palmula*, aut *tonſa*, erat pars remi latior, ære utplurimum obducta, ut fluctus majore vi repellere par eſſet, & diutius duraret. Varii erant remorum ordines, alii ſupra alios gradatim poſiti; remi infimi reliquis breviores vocabantur θαλάμιαι vel θαλαμίδιαι, medii ζύγιαι, ſupremi θρανιτικαὶ aut θρανίτιδες, qui longiſſimi, quia ab aqua longius diſtabant; idcirco ut eos melius dirigerent remiges, plumbum manubrio eorum infundere ſolebant, ne infima pars ſummæ præponderaret, teſte Athenæo *Deipnoſoph. l.* V.

Σκαλμοὶ erant ligna rotunda, quibus remiges remos appendebant, quando labores quiete levabant: hinc ναῦς τρίσκαλμος, id eſt, *navis trium ordinum ſcalmorum*, ſeu *triremis*.

Τρόποι, τροπωτῆρες, *ſtrophi* ſive *ſtruppi*, dicebantur lora tergina, juxta *Etymolog.* Auctorem & Homeri Scholiaſtem *Odyſſ.* δ. quibus remi ſcalmis ſuſpendebantur, iiſque vinciebatur gubernaculum. Corium pelleſque ferarum pluribus aliis rebus inſerviebant, ut ad cooperiendum ſcalmos ac foramina, per quæ trajiciebantur remi, ne attererentur, quemadmodum docet Suidas *Voc.* Διφθέρα. Remigibus ſubſternebantur pelles, dictæ ὑπηρέσια & aliquando ὑπαγκώνια vel ὑποπύγια τῶν ἐρετῶν, a ſervandis manicis & femoralibus remigum.

Ἑδώλια, σέλματα, ζυγὰ, &c. Latine *transtra*, & *juga*, ubi sedebant remiges.

Instrumenta in navigando adhibita erant quæ sequuntur. *Tab.* VIII. *Fig.* I.

Ἱστία, φάρσωνες, ἄρμενα, *vela*, quæ ex nonnullorum sententia a Dædalo primum excogitata creduntur, hincque natam fabulam de alis, quibus usus est: alii ad Icarum referunt, statuentes Dædalum inventorem malorum & antennarum, teste Plinio *Nat. Hist. lib.* VI. *cap.* LVI. Initio uno tantum velo adornata navis, sed in posterum plura adinventa maxime utilia, quorum hæc erant nomina.

Ἀρτέμων, quibusdam habitum *supparum*, quod summo malo annexum.

Ἀκάτια, vela majora, ex Hesychio.

Δόλων, *dolon*, seu velum minus in prora, secundum Suidam *Voc.* Δόλων, & Isidorum; alii eadem statuunt ἀκάτιον & δόλων.

Ἐπίδρομος, *epidromon*, priore latius, & in puppi suspensum, ut tradunt Hesychius & Isidorus.

Vela vulgo ex lino contexta, interdum ex quavis alia re ad ventum accipiendum & propellendum apta; apud Dionem *lib.* XXXIX. fit mentio coriaceorum velorum; itidem aliis velis deficientibus vestimenta sua suspendere assueverant; unde orta fabula de Hercule, qui tergo leonis navigasse fingitur, quia nullum aliud velum nisi vestem suam, ex leonis pelle confectam, adhibuit, annotante Servio *ad Æneid. lib.* VIII.

Κεραῖαι, κέρατα, *antennæ*, ligna malo infixa, quibus vela alligata, secundum Homeri Scholiastem *Iliad.* σ'. hoc nomine denotatur *cornu*, unde extrema appellata ἀκροκέραια: ejus fibulæ ad figuram sphæricam accedentes dicebantur ἀγκύλαι: *cornua* eodem sensu usurparunt Latini Poetæ, ut Silius Italicus *lib.* XIV.

> —— *veloque superba capaci*
> *Cum rapidum hauriret Boream, & cornibus omnes*
> *Colligeret flatus.* ——

Aliæ partes malo adhærebant dictæ ἄμβολα & σύμβολα, quibus navis movebatur.

Ἱστὸς, *malus*. Unaquæque navis pluribus malis instructa erat; verum ab initio unicum tantum fuisse ex Aristotele discimus, qui in medio navis infigebatur, & foramen, cui inserta pars inferior, vocabatur μεσόδμη, secundum Homeri Scholiastem *ad Odyss* & apud Latinos *modius*. Quando in aliquem locum appellebant, malus demittebatur, ut passim apud Homerum videre est, ac ponebatur in loco dicto ἱστοδόκη, quæ secundum Suidam erat theca, in qua malus reclinabatur; sed Eustathius contendit nihil aliud esse quam lignum ex adverso erectum. En tibi mali partes:

Πτέρνα, *pars inferior*, seu *calx*.

Λινὰς, vel juxta Athenæum λινὸς, aut τράχηλος, cui velum adhærebat.

Καρχήσιον, trochlea versatilis, qua funes circumagebantur.

Θωράκιον, in speciem turris exstructum, ubi milites insistebant ad tela jacienda; supra illud visebatur lignum nomine ἰκρίον, cujus pars inferior dicta ἠλακάτη, a quo pendebat vitta præ motu perpetuo appellata ἐπισείων, ventoque circumagitata.

Nomina funium, quæ supra recensitis partibus inserviebant, hæc erant, prout a Scheffero enumerata:

Ἐπίτονοι, funes a Latinis nuncupatæ *anquinæ*, quibus antennæ minori malo alligatæ erant, teste Suida: alii volunt idem fuisse ac Latinum *rudentes*, qui antennas regebant, ita ut ex una parte deduci, ex altera contrahi vela possent ad nutum naucleri, ex Phavorino. Nonnulli contendunt, funem, qua antennæ malo annexæ, dici κάλωνα, *ceruchum*, *anchonidem*, & *rudentem*; qua vero tendebantur, aut laxabantur, ὑπέραν Suidæ, *opiferam* Isidoro.

Πόδες, Latine *pedes*, intelligebantur funes in velorum cornibus, quibus moderabantur pro necessitate, juxta Aristophanis Scholiastem *Equit. Act.* I. *Scen.* I. & Apollonii Scholiastem. Vide meum & Meursii *Comment. in Lycophronis Cassandram vers.* 1015. Πρόποδες erant minores funes infra pedes, ad id inventæ, ut vela laxarentur & complicarentur: ambo adhibebantur ad ventum accipiendum; iis enim vela pro re nata contrahebantur, pandebantur, aut transferebantur.

Μεσουρίαι, funes, quibus malus erigebatur aut demittebatur, secundum Apollonii Scholiastem; alii ad vela spectare volunt.

Πρότονοι, funes, quæ cochleam versatilem in summo malo trajicientes, hinc proræ, illinc puppi annectebantur, ut malus firmus & immotus maneret.

Hi atque alii funes primum ex loris coriaceis vulgo contorquebantur; postea adhibita sunt cannabis, linum, myrica, palmæ folia, philyra, arborum cortex, ut cerasi, tiliæ, vitis, aceris, carpini, &c.

CAP. XVII.

De navium instrumentis bellicis.

QUæ hucusque attulimus de navium partibus & structura, in genere dicta sunt, nec ullam speciem sigillatim attigimus; superest ergo ut proximo loco breviter describamus quæ ad navem bellicam instruendam requirebantur. *Tab.* IX. *Fig.* II.

Ἔμβολον, rostrum ligneum ære præmunitum, quocirca dicitur χάλκωμα νεῶν apud Diodorum *lib.* XX. naves vero sæpius efferuntur χαλκέμβολοι: unum vel plura rostra proræ præfixa erant ad hostiles naves lædendas, tota autem prora non raro ære obducta erat, ut a rupibus & hostium impetu tuta foret. Quidam Piseus Italus horum instrumentorum usum primus induxisse dicitur a Plinio *Nat. Hist. l.* VII. *c.* LVI. vix enim concedi potest veteres Græcos illa adhibuisse; quandoquidem nil tale memoravit Homerus, quod non omisisset, si rostra bello Trojano inventa fuissent: attamen Nestoris navis ab Æschylo in Μυρμιδόσιν vocatur δεκέμβολος, id est, *decem rostris armata*; pariter de rostris æneis loquitur Euripides *Iphigenia in Aulide vers.* 1320.

> Μή μοι ναῶν χαλκεμβολάδων
> Πρύμνας ἅδ' Αὐλὶς δέξασθαι
> Τοὺς δ' εἰς ὅρμους. ——

> *Utinam ne mihi navium æreis rostris munitarum*
> *Puppes hæc Aulis excepisset*
> *In hos portus.* ——

Sed jure merito quæri posset, an hi Poetæ sui temporis usum descripserint, quod hujus generis Scriptoribus solenne est, necne? A prima institutione hæc rostra in longum & altum prominebant; sed postea in usum aptiorem breviora & firmiora fuerunt, imo in infima prora posita, ut naves hostiles sub aquis perfoderent: illud autem inventum debetur cuidam Aristoni Corinthio, qui Syracusanis in bello contra Athenienses id impertitus est, cujus ope hostem ingenti damno affecerunt: horum rostrorum primo impetu plures Atheniensium naves bellicæ vel subversæ vel confossæ sunt, juxta Diodorum Siculum *lib.* XIII. Rostro imminebat aliud instrumentum dictum προεμβολὶς: iterum ex antiquis nummis liquet ipsa rostra diversis animalium & similium figuris decorata fuisse.

Ἐπωτίδες dicuntur ligna ab utroque proræ latere posita, ut propugnacula forent in navium hostilium rostra, ex Thucydidis Scholiaste *lib.* VII ut

enim prora faciei vulgo assimilatur, ita hæc duo ligna a situ auribus non absimilia erant, unde nomen habuisse videntur: quapropter hallucinantur qui istud armamentum puppi tribuunt, ut *Etymologici* Auctor.

Καταστρώματα, σανιδώματα, *fori*, aliquando dicti καταφράγματα: unde memorantur νέες πεφραγμέναι, κατάφρακτοι, & *tectæ*, sive *naves bellicæ*, quæ sæpius opponuntur vectoriis & onerariis, hæ enim naves ἄφρακτοι & *apertæ* erant, vel foris carebant. Istud catastroma ligneum erat, & hunc in usum erectum, ut inde tanquam e loco editiore missilia in hostes vehementius & certius emitterent milites. Primitivis sæculis, nominatim circa belli Trojani tempora, de prora & puppi tantum pugnatum fuisse scribit Thucydides *l.* I. quamobrem apud Homerum quotiescumque memorantur ἰκρία νηὸς, quæ ejus Scholiastes interpretatur *foros*, solummodo intelligendæ sunt illæ partes, quæ illis temporibus solæ tectæ erant. Ut quando de Ajace Græcorum naves a Trojanorum impetu propugnante ait *Iliad. ό. vers.* 676.

> Ἀλλ' ὅγε νηῶν ἰκρί' ἐπῴχετο μακρὰ βιβάσθων.
> *Sed hic navium obibat tabulata excelsa in puppibus longe gradiens.*

Et de Ulysse ad pugnam cum Scylla committendam se accingente hæc habet *Odyss. μ'. vers.* 229.

> —— εἰς ἰκρία νηὸς ἔβαινε
> Πρώρης. ——
> —— *in tabulata excelsa navis adscendebat*
> *Proræ.* ——

Cæteræ navium partes a Thasiis tectæ dicuntur apud Plinium *Nat. Hist. l.* VI. c. LVII.

Præter navium foros mox memoratos, quo efferebantur καταφράγματα, alia fuerunt monumenta dicta παραφράγματα, περιφράγματα, παραπετάσματα, παραβλήματα, προκαλύμματα, Latine vero *plutei*, & non raro *propugnacula*, quibus milites ab hostibus tuti tectique erant: hi autem vulgo erant tergora, vel quid simile, ab utroque navis latere tensa, quibus tum undæ repellebantur, tum missilia ex adversa nave ejecta excipiebantur, ita ut iis tanquam muro utrinque tecti milites hostem læderent.

Δελφὶν erat machina, quæ quia in hisce navibus usu veniebat, hoc in loco prætermitti non debet; fuit autem ingens & ponderosa moles plumbea vel ferrea in delphinis figuram conflata, & de antennis aut malo ope funium & trochlearum pendens, quæ in adversam navem magna cum vi protrusa, vel illam perfodiebat, ita ut fluctibus surgentibus hoc in loco dehisceret, vel suo pondere & impetu illam in imum mare pessundabat, testibus Aristophanis Scholiaste & Suida.

Similiter naves bellicæ ab aliabus navium speciebus in hoc discriminari solebant, quod galea in summo illarum malo insculpta erat, prout notat Gyraldus *de Navigatione* cap. XII.

CAP. XVIII.

De Nautis & Militibus.

THucydides tradit, apud Veteres nullam obtinuisse inter nautas ordinum distinctionem, sed illa officia, quæ recentioribus sæculis a diversis operariis remigum, nautarum, & militum nominibus distinctis exercebantur, in principio ab uno eodemque hominum ordine peracta fuisse: hi enim armis depositis remum agebant, & quidquid ad navis moderamen desiderabatur præstabant; sed iterum pro re nata arma capiebant ad hostem lædendum; exempla ubique occurrunt apud Homerum, ex quibus unicum afferam *Iliad. β'. vers.* 719.

> —— ἐρέται δ' ἐν ἑκάστῃ πεντήκοντα
> Ἐμβέβασαν, τόξων εὖ εἰδότες ἶφι μάχεσθαι.
> —— *remiges autem unamquamq; quinquaginta*
> *Conscenderant, arcuum periti ad fortiter pugnandum.*

Hi autem socii navales dicebantur αὐτερέται, juxta Suidam, Pollucem *l.* I. c. IX. & Thucydidem. Sic moris fuit illis antiquis temporibus, in quibus nec cura debita, nec sumptus idonei adhibebantur in navibus bellicis instruendis; eædem enim naves vecturæ & pugnæ destinatæ erant: sed in posterum, quando in arte belli navalis gerendi profecerunt, compertum habuerunt, tempus & curam singulorum ordinum sociorum navalium ad singula mox memorata officia probe gerenda in solidum desiderari: unde naves bellicæ deinceps triplice socio navali instructæ sunt. *Tab.* IX. *Fig.* III.

Ἐρέται, κωπηλάται, a Polyb. *Hist. l* X. dicti οἱ ὑπάρχοντες, & ab eodem Scriptore *Hist. l.* I. æque ac a Xenophonte *Hist. lib.* I. τὰ πληρώματα: licet Thucydidis Scholiastes asserat, hoc nomen late sumi non solum pro remigibus, sed & pro omnibus sociis navalibus, imo pro ipsis instrumentis nauticis. In navibus pluribus transtris instructis, supremi remiges dicebantur θρανῖται, illorumque transtra θρᾶνοι, testibus Polluce, Aristophanis Scholiaste, Suida, *Etymologici* Auctore: infimi θαλάμιοι, θαλαμῖται, & θαλάμακες, transtraque θάλαμοι: intermedii vero ζυγῖται & μεσοζύγιοι, & omnia transtra, quotquot fuerint, ζυγά. Singuli unicum remum agebant; singuli enim remi, nisi urgente necessitate, ab uno tantum remige moderabantur, prout abunde probavit Schefferus; non tamen omnium unus labor unumque fuit stipendium, qui enim in summis transtris remigabant, eo quod ab aqua remotissimi erant & longissimis remis utebantur, multo majorem laborem perferebant iis qui inferiora transtra tenebant, qua de causa majorem mercedem referebant. Remiges navium onerariarum dicebantur στρογγυλοναῦται apud Pollucem *l.* VII. triremium τριηρέται, reliqui vero a navium speciebus, quas conscendebant, nomen habuisse videntur. Qui prima & proræ proxima transtra occupabant, πρόκωποι, qui vero in parte opposita proxime ad clavum sedebant, ἐπίκωποι, quia a tergo sociorum erant, dicebantur. Remigium vilissimum & ærumnosissimum ministerium habebatur, ad quod ideo flagitiosissimi sontes damnari solebant; etenim præter laborem continuum, quem in remigando perpetiebantur, ipsa quies incommoda erat, quandoquidem solis transtris, in quibus integro die remigaverant, corpora lassa discumbere permittebantur: quapropter, quotiescumque apud Poetas labore supersedisse dicuntur remiges, simul in transtris recubuisse inducuntur: sic Senec. *Agam. Act.* III. *ver.* 437.

> —— *credita est vento ratis,*
> *Fususque transtris miles.* ——

Cui accinit Virgilius *Æneid. l.* V. *vers.* 836.

> —— *placida laxarunt membra quiete*
> *Sub remis fusi per dura sedilia nautæ.*

Reliqui socii navales eumdem in morem conquiescere assueverant, solis navarchis aut viris præclaris vestibus substratis jacere licebat, prout tradit Theophrastus περὶ ἀνελευθερίας. Ulyssis exemplum nobis suppetit ex Homero *Odyss. ν'. vers.* 74.

Καδ' δ' ἄρ' Οδυσσῆϊ στόρεσαν ῥῆγός τε λίνον τε
Νηὸς ἐπ' ἰκριόφιν γλαφυρῆς (ἵνα νήγρετον εὕδῃ)
Πρύμνης, αὖ δὲ καὶ αὐτὸς ἐβήσατο, καὶ κατέλεκτο
Σιγῇ. ——

Sed Ulyssi constraverunt culcitramque linteumq;
Navis in excelsis tabulatis concavæ (ut dulciter dormiret)
In puppi, ipse autem ingressus est, & dormivit
Tacite. ——

Qui quid commodius quærebant, molles & effœminati, bellique laboribus & ærumnis perferendis inepti existimabantur; quod in Alcibiade carpserunt Athenienses, quia, ut tradit Plutarchus in *ejus Vita*, lecto funibus suspenso utebatur.

Ναῦται. nautæ, a remigio quidem immunes erant, sed omnem aliam operam in nave insumebant; ut autem tumultus & confusio omnino præverterentur, singuli proprium officium gerebant, prout liquet ex Apollonio & Flacco in *Argonauticis*, quibus in locis alter nautarum malum erigit, alter vero antennas instruit, iterum tertius vela attollit, & reliqui hic & illic propriam provinciam sigillatim gerunt; hinc illorum diversa nomina; qui enim vela Græce dicta *ἄρμενα* moderabant, *ἀρμενισταὶ*, qui vero funes ad regiones vel naves e longinquo despiciendas adscendebant, vocati sunt *σχοινοβάται*, & sic de cæteris: fuerunt & alii nautæ inferioris ordinis, dicti *μεσοναῦται*, qui nulli certo loco aut officio adstricti erant, sed pro re nata reliquis sociis navalibus præsto aderant, ut quidquid indigebant, iis ministrarent, juxta Cœlium Rhodigin. *Antiq. Lect. l.* XXV. c. XL. Totius illius navalis colluviei improbi perditique mores vulgo fuerunt, ita ut a religione & humanitate prorsus alieni fuerint: qua de causa inter nequissimos nebulones recensentur a Juvenale *Satyra* VIII. *vers.* 173.

Invenies aliquo cum percussore jacentem
Permixtum nautis, aut furibus, aut fugitivis.

Milites navales Latine dicebantur *classiarii*, Græce vero *ἐπιβάται*, vel *ἀπὸ τοῦ ἐπιβαίνειν τὰς νῆας*, *a navibus conscensis*, vel *ἀπὸ τοῦ ἐπιβαίνειν τὰ καταστρώματα*, *quia foris insidentes* inde pugnabant. Eadem armatura, qua milites terrestres, vulgo instructi erant; nisi quod in classe major fuit numerus militum graviter armatorum, quam in militia terrestri desiderabatur; nam in classe, quæ Themistocli parebat, ex octodecim viris in singularum navium foris militantibus, quatuor tantum levem armaturam gestasse scribit Plutarchus in *Themistocle*. Equidem illorum maxime intererat quantum poterant probe munitos esse; quia nec retrocedere, nec locum mutare ullo modo licebat; sed singuli cominus pugnare & locum servare, donec prælium finitum erat, cogebantur. Quocirca tota illorum armatura, licet quoad formam vulgo ab illa, quæ in militia terrestri adhibebatur, non diversa esset, tamen fortior & firmior fuit: præterea in classe nonnulla instrumenta bellica usu veniebant in terra non adhibita, quorum præcipua hæc sunt.

Δόρατα ναύμαχα apud Herodotum intelliguntur hastæ insolitæ longitudinis, quæ sæpius viginti cubitos superabant, unde a Livio *Hist. l.* XXVIII. c. XLV. dicuntur *hastæ longæ*, & ab Homero *Iliad. ό. vers.* 387. *ξυστὰ ναύμαχα* & *μακρά*:

Οἱ δ' ἀπὸ νηῶν ὕψι μελαινάων ἐπιβάντες
Μακροῖσι ξυστοῖσι, τά ῥά σφ' ἐπὶ νηυσὶν ἔκειτο
Ναύμαχα, κολλήεντα, κατὰ στόμα εἱμένα χαλκῷ.
Illi vero a navibus ex alto nigris quas conscenderant
Longis contis, qui eis in navibus jacebant
Ad navale prælium apti, compacti, os induti ære.

Iterum *Iliad. ό. vers.* 677.

Νώμα δὲ ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμῃσι,
Κολλητὸν βλήτροισι, δυωκαιεικοσίπηχυ.
Versabat autem contum magnum navale in manibus,
Compactum annulis ferreis, duorum & viginti cubitorum.

Δρέπανον apud Pollucem, apud Appianum *δορυδρέπανον*, & apud Diodor. *l.* XXII. *δρεπανηφόρος κεραία*, erat instrumentum ferreum instar falcis recurvum, juxta Veget. *l.* IV. *c. ult.* longo autem præfigebatur conto, quo utebantur in antennarum funibus abscindendis, ut velis decussis naves leviores agi inhabiles fierent. Huic non absimile erat aliud instrumentum prægrandi capite ferreo utrinque acuto armatum, cujus ope rudentes, quibus gubernaculum navi alligatum erat, secare moliebantur.

Κεραῖαι apud Diodorum Siculum *l.* XII. & Athenæum fuerunt machinæ, quibus lapides in naves hostiles emittebantur.

Alterius machinæ meminit Vegetius, quæ de præcipuo malo pendebat, & ad figuram arietis proxime accedebat; quandoquidem composita erat ex longo ligno, & capite ferreo præfixo, quod in latera navium adversarum magno cum impetu protrudebatur.

Χεὶρ σιδηρᾶ, Latine *manus ferrea*, erat instrumentum uncis armatum, quod ope cujusdam machinæ in navem hostilem projici solebat. In Græcia Pericles Atheniensis, (juxta Plin. *Hist. Nat. l.* VII. c. LVI) Romæ vero Duilius, (teste Julio Frontino *l.* II. *c.* III.) illius usum primus induxisse dicitur. Ab his diversi erant *ἅρπαγες*, *harpagines*, ab Anacharsi Philosopho Scytha (referente Plinio *Hist. Nat. l.* VII. c. LVI.) inventi, prout fama fertur: hos enim fuisse ferramentum hamatum de summo conto pendens, quod malo vel alii edito loco alligatum, & magna cum vi in navem hostilem immissum, illam inuncatam in aera tollebat, ex Athenæo probat Schefferus. Harum machinarum bellicarum impetum vel repellere vel retundere solebant ope tergorum; quibus navis tecta erat, testibus Thucydide *l.* VIII. & Polluce.

Ulla Græciæ civitas dominio maris nec semper, nec sola potita est; sed continuo certatum est varia fortuna, ita ut tum hi illud consecuti fuerint, tum intra paucos menses aut annos iterum ab aliis deturbati sint. A tempore, quo Græcia ad summum gloriæ fastigium evecta est, ex omnibus Græcis Athenienses mari diutius dominati sunt, & potentiorem classem aluerunt: rei enim navali, quando scilicet Græciam invasit Xerxes, serio animum primi adverterunt: hujus incœpti iis auctor fuit Themistocles, qui, quum compertum haberet Persis terra obsistendis illos minime pares esse, necnon regionis situm rebus navalibus promovendis aptissimum esse, Oraculi responsum, quo muris ligneis se tueri mandati sunt, hoc sensu interpretatus Athenienses eo adduxit, ut laborem & opes in classem ædificandam & instruendam omnino conferrent. Sumptus autem ad id perficiendum adhibiti suppetebant ex reditibus fodinarum argentearum Laureotidis, qui eousque populo distrahi solebant; sed suadente Themistocle annuo proventu carere non detrectavit, ut scilicet Reipublicæ salus prospiceretur: his nummis triremes centum instructæ sunt in Xerxis potentissimam classem, quæ ab illis & confœderatorum auxiliaribus navibus junctis devicta est. In posterum administrante Lycurgo

oratore ad quadringentas naves aucta est classis, teste Plutarcho. Imo Isocrates *Panegyr.* scribit Atheniensium classem duplo plures naves confecisse, quam reliquorum Græcorum simul sumptorum. In duas partes distinguebatur, quarum altera ab ipsis Atheniensibus, altera vero ab illorum confœderatis instrui solebat.

Quæ Athenis instruebatur ea ratione, quam ostenderat Themistocles, alita est usque ad tempora Demosthenis, qui ut populi gratiam iniret, pristinos reditus ei reddidit, novamque rationem excogitavit, unde nummi tum ad nautarum stipendia solvenda, tum ad classem adaugendam suppeterent; distribuit enim cives ditiores in *συμμορίας* vel *centurias*, quæ pro re sua opes largiri tenebantur; imo urgente necessitate viri opulenti præter tributum iis irrogatum suo sumptu naves non raro instruxerunt, quandoquidem principes illius Reipublicæ viri inter se liberaliter certabant, quis de patria melius mereretur.

Reliquæ naves sumptibus confœderatorum condebantur; quum enim Athenienses animadvertissent, quanti illorum intererat maris dominium servare, cum ullo vicinorum populorum fœdera aut pacta inire recusabant, donec certum navium numerum in illorum classem conferre pepegissent; unde duplex emolumentum ad Athenienses manavit; tum enim illorum classis his augmentis potentior fiebat, tum illorum confœderati in obsequium cogebantur tot, ut ita dicam, obsidibus, qui rebellione oborta certo certius in potestate Atheniensium manebant. Civitates, quæ vel a mari dissitæ erant, vel naves præsidiarias parare nesciebant, nummos conferre tenebantur, juxta Xenophon. *Hist. Græc. l.* VI. Hæ consuetudines primo introductæ sunt post secundum bellum Persicum, quando inter Græcos unanimi consensu convenit, ut ad injurias a Barbaris illatas retaliandas bellum in illorum confinia inferrent, illosque invaderent viribus junctis sub ductu Atheniensium, qui tum magnum nomen sibi fecerant ob copias navales, necnon ob eximiam fortitudinem, sapientiam, & comitatem Themistoclis & Aristidis geminorum illius gentis ducum. Deinceps viribus maximopere aucti summum imperium in totam Græciam affectarunt; quapropter alias civitates muneribus & sub vana variaque specie in suas partes demulcere studuerunt, alias vero vi & armis ad obsequium compulerunt; civitates enim devictas vel ad nummos constringere assueverant, prout de Chiis ab Atheniensibus debellatis scribit Thucydides *l.* VIII. ejusdem moris meminerunt Xenophon *Hist. l.* I. & Diodorus *l.* XIII. aliisque in locis; sic hac & illa ratione pleræque Græciæ civitates ad Atheniensium dignitatem augendam adductæ sunt.

CAP. XIX.

De Præfectis classicis.

IN classe duo erant præfectorum genera, alteri enim navibus & nautis, alteri vero militibus simulque naucleris & sociis navalibus imperabant. En illorum nomina.

Στόλαρχος, *ναύαρχος*, vel *στρατηγὸς*, id est, *præfectus classis*, cujus præfectura, temporis aliarumque circumstantiarum ratione habita, diversa erat; quandoquidem sæpius ab uno tantum, alias vero a pluribus exercebatur, ut patet exemplo Alcibiadis, Niciæ, & Lamachi, qui in Sicilia Atheniensium classi pari auctoritate præerant; tempus autem a populo definitum erat, & pro lubitu vel protrahebatur vel contrahebatur. Epaminondas traditur a Cornelio Nepote in *ejus Vita*, veritus, ne patria in magnum discrimen adduceretur, si ex officio exiret, post tempus præfecturæ elapsum quatuor adhuc menses illud tenuisse, quibus rerum Thebanarum facies in melius mutata est, & sua prudente administratione factum est, ut metus, quibus laborabant, evanuerint. Quibus peractis, majestatem libenter deposuit, sed quamprimum illam exuisset, ad rationem reddendam, cur præfecturam præter tempus statutum gessisset, vocatus est, parumque abfuit quin morte damnaretur: verebantur enim, ne hujus viri exemplo quis ambitione accensus ansam arriperet Rempublicam in servitutem redigendi, summaque potestate ei commissa abutendi. Nec aliunde nata est apud Lacedæmonios lex illa, qua ulli licebat classis præfecturam semel tantum gerere; juxta Plutarchum in *Lysandro* & Xenophontem *Hist. l.* II. quod tamen iis male vertit; inde enim sæpius accidit, ut classem rudibus & inexpertis præfectis committere adigerentur.

Επιστολεὺς, (juxta Xenophon. *Hist. l.* II. & V. & Polluc. *l.* I. c. IX.) alias dictus *ἐπιστολιαφόρος*, intelligitur qui vices thalassiarchæ obtinebat.

Τριήραρχος, *triremis præfectus*, qui omnibus militibus in ea imperabat; reliqui præfecti cognomina accipiebant a navibus, quibus præerant, ut *πεντηκόντορος*, &c.

Præfecti, qui navium curam gerebant, hi fuerunt:

Αρχικυβερνῆται, qui omnium rerum navalium curam & administrationem gerebant, qui portus commodos prospiciebant, classis cursum dirigebant, & alia administrabant, iis exceptis quæ ad bellum spectabant.

Κυβερνήτης, *nauclerus*, navi præerat, nautisque imperabat, clavo autem assidebat ad navem gubernandam. Omnia gerebantur ex ejus regimine; quapropter in eo desiderabatur summa artis navigandi peritia, quæ *τέχνη κυβερνητικὴ* dicebatur, quæque his tribus perficitur. 1. In moderamine gubernaculi, velorum, aliorumque instrumentorum navigationi aptorum. 2. In notitia ventorum syderumque, necnon illorum motuum & affectionum. 3. In cognitione portuum, rupium, syrtium, aliorumve similium, quæ in mari occurrunt. Hanc triplicem notitiam, ut peritissimus fieret nauclerus, addidicisse dicitur Acœtes apud Ovidium *Metamorph. l.* III. *in fabula Bacchi*:

Mox ego, ne scopulis hærerem semper in iisdem,
Addidici regimen, dextra moderante carinam
Flectere; & Oleniæ sidus pluviale capellæ,
Taygetenque, Hyadasque oculis, Arctumque notavi,
Ventorumque domos, & portus puppibus aptos.

Sidera a nautis duplici de causa observabantur, tum quia tempestates iis nunciabant, tum viam iis præmonstrabant. Præcipua fatidica sydera fuerunt Arcturus, Canicula, Aræ, Orion, Hyades, Hœdi, Castor & Pollux, Helena, &c. Similiter diversa omina conspici solebant in avibus marinis, piscibus, pluribusque aliis rebus, ut aquarum murmure, sylvarum vicinarum motu & fremitu, undarum in littus allisione, innumerisque aliis rebus, quarum boni naucleri gnarissimi erant. Qui navigationem primi aggressi sunt, quia reliquorum syderum cursum non noverant, interdiu ad solis motum iter dirigebant, nocte vero in tutum portum se recipiebant, aut in littore quiescebant: mari enim se committere minime ausi sunt, donec dux viæ iis præluxisset: sic autem navigationem instituisse colligi potest ex illorum antiquorum temporum descriptione apud Veteres; unicum exemplum afferre lubet ex Virgilio *Æneid. l.* III. *vers.* 508.

Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci,
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, passimque in littore sicco
Corpora curamus, fessos sopor irrigat artus.

Deinceps Phœnices, quos nonnulli faciunt navigationis primos inventores, nonnullorum aliorum syder um motum compertum habuerunt, prout a Plinio *Hist.Nat. l.* VII. & a Propertio *l.* II. *vers.* 990. observatum est :

Quæritis & cœlo Phœnicum inventa sereno
Quæ sit stella homini commoda, quæque mala.

Phœnices iter dirigebant ad Cynosuram seu minorem Ursam, (testibus Eustathio *Iliad. α*. & Arriano *Exped. l.* VI.) quam primus despexit juxta nonnullos Thales Milesius origine Phœnix apud Hyginum *l.* II. *Poet. Astron.* Eustathium *Iliad. σ'*. & Theonem *in Aratum.* Græci vero & reliquæ gentes ad majorem Ursam vel Helicen cursum instituebant ; unde Aratus :

—— ἑλίκῃ γε μεν ἄνδρες Ἀχαιοὶ
Εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται, ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν.
—— *ursa quidem majore viri Achivi*
In mari conjectant, quomodo oportet naves dirigere.

Primus illud sydus observavit Nauplius, si Theoni credere fas est, vel juxta Flaccum *Argonaut. l.* I. Tiphys celebris navis Argo nauclerus. Sed geminorum syderum ex sententia Theonis prius viæ certior dux fuit, quapropter illud sequebantur Phœnices, qui reliquos populos, imo ipsos Græcos, artis navigandi peritia longe superabant.

Πρωρεὺς vel πρωράτης, id est, *proreta*, secundus a nauclero erat, assidebatque proræ, sicut nomen exprimit: navis autem instrumentis præfectus erat, juxta Xenophon. *administ. dom. l.* V. necnon remigibus loca decernebat, prout patet exemplo Phæacis Thesei classis proretæ apud Athen. *Deipnosoph. l.* XV. de tempestatibus, locis, aliisque rebus cum nauclero consilia iniisse dicitur a Suida, Plutarcho in *Agide*, Xenophonte *adminis. dom. l.* V. & Polluce.

Κελευστὴς, *portisculus, ageator*, vel *remigum hortator*, a nonnullis interpretatur *scapharius*; cujus officium erat remigibus mandata significare, juxta Arrianum *Exped. Alex. l* VI & omnibus sociis navalibus cibos de die in diem emetiri, teste Suida.

Τριηραύλης, musicus erat, qui vocis & instrumenti musici symphonia remigibus defessis & anhelantibus animum addebat, juxta Censorinum cap. XII. & Statium *Thebaid. l.* V. *vers.* 343.

Acclivis malo mediis intersonat Orpheus
Remigiis, tantosque jubet nescire labores.

Alias forsan imprimis adhibebatur hæc musica ad remigum ictus temperandos, ut ad numerum plaudentes certo & bene composito motu in altro progrederentur, ne navis cursui remora facta fuisset remorum incertis ictibus, ex Maximo Tyrio *Dissert.* XXIII. Hinc Flaccus in *Argonauticis:*

—— *carmine tonsas*
Ire decet, summo passim ne gurgite pugnent.

Cui accinit Silius *l.* VI. *vers.* 361.

—— *mediæ stat margine puppis,*
Qui voce alternos nautarum temperet ictus,
Et remis dictet sonitum, pariterque relatis
Ad numerum plaudat resonantia cærula tonsis.

A Hæc musica dicta νίγλαρος apud Aristophanem ejusque Scholiastem *Ran. Act.* II. *Scen.* V. & apud Pollucem τὸ τριηρικὸν μέλος.

Διόπτοι, ναυφύλακες, *navis custodes*, cavebant ne navis in scopulos aut in alia pericula impingeret, testibus Ulpiano *l.* LIII. c. VI. & VII. Polluce *l.* VII. c. XXXI. & Eustathio *Iliad. β'*. unde ope oblongorum contorum maris profunditatem explorantes & navis cursum dirigentes præsertim noctu describuntur apud Sophoclem Ἀχαιῶν συλλόγῳ :

Ὡς ναυφύλακες νυκτέρυ ναυκληρίας
B Πλήκτροις ἀπευθύνουσιν οὐρίαν τρόπιν.
Ut navium custodes nocturnæ navigationis
Contis dirigunt secundam carinam.

Τοίχαρχοι, vel τοῖχοις τῆς νηὸς, id est, *lateribus navis*, juxta Turnebum *Advers. l.* XXVII. c. XLIII. vel τοῖχοις aut στοῖχοις τῶν ἐρετῶν, id est, *transtris*, præfecti erant.

Plura alia præfectorum nomina apud Scriptores occurrunt; ut ταμίας *promus-condus*, qui commeatum singulis distribuebat; licet autem vulgo idem sit ac κελευστὴς, tamen sæpius ab illo distinguitur: hujus muneris meminit Homerus *Iliad. τ'. vers.* 44.

C Καὶ ταμίαι παρὰ νηυσὶν ἔσαν σίτοιο δοτῆρες.
Et promi-condi apud naves erant cibi dispensatores.

Ἐσχαρεὺς apud Pollucem versabatur περὶ τὴν ἐσχάραν, *circa ignem*; unde a nonnullis coquus, ab aliis vero sacerdos, qui sacrificia peragebat, creditus est.

Λογιστὴς, vel γραμματεὺς, erat *scriba*, qui rationes acceptorum & expensorum colligebat.

D CAP. XX.

De eorumdem itineribus, portubus, &c.

QUando classis mari committenda foret, signo a thalassiarcha dato, naves ab terra moliebantur nautæ; in portum enim invecti easdem subducere assueverant, ne a fluctibus jactarentur ac everterentur; hinc Virgilius *Æneid. l.* III. *vers.* 277. & *l.* VI. *vers. ult.*

—— *stant in littore puppes.*

Pariter nautæ, suffulcientes humeris naves, in
E mare non raro eas impellebant; sic faciunt Argonautæ apud Valerium Flaccum *Argonaut. l.* I.

At ducis imperiis Minyæ monituque frequentes
Puppem humeris subeunt, & tento poplite proni
Decurrunt. ——

Aliquando id peragebant phalangis vectibusque ligneis, super quos naves provolutæ in altum immittebantur; isti vectes vocati φάλαγγες, φαλάγγια Hesychio, Polluci, & juxta Homerum *Odyss. ε' vers.* 261.

F Μοχλοῖσιν δ' ἄρα τήν γε κατείρυσεν εἰς ἅλα δῖαν.
Vectibus sane hanc deduxit in mare vastum.

Verum, magnis incommodis ac difficultatibus, quæ inde oriebantur, diminuendis, Achimedes Syracusanus de suis popularibus bene meritus est pro adinventa artificiosa machina dicta *helice*, qua naves e littore facillime deducebantur, juxta Plutarchum in *Marcello* & Athenæum, idque dicebant τὴν πρύμναν κινεῖν, seu νῆας κατερύειν εἰς ἅλα.

Ante-

Antequam navem conscenderent, floribus fertisque eam ornare soliti, in signum ingentis lætitiæ omenque rerum prospere eventurarum, teste Aristophanis Scholiaste *Acharn. Act.* II. *Scen.* v. hincque Virgilius *Æneid. lib.* IV. *vers.* 417. canit:

—— vocat jam carbasus auras,
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

Quandoquidem, non adspirante ac auxiliante Numine, ullus cujusdam incœpti fœlix exitus minime exspectandus erat, Deorum auxilium atque præsidium implorare nunquam omittebant solennibus votis & sacrificiis, quæ, præterquam aliis Numinibus, etiam potiori jure iis faciebant, qui aliquid curæ aut imperii in mare haberent, ut Ventis, Procellis, & universis æquoreis Diis Deabusque, sed potissimum Neptuno, cui summum in mare imperium erat; sic Anchises apud Virgilium *Æneid. lib.* III. *vers.* 118. ponto se committere non audet, priusquam Neptunum & Apollinem non compellasset:

—— meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.

Innumera exempla id ipsum probantia reperire fas est apud universos veteres Scriptores. Nec solum pro seipsis incolumitatem prosperumque successum a Diis supplices orabant, sed illos omnes, qui tum in littus confluebant, Deorum curæ ac præsidio intime commendabant, & preces humiles fervidasque jungebant, quo ab omnibus periculis, quæ subituri erant, eriperentur, referente Diodoro Siculo *lib.* XIII.

Deinde (ut discimus ex Apollonii Scholiaste) columbam dimittere moris erat; quod profecto censebatur omen fœlicis reditus, quippe ista avis domicilium deserere non facile cogitur, verum, quando emissa fuerit, reverti gestit; tum navigationi se committebant, signo dato clamore, tubæ sonitu, pluribusque aliis modis; noctu vulgo edebatur tædis in prætoria navi accensis; cujus rei exemplum occurrit apud Senecam *Agamemn. Act.* III. *vers.* 427.

Signum recursus regia ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem emovit tuba,
Aurata primas prora secavit vias.

Naves isto ordine disponi solebant: in prima acie procedebant speculatoriæ, deinde sequebantur bellicæ præeunte prætoria, quæ pretiosis ornamentis a reliquis vulgo distinguebatur; ita videmus *loco* Senecæ mox allato navem Agamemnonis cæteras præcedentem:

Aurata primas prora secavit vias,
Aperitque cursus, mille quos puppes secent.

Tandem progrediebantur onerariæ. Si ventus vehemens flaret, & mare procellosum ac minime tutum foret, in longitudinem exporrigebantur, singulatim euntes; sed tranquillo cœlo ternæ pluresve in latitudinem provectæ.

Quando in portum invehebantur, quo appellere statuerant, illico navem retro ad puppim inhibebant ad illam convertendam, quod dicebant ἐπὶ πρύμναν seu πρύμναν κρούεσθαι, annotante Aristophanis Scholiaste *Vespis pag.* 457. quam locutionem iis, qui retrocedunt pugnantes continuoque hostibus conversi, eleganter accommodat Thucydides; deinde circumagebant, quod efferebant ἐπιστρέφειν, juxta Grotium in *Arateis*, navium rostra versus mare convertentes, ex Virgilio *Æneid. lib.* VI. *vers.* 3.

Obvertunt pelago proras. ——

Jam remiges labori finem faciebant, ac remos deponebant, (quod Græcis dictum ἐπέχειν τὴν ναῦν, Latinis *inhibere remos*) eosque paxillis suspendebant, ut exstat apud Statium *Theb. lib.* v. *vers.* 344.

Quinquaginta illi trabibus de more revinctis
Eminus abrupto quatiunt nova littora saltu.

Ne eorum remi a fluctibus frangerentur, ex aqua educebant & ad navium latera pendebant; unde Ovidius *Metam. lib.* XI. *vers.* 45.

Obvertit lateri pendentes navita remos.

Salvi & incolumes appulsi vota Diis nuncupata persolvebant, necnon sacrificium dictum ἀποβατήριον Jovi cognomine ἀποβατηρίῳ offerre solebant, eo quod ipsis vires suppeditaverit ἀποβαίνειν ἐκ τῶν νεῶν, *navibus descendere*, & ad terram accedere. Aliquando preces suas fundebant Nereo, Glauco, Inoni & Melicertæ, Cabiris, cæterisque marinis Numinibus, omnium vero maxime, domino maris Neptuno, qui pro iter facientibus intra imperii sui fines præcipuam curam gerere credebatur; sic Heroes apud Homerum *Odyss.* γ'. *vers.* 4.

Οἱ δὲ Πύλον, Νηλῆος ἐϋκτίμενον πτολίεθρον,
Ἷξον, τοὶ δ' ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον
Ταύρους παμμέλανας Ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ.

Illi autem ad Pylum, Nelei bene ædificatum oppidum,
Venerunt, illique in littore maris sacra faciebant
Tauris nigerrimis Neptuno cærulea cæsarie.

Præcipue qui e naufragio evaserant, & magna pericula evitarant, donis solennibus gratitudinem suam testabantur. His, vel tabulis adjunctis, mos erat calamitatem, quam evaserant ope Deorum, inscribere. Quo alludit Horatius *Carm. lib.* I. *ode* v.

—— me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Verum de sacris donariis alibi dictum est: hoc vero adjiciam, id fuisse solenne, ut quantumvis aliud nihil reliquum ipsis foret, saltem derasos crines dicarent. Hinc naufragus quidam *Anthol. lib.* VI. *cap.* XXI. *epigr.* I. sic fatur:

Γλαύκῳ, καὶ Νηρῆϊ, καὶ Ἰνοῖ, καὶ Μελικέρτῃ,
Καὶ βυθίῳ Κρονίδῃ, καὶ Σαμόθρηξι Θεοῖς,
Σωθεὶς ἐκ πελάγους Λουκίλλιος, ὧδε κέκαρμαι
Τὰς τρίχας ἐκ κεφαλῆς, ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω.

Glauco, & Nereo, & Inoi, atque Melicertæ,
Et Saturnio marino, & Cabiris Samothraciæ,
Salvus ex naufragio Lucillius, sic detondi
Crines capitis, aliud enim nihil habeo.

Quem morem respiciens Petronius rasuram *naufragorum ultimum votum* appellat *cap.* LXIII. Nec tamen soli e naufragio salvi, sed quicumque grave periculum evasissent, & præsertim qui ex morbo periculoso convaluerant, comam tondebant. Ναυαγήσαντες μὲν, ἢ ἐκ μεγάλης σωθέντες νόσου, ξυρῶνται οἱ ἄνθρωποι, *Naufragi, vel e gravi morbo liberati, tondentur*, inquit Artemidorus *Oneirocrit. lib.* I. *cap.* XXIII. Quinetiam ποιοῦνται Θεοῖς τισιν εὐχὰς ὑπὲρ τῶν παιδίων οἱ κατ' Αἴγυπτον τῶν ἐκ τῆς νόσου σωθέντων, ξυρήσαντες τὰς τρίχας. *Diis nonnullis vota pro liberis a morbo servatis faciunt Ægyptii, capillis detonsis*. Denique, ut alios prætercam, Josephus *de Bello Judaico lib.* II. *cap.* XV. facta

mentione Berenices, quæ postquam infortuniis exercita fuisset, votum Hierosolymis solvit, tradit Judæos ἢ νόσῳ καταπονουμένους, ἤ τισιν ἄλλαις ἀνάγκαις, ἔθος εὔχεσθαι πρὸ τριάκοντα ἡμερῶν ἢ ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσίας, οἴνου τε ἀφέξεσθαι, καὶ ξυρήσασθαι τὰς κόμας, *cum morbo vel aliis calamitatibus implicantur, precari solere per triginta dies antequam immolent hostias, & a vino abstinere, & capillos radere.*

Portus erant loca vel natura vel arte ad naves excipiendas & a vi ventorum fluctuumque tegendas opportuna: priores utplurimum siti erant ad ostia fluminum, vel ad sinus marium quibusdam altis promontoriis tectos; posteriores erant ingentes moles, aut cumuli terræ, aliæve res, egesta in figuram semicirculi, cum brachiis longius in mare porrectis; dicebantur χηλαὶ, (juxta Diodorum Siculum *lib.* XII. Thucydidis Scholiastem) quia cancrorum acetabula referrent; vel ἄκραι τοῦ λιμένος, ex Polyæno *Stratagem. lib.* V. vel ἀκταὶ, secundum Homerum, qui sic loquitur de Phorcynæorum portu *Odyss. ν. vers.* 63.

—— δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ.
Ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι.

—— duo autem projecta in ipso
Latera abrupta, in portum vergentia.

Cicero *Epist. ad Atticum lib.* IX. *epist.* XIX. vocat *cornua*. Ut naves in iis tutæ forent, vulgo infigebantur ad duo extrema ingentes catenæ aut trabes erectæ, ut patet ex Syracusanorum portu memorato apud Frontinum *Stratagem. lib.* I. Nec raro muniebantur ingentibus palis pice oblitis adversus vim aquæ; hinc portus quandoque a Latinis appellantur *claustra*, a Græcis κλείσεις, teste Thucydide *lib.* II. Ad utrumque molis latus validæ turres exstructæ erant, (juxta Vegetium *lib.* V. *cap.* II.) quæ noctu omnique tempore, quo periculum imminebat, a militibus præsidiariis propugnabantur, tradentibus Thucydide, Curtio, Polyæno; prope exstabat specula cum facibus, quibus nautæ cursum dirigebant, dicebaturque *Pharos*; quæ vox primitus pertinebat ad parvam insulam positam ad ostia Nili, ubi prima specula ædificata, sed in posterum ad Græcos & Romanos derivata.

Altera pars portus vocabatur Græce στόμα, Latine *ostium* & *fauces*, cum sit aditus inter latera semicirculi.

Μυχὸς, erat portus intima pars, littori proxima, & a fluctibus tutissima, ita ut naves solutæ illic relinquerentur, cum in aliis portus locis vel ad terram alligari vel in anchoris stare solerent; distinguebatur in plures parietes intergerinos, ex lapidibus plerumque exstructos, ubi naves tutæ stabant; hujusmodi loca dicebantur ὅρμοι, juxta Eustathium *ad Odyss. ν.* & *Iliad. α.* hinc Homerus *Odyss. ν. vers.* 66.

ἔντοσθε δ' ἄνευ δεσμοῖο μένουσι
Νῆες ἐΰσσελμοι, ὅταν ὅρμου μέτρον ἵκωνται.

—— intus autem sine vinculo manent
Naves bene tabulatæ, cum portus spatium intraverint.

Nuncupabantur quoque ναύλοχοι, omniaque simul juncta ναυσταθμός. Itidem illic erant naupacta, in quibus naves construi, expurgari, aut subduci solebant, dictaque νεώσοικοι Diodoro Siculo *lib.* XIV. & Suidæ, ἐπίστια Homero *Odyss. σ'.* νεώρια Demosthenis Scholiastæ *Orat. de Corona*, Suidæ, Homeri Scholiastæ, &c.

Loca circum ecta erant conferta diversoriis ac lupanaribus, (secundum Pollucem *lib.* IX. *cap.* V.) ubi quamplurimæ fœminæ seipsas prostituebant nautis, mercatoribus, & omne genus opificibus, qui magno numero in hunc locum confluebant. Multi portus templis vel altaribus ornati, ubi sacrificia fiebant in honorem Numinum loci tutelarium & maris præsidum; horum mentio fit apud varios Auctores, & præsertim apud Homerum *Odyss. ν. vers.* 103. ubi loquitur de antro juxta Ithacæ portum sacro Najadibus.

Schefferus contendit *stationes navium* a prioribus in hoc differre, quod hic naves non multo tempore manebant, sed tantum usquequo sibi comparassent aquam aliasque res necessarias, vel alia emergente occasione; multifariam nominabantur, ut ὅρμοι Hesychio, ὕφορμοι Straboni *lib* VIII. ἐνορμίσματα Appiano *lib.* V. σάλοι Polybio *lib.* I. καταρσεις Thucydidi *lib.* IV. ejusque Scholiastæ; & sæpe a littore aliquantulum distabant, unde ὁρμεῖν apud Plutarchum in *Pompejo* dicitur ἀποσαλεύειν, quod significat *in salo stare*; & apud Thucydidem ἄγειν ἐπ' ἀγκυρῶν, quod aliquo modo respondet Latinæ dictioni apud Livium *in anchoris stare*.

Tempore belli locum operibus munitionibusque utrinque sepiebant, quæ diversimode exstruebantur; terram versus firmabant se vallo & lorica seu muro in figuram semicirculi ædificato ac porrecto ab uno cornu maris ad alterum; aliquando turribus munitus iste murus, portisque ornatus, per quas in hostes infestis armis erumpebant. Ab Homero habemus pulchram descriptionem Græcorum munimentorum in bello Trojan. *Iliad. η. v.* 436.

—— ποτὶ δ' αὐτὸν τεῖχος ἔδειμαν,
Πύργους θ' ὑψηλοὺς, εἶλαρ νηῶν τε καὶ αὐτῶν·
Ἐν δ' αὐτοῖσι πύλας ἐνεποίεον εὖ ἀραρυίας,
Ὄφρα δι' αὐτάων ἱππηλασίη ὁδὸς εἴη·
Ἔκτοσθεν δὲ βαθεῖαν ἐπ' αὐτῷ τάφρον ὄρυξαν,
Εὐρεῖαν, μεγάλην, ἐν δὲ σκόλοπας κατέπηξαν.

—— juxta autem ipsum murum ædificarunt,
Turresque altas, propugnaculum naviumque & ipsorum:
In ipsis autem portas fecerunt bene coagmentatas,
Ut per illas equestris via esset:
Exterius autem profundam prope illum fossam foderunt,
Latam, magnam, palos autem infixerunt.

Versus mare, aut intra illud, infixi ingentes pali lignei, non absimiles illis qui in portubus visebantur; ante hos palos ita locatæ naves onerariæ, ut essent tanquam murus, quo tegerentur qui intus erant; quem in morem castra sua posuisse Niciam tradit Thucydides; verum hoc non, nisi quando hostis validior credebatur ipsisque ingentem periculi timorem injiciebat, factum videtur; alias soliti erant constituere nonnullas naves ad explorandum itinera hostium; istæ appellatæ προφυλακίδες a Thucydide *lib.* I. & milites πύρσουροι vel πυρσουρίδαι, a πυρσὸς, *tæda*, qua significabant hostem adventare, juxta Polyænum *Stratagem. lib.* III. Quando munitiones satis validæ ad se tegendos adversus hostium impetus censebantur, naves in littus sæpissime trahebant, quod Græcis dictum ἐνολκεῖν, Latinis *subducere*, testibus Livio *Hist. lib.* XXII. *cap.* XXVIII. & Cicerone *de Offic. lib.* III. Circa naves militum tentoria disposita erant, prout ex Homero, Thucydide *lib.* VI. & aliis ubique observare licet. Sed hoc usu venisse videtur hyeme tantum, qua classis hostilis in portu detinebatur, nec iis assilire poterat, vel in diuturnis obsidiis, & quando ab hostium assultu per mare tuti ectique erant, in bello Trojano, quo obsessi pugnam navalem cum Græcis committere nunquam

A ausi sunt: alias in anchoris stabant, vel in littore alligabantur, ut bellico audito ad hostem excipiendum paratæ fuissent.

C a p. XXI.

De pugnis navalibus, &c.

QUando ad pugnam navalem se accingebant, omni commeatu, ut inutili impedimento, naves bellicas exonerabant, ne ex graviore onere lentius moverentur, & ineptiores forent; quandoquidem nec hostem acriter & strenue adoriri, nec ejus impetum agiliore navis conversione B abrumpere valerent: his ita paratis, quando hostis despiciebatur, vela decutere, malos demittere, & quæcumque vento obversabantur, seponere solebant, remis, quia pro lubitu agi poterant, regi potius habentes: qua de causa Hanno Carthaginensis, quando Dionysii Siculi classis, cui viribus & numero longe cedebat, illum premeret, nec ullo modo prælium declinare posset, vela demisisse dicitur, quasi in procinctu foret, & Siculos ad pugnam provocaret, qui dum omnia disponebant nec hosti attendebant, inopinato velis sublatis classem subduxit, teste Polyæno *lib.* v.

C Acies, prout tempus, locus, aliæque circumstantiæ ferebant, diversimode disponebatur: quandoque enim lunam dimidiatam referebat, tumque dicebatur *στόλος μηνοειδὴς*, cornua autem hostem respiciebant, in quibus strenuiores copiæ & naves pugnabant; vel vice versa, alvus hosti obvertebatur, cornua vero inversa erant, tumque vocabatur *κυρτὴ παράταξις*: sæpius in orbem disponebatur, quod efferebatur *κύκλον τάττειν*: denique (ne plura addam) in litteram V componi solebat, juxta Polyænum *lib.* v. cornua autem recta procedebant, donec in angulum concurrerent: quæ aciei forma D nuncupatur *ἐπικαμπὴς παράταξις*, Latine *forceps*, & ab hostibus in eamdem aciem, sed inversam, dispositis excipiebatur; quia autem cuneo aut rostro non absimilis fuit, ab utroque nomen habuit: hujus aciei beneficio in imam hostium aciem perrumpere licebat.

Antequam pugnam committerent, precibus & sacrificiis Deos auxilio vocare utrinque solebant; thalassiarchæ vero navigio vecti de nave in navem milites ad viros se præstandos hortabantur: tum, omnibus ita dispositis, clypeo deaurato, juxta Plutarchum, vel vexillo rubro, juxta Diodorum Siculum *lib.* XIII. & Polyænum *lib.* I. e nave præ- E toria exposito signum pugnæ dabatur, quod vocabatur *αἴρειν σημεῖα*: dum signum sustollebatur, pugnatum est, prout vero ad dextram vel sinistram demittebatur aut inclinabatur, reliquæ naves assultum & receptum noverant, ut nos docet Leo *Tact.* His adde clangorem tubarum, quæ in nave prætoria primum, juxta Plutarchum in *Lysandro*, mox in tota classe insonabant, juxta Diodorum *lib.* XIII. pariter Pæanem vel hymnum ante pugnam Marti, post pugnam Apollini canere solebant milites, teste Suida.

Pugna vulgo committebatur a nave prætoria, prout liquet ex pugna Salaminia apud Diodorum F *lib.* III. & ex alio exemplo, in quo Attali thalassiarchæ navis pugnæ præibat, teste Polybio *lib.* XVI. gerebatur autem duplici modo; etenim non solum naves se invicem confringere, aut subvertere, aut mergere moliebantur, sed & hostem lacessere missilibus & fundis, cominus vero ense & hasta solebant milites; prout nos docet Lucanus *lib.* III.

Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra,
In puppim rediere rates, emissaque tela
Aera texerunt, vacuumque cadentia pontum.

Mox subjungit:

Jam non excussis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro;
Miscenturque manus; navali plurima bello
Ensis agit; stat quisque suæ de robore puppis
Pronus in adversos ictus. ——

Nec mirum videri debet, si cominus pugnare licuerit, quandoquidem vinculis aut hamis ferreis (de quibus superius dixi) naves una ligare solebant; unde Silius *lib.* XIV. canit:

—— *injecta ligant hinc vincula ferri*
Atque illinc naves, steteruntque ad prælia nexæ;
Nec jaculo, aut longe certatur arundine fusa,
Cominus & gladio terrestria prælia miscent.

Quandoque, deficientibus instrumentis ferreis, naves ope remorum alligabantur, ne pugnam declinare hostibus liceret; sic tradit Lucanus *lib.* III.

Seque tenent remis, toto stetit æquore bellum.

Hic pugnandi modus obsidioni non absimilis fuit; quandoquidem victores pontibus trajectis devictorum naves invadebant, & quotquot armatos deprehendebant, occisis, naves captas abducebant.

Urbis a mari obsessæ mœnia & portum ab uno littore ad alterum denso navium ordine catenis & pontibus, in quibus viri armati stabant in procinctu, una connexarum cingere assueverant, ita ut nisi perrupto annulo aditus ex urbe in mare nullibi pateret; hoc obsidii genus *ζεῦγμα* nuncupat Diodorus *lib.* XIII. Ut autem hostium eruptionibus tutius occurreret, arborem armatam aculeis ferreis, quæ aquis supernatabat, excogitasse & in os portus Rhodi, dum urbem obsidione premebat, immisisse dicitur Demetrius a Diodoro *lib.* XX. quandoque portum undique claudebant, vel viam in urbem sternebant ingenti mole congesta, prout de Alexandro fertur in obsidione Tyri apud Curtium *lib.* IX. vel naves lapidibus & arena plenas submergebant, quod apud Romanos in usu fuit.

In urbem assiliebant viri stantes in pontibus, navibus impositis, unde missilibus & lapidibus obsessos a mœnibus depellere moliebantur: sic in obsidione Tyri Alexander suas triremes ita disposuit, ut binis conjunctis ad proram, & modico intervallo inter utramque puppem interposito, tabulata & asseres trajicerentur in morem pontium, ut iis starent milites, qui juxta mœnia urbis hac ratione remis adacti sunt, unde tuti, quandoquidem proræ triremium iis erant propugnaculo, missilia in hostem projiciebant, vide Curtium *loco* mox *citato*. Iterum ut missilia certius ejicerent, & mœnia ariete aliisque machinis concuterent, turres tollebant urbis mœnibus superiores; hinc autem fugatis obsessis, propugnantibus per scalam in urbem demitti licebat.

Obsessi non destituebantur auxiliis ad hostium dolos frangendos; naves enim concatenatas uncis ferreis abrumpebant, aditum in urbem eodem modo, quo portum obstruxerat hostis, præcludere solebant, vel alia ratione, secundum Thucydidem *lib.* VII. quando oppugnantium assultum repellere non valebant, jaculis, lapidibus, pyrobolis, pice aut metallis liquefactis, pluribusque aliis rebus illos lacessere non dubitabant; tandem (ne plura addam) obsidentium munimenta & naves navigiis ardentibus conflagrare moliebantur obsessi, quod factum a Tyriis, juxta Curtium *lib.* IV. sumpta enim prægrandi nave, puppe ingenti saburræ copia gravida, proraque pice & sulphure oblita, vi velorum & remorum illam machinam ad munimentum Macedonicum adegerunt; tum rebus combustibilibus accensis ope navigiorum, quæ præsto erant, se subduxerunt: ignem autem cito con-

ceperunt munimenti turres, ope vero tædarum & torrium, ab iis qui in navigiis aderant projectorum, munimentum ipſum accenſum eſt; tumque illa ingens moles, in qua exſtruenda tantum temporis & laboris inſumptum erat, intra pauca momenta penitus ruit: ſimiliter navibus igniariis uſi fuiſſe dicuntur Rhodii apud Diodorum Siculum *lib.* XX.

CAP. XXII.

De exuviis, militaribus præmiis, pœnis, &c.

POſt victoriam adeptam domum in triumpho vehebantur victores, ſpoliis hoſtium onuſti, & naves captivas abducentes; prout patet exemplo Alcibiadis apud Plutarchum, & Lyſandri apud Xenophontem *Hiſt. lib.* II. quorum hunc coronis & ſertis donarunt omnes civitates cum Lacedæmoniis confœderatæ, dum per illarum confinia iter faceret; qui mos apud Græcos ſemper viguit, a quibus ad Romanos manavit: nec archithalaſſus, milites, & nautæ ſoli, ex Polyæno *lib.* IV. ſertis decorabantur, ſed & naves iis ſterni ſolebant, juxta Diodorum *lib.* XIII. ex hac autem conſuetudine in extremum diſcrimen adducti ſunt Rhodii; illorum enim naves captas hoſtes lauro coronarunt, & iis vecti urbem Rhodum ſubierunt magno cum civium applauſu, teſte Vitruvio *lib.* II. *cap.* VIII. qui dolus in Græcia vulgaris fuit, juxta Polyænum: nec ſertis tantum decorari ſolebant, ſed & iis appendebantur naufragia & navium in pugna profligatarum fragmenta, præſertim ἄφλαστα, ἀκροστόλια, κόρυμβα, aliaque ornamenta, quæ victores magno cum ſtudio captabant, ut iis triumphum decorarent; quapropter de Hectore Græcorum claſſi internecionem minitante Homerus *Iliad. ι. verſ.* 241. ait:

Στεῦται γὰρ νηῶν ἀποκόψειν ἄκρα κόρυμβα.

Affirmat enim navium ſe *abſciſſurum ſumma roſtra.*

Hæc autem ſpolia dicebantur ἀκρωτήρια, iis navem exuere ἀκρωτηριάζειν, teſte Xenophonte *Hiſt. lib* VI. Hæc cum pompa victores domum repetebant, jubilatione, plauſu, hymnis, ſuavique muſicorum inſtrumentorum ſymphonia toto pelago reſonante, prout de Lyſandro traditur a Plutarcho.

Civitatem ingreſſi templa Deorum, quibus eximia ſpolia dicabant, recta petebant: ſic Athenienſibus profligatis Syracuſani, Demetrio vero devi-
A cto Rhodii templa Deorum naufragiis ample ornarunt. Nec plane inſolitum integris navibus eos donare: debellatis enim Lacedæmoniis navem Neptuno conſecravit Phormio, juxta Diodorum *lib.* XII. & poſt inſignem illam victoriam in Perſas Salamine partam tres Phœnicias triremes Diis dicarunt Græci, teſte Herodoto *Urania* ſive *lib.* VIII.

Diis honoribus præſtitis, reliqua ſpolia in porticis aliiſque locis publicis deponi ſolebant ad victoriæ memoriam poſteris tradendam: qua de cauſa victores pariter decorabantur ſtatuis, inſcriptionibus, & trophæis, quorum poſtrema quandoque in ſolo natali, ſed ſæpius ad locum, in quo hoſtes
B profligarant, erecta ſunt, armiſque & navium fractis inſtrumentis ornabantur; unde pro inſigni victoriæ habebantur. Sic in pugna inter Athenienſes & Corinthios decertata utriſque victoriam ſibi arrogantibus, illis citius decretam fuiſſe, eo quod hoſtium naufragia invaſerant, tradit Thucydides *lib.* VII. Iterum Rex Philippus, licet ab Attalo clade affectus, tamen quia claſſem in mediis hoſtium naufragiis tueri noverat, ideo victoriam ſibi arrogare auſus eſt, referente Polybio *Hiſt. lib.* XVI. *cap.* VII.

Hæc fuerunt præcipua præmia in illos, qui pro
C patria mari præclare ſe geſſerant, collata; licet plura ſæpius retuliſſe videantur; ſed quia iis cum cæteris viris, qui alia ratione de Republica bene meriti fuerant, communia erant, potius ad ea loca, in quibus de iis egimus, referenda ſunt.

Vulgaris pœna fuit flagellatio, quæ hunc in morem funiculis ſæpius peragebatur: ſontis corpus intra navem latebat, caput vero per columbaria trajectum in mare propendebat: quidam Scylax navis Myndiæ nauclerus, quia excubias deſeruerat, eum in morem a Megabate exceptus fuiſſe dicitur ab Herodoto *Terpſichore* ſeu *lib.* V. *cap.* XXXII.

Fuit & alia pœna, quando ſontes funibus navi
D alligati, & in aquas raptati ſubmergebantur; qua pœna Minos affecit Scyllam, poſtquam ei patrem ejuſque regnum prodidiſſet.

Alii in mare vivi immergebantur, prout Propheta Jonas fertur.

Ἀναυμάχοι, id eſt, qui præmoniti militiam nauticam declinabant, Athenis ipſimet eorumque poſteri ea ἀτιμίᾳ vel *ignominia* afficiebantur, ut ex numero civium ſegregarentur, teſte Suida, cujus mulctæ ſuperius memini.

Λειποναῦται, vel *qui militiam deſeruerant*, non ſolum funibus vincti flagris excipiebantur, juxta Demoſthenem, ſed & illorum manus abſcindi ſolebant, prout ſcribit Suidas.

ARCHÆOLOGIÆ GRÆCÆ
LIBER QUARTUS.
CAP. I.

De Græcorum cura circa funera, defunctoſque qui iis carebant.



PLuto juxta Diodorum Siculum *lib.* v. *cap.* xv. Græcos in defunctorum parentalibus primus inſtituit; unde fabularum confarcinatores amplum & immenſum dominium in umbris inferis ei tribuerunt, omniumque mortuorum ſummum Regem finxerunt: quandoquidem omnes fere artium inventores in numerum Deorum relati ſunt, illique arti, quam inſtituerant, præeſſe crediti ſunt, non mirum videri debet, ſi is, qui rudes & feros homines reverentiam & juſta mortuis perſolvenda edocuit, eo honore affectus eſt, ut inter maximos Deos annumeraretur: officia enim erga defunctos majora credebantur iis quæ vivis debentur, graviuſque erat delictum illorum quam horum prætermiſſio: equidem mortui habiti ſunt inter ipſas feriſſimas gentes ſacri & inviolati: ſi quis illis ullum debitum honorem denegaſſet, gravius & atrocius ſacrilegium admiſiſſe credebatur, quam ſi Deorum templa diripuiſſet; illorum memoriam ſumma cum religione ſervabant & reverebantur, ſuperſtiteſque reliquias divinis honoribus & adoratione decorabant; odium & invidia ipſamet obmuteſcebant, immanis enim crudelitatis indicium prodidiſſe credebatur, qui de mortuis detrectaſſet, eorumque manes perſecutus fuiſſet; nec ob ullam injuriam acceptam tantum facinus admittere cuiquam licebat, imo indigniſſima opprobria, quibus vel ipſi dum viverent, vel eorum liberi patribus defunctis alios affeciſſent, minime idonea ratio habebatur, cur illorum cineres turbarentur; iis autem, qui tam turpia perpetraverant, non ſolum nota infamiæ irruebatur, ſed & juxta Solonis leges ſevera pœna irrogabatur, teſtibus Demoſthene **Orat. in Leptinem** & Plutarcho in *Solone*.

Sed ex omnibus honoribus, qui mortuis perſolvi ſolebant, parentalia maximi & perneceſſarii credebantur: hæc enim officia tam ſacra habebantur, ut qui illa prætermiſiſſet, execrandus foret; unde a Romanis dicebantur *juſta*, & a Græcis *δίκαια*, *νόμιμα*, *νομιζόμενα*, *ἔθιμα*, *ὅσια*, &c. quæ omnia vocabula exprimunt inviolatam naturæ legem, qua vivi ad exequias defunctis perſolvendas tenentur: nec mirum, ſi de mortuorum ſepultura tam ſolliciti fuerint, quandoquidem apud illos invaluerat opinio, animabus nullum in campos Elyſios patuiſſe aditum, ſed hinc inde procul ab omni ſolatio & conſortio divagatas fuiſſe, donec illarum corpora humo mandata fuiſſent, juxta Homerum *Iliad.* ψ'. ſi autem ſepulchri beneficio gaudere nunquam licuiſſet, ad centum annos ex communi manium ſede excluſæ manebant: quocirca apud Poetas paſſim occurrunt exempla mortuorum, vel illorum manium, qui hoc humanitatis officium ſollicite rogant. Unum tantum exemplum afferam, animæ ſcilicet Elpenoris, quæ ſui corporis exequias Ulyſſem obnixe poſtulans inducitur ab Homero *Odyſſ.* λ'. *verſ.* 66. 72.

Νῦν δέ σε τῶν ὄπιθεν γουνάζομαι, ἐ παρεόντων,
Πρός τ' ἀλόχȣ, καὶ πατρὸς, ὅς ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα,
A Τηλεμάχȣ θ', ὃν μȣ̃νον ἐνὶ μεγάροισιν ἔλειπες,
Μή μ' ἄκλαυςον, ἄθαπτον ἰὼν ὄπιθεν καταλείπειν
Νοσφιϑεὶς, μή τοι τι Θεῶν μήνιμα γένωμαι.

Nunc te per eos qui poſt te ſunt oro, non præſentes,
Per uxorem, & patrem, qui enutrivit parvulus cum eſſes,
Telemachumque, quem unicum in ædibus reliquiſti,
Nec me indefletum, inſepultum diſcedens poſt relinquas
Sejunctus, ne qua tibi Deorum indignatio fiam.

B Exinde omnium dirarum triſtiſſima credebatur, quando quis in alterum imprecabatur, ut *ἄταφος ἐκπίπτειν χθονός*, id eſt, *inſepultus cadere*, contigiſſet; pariter ex omni mortis genere naufragium maxime horrendum iis videbatur, quia corpus ab aquis abſorbebatur; ideo Ovidius, dum vitam ærumnoſam deponere non detrectabat, hoc mortis genus deprecabatur:

Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Quocirca, quando in naufragii periculo verſabantur, corpori alligare ſolebant pretioſiſſimas opes, ſimulque præſcriptum, quo qui in illorum cadavera quando a fluctibus ad littus provoluta primus C inciidiſſet, parentadi officium rogabatur, quodque circumferebant pro mercede donabatur, vel ab illo requirebatur, ut partem in exequiis inſumeret, reſiduam vero partem ſibi ſervaret, juxta Syneſium *Epiſt.* Interpretes *Hiſtoriæ* Apollonii Tyrii, Meurſium *in Lycophronis Caſſandram verſ.* 367. licet autem nulla merces apud cadaver reperiretur, attamen illud præterire, & hoc humanitatis officium ei denegare nullomodo licebat: etenim non ſolum Athenis, juxta Ælianum *Var. Hiſt. lib.* v. *cap.* xiv. lege vetita tanta immanitas; ſed & in D reliquis Græciæ locis crimen habebatur, in quod ardebat ira Deorum inferiorum, illorumque vindicta certo certius arceſſebatur, referente Sophoclis Scholiaſte in *Antigone*; nec ſontes a pœna redimebantur, nec ad hominum conſortium, aut ad Deorum cultum unquam admittebantur, ſed profani & polluti tamdiu habebantur, donec ſolitis luſtrationibus perfectis Numina irata litaſſent. Attamen non ſemper requirebatur, ut exequiarum ritus omni numero abſolverentur; viatori enim, qui in cadaver caſu incidiſſet, per feſtinationem ſæpius non licebat ullas moras nectere: ſed tum pulverem aut mollem terram ter tantum injicere eum dece- E bat, juxta Horatium *Carm. lib.* I. *ode* XXVIII.

Quamquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit,
Injecto ter pulvere curras.

Ex his tribus vicibus ſemel in caput injiciebatur terra.

Hæc quidem officia urgente neceſſitate præſtita, manibus in Plutonis dominio admittendis, iiſque, qui illorum corpora repererant, ab ſpectrorum conſectatione liberandis ſufficere credebantur; attamen iis ſolis non omnino ſatisfactum eſt; quapropter qui clanculum, vel feſtinanter nec ſolitis riti-

bus adhibitis humo mandati fuerant, quando fortunate in illorum cadavera incidebant amici, secundis exequiis decorari solebant, prout patet exemplo Polydori apud Virgilium, qui licet a Polymnestore homicida inhumatus, tamen apud Æneam in Thraciam advenientem conqueritur suos manes nulla quiete frui, donec exequiæ pro more solito persolutæ sint, qua de causa pius ille Heros *Æneid. lib.* III. *vers.* 62. & 67.

—— instaurat funus, animamque sepulcro
Condit. ——

Nec justa funerum solummodo requirebantur, sed illorum corpora ab consanguineis ad sepulturam condiri, & in majorum sepulcris condi consentaneum erat. Quod si hoc solatio unquam caruissent, dirum infortunium, ipsi morti pæne æquiparandum, tum ipsimet, tum illorum amici superstites existimassent. Ex innumeris exemplis sequentia subjungam, quorum primum petetur ex Leonidæ Tarentini epitaphio in *Antholog. lib.* III. *cap.* XXV. *epigram.* LXXV.

Πολλὸν ἀπ' Ἰταλίης κεῖμαι χθονὸς, ἔκ τε Τάραντος
Πάτρης· τοῦτο δέ μοι πικρότερον θανάτου.

Procul ab Italiæ jaceo terra, & a Tarento
Patria: hoc vero mihi acerbius morte.

Ita Electra apud Sophoclem Orestem in peregrinam regionem missum, ut Clytæmnestræ furori eriperetur, pluribus abhinc annis quum audiisset fatis cessisse, precatur, utinam tum periisset, nec longo vitæ curriculo emenso procul a patria remotus & amicorum parentalibus fraudatus unquam occubuisset. Sic verba sonant in *Electra vers.* 1134.

Δόμων δέ σ', ὦ παῖ, λαμπρὸν ἐξέπεμψ' ἐγώ·
Ὡς ὤφελον πάροιθεν ἐκλιπεῖν βίον,
Πρὶν ἐς ξένην σε γαῖαν ἐκπέμψαι, χεροῖν
Κλέψασα ταῖνδε, κἀνασώσασθαι φόνου·
Ὅπως θανὼν ἔκεισο τῇ τόθ' ἡμέρᾳ,
Τύμβου πατρῴου κοινὸν εἰληχὼς μέρος·
Νῦν δ' ἐκτὸς οἴκων, κἀπὶ γῆς ἄλλης φυγὰς
Κακῶς ἀπώλου σῆς κασιγνήτης δίχα.

Cum ex hac domo te, o puer, splendidum dimiserim:
Utinam prius hanc vitam reliquisses,
Quam te in terram peregrinam ablegarem, hisce manibus
Subducens, ac servassem a cæde:
Si enim illo tempore mortuus esses,
Communi cum patre sepulchro potitus fuisses:
Nunc exul in peregrina terra
Male periisti procul a tua sorore.

Ea de causa, illorum, qui peregre obierant, cineres vulgo domum remittebantur & in majorum sepulcris vel alicubi in solo natali condebantur: credebant enim eam matrem, a qua vitam & ortum acceperant, solam idoneam esse, in cujus gremio reponantur illorum reliquiæ, & post mortem quiescant: unde Veteres innumera tradunt exempla corporum vel ex jussu oraculorum, vel ex gratia amicorum ab exteris regionibus ad patrum monumenta advectorum, ibidemque magna cum solennitate repositorum; sic Thesei corpus ex Scyro Athenas, Orestis Tegea, ejusque filii Tisameni Helice, Spartam, Aristomenis vero (ut alios taceam) ex Rhodo Messenas migravit. Quousque hujus consuetudinis beneficio fruiti sint milites, & qui illam in Græciam introduxit, *superiori libro* diximus.

Hæc autem pietatis officia non solum circa viros ingenuos versabantur, sed & ad ipsos servos extendebantur: Atheniensium enim Legislator Magistratus dictos *Dermachos* severa pœna sancita jubebat, ut non solum civium, quibus amici raro deerant parentalibus, sed & servorum, qui juxta Demosthenem *Orat. in Macart.* honestis exequiis sæpius carebant, justa celebrarent.

Qui amicis defunctis funera persolvere vel detrectaverant, vel in illorum exequiis & monumentis perficiendis sumptibus pepercerant, a summo Magistratu arguebantur inhumanitatis & quasi omnem pium affectum exuissent, ideoque ab omnibus muneribus & honoribus arcebantur: nam in vitam & mores candidatorum Magistratus Athenis hoc unum imprimis inquirebatur, an in cognatorum funeribus celebrandis monumentisque decorandis debitam curam gesserint, nec ne? prout nos docet Xenophon *de Dictis Socratis lib.* II. Præterea, qui ante solitum lugendi tempus confectum, gaudia & letitiam egisset, graviter deliquisse credebatur: id enim ab Æschine Demostheni objicitur flagitio, quod post obitum unigenitæ suæ filiæ, antequam ejus memoriæ debitum luctum persolvisset, veste candida sertisque decorata indutus Diis sacra fecerit.

Quanta fuerit funerum religio exinde liquet, quia viros, qui illorum curam gerebant, summopere reverebantur: nam κατακαῦται, qui in Creta exequiis præfecti erant, in pari existimatione ac ipsorum sacerdotes habiti sunt, & dum legibus indultum erat bona aliena furari, prout moris fuit Spartæ, hi viri a communi malo immunes erant, etenim qui suorum bonorum quidquam subduxisset, sacrilegii reus censebatur, juxta Plutarchum *Græc. Qu.* cap. XXI.

Sed erant qui vel ob eorum facta, dum viverent, vel ob infœliciores mortis circumstantias, vulgaribus inferiis, imo omni funere indigni censebantur; cujusmodi fuerunt,

1. Publici & privati hostes: licet enim crudelitatis redargutus fuisset, qui commune humanitatis officium hosti denegasset, tamen a veteribus Græcis, quando ad extremam iram lacessitis, non raro factum fertur. Soco hanc pœnam comminatus inducitur Ulysses ab Homero *Iliad.* λ'. pariter Hector in Patroclum *Iliad.* π'. Achilles in Hectorem *Iliad.* χ'. animadvertit, ut ejus immanitatis vindicem se gereret: iterum ex eodem Poeta nobis suppetunt plura exempla Heroum, quorum cadavera κυσὶ μέλπηθρα, & κύνεσσιν οἰωνοῖσί τε ἑλώρια, id est, *avibus & feris prædæ* fuerunt; nec honestius habita sunt Pyrrhi Achillis filii ab Oreste perfide occisi ossa apud Ovidium *in Ibin. vers.* 304.

Sparsa per Ambracias quæ jacuere vias.

Licet autem primitivorum & rudiorum sæculorum fuisse videatur hæc immanis consuetudo, tamen humanioribus & politioribus temporibus non desunt hujusmodi exempla: Atheniensium enim classe profligata, Philoclem ex numero præfectorum, & quatuor mille captivos morti traditos honestis exequiis fraudavit Lysander Spartanorum thalassiarcha, teste Pausania *Bœoticis pag.* 791. *Editionis Hanov.*

2. Qui patriam prodiderant, aut in ejus ruinam conspiraverant, juxta Diodorum Siculum *lib.* XVI. *cap.* VI. Quocirca Aristocrates proditionis in Arcadas convictus, lapidibus obrutus est, ejusque cadaver extra illorum confinia insepultum humi expositum est, referente Pausania in *Messenicis*; jure merito enim in patriæ exitium conjurati, ejus beneficiis omnino destituebantur. Similiter Pausanias, Græcia a jugo Persarum sub ejus auspiciis liberata, cum hostibus ob fastidium consentire quum manifestus fuisset, ad mortem cruciatus est, & inhuma-

tus jacuit, juxta Plutarchum in *Pausania*: præterea celebris illius Phocionis (testibus Plutarcho, Cornelio Nepote *Phocione*, & Valerio Maximo *lib.* v. *cap.* III.) ab Atheniensibus injusta morte plexi, quasi Piræeum hosti prodere conjurasset, cadaver extra Atticæ confinia ejectum est, simulque severa pœna ei interdictum est sepultura. Hunc morem tam rigide servabant, ut peste Athenis grassante, ab oraculo moniti Themistoclis ossibus ex Magnesia accersitis tanquam unica medela morbum pellendum esse, non palam, sed clanculum & furtim ea domum conducta, humo condiderint. Inter patriæ proditores annumerare licet illos, qui eam propugnare detrectabant, idcirco honestis exequiis fraudari solebant; Hector, quotquot ad Græcorum classem profligandam opem conferre recusassent, hanc pœnam minitans inducitur a Poeta *Iliad.* ό. *vers.* 348.

Ον δ' αὖ ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἑτέρωθι νοήσω,
Αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, οὐδέ νυ τόν γε
Γνωτοί τε γνωταί τε πυρὸς λελάχωσι θανόντα,
Ἀλλὰ κύνες ἐρύουσι πρὸ ἄστεος ἡμετέροιο.

Quem vero ego seorsim a navibus alibi animadvertero,
Ibi ei mortem inferam, neque sane eum
Fratresque sororesque rogi participem fecerint mortuum,
Sed canes distrahent ante urbem nostram.

Hujus consuetudinis exemplum hoc in loco primum litteris mandatum contendunt nonnulli Scholiastæ, quorum opinio abunde refellitur ex eo quod Græcis simile malum comminatur Agamemnon apud Homerum *Iliad.* β'. *vers.* 391.

Ον δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω
Μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, οὔ οἱ ἔπειτα
Ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνούς.
Quem autem ego seorsum a pugna volentem videro
Manere apud naves nigras, non ei postea
Possibile erit fugere canes alitesque.

Imo prius Palamedes, Ulyssis insidiis proditoris crimine damnatus, insepultus jacuisset, nisi Achilles & Ajax invito Agamemnone ei supremum officium persolvissent: necnon antiquior fuit hæc consuetudo; superiori enim sæculo a Creonte viva sepelitur Antigone, eo quod fratrem suum Polynicem, sub cujus ductu celebre bellum Thebanum gestum est, humo mandaverat; unde Sophoclis *Antigones* argumentum petitum est.

3. His adde tyrannos, qui Reipublicæ hostes semper existimati sunt, eumdemque in morem habiti ac ii qui exteris illam prodere moliti fuissent, quandoquidem servitus non diversa fit, sive domi, sive peregre oriatur. Sic Pheræi Alexandri, quem ob immanem tyrannidem occiderant, cadaver canibus objecerunt; Plutarchus autem *lib. de Homero* observat morem hunc non in recentioribus, sed antiquissimis sæculis natum esse, ex loco Homeri, in quo Nestor Telemacho asserit, Menelaum Ægistho, si Agamemnonis cædi & tyrannidi Mycenis actæ superstes fuisset, sepulturam negasse *Odyss.* γ'. *vers.* 256.

Εἰ ζώοντ' Αἴγισθον ἐνὶ μεγάροισιν ἔτετμεν
Ἀτρείδης Τροίηθεν ἰὼν ξανθὸς Μενέλαος,
Τῷ κέ οἱ οὐδὲ θανόντι χυτὴν ἐπὶ γαῖαν ἔχευαν,
Ἀλλ' ἄρα τόν γε κύνες τε καὶ οἰωνοὶ κατέδαψαν
Κείμενον ἐν πεδίῳ ἑκὰς ἄστεος, οὐδέ κέ τίς μιν
Κλαῦσαν Ἀχαιϊάδων. ——
Si viventem Ægisthum in ædibus invenisset
Atrides a Troja profectus flavus Menelaus,
Sane ei neque mortuo fusilem terram infudisset,
Sed certe eum canes & aves lacerassent
Jacentem in campo procul ab urbe, neque ulla ipsum
Deplorasset mulierum *Achivarum.* ——

Pariter Mycenæi ira conciti ob injurias, quibus eos immeritos affecerat, honestis exequiis indignum habuerunt, ideoque tum ipsius, tum adulteræ Clytæmnestræ, corpora extra civitatem ejecta humo solummodo condita sunt, teste Pausania in *Corinthiacis*.

4. Eadem de causa, qui mortem sibi consciverant, justis funeribus carebant, solitisque honoribus prætermissis in terra clanculum reponebantur; hostes enim patriæ censebantur, qui sic ab ea ignave deficiebant, juxta Aristotelem *Ethic. Nicomach. lib* v. *cap.* 11. Idcirco Ajax Telamonis filius in cineres pro more solito non redactus, sed furtim humo mandatus est; quia sacrum illud elementum pollui, quando corpora illorum, qui mortem sibi intulerant, in id resolvebantur, edixerat Calchas apud Philostratum in *Heroicis*. Iterum post pugnam Platæensem, dum corpora confossorum justis decorabantur, solus Aristodemus, licet ex omnium testimonio fortissime pugnasset, inhumatus jacuit, quia infamiam, quam contraxerat quando commilitonibus Thermopylis superstes fuit, suo sanguine litare jamdudum apud se statuerat, referente Herodoto *Calliope* seu *lib.* IX. *cap.* LXX. Attamen, qui mortem justa de causa sibi conficiebant citius laudabantur, quasi fortem animum urgente necessitate prodidissent, quam ullo crimine arguerentur; præsens venenum, quo vita filum abrupissent prius quam in hostium manibus incidissent, semper præsto habuisse dicuntur Demosthenes & Annibal: Cato, Cleopatra, Brutus, Otho, plurésque alii nil suæ existimationis & nominis apud Ethnicos amiserunt, quia seipsos interfecerant: ipsemet Plato *de Legib. lib.* IX. dum illos, qui ex ignavia & pusillanimitate sibi manus violentas intulerant, in locis solitariis & desertis solito funere destitutos sepeliri jubet, illorum culpam extenuare videtur, qui eo adacti sunt ab ærumnis intolerabilibus, aut a malo insanabili & inevitabili pressi. Nec mirum, si Epicurei, qui nullam admittebant vitam futuram, & Stoici, qui invictæ necessitati omnia subjici credebant, ex suis placitis tam dira patraverint. Innumera exempla adduci possent, non solum Græcorum & Romanorum, sed & Philosophorum apud Indos, imo fere omnium Ethnicarum gentium.

5. His accedunt sacrilegi, juxta Diodorum Siculum *Bibliotb. lib.* XVI. *cap.* VI. quos per Numina, quorum templa diripuerant, offensa humo mandare non licebat, imo tantum flagitium hac pœna sæpius ulcisci credebantur Dii immortales; quapropter Archidamum Spartanorum Regem in Italia cæsum sepultura caruisse colligit Pausanias in *Laconicis pag.* 178. *Edit. Hanov.* quia vindicta divina in illum animadvertebat ob flagitium patratum, quando in Delphorum civitate & templo expilandis Phocensibus adfuit.

6. Fulgure aut fulmine tacti, qui, quia Diis exosi credebantur, seorsim in loco privato sepeliri solebant, ne aliorum corporum cineres iis polluerentur; qua de causa Adrastus de Capaneo quærit apud Euripidem *Suppl. vers.* 935.

Η χωρὶς, ἱερὸν ὡς νεκρὸν, θάψαι θέλεις;

Vis sepelire seorsim, tanquam sacrum cadaver?

Nonnulli contendunt illos eo ipso in loco, quo ceciderant, inhumatos fuisse, juxta Artemidorum *lib.* II. *cap.* VIII. Alii ex Plutarchi *Sympos.* colligunt,

A eos omni funere caruisse, & eo in loco, in quo occubuerant, putredine periisse, hucque accedere nemini licebat; unde Persius *Satyra* II. *vers.* 57. hæc habet:

Triste jaces lucis, evitandumque bidental.

Quocirca locus septo undique muniebatur, ne quis incautus ab eo pollueretur; in genere observandum est omnia loca fulmine icta declinare & circumsepire solitos fuisse, juxta Plutarchum in *Pyrrho*, ea opinione imbuti, quasi Jupiter offensus iis iræ suæ notam impressisset.

7. Qui patrimonia profuderant, in patrum sepulcra non admittebantur; quapropter parum ab
B fuit, quin Democritus, quia bona paterna in peregrinatione & naturæ arcanorum indagatione absumpserat, sepulcro fraudatus fuerit, prout testatur Diogenes Laertius in *ejus Vita*.

8. Qui obærati obibant; eorum enim corpora Athenis in creditorum potestate erant, nec inhumari licebat donec pro ære alieno satisfactum erat: unde patris Miltiadis corpus redimere Cimoni non licuit, nisi prius ejus debita & vincula assumpsisset.

9. Nonnulli sontes, qui pœna capitali plectebantur, sepultura destitui solebant, præsertim qui cruci affixi, aut palo suffixi erant; eorum enim cadavera avibus rapacibus & feris in prædam ex-
C ponebantur: ad quem morem alludit Horatius *lib.* I. *epist.* XVI. *vers.* 48.

Non hominem occidi, non pasces in cruce corvos.

Ejusdem moris meminit Juvenalis *Satyra* XIV. *vers.* 77.

Vultur jumento, & canibus, crucibusque relictis,
Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert.

Fabularum Interpretes Promethei supplicium hoc adumbrasse scribunt: quando a cadavere abstinebant feræ, in cruce vel stipite fixum manebat, do
D nec tempore exesum putruisset: quem morem Scythis tribuit Silius *lib.* XIII.

At gente in Scythica suffixa cadavera truncis
Lenta dies sepelit, putri liquentia tabo.

Nec in illa barbara gente sola, sed & inter populos, qui humaniores & meliores colebant mores, obtinuit ista immanis consuetudo; prout patet ex somnio Polycratis filiæ, quæ Jovem lavantem, solemque radiis perfundentem patris faciem vidisse somniavit; quæ mox impleta sunt, quando ejus cadaver cruci affixum pluviæ & solis ardori expositum
E fuit, juxta Herodotum in *Thalia* seu *lib.* III. eodem referri debet Theodori Philosophi responsum, qui Lysimacho crucem ei minitanti regessit, perinde sibi esse, sive supra, sive infra terram putrescat, teste Cicerone *Tuscul. Quæst. lib.* I.

10. In nonnullis locis infantulorum edentulorum corpora inhumari, nec in cineres converti solebant, juxta Plinium *Nat. Hist. lib.* VII. ad quem morem alludit Juvenalis *Satyra* XV. *vers.* 139.

Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi. ——

F Illorum qui publicum odium sibi conflarant, quando fortunato casu sepulturam consequebantur, tumulis insilire lapidesque projicere in detestationis signum assueverant: cujus rei meminit Euripides in *Electra vers.* 327.

—— ἐνθρώσκει τάφῳ,
Πέτροις τε λεύει μνῆμα λάϊνον πατρός.
—— *insultat sepulchro,*
Saxisque pulsat lapideum monumentum patris.

Nec insolitum profligatorum sontium reliquias e receptaculis effodere, & sepulcri beneficio, quo jure merito exciderant, destituere, prout liquet ex innumeris exemplis.

Sacrilegi vulgo sic habebantur: insigne exstat exemplum cujusdam Cylonis viri nobili genere nati, qui ambitione elatus Athenarum arcem invasit: dum autem ibi arcta obsidione premebantur, ipsemet ejusque frater inde evaserunt, suis sociis obsessorum furori expositis, qui ad aras confugerunt, unde illos avellere non licuit, nisi prius promissa venia: sed quamprimum perfugium relinquerant, fracta fide a Magistratu morte plexi sunt, qui deinceps criminis postulatus in exilium abiit Diis jubentibus: nedum divinæ vindictæ satisfactum est, donec illorum tumuli disturbati, cineresque, qui in Attica repositi fuerant, extra confinia ejecti fuissent, teste Plutarcho *de sera Numinis vindicta*.

Proditores eamdem pœnam subiisse patet ex infinitis exemplis, nominatim Phrynici Atheniensis, cujus monumentum, quia aliquamdiu post obitum majestatis reus peractus & damnatus erat, effossum est, & cineres extra Atticam expositi sunt, teste Lycurgo *Orat. in Leocratem*.

Similis fuit sors hostium, qui legibus belli fractis, præter modum furentes eo malitiæ processissent, ut templa sacra diriperent, aliaque indigna flagitia patrarent: alias, qui legitimum & honestum hostem hunc in morem excepisset, immanis crudelitatis argutus fuisset.

Sed imprimis tyrannorum, qui omnium ferarum maxime noxiæ & inimicæ generi humano censebantur, hoc fuit dirum fatum: quapropter Dionem severe objurgatum fuisse, quia impediverat quominus Dionysii majoris tumulum dirupissent, ejusque cineres disjecissent Syracusani, tradit Plutarchus in *Dione*. Periander Corinthiorum tyrannus (a nonnullis in numero septem Sapientum recensitus) suas reliquias ab ira & furore subditorum hac ratione servavit: duobus juvenibus jussit, ut alta nocte in certa semita ambularent, primumque virum obvium occisum privatim sepelirent: iterum quatuor adolescentes misit, qui duos priores interfectos humo mandarent, hos quatuor exceperunt alii, & istos alii plures, qui priores obvios eumdem in morem habuerunt: interim tyrannus duobus primis viris obvium se præbuit, a quibus interfectus est, & hoc dolo ejus tumulus omnes latuit; legendus Diogenes Laertius in *Periandro*.

Alia ratione suorum cinerum, quorum disturbatio indignissimum opprobrium dirissimumque infortunium censebatur, pacem tueri studebant, ut unicum exemplum afferam; suum filium in Junonis Acrææ templo sepelire statuit Medea hac spe freta, fore ut loci sanctitas inimicorum odium ab ejus cineribus arceat apud Euripidem *Medeæ vers.* 1378.

—— ἐπεί σφας τῇδ' ἐγὼ θάψω χερί,
Φέρουσ' ἐς Ἥρας τέμενος Ἀκραίας Θεοῦ,
Ὡς μή τις αὐτοὺς πολεμίων καθυβρίσῃ,
Τύμβους ἀνασπῶν. ——

—— *quia ego sepeliam eos hac manu,*
Ferens in lucum Junonis Deæ Acrææ,
Ne quis hostium eos contumelia afficiat,
Sepulchrum revellens. ——

CAP. II.

De ceremoniis in morbo ac morte adhibitis.

QUando quis gravissimo morbo laborabat, ramum rhamni & lauri ante fores ponere assue-

verant; hujuſce moris mentio fit apud Laertium in *Vita Bionis Boriſthenitæ lib.* IV. *ſegm.* 57.

Ράμνον τε ϗ κλάδον δάφνης
Ὑπὲρ θύρην ἔθηκεν·
Ἅπαντα μᾶλλον, ἢ θανεῖν,
Ἕτοιμος ὢν ὑπουργεῖν.

Rhamnumque & ramum lauri
Januæ impoſuit:
Cuncta magis, quam mori,
Paratus adminiſtrare.

Prior harum plantarum deſtinata videtur ad Cacodæmones pellendos, contra quos præſentiſſimum remedium cenſebatur; quapropter ei interdum appoſita vox *ἀλεξίκακος*, ut in iſto Euphorionis fragmento:

—— *ἀλεξίκακον φύε ῥάμνον.*

—— *malorum depulſorem producito rhamnum.*

Laurus ei adjungebatur ad placandum Medicinæ Deum, qui, ut putabant, nullum damnum inferre poterat ulli loco, ubi ipſi obverſabatur memoria ſuæ dilectiſſimæ Daphnes; hujuſmodi ramos dicebant *αὐτῆνας*, juxta *Etymologici* Auctorem.

Hoc in loco non alienum erit obſervare, quod quando quis repentina morte periebat, Apollini adſcribebant; idcirco, cum Hector per duodecim dies inſepultus jacuiſſet ac ſingulari Deorum beneficio integer & a corruptione immunis ſervatus fuiſſet, Hecuba ipſum aſſimilat cuidam pereunti, non ex morbo languido ac lento, ſed repentina morte, priore exiſtente macilento atque abſumpto, poſteriore obeſo ac corpulento *Iliad. ω'. verſ.* 757.

Νῦν δέ μοι ἑρσήεις ϗ πρόσφατος ἐν μεγάροισι
Κεῖσαι, τῷ ἴκελος, ὅν τ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
Οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχόμενος κατέπεφνεν.

Nunc autem mihi roſcidus ac recens in ædibus
Jaces, illi ſimilis, quem argenteo arcu inſignis
Apollo
Suis mitibus telis ſuperveniens interfecit.

Dianæ tribuebatur ſubita mors mulierum; hinc Glaucus verba faciens de Hippodamia apud eumdem Poetam *Iliad. ζ'. verſ.* 205.

Τὴν δὲ χολωσαμένη χρυσήνιος Ἄρτεμις ἔκτα.

Hanc autem irata aureas habenas tractans Diana occidit.

Iterum Achilles optat ut Briſeis abrepta fuiſſet morte repentina potius quam exſtitiſſet cauſa diſſidii inter ſe & Agamemnonem *Iliad. τ'. verſ.* 59.

Τὴν ὄφελ' ἐν νήεσσι κατακτάμεν Ἄρτεμις ἰῷ,
Ἤματι τῷ ὅτ' ἐγὼν ἑλόμην Λυρνησσὸν ὀλέσσας.

Quam utinam in navibus occidiſſet Diana ſagitta,
Die illo quo ego cepi Lyrneſſum populatus.

Mentem ſuam explicavit Poeta alio in loco, nim. *Odyſſ. ό. verſ.* 406. ubi Eumæus refert, quod inſulæ Syriæ incolæ nunquam interirent morte languida, ſed ad ſummam ſenectutem provecti nulloque dolore cruciati abriperentur:

Πείνη δ' οὔποτε δῆμον ἐσέρχεται, οὐδέ τις ἄλλη
Νοῦσος ἐπὶ στυγερὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσιν·
Ἀλλ' ὅτε γηράσκωσι πόλιν κατὰ φῦλ' ἀνθρώπων,
Ἐλθὼν ἀργυρότοξος Ἀπόλλων Ἀρτέμιδι ξὺν,
Οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχόμενος κατέπεφνεν.

Fames autem nunquam populum invadit, neque
aliquis alius
Morbus teter adeſt miſeris hominibus:
Sed quando ſeneſcunt in civitate nationes hominum,
Veniens argenteo arcu inſignis Apollo cum Diana,
Suis mitibus telis ſuperveniens interemit.

Rurſus Ulyſſes ab ſua matre in inferis ſciſcitatur, num perierit longo morbo, vel manu Dianæ *Odyſſ. λ'. verſ.* 170.

Ἀλλ' ἄγε, μοὶ τόδε εἰπὲ, ϗ ἀτρεκέως κατάλεξον,
Τίς νύ σε κὴρ ἐδάμασσε τανηλεγέος θανάτοιο,
Ἢ δολιχὴ νοῦσος, ἢ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα
Οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχομένη κατέπεφνεν;

Sed age, mihi hoc dic, ac vere narra,
Quod te fatum edomuit aſperæ mortis,
Aut longus morbus, aut Diana ſagittis gaudens
Suis mitibus telis ſuperveniens occidit?

Alia exempla ad id facientia afferri poſſunt; hæc opinio nititur in eo, quod Apollo pro ſole, & Diana pro luna utplurimum accipiatur; qui planetæ magnam vim in vitam humanam habere cenſebantur, juxta Heraclidem (vel potius Heraclitum) Ponticum *de Allegor. Hom.* & Euſtathium *ad Iliad. ζ'. verſ.* 205. & *Iliad. τ'. verſ.* 59. &c.

Omnes fato functi in ditione ac poteſtate Deorum inferorum eſſe exiſtimabantur, ideoque e vita diſcedere nemo poterat, donec quidam ex capillis ei reſecatus conſecraretur ipſis; hinc ab Euripide inducitur Mors enſem geſtans atque Alceſtidi crinem aliquem ſecatura, quæ, ſic fatis volentibus, in locum mariti ſui Admeti peritura erat, *Alceſt. verſ.* 74.

Ἡ δ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς ᾅδου δόμους.
Στείχω δ' ἐπ' αὐτὴν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει·
Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
Ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσει τρίχα.

Hæc enim mulier deſcendet in Plutonis domos.
Accedo autem ad eam, ut gladio ſacra auſpicer:
Iſte enim eſt ſacer Diis inferis,
Cujus hic gladius luſtrarit capillum capitis.

Quem locum tranſcripſit Virgilius, juxta Macrobium *Saturn. l.* V. *c.* XIX. ubi tradit, quod cum Dido præmature ſibi mortem conſciverit, crine a Proſerpina non abſciſſo, ideo aliquantiſper luctata, cui mortem oppetere non liceret, donec Iris a Junone delegata magnum illud beneficium in eam contulerit *Æneid. l.* IV. *verſ.* 693.

Tum Juno omnipotens, longum miſerata dolorem
Difficileſque obitus, Irin demiſit Olympo,
Quæ luctantem animum nexoſq; reſolveret artus;
Nam, quia nec fato merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore,
Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco:
Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo ſole colores,
Devolat, & ſupra caput adſtitit; Hunc ego Diti
Sacrum juſſa fero, teque iſto corpore ſolvo:
Sic ait, & dextra crinem ſecat; omnis & una
Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.

Quo fundamento iſta opinio niteretur, certo declarari non poteſt; ſed vero abſimile non videtur ortum debere cuidam ritui in ſacrificiis uſurpato, ubi ex victimæ fronte nonnulli pili deſecati Diiſque oblati tanquam ſacrificii primitiæ; hinc ex quorumdam opinione id ipſum a Morte in eos, qui ablegabantur ceu victimæ Diis inferis, fieri ſolitum.

Quando mortem jam ipsos occupare sentiebant, Mercurio, cujus munus erat animas ad inferos devehere, preces fundebant; hujusce rei exemplum exstat in quadam Cea matrona, quæ e vita per venenum haustum discessura, primo Mercurium supplex orat, ut ei det jucundum faustumque iter, ac in locum opportunum imperii Plutonis ipsam deducat, teste Valerio Maximo *l.* II. *c.* VI. Hæc vota, sive Mercurio, sive cui alii Deorum oblata, *ἐξιτήριοι εὐχαὶ* dicta sunt, quod generale nomen est omnium votorum ante *profectionem*, iterve susceptorum: nam *Etymologici* Auctor explicat *ἐξιτηρίους εὐχὰς, ἐφοδίους τὰς πρὸς ἔξοδον ἐχούσας, ἢ πρὸς θάνατον*: quod prius observatum, ubi *de Festis* egimus.

Amici & cognati, videntes illos jamjam morituros, ad lectum, ubi decumbebant, taciti accedebant, ut supremum vale ipsis dicerent, eorumque verba inter moriendum prolata arriperent, quæ nunquam irreverenter repetebant; unde Andromache, cum occasio istud officium Hectori præstandi oblata non fuisset, hunc in modum lamentatur apud Homerum *Iliad. ω. vers.* 743.

> Οὐ γάρ μοι θνήσκων λεχέων ἐκ χεῖρας ὄρεξας,
> Οὐδέ τί μοι εἶπες πυκινὸν ἔπος, οὗ τέ κεν αἰεὶ
> Μεμνήμην, νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα.

> *Non enim mihi moriens e lectis manus porrexisti,*
> *Neque aliquod mihi dixisti prudens dictum, cujus certe perpetuo*
> *Recordarer, noctesque diesque lacrymas fundens*

Deosculabantur & amplexabantur moribundos, verbaque novissima ex eorum ore excipiebant; hujusmodi consuetudo fuit antiquissima, cum ex populis Orientalibus fuerit orta; exstat enim apud Sacros Scriptores, Josephum *ruisse in collum parentis Jacobi*, quando in lecto mortuus jacebat, *eumque deosculatum fuisse*, *Genes. cap.* L. *vers.* I. Similiter studebant extremum ejus spiritum in os excipere, sibi fingentes ipsius animam una cum eo exspirare, & in sua corpora ingredi: tempore autem, quo decedebat, æra pulsari solebant, quorum ope Cacodæmones & spectra facillime depelli credebantur, quippe quod eorum formæ aereæ tam horrido sono sustinendo non pares essent, juxta Theocriti Scholiastem; sic fingebant nihil timendum manibus a Furiis, easque secure deduci in tranquillimas Elysiorum camporum sedes: vetus enim opinio per animos hominum pervaserat, nim. cum duplex esset in inferis domicilium, unum ad dextram amœnum jucundumque, alterum ad sinistram destinatum animabus hominum facinorosorum ac nequissimorum, Furias semper paratas stetisse ad manes in locum cruciatuum abripiendas; eo respicit Virgilius *Æneid. lib.* VI. *vers.* 540.

> *Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas,*
> *Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit,*
> *Hac iter Elysium nobis; at læva malorum*
> *Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.*

Mors & quæcunque ad eam spectabant, erant inauspicata ac malorum præsaga, ideoque mollioribus verbis sæpius exprimuntur; sic *mori* vulgo effertur *ἀπογίνεσθαι*, cui respondet Latinum *denasci*: aliquando dicitur *οἴχεσθαι defungi*, & *οἰχόμενοι defuncti*; ita Chion *in epist. ad Platonem* ait, *ἐξ ἀνθρώπων ἀπελεύσομαι, ex hac vita jamjam migrabo*: eodem sensu occurrit apud Latinos vox *abitio*, quæ idem significat ac mors, juxta Festum, & *abiit*; *ut* cum Plinius *l.* II. *epist.* I. scribit, *Virginius Rufus plenus annis abiit, plenus honoribus*: sic quoque Græci utuntur verbo *βεβίωκε*, & Latini *vixit*, & *fuit*; quemadmodum videre est apud Virgilium *Æneid. lib.* II. *vers.* 325.

> *——fuit Ilium, & ingens*
> *Gloria Teucrorum.* ——

Tibullus, cum pluribus aliis, eamdem phrasim usurpavit *lib.* III. *eleg.* V.

> *Vivite fœlices, memores & vivite nostri,*
> *Sive erimus, seu nos fata fuisse velint.*

Quandoque adhibent *κέκμηκε*, & *καμόντες*; ita Homerus *Iliad. γ'. vers.* 278.

> —— καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
> Ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅ, τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

> —— *& qui sub terra mortuos*
> *Homines punitis, quicumque perjurium juraverit.*

Iterum *Odyss. λ'. vers.* 475.

> —— βροτῶν εἴδωλα καμόντων.
> —— *hominum simulacra mortuorum.*

Verum frequentissime occurrunt vocabula a somno desumpta, ad quem proxime accedit mors; hinc Poetæ fingunt fratres esse, & *κοιμᾶσθαι* sive *εὕδειν* vulgo accipiuntur pro *mori*; sic Callimachus *epigram.* X.

> Τῇδε Σάων, ὁ Δίκωνος, Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον
> Κοιμᾶται. ——

> *Hac tellure Saon requiescit Acanthius, ortus*
> *Patre Dicone.* ——

Et *epigram.* XVII.

> —— ἡ δ' ἀποβρίζει
> Ενθάδε τὸν πάσαις ὕπνον ὀφειλόμενον.

> —— *sed ipsa*
> *Omnibus hic somni munera danda capit.*

Orpheus eadem translatione usus est in *Argonaut. vers.* 540.

> Εὕδεις, Ἀγνιάδη, γλυκερῷ βεβολημένος ὕπνῳ.
> *Dormis, Agniades, dulci percussus somno.*

Plura alia hujusmodi loca sunt obvia tam in profanis quam sacris Scriptoribus; adeoque vulgaris erat iste modus loquendi apud priscos Christianos, ut ipsorum sepulchreta dicerentur *κοιμητήρια*, quod convenit cum voce *εὐναστήρια* apud Lycophronem *Cassand. vers.* 583.

> Σιθῶνος εἰς θυγατρὸς εὐναστήριον.
> *Ad Sithoniæ prolis sepulcrum.*

CAP. III.

De ritibus ante exequias usurpatis.

Simul ac quis animam efflaverat, oculi ei premebantur, quod dicebatur *καθαιρεῖν*, *συναρμόττειν*, *συγκλείειν τοὺς ὀφθαλμοὺς* vel *τὰ βλέφαρα*, &c. Hujusmodi ritus tuam universaliter obtinuit, ut nemo, tantillum exercitatus in lectione veterum Scriptorum, in eo peregrinus esse possit; unde factum, ut *καταμύειν* adhiberetur pro *θνήσκειν*. Hoc autem ritu videntur non modo cavisse, ne horror aliquis circumstantibus oboriretur, sed etiam ipsis mortuis quodammodo gratificari voluisse: solet enim omnibus curæ esse, ne quid turpe & inhonestum in extremo momento ipsis accidat, verum ut membris decenter compositis e vita migrent. Sic de Polyxena moriente Talthybius apud Euripidem *Hecubæ vers.* 568. loquitur:

——ἡ δ᾽, καὶ θνήσκουσ᾽, ὅμως
Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν,
Κρύπτειν θ᾽, ἃ κρύπτειν ὄμματ᾽ ἀρσένων χρεών.

——illa vero etiam moriens, tamen
Magnam ſolicitudinem habuit decenter ut caderet,
Et occultaret, quæ occultare ab oculis virorum convenit.

Unde os etiam mortuorum claudebant, quod Agamemnonis umbra queritur a Clytæmneſtra factum non fuiſſe *Odyſſ.* λ′. *v.* 419.

——οὐδέ μοι ἔτλη ἰόντι περ εἰς Ἀΐδαο
Χερσὶ κατ᾽ ὀφθαλμοὺς ἑλέειν, σύν τε στόμ᾽ ἐρεῖσαι.

—neque mihi voluit ad Plutonis domum eunti
Manibus oculos concludere, atque os componere.

Celebre eſt Auguſti Imperatoris Romani exemplum, qui *die ſupremo, petito ſpeculo, capillum ſibi comi, ac malas labentes corrigi præcepit*, ut refert Suetonius in *Auguſto cap.* XCIX.

Deinde ejus facies obtegebatur; hinc Hippolytus jamjam moriturus petit a Theſeo patre, ut ei præſtet iſtud officium, teſte Euripide in *Hippolyto verſ.* 1458.

Κρύψον δέ μου πρόσωπον ὡς τάχος πέπλοις.

Tegito autem faciem meam quam celerrime peplis.

Enimvero omnia fere circa defunctos munera peragebantur a genere proximis; nec quidquam pejus alicui accidere poterat, quam iſtis exequiarum juſtis carere; mortem ipſam anteponere videtur Electra apud Sophoclem; innumera exempla eo facientia adduci poſſent, niſi res notior quam quæ pluribus confirmetur. Affines quoque ſuppeditabant univerſos ſumptus in funera omnemque eorum curationem & adminiſtrationem ſuſcipiebant; ſi excipias viros ampliſſimos ac præſtantiſſimos, qui ſæpiſſime publico funere dotabantur, impenſis ad id ex ærario ſuggeſtis; ſic Democrito Abderæ, Zenoni & Ariſtidi Athenis, Epaminondæ Thebis, Gryllo Xenophontis filio Mantineæ, aliiſque pluribus, funera ſumptu publico celebrata ſunt.

Ut ad propoſitum reverramur, antequam corpus frigidum foret, omnia membra in juſtam longitudinem extenſa rite componebant, quod dicebant ἐκτείνειν vel ὀρθοῦν: hinc ancilla apud Euripidem *Hippolyto verſ.* 786. quamprimum Phædra animam edidiſſet, nonnullas ſui ſexus advocat ad iſtud officium præſtandum:

Ὀρθώσατ᾽, ἐκτείνοντες ἄθλιον νέκυν,
Πικρὸν τόδ᾽ οἰκούρημα δεσπόταις ἐμοῖς.

Rectam collocate, extendentes miſerum cadaver,
Acerbum eſt *hoc miniſterium dominis meis.*

Paucis interjectis Chorus ait *ibid.*

Ἤδη γὰρ ὡς νεκρόν νιν ἐκτείνουσι δή.

Jam enim ut cadaver componi ſolet, *ipſam extendunt.*

Tum cadaver abluebatur; unde Alceſtis apud Euripidem *verſ.* 156. appropinquante fatali die, qua mortem pro conjuge Admeto oppeteret, ſeipſam in fluvio lavabat:

Ἐπεὶ γὰρ ᾔσθεθ᾽ ἡμέραν τὴν κυρίαν
Ἥκουσαν, ὕδασι ποταμίοις λευκὸν χρόα
Ἐλούσατ᾽.——

Poſtquam enim ſenſit fatalem diem
Adeſſe, fluviali aqua candidum corpus
Lavit.——

Plato in *Phædone* narrat, Socratem, antequam ſupplicio afficeretur, ſeipſum lavaſſe, ut mulieres negotio exſolveret; iſtud enim officium vulgo perſolvebatur a fœminis cognatis defuncti; nec alii ad id adhibiti niſi urgente neceſſitate; ita legimus pauperem Theagenem, orbum uxore, liberis, & affinibus, a Cynicis Philoſophis ablutum fuiſſe, teſte Galeno *de methodo medendi l.* XIII. *c.* XV. Quibuſdam in locis erant vaſa in templis huic uſui deſtinata, dictaque a Latinis *labra*, unde nonnulli deducunt vocem *delubrum*, juxta Aſconium *de divinatione.*

Dein inungebatur cadaver; Plinius *Nat. Hiſt. l.* XIII. *c.* I. refert, Græcos nullo unguento uſos fuiſſe uſque ad tempora Alexandri M. quibus ex Perſia illud adſportarant; Homerus ipſe, etſi morem ungendorum mortuorum ſæpius meminerit, tamen nihil aliud præter oleum adhibet; hunc in modum ungitur Patroclus *Iliad.* σ′. *verſ.* 350.

Καὶ τότε δὴ λούσαντο, καὶ ἤλειψαν λίπ᾽ ἐλαίῳ.

Tumque ſtatim laverunt, & unxerunt pingui oleo.

Verum Athenæus *Deipnoſoph. lib.* XV. contendit Homeri oleum idem fuiſſe ac μύρον, ſeu *unguentum* proprie ſic dictum; & Solonem civibus ſuis unguentorum uſum conceſſiſſe, ſoliſque mancipiis interdixiſſe ne iis perfricarentur, tradit Plutarchus in *ejus Vita:* hinc probabile videtur, Græcis, ut ut illa pretioſa unguenta a Perſis ſuppeditata plane ignorarint, nihilominus uſum alterius generis non incognitum fuiſſe.

Cadavere abluto unctoque, veſte obvolvebatur, quæ nihil aliud quam vulgare *pallium* fuiſſe videtur, quo alias amiciebantur, juxta Apulejum *Florid. lib.* I. prout legimus de *toga* a Romanis uſurpata: ſic Miſenus apud Virgilium *Æneid. lib.* VI. *verſ.* 218. primum lavatus & unctus, deinde juxta morem lecto impoſitus, veſtimentis, quæ gerere ſolitus erat, involutus eſt:

Pars calidos latices & ahena undantia flammis
Expediunt, corpuſque lavant frigentis, & ungunt:
Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt,
Purpureaſque ſuper veſtes, velamina nota,
Conjiciunt.——

Poſtea pretioſa & ſplendida veſte ornabatur cadaver; hinc Socrati, antequam mortiferam potionem biberet, tunicam palliumque pretioſum attuliſſe Apollodorum referunt Laertius in *Socrate* & Ælianus *Var. Hiſt. l.* I. *c.* XVI. cum ille Philoſophus ante mortem ad funus ſe accingere optaret. Philoclem quoque Athenienſium thalaſſiarcham, a Lyſandro Spartano devictum mortique addictum, ſeipſum laviſſe ac ſplendida chlamyde amiciviſſe, antequam ad ſupplicium dederetur, ſcribit Plutarchus in *Lyſandro.* Idem legitur de Alceſtide apud Euripidem *loco* paulo ante adducto:

Ἐπεὶ γὰρ ᾔσθεθ᾽ ἡμέραν κυρίαν
Ἥκουσαν, ὕδασι ποταμίοις λευκὸν χρόα
Ἐλούσατ᾽, ἐκ δ᾽ ἑλοῦσα κεδρίνων δόμων
Ἐσθῆτα, κόσμον τ᾽, εὐπρεπῶς ἠσκήσατο.

Poſtquam enim ſenſit fatalem diem
Adeſſe, fluviali aqua candidum corpus
Lavit, & accipiens ex cedrinis arcis
Veſtem, & ornamenta, decore ſe ornavit.

Totum corpus iſta veſte tegebatur, quæ utplurimum albi coloris, ut occurrit apud Homerum de Patroclo loquentem *Iliad.* σ′. *verſ.* 352.

Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ.

In lectis vero positum peplo subtili texerunt
Ad pedes a capite, desuper autem palla candida.

Unde Artemidorus *Oneirocrit. l.* II, *cap.* III. pro omine infausto mortisque præsago habet, si quis ægrotans veste alba cinctus sit; iste color adhibitus videtur ad significandam simplicitatem & innocentiam defuncti, teste Plutarcho *Quæst. Rom.* De isto indumento tam solliciti erant, ut id, etiam dum viverent, sibi amicisque sæpius compararent: sic Penelope suos procos compellans inducitur ab Homero *Odyss. β'. vers.* 96.

Κῦροι, ἐμοὶ μνηςῆρες, ἐπεὶ θάνε δῖος Ὀδυσσεὺς,
Μίμνετ' ἐπειγόμενοι τὸν ἐμὸν γάμον, εἰσόκε φᾶρος
Ἐκτελέσω (μή μοι μεταμώλια νήματ' ὄληται)
Λαέρτῃ ἥρωϊ ταφήϊον, εἰς ὅτε κέν μιν
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.

Juvenes, mei proci, postquam mortuus est divinus Ulysses,
Sustinete urgentes meas nuptias, donec linteum
Perfecero (ne mihi vana fila pereant)
Laerti heroi pollinctum, quando tandem ipsum
Fatum malum prehenderit asperæ mortis.

Pariter Euryalo occiso, ejus mater lamentans introducitur a Virgilio *Æneid. l.* IX. *vers.* 486.

—— nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
Urgebam, & tela curas solabar aniles.

Sed disceptari potest, an revera confecta fuerint in funebria vestimenta, aut solummodo ut ea induerentur & ad priorem usum accommodarentur, si homo moreretur; cum (ut jam observatum) vestibus, quibus accincti dum viverent, involvi solerent cadavera. Posterius magis probabile videtur ex verbis, quæ *ibid.* addit Penelope:

Μήτις μοι κατὰ δῆμον Ἀχαιϊάδων νεμεσήσῃ,
Αἴκεν ἄτερ σπείρου κεῖται, πολλὰ κτεατίσσας.
Ne aliqua me in populo mulierum *Græcarum culpet,*
Si quidem absque tegumento jacuerit, multa possidens.

Nec valde rationi consentaneum, quod mater seipsam solaretur texendo ferale amiculum pro suo puero, qui, ut verisimile fit, tum multos annos vixerat: quidquid sit, observari potest Lacedæmonios hac in re, ut & in plurimis aliis, a cæteris Græcis dissidere; cum enim aliis in locis defuncti amiciebantur vestitu pretioso, quo nullus, exceptis pauperioribus, unquam carebat, Spartanorum Legislator jussit ut viri præstantissimi ac illustrissimi sepelirentur cum rubra tunica, quam vulgo gerebant milites, reliquis vero omnino denegata, teste Æliano *Var. Hist. l.* VI. *c.* VI. nam penitus absonum ac minime conveniens putabat, eos, qui per totum vitæ curriculum divitias ornatusque supervacaneos contemnere assueverant, iisdem tegendos esse post mortem: nec ulla unguenta aut suffimenta pretiosa illic adhibita, cum censerentur nihil conducere ad fœlicitatem mortui, & Lacedæmoniorum gravitatem minime decere.

Proxime ornabatur cadaver sertis floridis ramisque viridibus: sic Talthybius apud Euripidem *Troad. vers.* 1143. Hecubam hortatur ut nepotem suum Astyanactem exornet:

—— πέπλοισιν ὡς περιςείλῃς νεκρὸν,
Στεφάνοις θ', ὅση σοι δύναμις, ὡς ἔχει τὰ σά.
—— ut peplis adornes cadaver,
Coronisq; quantum potes, ut tua tunc fert fortuna.

Quando viri amplissimi ac clarissimi occumbebant in exteris regionibus, ipsorum reliquiæ domum in urnis asportatæ decorabantur ritibus solitis in aliis parentalibus, sed potissimum iis de quibus dicturus sum: Plutarchus in *Demetrio* tradit, ab universis civitatibus, per quas devehebantur Demetrii cineres, missi viri atrati, qui sacræ urnæ obviam irent, aliique ad exequias decorandas & prosequendas, aut saltem ad coronas urnæ ingerendas. Ab eodem Scriptore memoriæ proditum est in *Vita Philopœmenis*, quod ipsius reliquiæ ab hostibus catenatis cum pompa deductæ fuerint, ipsaque urna præ vittarum & coronarum numero conspectui pene adempta fuerit. Iste ritus desumptus fuit vel a ludis, in quibus victores præmio donabantur coronis frondeis, ad indicandum mortuum decurrisse vitæ suæ spatium, secundum Suidam; aut adscitus fuit ad adumbrandum puras ac perpetuas voluptates, quibus defuncti perfundendi post migrationem ex hac vita ærumnosa atque miserrima, juxta Clementem Alexandrinum *Strom. l.* II. *c.* VIII. nam coronæ denotabant lætitiam & hilaritatem, ideoque iis vulgo ornata convivia & festa; idem observandum de unguentis ac suffitibus, quæ hilaritatem & jucunditatem semper comitabantur; ad utrumque hunc ritum ingeniose alludit vetus Poeta apud Stobæum *Serm.* CXX. *vers.* 69.

Οὐ μὲν γὰρ οὕτως ἄν ποτ' ἐςεφανωμένοι
Προὐκείμεθ' ἄνθεσ', οὐδὲ κατακεχρισμένοι,
Εἰ μὴ καταβάντας εὐθέως πίνειν ἔδει.
Διὰ ταῦτα γάρ τοι καὶ καλοῦνται μακάριοι,
Πᾶς γὰρ λέγει τις, ὁ μακαρίτης οἴχεται.

Nunquam enim sic coronis redimiti
Etsi florum appetentes essemus, nec unguentis delibuti,
Nisi statim ut descendimus bibere nos oporteret:
Propterea enim beati etiam vocantur,
Nam singulis ita loqui moris est, beatus mortem obiit.

Deinde cadaver προτίθεσθαι, *collocare* pergebant; aliquando humi collocatum, aliquando super sandapila, quæ dicebatur λέκτρον, φέρτρον aut φέρετρον, quæque multiplicibus coloribus contegebatur; ex nonnullorum sententia cadaver primo humi positum, postea super feretro elatum. Istud officium, ut pleraque superiora, a genere proximis persolvebatur; hinc Lysias *Orat. de cæde Eratosthenis*, inter gravia adjuncta mortis Eratosthenis, Athenis a triginta Tyrannis capite damnati, illud minimum non habet, quod *eum collocassent*, quippe in se transferrent munus ad solos genere proximos ac charissimos jure pertinens: similiter Tiberius Cæsar a Dione *lib.* VIII. reprehenditur, non tantum quod Liviam ægrotantem invisere neglexisset, sed propria manu eam defunctam non *collocasset*. Locus, ubi posita cadavera, in ipso ædium aditu erat, qui cum aliquando diceretur προνώπιον, inde mortui vocati προνωπεῖς: sic apud Euripidem *Alceстide vers.* 141.

Ἤδη προνωπής ἐςι καὶ ψυχορραγεῖ.
Ipsa autem est morti vicina & agit animam.

Hac ratione collocabatur cadaver, ut omnibus inquirere liceret, an defunctus vulneribus aliisve signis mortis immaturæ ac violentæ confossus fuisset, secundum Pollucem *l.* VIII. *c.* VII. Porro animadvertendum, pedes januam versus semper conversos fuisse: hinc Persius *Sat.* III. *vers.* 103. canit:

—— tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit. ——

Achilles apud Homerum *Iliad. τ'. verf. 211.* loquitur de Patroclo hunc in modum posito:

Ος μοι ἐνὶ κλισίῃ δεδαϊγμένος ὀξέϊ χαλκῷ
Κεῖται, ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος. ——

Qui mihi in tentorio confossus acuto ære
Jacet, in vestibulum pedibus *conversus.* ——

Ubi discimus ex Scholiaste, quod isto ritu significarent se nunquam redituros postquam elati fuissent. Interea dum corpus ibi jaceret, semper custodiri solitum, ut vis ac contumelia ab eo arcerentur; unde Achilles subjicit *loco* mox *cit. verf.* 212.

—— *ἀμφὶ δ' ἑταῖροι*
Μύρονται. ——

—— *circum autem socii*
Lugent. ——

Et paulo ante *verf.* 23. videmus eumdem tam sollicitum atque anxium, ne muscæ vermesque cadaver contaminarent, ut hinc in prælium ire nequiret, donec Thetis illud securum præstare pollicita fuerit:

—— *ἀλλὰ μάλ' αἰνῶς*
Δείδω μή μοι τόφρα Μενοιτίου ἄλκιμον υἱὸν
Μυῖαι καδδῦσαι κατὰ χαλκοτύπους ὠτειλὰς
Εὐλὰς ἐγγείνωνται, ἀεικίσσωσι δὲ νεκρόν·
Εκ δ' αἰὼν πέφαται, κατὰ δὲ χρόα πάντα σαπείη.

—— *sed perquam graviter*
Timeo ne mihi interea Menœtii fortem filium
Muscæ ingressæ per ære inflicta vulnera
Vermes intus generent, deturpentque cadaver:
Vita autem adempta est, inque corpore omnia putrescant.

Quando quis Athenis obæratus occumberet, aliquid magis timendum erat; nam hujus civitatis leges permittebant creditoribus cadaver corripere ac sepultura privare, donec æris alieni solutio facta fuisset; quapropter Miltiadis in carcere defuncti cadaver, cum parum abesset quin inhumatum jaceret, ipsius filius Cimon nulla alia ratione redimere potuit, quam patris ære alieno & compedibus assumptis.

Paulo ante inhumationem, in os cadaveris infertus est nummus, qui habebatur Charontis naulum ad defunctorum animas trans aquas Stygias trajiciendum: iste nummus nonnullis dictus *καρκήδοντα*, ut Suidæ, aliis *δανάη*, ut Hesychio, *δανάκη*, vel *δανάκης*, a *δανὸς fœnus*, seu *præmium*; aut quia dabatur *τοῖς δανοῖς*, sive *defunctis*, a voce *δανὰ* seu *ligna arida*, secundum *Etymologici* Auctorem: conficiebat tantum unum *ὀβολόν*. Aristophanes quidem *Ranis Act. 1. Scen. 11. p. 217. Edit. Aurel. Allobrog.* inducit Herculem Baccho dicentem, ei solvendos esse duos obolos:

ΗΡ. *Εν πλοιαρίῳ τυννουτωὶ σ' ἀνὴρ γέρων*
Ναύτης διάξει, δύ' ὀβολὼ μισθὸν λαβών.

HE. *navicula tantillula te quidam senex*
Nauta trajiciet, duobus obolis pro mercede acceptis.

Verum hæc a Comico dici tantum videntur ad cavillandum Judices in quibusdam Atheniensium foris, qui juridico conventu finito duobus obolis donabantur; hinc Bacchus mox subjungit:

ΔΙ. *Φεῦ! ὡς μέγα δύνασθον πανταχοῦ δύ' ὀβολώ;*
BA. *Eheu! quantum possunt ubique duo oboli?*

A Quapropter Meursius, interpretans hunc locum de more circa defunctos usurpato, & ex Scholiaste subjiciens pretium ad tres obolos postea auctum fuisse, Auctoris mentem non perspexisse videtur; nihil enim magis perspicuum esse potest, quam quod Scholiastes intelligendus sit de *δικαστικῷ μισθῷ*, seu *præmio Judicibus dato*, quod constituebant duo oboli, & deinde tres. Hujusmodi ritus non obtinebant illis in locis, quæ prope inferos sita fingebant, quæque recta via eo ducebant, secundum *Etymologici* Auctorem *Voc. Δανάκης*: Strabo *Geogr. l.* VIII. speciatim tradit, Hermionenses pro immunitate contendisse.

B Præterea in os cadaveris ingerebatur placenta quædam, polline, melle, &c. condita, ideoque *μελιττοῦττα* dicta Suidæ, & aliis. Ea utebantur ad rabiem Cerberi inferorum janitoris sedandam, & ut illius ope tutus ac facilis aditus ipsis pateret; ad hanc respicit Aristoph. *Lysistr. p. 858. Edit. Amstel.*

—— *σορὸν ὠνήσει,*
Μελιττοῦτταν ἐγὼ καὶ δὴ μάξω.

—— *funeris arcam emet,*
Mellitam vero offam ego præparabo.

C Hujusce moris commentarium paulo plenius nobis tradidit Virgilius, quando Sibyllæ & Æneæ iter ad umbras Stygias describit *Æneid. l.* VI. *verf.* 417.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro:
Cui vates, horrere videns jam colla colubris,
Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Objicit; ille, fame rabida tria guttura pandens,
Corripit objectam, atque immania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro:
Occupat Æneas aditum, custode sepulto,
Evaditque celer ripam irremeabilis undæ.

D

Antequam huic capiti finis imponatur, observandum est, totam ceremoniam collocandi ac amiciendi mortuos, ipsamque aliquando sepulturam, appellari *συγκομιδήν*, teste Æschyli Scholiaste: in eumdem sensum usurpatur verbum *συγκομίζειν* cum suis derivativis apud veteres Scriptores; sic Sophocles *Ajace Flagell. verf.* 1067.

Οὗτος, σὲ φωνῶ τόνδε τὸν νεκρὸν χεροῖν
Μὴ συγκομίζειν, ἀλλ' ἐᾶν ὅπως ἔχει.

Heus tu, tibi dico hoc cadaver manibus
E *Ne componas, sed sinas ita ut est.*

Porro notandum est, per illud tempus capillos defuncti appensos fuisse januæ, ut ostenderent familiam jacere in luctu ac mœrore; imo, donec cadaver domo elatum fuisset, pro foribus stabat vas aquæ dictum *ἀρδάνιον* Suidæ, Polluci *l.* VIII. c. VII. *ἀρδανία*, *γάστρα* Hesychio, & ex materia, qua sæpissime conficiebatur, *ὄστρακον*, ut apud Aristophanem *Concionatr. p. 740. Edit. Amstelod.*

Υδατός τε κατάθου τοὔστρακον πρὸ τῆς θύρας.

F *Aquæque colloca lagenam pro foribus.*

Semichorus apud Euripidem *Alcestid. verf.* 98. nullum istorum signorum videns vix adduci potest ut credat Alcestim mortuam:

Πυλῶν πάροιθεν δ' οὐχ ὁρῶ
Πηγαῖον, ὡς νομίζεται
Γε, χέρνιβ' ἐπὶ φθιτῶν πύλαις;
Χαίτα τ' οὔτις ἐπὶ προθύροις τομαῖος, ἃ δὴ νεκύων πένθεσι πιτνεῖ.

Non enim video ante fores
Fontanam, ut receptum est moribus,
Aquam cadaveri lavando destinatam pro defunctorum foribus,
Comaque nulla ad vestibulum secta est, quæ profecto accidunt in luctu mortuorum.

Istud vas adhibebatur, ut qui circa cadaver versati fuerant, ablutione purgarentur, quod dicebatur λύεσθαι ἀπὸ νεκρῦ: nam non tantum Judæi, (ut videre est *Num.* cap. XIX. *vers.* 11. *Ecclef.* c. XXXIV. *vers.* 25.) sed plerique Ethnici contactu cadaveris contaminatos se existimabant, cum mors adversetur naturæ, ideoque ab ea abhorreat quidquid animatum. Unde Dii superi, præsertim ii qui lumen aut vitam dare credebantur, cadaveris adspectum gravabantur; sic Diana apud Euripidem *Hippolyto vers.* 1437. profitetur sibi nefas esse intueri Hippolytum delicias suas jamjam moriturum:

Καὶ χαῖρ᾽· ἐμοὶ γὰρ ὐ θέμις φθιτὸς ὁρᾷν
Οὐδ᾽ ὄλμα χραίνειν θανασίμοισιν ἐκπνοαῖς.

Et vale: nam non fas est mihi intueri mortuos,
Neque polluere oculos anhelitu animam efflantis.

Nec ædes, ubi jacebat cadaver, impollutæ manebant; ut patet ex hisce Helenæ verbis apud Euripidem *Helena vers.* 1446.

Καθαρὰ γὰρ ἡμῖν δόματ᾽· ὐ γὰρ ἐνθάδε
Ψυχὴν ἀφῆκε Μενέλεως. ——

Puræ enim sunt nobis ædes: non enim hic
Animam efflavit Menelaus. ——

Nam & aer a corpore diffusus, quascumque res ingreditur, contaminat; unde omnia vasa aperta a Judæis polluta habebantur. Ædes purgari solebant statim ac funebria justa finita erant; de quo ritu differendi dabitur locus in quodam capitum sequentium.

CAP. IV.

De funeris exportatione.

PRoximo loco observanda venit funeris *elatio* vel *exportatio*, Græce dicta ἐκκομιδὴ & ἐκφορὰ: unde Latine *efferre* aut *exportare*, Græce vero ἐκφέρειν & ἐκκομίζειν funeribus tribuuntur: παρακομίζειν eodem sensu accipi contendit Kirchmannus; sed in loco, quem ex Eunapio in *Jamblico* eum in finem affert, potius exstat funeris in aliquem locum *prætervectio*, quam *elatio* ex domo, in qua paratum erat; παρακομίζειν enim vulgo dicitur de loco viæ intermedio, εἰσκομίζειν de motu ad locum vel de termino ad quem, ἐκκομίζειν vero de termino a quo, aut de loco, unde motus inchoatur, cum coincidat cum ἔξω φέρειν, id est, *foras ferre*; quæ vocabula eo in sensu, quem jam notavi, sumuntur a Theocrito *Iliad.* XV. *vers.* 132.

Ἀῶθεν δ᾽ ἄμμες νιν ἅμα δρόσῳ ἀθρόαι ἔξω
Οἰσεῦμες ποτὶ κύματ᾽ ἐπ᾽ αἰόνι πτύοντα.

Sub auroram vero nos illum, dum ros est, frequentes foras
Efferemus ad fluctus in littore spumantes.

Similiter pro *efferre foras ferre* usurpat Plautus in *Aulularia Act.* II. *Scen.* I.

—— *quæ*
Cras veniat, perendie foras feratur soror.

Tempus exequiarum nulli certo termino adstrictum erat. Alexander ab Alexandro *Genialium Dierum l.* III. c. VII. scribit, septemdecim diebus totidemque noctibus domi servatum fuisse funus, antequam efferretur; quæ ex Homero hausisse videtur, qui Achillis corpus per septemdecim dies & noctes agitato luctu combustum fuisse tradit *Odyss.* ω. *vers.* 63.

Ἑπτακαίδεκα μὲν σε ὁμῶς νύκτας τε καὶ ἦμαρ
Κλαίομεν ἀθάνατοί τε Θεοὶ θνητοί τ᾽ ἄνθρωποι,
Ὀκτωκαιδεκάτῃ δ᾽ ἔδομεν πυρί. ——

Septem & decem quidem te simul noctesque & dies
Flevimus immortalesq; Dii mortalesque homines,
Octava & decima autem dedimus igni. ——

Corpora octavo a morte die cremata, nono vero sepulta fuisse censet Serv. *in Æneid. l.* V. sed hæc intelligenda sunt de Magnatum funeribus, quæ magno cum apparatu celebrari solebant, obscurioris vero conditionis hominum exequiæ minore cum tumultu & pompa peragebantur. Funera antiquitus in tertium vel quartum ab obitu diem incidebant, prout canit Valerius Flac. *Argonauticor. l.* II.

At vero ornantes supremo funus honore,
Tres totos condunt lugubri murmure soles,
Magnifice tumulant quarto. ——

Quandoque pauperum funus postridie obitus efferebatur, prout liquet ex Callimachi Epigrammate *Anthol. l.* III. c. VI. *epigram.* 58.

Δαίμονα τίς δ᾽ εὖ οἶδε τὸ αὔριον; ἡνίκα καί σε,
Χάρμι, τὸν ὀφθαλμοῖς χθιζὸν ἐν ἡμετέροις,
Τῇ ἑτέρῃ κλαύσαντες ἐθάπτομεν. ——

Quis scit an adjiciant hodiernis crastina divi?
Quando heri te, Charmi, vidimus hisce oculis,
Nunc flentes hodie terris abscondimus atris.

Ad eumdem morem alludit Pherecydes in *Epistola ad Thaletem* apud Laertium *Vita Pherecydis* sub finem, in qua ad eum, quia mortem adventantem persentiebat; ideo suos amicos ad funus die crastino se invitasse scribit.

Exequiæ interdiu peragebantur: nox enim inopportuna censebatur, quia Furiæ & Cacodæmones, qui lucem fugiunt, noctu prodire credebantur; quocirca Cassandra cum Talthybio rixas agitans vaticinatur, loco dirissimi mali, fore ut nocte sepeliretur, apud Euripidem *Troad. vers.* 446.

Ἦ κακὸς κακῶς ταφήσῃ νυκτὸς, ὐκ ἐν ἡμέρᾳ.

Certe malus male sepelieris noctu, non interdiu.

Soli juvenes, qui integra ætate fatis cedebant, ad auroram sepeliri solebant; tantum enim malum solis adspectui exponere indecorum, imo impium quid existimabant: unde (si fabularum Interpretibus credere fas sit) nata sunt commenta juvenum in Auroræ gremium raptorum; quando enim bonæ formæ & spei adolescentes morte immatura peribant, suaviore & molliore nomine infortunium solari solebant; qua de causa mortem ἡμέρας ἁρπαγὴν efferebant, juxta Heraclidem Ponticum *de Allegor. Hom.* sub finem, & Eustath. Quia autem hujusmodi funera ad tædarum lucem celebrata sunt, inde mos introductus est, ut in quibuslibet funeribus tædæ arderent licet die peractis; hinc nata est formula loquendi proverbialis, qua ἐπὶ τὸ δᾶδα τὸ βίου, id est, *ad tædam suæ vitæ*, accedere dicebantur senes, teste Plutarcho in *lib. An seni capess. sit Resp.* Cæteris Græcis hac in re adversabantur Athenienses, apud quos lege sancitum est, ut funera ante solis ortum efferrentur: quod sta-

tutum Demetrio Phalereo tribuit Cicero *de Legib. l.* II. A licet a Solone latum fuisse scribat Demosthen. *Orat. in Macart.* vero non absimile videtur, hanc legem tulisse Solonem, quam in posterum redintegravit Demetrius; eum autem in finem introducta fuisse videtur hæc consuetudo, ut nimirum funerum sumptibus, quæ, quando manifesto & propatulo die celebrabantur, majoris constabant, modus imponeretur.

Vespillones funus humeris impositum exportare solebant, quod dicitur *ἄρδlω φέρειν* ab Euripide verba faciente de Alcestide *vers.* 607.

—— προσπόλοι B
Φέρουσιν ἄρδlω πρὸς τάφον τε ϗ πυράν.
—— ministri
Ferunt sublime ad sepulturam & rogum.

Corpus feretro, cujus loco scuto utebantur Lacedæmonii, reponebatur: unde insigne matronæ Spartanæ ad filium mandatum, *ἢ ταν ἢ ἐπὶ τῆδε*, id est, *vel hunc* (indicato clypeo) *refer*, *vel in illo relator.* Sed & alibi nota hæc consuetudo; quandoquidem ejus meminit Virgil. *Æneid. l.* X. *vers.* 505.

—— at socii multo gemitu lacrymisque C
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Sed antiquissimi Græci corpora efferebant sine ullo vehiculo; unde (observante Eustathio) dum Patrocli funus a Myrmidonibus exportabatur, ejus caput sustentabat Achilles *Iliad.* ψ'. *vers.* 136.

—— ὄπιθεν ᾗ κάρη ἔχε δῖος Ἀχιλλεύς.
—— pone autem caput manibus ferebat nobilis Achilles.

Nec aliud intelligitur per *φοράδlω πέμπειν* apud Euripidem, qui de Rhesi funere differens Chorum D sic loquentem inducit *vers.* 886.

Τίς ὑπὲρ κεφαλῆς Θεὸς, ὦ Βασιλεῦ,
Τὸν νεόδμητον ἐν χεροῖν
Φοράδlω πέμπει;
Quis supra caput Deus, o rex,
Recens cadaver in manibus
Sublatum gestat?

Funeribus intererant mortuorum amici & cognati, qui ad supremum officium iis persolvendum teneri credebantur. Præter hos, plures alii ad majorem funeris celebritatem invitabantur, quando E per legem licebat; in nonnullis enim locis iis interdictum erat, vel ut tumultus, qui in mixtæ multitudinis tanta frequentia oboriri solent, præverterentur; vel ut funerum immodici sumptus temperarentur: sic Mitylene legem tulit Pittacus, qua solis defunctorum cognatis funeribus adesse licebat: pariter Atheniensibus limites aliquo modo posuit Solon, qui omnibus mulieribus nondum sexagenariis funeribus interdixit; exceptis cognatis, quas, licet hanc ætatem nondum attigissent, iis interfuisse liquet ex Lysiæ *Oratione pro Eratosthene*, qui uxoris mœchum occiderat; ei enim illam in funere primum innotuisse nos docet: attamen viris F non mixtæ, sed seorsim funus prosecutæ fuisse videntur ex Terentii loco in *Andria Act.* I. *Scen.* I.

Effertur, imus: interea inter mulieres,
Quæ ibi aderant, forte unam adspicio adolescentulam.

Qui funus exequebantur non eadem veste semper utebantur; licet enim vestem lugubrem sæpius, nec raro communem gestabant, tamen celebriorum virorum exequiæ, eo quod in cœlos recepti fuerant, cum omni lætitiæ indicio celebrari assueverant. Sic pluries millibus virorum mulierumque alba veste indutorum & sertis decoratorum, ut in festis usuveniebat, stipatum dicitur Timoleontis funus apud Plutarch. in *ejus Vita.* Pariter pæanibus vel epiniciis & choreis celebratum est Arati funus, juxta eumdem in *ejus Vita.*

Funeri, tum quum e domo efferebatur, ultimum vale certa salutandi formula dicere solebant; prout liquet ex Admeti sermone ad Pheræos, qui uxoris funeri intererant apud Euripidem *Alcest. vers.* 609.

Ὑμεῖς ᾗ τὴν θανοῦσαν, ὡς νομίζεται,
Προσείπατ' ἐξιοῦσαν ὑστάτlω ὁδόν.
Vos vero mortuam, ut fert consuetudo,
Salutate egredientem postremam viam.

Pompam funebrem vel equis vel rhedis vecti ducere assueverant; tamen virorum, quos supra vulgus hominum reverebantur, funus pedibus omnes prosequebantur: eum autem honorem Theophrasti memoriæ, quo ejus eximias virtutes prædicabant, persolvisse dicuntur Athenienses a Diogene Laer. in *Theophrasto.* Funus proxime assequebantur cognati, reliqui remotiores progrediebantur: aliquando viri præibant capite detecto; iis vero instabant mulieres. Patrocli funus exportabatur militum Græcorum corona cinctum *Iliad.* ψ'. *vers.* 133.

Πρόσθε μὲν ἱππῆες, μετὰ ᾗ νέφος εἵπετο πεζῶν,
Μυρίοι, ἐν ᾗ μέσσοισι φέρον Πάτροκλον ἑταῖροι.
Ante quidem curribus vecti, pone vero nubes sequebatur peditum,
Frequentissimi, in mediis autem ferebant Patroclum socii.

Sed vulgo cadaver præibat, cæteri vero sequebantur: quod inter plura alia exempla, præsertim ex Terentii loco in *Andria Act.* I. *Scen.* I. liquet:

—— funus interim
Procedit, sequimur. ——

Hoc autem procedendi modo mortalitatis monebantur superstites, ut apud se reputarent eamdem viam, in qua iis præibat funus, se omnes premere, juxta Donatum in *locum Terentii* & Alexandrum ab Alexandro *Genial. Dier. l.* III. c. VIII. Militum funera hastis & clypeis inversis stipabant commilitones, ut superius *l.* III. c. XI. observatum est. Sed non inde (prout nonnulli imaginantur) natus est iste mos, quia scilicet in illorum scutis exculptæ erant Deorum imagines, quæ funeris adspectu pollutæ fuissent, sed quia a solitis moribus recedere volebant: in luctu enim usurpabantur consuetudines iis quæ vulgari usu veniebant contrariæ; quocirca non solum scuta, sed & hastæ reliquaque arma invertebantur. Nec militiæ tantum, sed & domi obtinebat mos iste: etenim in Magistratuum funeribus suæ dignitatis insignia versa fuisse liquet ex Poetæ loco *Consolat. ad Liviam Augustam:*

Quos primum vidi fasces, in funere vidi,
Et vidi versos, indiciumque mali.

Illud officium dicebatur *ἐκπέμπειν* respectu loci, e quo efferebatur; *παραπέμπειν* quoad loca, quibus prætervehebatur; *προπέμπειν* vero, si respicias ad locum, ad quem vehebatur funus.

CAP. V.

De luctu funebri.

Luctum ob amicorum obitum aliamve ob causam diverso & incerto modo exprimebant: hanc tamen certam legem tenebant, ut, quantum fieri poterat, a solitis moribus vestitu & gestu recederent: ea enim ratione, quantam cladem acceperant, indicare studebant, quandoquidem gravissima tantum de causa mores omnino mutare vellent. Unde in nonnullis locis lugentes eum in modum se gerebant, quo alibi lætitiam prodere solebant homines: cum enim diversarum civitatum diversæ fuerint consuetudines, inde sæpius obtigit, ut quod in uno loco gaudii, in alio mœstitiæ indicium fuerit. His autem modis luctum vulgo testabantur.

1. Ab epulis & conviviis abstinebant, omniaque instrumenta musica, & quidquid gaudio ciendo aptum erat, vel lætitiam & hilaritatem præ se ferebat, ab illorum ædibus procul exulare jubebant. Testis sit Admetus Alcestidis mortem deflens apud Euripidem *Alcest. vers.* 343.

Παύσω δὲ κώμους, συμποτῶν θ' ὁμιλίας,
Στεφάνους τε, μοῦσάν θ', ἣ κατεῖχε πρὶν δόμους.

Omittam vero convivia, & convivarum sodalitia,
Et coronas, & cantilenas, quæ antea occupaverunt meam *domum.*

Nec publicis solennibus, nec locis frequentibus intererant, sed omni sodalitio, imo vitæ gaudiis & commodis sese fraudabant. Vinum, quia hilaritati conducit, a tam tristi societate arcebatur: lux ipsa exosa erat; solis tenebris locisque solitariis, quæ sua infortunia non obscure adumbrare credebant, delectabantur, juxta Gloss. vett. & Plutarchum *Consolat. ad uxorem*. Unde si ea domo, in qua quis ægrotabat, de igne extincto somniatum fuisset, pro certo omine mortem præsagiente accipit Artemidorus *l.* II. c. IX.

2. Omnia ornamenta, gemmas, aurum, vestesque sumptuosas & pretiosas exuebant. Sic mulieres Achillis mortem lugere dicuntur apud Lycophronem *Cassandra vers.* 859. nostrumque ibi *Commentarium* consule:

Γυναιξὶ δ' ἔσαι τεθμὸς ἐγχώροις ἀεὶ
Πενθεῖν τὸν εἰνάπηχυν, Αἰακοῦ τρίτον,
Καὶ Δωρίδος, πρηστῆρα δαίου μάχης·
Καὶ μήτε χρυσῷ φαιδρὰ καλλύνειν ῥέθη,
Μήθ' ἁβροπήνους ἀμφιβάλλεσθαι πέπλους
Κάλχῃ φορυκτούς. ——

Mulieribus autem indigenis mos erit semper
Lugere novemcubitalem, ab Æaco tertium,
Et Doride, bellicæ fulmen pugnæ:
Nec vel auro nitida decorare corpora,
Vel molles vestes circumdare
Purpura tinctas.

Hujus consuetudinis frequenter meminerunt Poetæ, quæ luctus funebris non propria fuit; sed ipsamet, & plures aliæ in hoc capite recensitæ, in quolibet luctu gravi usuveniebant: quocirca, quamprimum & suam & Cassandræ fortunam audiisset Hecuba, exclamavit in Euripide *Troad. vers.* 256.

Ῥίπτε, τέκνον, ζαθέους
Κλῇδας, καὶ ἀπὸ χροὸς ἐνδυτῶν στεφέων ἱεροὺς στολμούς.

Abjice, o filia, sacras
Claves, & a corpore indutarum coronarum sacros ornatus.

A Vestes lugubres nigræ fuerunt; unde Philomelæ mortis certior facta Progne sic describitur ab Ovidio *Metam. l.* VI. *fab.* VII. *vers.* 566.

—— velamina Progne
Diripit ex humeris auro fulgentia lato,
Induiturque atras vestes. ——

Pari modo fratres a Meleagro occisos luget Althæa *Metam. l.* VIII. *fab.* IV. *vers.* 446.

—— plangore dato mœstis ululatibus urbem
Implet, & auratas mutavit vestibus atris.

B Ad quem morem respicit Pericles, quando apud Plutarch. περὶ τοῦ ἐπαινεῖν ἑαυτὸν ἀνεπιφθόνως gloriatur, se nulli civi unquam in causa fuisse, cur vestem pullam induisset: idcirco, quando quis atras vestes somniabat, sanitatis recipiendæ omen fuisse colligit Artemidorus *l.* III. c. III. quandoquidem, non qui obeunt, sed qui superstites sunt, lugent veste nigra induti. In luctum Liberi, alias dicti Osiridis, qui a fratre Typhone perfide ac dolose occisus fuerat, hanc consuetudinem introduxisse Ægyptii dicuntur a Servio. Præterea, vestes lugubres ab aliis non solum colore, sed & pretio diversæ erant, quia ex vili & crasso panno confici solebant, pro-

C ut inter innumera exempla nominatim ex hoc Terentii *Heautontimor. Act.* II. *Scen.* II. liquet:

Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anus causa, opinor, quæ erat mortua.

3. Capillos vellere, rescindere, imo sæpius abradere assueverant: nec illorum partem tantum deponere quemvis decebat; Electra enim apud Euripidem *Oreste vers.* 128 Helenam redarguit, quia comis pepercerat, iisque defunctos fraudarat: notior est hæc consuetudo quam ut exemplis firmari

D indigeat. Diversa ratione capillos distribuebant: aliquando in funus injiciebantur, ut patet exemplo Patrocli, in cujus cadavere, ut bonum affectum & reverentiam erga illum proderent, capillos sparserunt Græci *Iliad.* Ψ'. *vers.* 135.

Θριξὶ δὲ πάντα νέκυν καταείνυον, ἃς ἐπέβαλλον
Κειρόμενοι. ——

Capillis vero totum mortuum tegebant, quos injiciebant
Tondentes. ——

E Ejusdem moris meminit Statius *Thebaid. l.* VI.

—— tergoque & pectore fusam
Cæsariem ferro minuit, sectisque jacentis
Obnubit tenuia ora comis. ——

Non raro in rogum funebrem conjiciebatur cæsaries cum cadavere amici concremanda; quod in Patrocli funere ab Achille usurpatum dicitur *Iliad.* Ψ'. *vers.* 141.

Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην,
Τήν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν.

Stans seorsum a pyra flavam abscidit comam,
Quam sane Sperchio fluvio alebat florescentem.

F Aliquando tumulo imponebatur, prout nos docet Æschylus Χοηφόροις:

Ὁρῶ τομαῖον τόνδε βόστρυχον τάφῳ.

Video detonsam comam super tumulo.

Canacem apud Ovidium *Heroid. epist.* XI. amare dolet; quod dilecto Macareo hunc honorem conferre non licuerit.

Non

Non mihi te licuit lacrymis perfundere justis,
In tua non tonsas ferre sepulcra comas.

Ad filios vel genere proximos istud officium restringunt nonnulli; sed ex innumeris exemplis patet, ab iis, qui defunctis reverentiam & amorem testari volebant, indiscriminatim peractum fuisse: quapropter ob obitum præclarorum virorum in integris civitatibus & regionibus comæ tonsæ fuisse dicuntur.

Hujus moris duplex redditur ratio; etenim ex Sophoclis Scholiaste colligere est, illum adhibitum fuisse, tum ad defunctorum manes pacandos, qua de causa capillos vel in ignem conjecisse, vel in funere sparsisse videntur, tum ut formam turpare & negligere ostenderentur; longa enim cæsaries pervenusta habebatur, eaque superbire solebant Græci, unde ab Homero sæpius dicuntur καρηκομόωντες.

Præterea observandum est, in solenni & publico luctu ipsa jumenta tonsa fuisse, ut omnia extremam deformitatem & turpitudinem præ se ferre viderentur. Sic in luctu Alcestidis bigas tonderi jussit Admetus apud Euripidem *Alcestide vers.* 428.

Τέθριππά τε ζεύγνυσθε, καὶ μονάμπυκας
Πώλους σιδήρῳ τέμνετ' αὐχένων φόβην.
Quadrigasque jungite, & singularibus
Equis ferro secate cervicis jubam.

Pariter ob mortem Pelopidæ comas suas & equorum jubas totondisse dicuntur Thessali a Plutarcho in *Pelopida*. Itidem ob Masistium velitatione in Athenienses prætentata occisum suos capillos & equorum mulorumque jubas abraderunt Persæ, teste Plutarcho in *Aristide*. Alexander vero, ut in cæteris, ita hac in re reliquos homines excedere studuit: quandoquidem in luctu Hephæstionis, non solum equorum & mulorum jubas rescindi, sed & mœniorum pinnacula deturbari jussit, ut ipsæ urbes lugere pristinoque venusto adspectu deposito in funere calvescere viderentur, juxta Plutarchum in *Pelopida*.

Tamen iis, quæ eousque disseruimus, objici potest, rasuram lætitiæ signum fuisse, econtra comam aluisse lugentes: quapropter rasus fuisse dicitur Josephus, quando e carcere eductus est; similiter Mephibosheth Davide Hierosolymis exule capillosus fuit, reduce vero comam abrasit: itidem nautæ e naufragio erepti tonderi solebant: ad quem morem alludit Juvenalis *Sat.* XII. *vers.* 82.

—— gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.

Unde nautas, qui suas comas tonderi somniabant, a Diis moneri, illos quidem extremis periculis exponendos, sed ex omnibus salvos & incolumes evasuros esse contendit Artemidorus *l.* I. *c.* XXIII. Pariter somnium, quo somniaret se suos capillos radisse, in omen fœlicis ex imminente periculo exitus interpretatur Plinius in quadam *Epistola*: plura exempla eo facientia nobis suppeditant Poetæ; nominatim Lycophron, qui universum luctum sic describit *Cassandra vers.* 973.

—— πᾶς δὲ λυγαίαν λεὼς
Ἐσθῆτα προστρόπαιον ἐγκλαινούμενος,
Αὐχμῷ πινώδης λυπρὸν ἀμπρεύσει βίον
Κρατὸς δ' ἄκουρος νῶτα καλλυνεῖ φόβη,
Μνήμην παλαιῶν πημελοῦσ' ὀδυρμάτων.
—— omnisque populus nigram
Vestem piacularem indutus,
Situ squalidus mœstam exantlabit vitam:
Capitisque intonsa coma tergum decorabit,
Memoriam veterum nutriens lamentorum.

Plutarch. in *Romanis Quæst.* ut nodum abscindat, tradit viros in luctu comam aluisse, mulieres vero abradisse; quia alias breviores capillos viri, dum mulieres longiores, gestare assueverant: sed ex exemplis jam allatis & innumeris aliis liquide patet, viros longa capillitie, quam in gravi luctu tondebant, usos fuisse; necnon æque certum est mulieres prolixos capillos in luctu habuisse; quandoquidem capillis demissis & passis describitur mulier lugens: sic Ariadne Thesеum alloquitur apud Ovidium *Heroid. epist.* X.

Adspice demissos lugentis more capillos,
Et tunicas lacrymis sicut ab imbre graves.

Et in Terentii fabula, cujus scena est in Græcia, dictaque *Heautontimorumenos*, mulier lugens eumdem in morem depingitur *Act.* II. *Scen.* II.

Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anus causa, opinor, quæ erat mortua,
Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi,
Nulla mala re esse expolitam muliebri,
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. ——

Quapropter, ut nodus solvatur, duo notanda veniunt.

Primo, rasuræ modus: licet enim in signum lætitiæ a tonsoribus radi solerent capilli, attamen qui suam cæsariem propria manu negligenter & dissolute tondebant, lugebant: quapropter, postquam Artemidor. *l.* I. *c.* XXIII. asseruerit, neminem presum malis unquam rasum fuisse, *ibid.* subjungit, quando quis somniat se suam comam detondere, inde malum omen gravissimam calamitatem præsagiens erui licere; quia in luctu suam comam radere solent homines.

Secundo, gentium diversi mores notandi sunt: ubi enim breves capillos gestabant, ibi capillities prolixa luctus signum erat: vice versa, ubi homines comati erant, quando lugebant, radebantur capilli. Herodot. *l.* I. *c.* LXXXII. Plutarch. in *Lysandro*, & Alexander ab Alex. *Genial. Dierum l.* V. &c tradunt Argivos, Thyrea ab Spartanis capta, legem tulisse, qua cæsariem abradere, nec illam iterum alere pro more solito donec illam urbem recepissent, jussi sunt omnes cives; econtra Lacedæmonii, qui brevioribus capillis utebantur, decreverunt, ut ad exprobrandos hostes in posterum comam alerent sui cives; in illis autem locis, ubi capilli breves gestabantur, in luctu coma prolixa erat, quando vero comam alere moris fuit, qui lugebant, illam abradere solebant.

4. Qui mœstitia obruti & quasi oppressi erant, humi jacere & in pulvere se volutare assueverant, & quo magis lutosus erat locus, eo magis ibi se turpabant, luctumque & tristitiam testari credebant. Eum in morem filii sui Meleagri mortem deflet Oeneus apud Ovid. *Metamorph. l.* VII. *fab.* IV. *v.* 529.

Pulvere canitiem genitor vultusque seniles
Fœdat humi fusus, spatiosumque increpat ævum.

Pari modo Hectoris cruentam mortem luxit Priamus apud Homerum *Iliad.* ω. *vers.* 637.

Οὐ γάρ πω μύσαν ὄσσε ὑπὸ βλεφάροισιν ἐμοῖσιν,
Ἐξ οὗ σῆς ὑπὸ χερσὶν ἐμὸς παῖς ὤλεσε θυμόν.
Ἀλλ' αἰεὶ στενάχω καὶ κήδεα μυρία πέσσω,
Αὐλῆς ἐν χόρτοισι κυλινδόμενος κατὰ κόπρον.

Nondum enim clausi sunt oculi sub palpebris meis,
Ex quo tuarum vi manuum meus filius amisit animam:

Sed assidue ingemisco & dolores innumerabiles concoquo, A
Aulæ in septis volutatus per cineres.

5. Cineres in capite spargebant; exemplo sit Achilles, quando Patrocli mortem audiisset *Iliad.* σ'. *vers.* 23.

Αμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς.
Ambabus autem manibus sublatos cineres ardentes
Fudit super caput. ——

Hæ consuetudines apud populos Orientales pariter B vigebant; unde sæpius memorantur lugentes, qui humi jacebant, ciliciumque & cineres induebant.

6. Quando foras prodibant, illorum capita velata erant: prout colligi potest ex *Anthol. l.* v. *ep.* XXXIII.

—— φᾶρος γὰρ ἐπικρεμὲς ἀμφὶ προσώπῳ
Πήματα μοὶ δείκνυσιν. ——
—— *velum enim pendens circa faciem*
Dolores quidem indicat. ——

Quocirca Electram ad luctum deponendum exuto velo hortatur Orestes apud Euripid. *Oreste v.* 294. C

Καὶ νῦν ἀνακάλυπτ', ὦ κασίγνητον κάρα,
Ἐκ δακρύων τ' ἄπελθε. ——
Nunc itaque retege te ipsam, *o chara soror,*
Et abi a lacrymis. ——

Nec solarum mulierum proprius fuit mos iste; Adrastus enim jacturam Thebis passus Theseum adiit κατήρης χλανιδίοις: qua de causa eum sic alloquitur Theseus apud Euripidem *Supplic. vers.* 111.

Λέγ' ἐκκαλύψας κρᾶτα, καὶ πάρες γόον.
Dic retecto capite, & omitte luctum. D

Similer Hamanus conjuratione, quam in Mardocheum machinatus fuerat, irrita facta domum properasse lugens & capite obvoluto dicitur *Esth. c.* VI. *vers.* 12 Judæi pudore affecti, confusique, & caput velantes tempore diræ famis a Jeremia *cap.* XIV. *vers.* 3, 4. traduntur.

7. In signum tristitiæ caput in manibus reclinabant; unde de miseris Trojanis sic loquitur Helena apud Euripidem *Helena vers.* 377.

Ἐπὶ δὲ κρατὶ χέρας ἔθηκαν.
Capitique manus imposuerunt. E

8. Lente gradiebantur, ut animi, virium, spirituumque deliquium exprimerent; sic Achabus Rex Israelis, minis Eliæ Prophetæ perterritus, jejunavit, in cilicio jacuit, & lento gradu ivit 1. *Reg. cap.* XXI. *vers.* 27. similiter Ezechias Rex Judæ, quando a Propheta accepisset, a morbo, quo laborabat, se nunquam emersurum, inter tristitiæ indicia illud erupit *Esaiæ cap.* XXXVIII. *vers.* 15. *lente gradiar omnibus meis annis in animæ meæ amaritudine.*

9. Pectora & femora plangere, carnem incidere, faciemque unguibus sulcare, aliquando viri, F sæpius vero mulieres solebant, eo quod illarum affectus vehementiores difficilius regantur. Testis nobis sit Nonnus *Dionys. l.* IX. *vers.* 293.

—— φιλοθρήνων δὲ γυναικῶν
Στυγνὸς ἐρευθιόωσαν ὄνυξ ἄμυξε παρειὴν,
Καὶ ῥοδέοις ἐκόρυσσαν ἑκούσια δάκτυλα μαζοῖς.

—— *luctuosarum vero mulierum*
Horribilis rubicundam unguis laniavit maxillam
Et roseis armaverunt spontaneos digitos mamillis.

Eumdem in morem sororis Didonis mortem inopinatam lamentatur Anna apud Virgil. *Æneid. l.* IV. *vers.* 672.

Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Unguibus ora soror fœdans & pectora palmis.

Hujusmodi exempla apud Græcos & Latinos Scriptores innumera occurrunt, quia Romæ & in Græcia ubique vigebat hæc consuetudo. Inter insanos lugendi mores hunc planctum nominatim vetuit Solon, juxta Plutarchum in *Solone* & Ciceronem *de Legibus*. Cognatorum mortem constanter & moderate perferebant Lacedæmonii, sed quando Reges suos lugebant, viri, mulieres & servi promiscui & frequentissimi in unum locum congregati frontem aciculis & acubus barbarum in morem sibi invicem incidebant. Quæ consuetudo, præterquam quod doloris indicium esset, ad placandos manes inducta fuisse creditur: manium enim cibus & deliciæ erat sanguis, ut in sequentibus ostendetur. Servius *in Æneid. l.* XII. refert, *moris fuisse ut ante rogos sanguis humanus effunderetur, vel captivorum, vel gladiatorum: horum si forte copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis horum imago restitueretur.* Idemque *in Æneid. lib.* III. ubi Lavinia genas laniat, ex Varrone probat, *mulieres in exequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut ostenso sanguine inferis satisfacerent.*

10. Deos querelis & diris lacessebant; unde Statius *Sylv. lib.* V. ait:

—— *injustos rabidis pulsare querelis*
Cœlicolas solamen erit. ——

Nec immoderato affectui, nec imperitis hominibus extremo dolore percitis solummodo tribuendi sunt hi mores impii; quandoquidem viri cujuslibet conditionis serium & solennem in modum eo insaniæ devenisse dicuntur, nominatim ab Statio *Thebaid. l.* III.

—*primævique senes, & longo examine matres*
Invidiam planxere Deis. —

Quia humanis affectibus obnoxii credebantur Dii, illos crudelitatis invidiæ arguere hominibus malo pressis proclive erat. Sic, quando Hylas Herculis deliciæ in aquis periisset, Numina illa loca incolentia eum, eo quod iis dilectum, rapuisse dicuntur; & si unquam insigni & publico beneficio destituti fuissent, tantum bonum hominibus invidisse Dii immortales dicebantur. Inter innumera exempla eo facientia illud Marcelli ex Virgilio *Æn. l.* VI. *vers.* 870. afferre lubet:

Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent: nimium vobis Romana propago
Visa potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.

Aliquando eo furoris in Deos procedebant, ut illorum aras diruerent, templaque diriperent: exemplo nobis sit Neoptolemus, qui, quum audiisset, patris cædis conscium fuisse Apollinem, ejus Delphicum templum destruere statuit, quod dum moliebatur, occisus est, teste Euripide in *Androma he.*

11. Vocem producere, & interjectionem ἒ, ἒ, ἒ, ἒ, lacrymando quater iterare solebant: unde (si Aristophanis Scholiastæ in *Nubibus* credere fas est) næniæ dictæ sunt ἔλεγοι, *elegiæ,*

12. Ob publicorum Magistratuum vel insignium

virorum obitum, aut ob aliam quamvis publicam calamitatem, publici conventus intermitti, gymnasia, balnea, officinæ, templa, & omnia loca frequentata claudi assueverant, ita ut tota civitas luctum præ se ferret: sic Socratem, quem recenter morti tradiderant, deflebant Athenienses, teste Diogene Laertio in *ejus Vita*.

13. Ad majorem celebritatem ploratores & musici funus decorabant; qui mos in plerisque orbis terrarum locis obtinuisse videtur. Romanæ præficæ satis innotuerunt: & æque certum est in Oriente viguisse hanc consuetudinem: unde in diversis Sacrorum Codicum locis lamentatorum, qui urbem obibant, necnon præficarum mentio fit; Jeremias *cap.* IX. *vers.* 17. imminente calamitate in Judæos detonata, ait: *Attendite, vocate lamentatrices, ut festinent, & tollant super nos luctum, & descendant oculi nostri in lacrymas, & palpebræ nostræ defluant in aquas*. Homero autem dicuntur θρήνων ἔξαρχοι, quia planctu, & vero & vehementissimo dolore ad vivum simulato adstantibus tristitiam concitare studebant; pariter dicuntur ἀοιδοὶ, προσῳδοὶ, &c. quia cantilenas in funeribus canebant, quæ triplices fuerunt, altera, dum funus procedebat, altera ad rogum, tertia vero ad tumulum decantata est: vulgo dicebantur ὀλοφυρμοὶ, λινοὶ, αἴλινοι, licet duo postrema vocabula non solum de funebri, sed & de quolibet carmine prædicentur: aliquando vocantur ἰάλεμοι ab Ialemo Clius filio horumque carminum inventore; pari ratione carmina nuptialia efferebantur ὑμέναιοι ab ejus fratre Hymenæo: næniæ iterum dictæ sunt τάλεμοι: unde τιλεμίζειν ab Hesychio exponitur θρηνεῖν, id est, *lamentari*, & τιλεμίστριαι sunt *lamentatrices*: qua de causa τὰ ταλεμώδη sunt *vana & futilia*, ut & ταλέμου ψυχρότερος proverbio trito sermoni insipido & absurdo tribuitur apud Suidam & Zenodotum: carmina enim lugubria ut plurimum plebeia & nugatoria erant: exinde dictum Plauti in *Asinaria Act.* IV. *Scen.* 1.

Hæ non sunt nugæ, non enim mortuaria.

Quem in usum in luctu adhibita fuerint instrumenta musica, non convenit inter Auctores: nonnulli enim ad Dæmones & Furias a defunctorum manibus fugandos ea introducta fuisse volunt; alii juxta Platonis & Pythagoræ placita iis indicari animæ in cœlos receptionem contendunt, quia divinam & æternam symphoniam orbium cœlestium motum edere putabant ii Philosophi; alii iterum afferunt defunctorum superstitum amicorum tristitiæ levandæ destinata fuisse; tandem, probabilior mihi videtur illorum opinio, qui ad mœrorem ciendum adhibita esse tradunt; qua de causa lyra, quandoquidem Apollini sacra, & Pæanibus lætisque carminibus tantummodo apta, in funeribus nunquam usuvenit. Tibiam quidem in Alcestidis fletu ab urbe pepulisse dicitur Admetus apud Euripidem *Alcest. vers.* 430.

Αὐλῶν δὲ μὴ κατ' ἄστυ, μὴ λύρας κτύπος.
Ἔστω, σελήνας δώδεκ' ἐκπληρουμένας·
Οὐ γάρ τιν' ἄλλον φίλτερον θάψω νεκρὸν
Τοῦδ'. ——
Tibiarum vero ne per urbem, neque lyræ strepitus
Sit, duodecim integris mensibus:
Non enim ullum aliud charius cadaver sepeliam
Quam hoc. ——

Sed inde tantum colligendum est, apud Veteres diversas fuisse tibias, quarum aliæ ad lætitiam, aliæ vero ad luctum compositæ erant; etenim ex innumeris exemplis abunde patet αὐλοὺς, id est *tibias*, omnium instrumentorum musicorum in funeribus usitatissima fuisse; unde Statius in adolescentis Archemori funere describendo hæc habet *Thebaid. l.* VI. *vers.* 120.

Tum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum traducere manes
Lege Phrygum mœsta: Pelopem monstrasse ferebant
Exequiale sacrum, carmenque minoribus umbris
Utile. ——

Nonnulli quidem asserunt tibias Lydias luctui, Phrygias vero, quarum meminit Statius, lætitiæ & hilaritati accomodatiores fuisse, has autem in funeribus infantium & adolescentium, quæ tantum diverso modo a funeribus adultiorum celebrari solebant, usuvenisse, idque ex Statii *loco* adstrui volunt; sed quia horum verborum sensus plane diversus videtur, (non enim instrumentum, sed carmen, de quo loquitur, juniorum funeribus accommodatum fuit) idcirco in confesso esse debet tibias Phrygias in luctu vulgatissimas fuisse, licet tum Lydiæ, tum quævis aliæ non omnino exclusæ fuerint; unde *næniæ*, quæ Latine sunt carmina lugubria, a Græca voce νηνίατον, quam usurpat Hipponax, quamque (licet Scaligero origine sit Hebræa) Phrygiam facit Pollux, derivari videntur, æque ac νηνυρίζεσθαι, quod θρηνεῖν exponitur. Pariter in luctu adhibita est tibia Caria, quocirca ploratores & musici dicuntur Καρῖναι apud Hesychium, & Καρικὴ μοῦσα est carmen lugubre: eadem autem erat ac Phrygia tibia, a quibus, teste Polluce *l.* III. ad Cares pervenit. Duas tantum addam: primo Mysiam tibiam, quæ luctui idonea erat; quapropter Æschyl. canit in *Persis*, ejusque Scholiast. *in eum locum* observat:

Καὶ στέρν' ἄρασσε, κἀπιβόα τὸ Μύσιον.
Et pectora tundit, & insonat tibia Mysia.

Altera est Lydia tibia, quæ, referente Plutarcho in *Tract. de Musica* ex Aristoxeno, ab Olympo in Pythonis funere in hunc usum primo adhibita est.

CAP. VI.

De mortuorum sepultura & combustione.

CORPORUM inhumationem & concremationem apud Græcos in usu fuisse pluribus demonstrare supervacaneum foret; sed quænam antiquior fuerit jure merito controvertitur: licet enim recentioribus sæculis corporum crematio in Græcia viguerit, tamen antiquissimis temporibus illa humo mandandi mos obtinuit. Athenienses, qui inferioribus sæculis corpora comburere assueverunt, sub regno Cecropis ea inhumasse certum est, si Ciceroni *de Legibus lib.* II. credere fas est; imo corporum contumulationem concrematione, quæ ab Hercule primum introducta est, antiquiorem esse diserte asserit Homeri Scholiastes *in Iliad.* α. Quidquid sit, corpora cremandi morem in bello Trojano usuvenisse, tumque & deinceps ab universis Græcis usurpatum esse liquide patet; ita ut Lucianus *de luctu*, diversarum gentium diversis moribus corpora committendi recensitis, Græcis combustionem, Persis vero sepulturam tribuit. Quod non ita intelligendum, quasi illa ætate, de qua loquitur, mortuos minime sepeliverint Græci, multo minus illa sepelire illicitum duxerint; sed hoc tantum sibi vult, priorem consuetudinem vulgatiorem fuisse. Utriusque moris meminit Socrates in Platonis *Phædone*: & concremationem immanem & inhumanam consuetudinem nonnullos tum habuisse liquet, ex eo quod in eam inclamantem, & Promethenum auxilio vocantem, ut, si fieri possit, ignem, quem mortalibus largitus fuerat, iterum ab iis subducat,

A quemdam inducit Poeta ab Eustathio *Iliad. α'. pag.* 32. citatus. De hac re inter Philosophos non conveniebat; qui ex aqua terra, aut quator elementis conflatum esse corpus humanum putabant, illud terræ mandare malebant: Heraclitus vero ejusque asseclæ, quia omnium rerum elementum ignem esse volebant, concremationem anteponebant: rationi enim & naturæ maxime consentaneum singuli ducebant, quando corpora eum in modum committebantur, quo citissime in sua prima principia resolvi possent.

Cur universo usu in Græcia venerit corporum concrematio, ab Eustathio *loco mox citato* duplex redditur ratio; altera, quia post animæ migratio-
B nem corpus impurum, & idcirco igne purgandum, esse censebatur; unde de Clytæmnestra hæc habet Euripides *Oreste vers.* 40.

—— πυρὶ καθήγνισται δέμας.
—— *igne purificatum est corpus.*

Altera vero subjungitur ratio; quia nimirum anima a crassa & inerti materia liberata, ad cœlos ferri expeditiori volatu licebat, juxta Quintilianum *Declam.* X. Quapropter apud Indos Philosophi, quando vitæ tædio affecti, in pyra eum in finem
C congesta sua corpora comburere solebant, ut anima sua ergastulo solveretur: insigne exstat exemplum Calani, qui Alexandrum ex India secutus est; quia enim se male habebat, venia a Rege impetrata, ut morbum ingravescentem sine mora abrumperet, flammis se commisit, teste Quinto Curtio. Pari modo Hercules terræ fæcibus purgatus est, priusquam in cœlos admitteretur. Vulgaris autem fuisse videtur opinio, igni scilicet inesse miram vim, qua pars hominis cœlestis defæcari & ab omni crassa corruptaque materia, simulque ejus impuris qualitatibus liberari queat. Sic hujus elementi ope Scylla, quam occiderat Hercules, e mortuis a patre Phor-
D cyde suscitata & immortalitate donata est apud Lycophronem *Cassandra vers.* 47.

—— ἣν αὖθις πατὴρ
Σάρκας κατaίθων λαμπάσιν δωμήσατο,
Λέπτυνιν οὐ τρέσασαν, οὐδαίαν Θεάν.
—— *quam rursum pater,*
Corpore lampadibus combusto, resuscitavit,
Non timentem Proserpinam, infernam Deam.

Rogi, in quibus corpora comburebantur, dicebantur πυραί: quæ nec in eamdem figuram, nec
E ex eadem materia construi solebant; sed diversæ erant, prout tempus, locus, & aliæ circumstantiæ ferebant.

Corpus in summa pyra reponebatur, nec vulgo solum comburebatur; quandoquidem præter diversa animalia, quæ in rogum injiciebantur, in funere viri genere clari plures servi aut captivi concremati, & unguenta odoramentaque pretiosa in flammis effundi assueverant: inter innumera hujusmodi exempla, quæ antiqui Poetæ nobis subministrant, illud Patrocli funeris tantum ex Homero adducam *Iliad.* ψ'. *vers.* 164.

F Ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα.
Ἐν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ νεκρὸν θέσαν ἀχνύμενοι κῆρ·
Πολλὰ δὲ ἴφια μῆλα καὶ εἰλίποδας ἕλικας βοῦς
Πρόσθε πυρῆς ἔδερόν τε καὶ ἄμφεπον· ἐκ δ' ἄρα πάντων
Δημὸν ἑλὼν ἐκάλυψε νέκυν μεγάθυμος Ἀχιλλεὺς
Ἐκ πόδας ἐκ κεφαλῆς· περὶ δὲ δρατὰ σώματα νήει.
Ἐν δ' ἐτίθει μέλιτος καὶ ἀλείφατος ἀμφιφορῆας,
Πρὸς λέχεα κλίνων· πίσυρας δ' ἐριαύχενας ἵππους
Ἐσσυμένως ἐνέβαλλε πυρῇ, μεγάλα στοναχίζων.
Ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν,
Καὶ μὲν τῶν ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δειροτομήσας.
Δώδεκα δὲ Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς
Χαλκῷ δηϊόων. ——

Struxerunt vero pyram centum pedum quoquoversus:
Inque pyra summa cadaver posuerunt dolentes corde:
Multas vero pingues oves & flexipedes nigros boves
Ante pyram excoriarunt & curarunt: at ex omnibus
Adipe sumpta obtexit cadaver magnanimus Achilles
Ad pedes a capite: circumque excoriata corpora accumulabat:
Imposuitque mellis & olei amphoras,
Ad feretrum acclinans; quatuorque arduos cervicibus equos
Festinanter injecit pyræ, magnos ciens gemitus:
Novem huic regi mensarii canes erant,
Horum etiam injecit pyræ duos obtruncatos:
Duodecim & Troum magnanimorum filios strenuos
Ære cædens. ——

Corpus autem animalium adipe cooperiri solebat, ut citius a flammis absumeretur, juxta Eustathium; insigne enim beneficium credebatur, quando cadaver properato in cineres redigebatur: quocirca, quum plurima corpora in eadem pyra comburebantur, totum funus ita componi solebat, ut pinguiora & combustibiliora corpora ad vim igni addendam cum corporibus contrarii temperamenti secundum proportionem distribuebantur, ita ut decem virorum corporibus unius mulieris corpus additum sit, prout scribunt Plutarch. in *Sympos. l.* III. *quæst.* II. & Macrob. *Saturnal. l.* VII. *cap.* VII.

Militum arma una cum ipsis concremari solebant; qua de causa simile beneficium ab Ulysse poscit Elpenor apud Homerum *Odyss.* λ'. *vers.* 74.

Ἀλλά με κακκῆαι σὺν τεύχεσιν, ἅσσα μοι ἐστιν.
Sed me combure cum armis, quæcumque mihi sunt.

Pariter vestes, quas, dum viverent, gestaverant, in rogum conjici solebant: nonnulli autem ideo tam solliciti fuerunt, ut id in testamento expresse mandarint. Ut in aliis pietatis officiis, ita in hoc omnium Græcorum profusissimi fuerunt Athenienses, adeo ut ad illorum luxuriei fræna injicienda, ne iis, quæ in mortuos profundebantur, fraudarentur vivi, appositis severis pœnis sancire consentaneum duxerint illius gentis Legislatores. Unicam rubram vestem, vel ad summum, nonnullos olivæ ramos cum funere sepeliri jussit Lycurgus, juxta Plutarchum in *ejus Vita*, eaque solis viris virtute & fortitudine claris decrevit. Triplicem vestem simulque unicum bovem largitus est Solon, teste eodem in *illius Vita*. Qui in funeribus immodicos sumptus fecerant, Chæroneæ a mulierum censoribus tanquam effœminatæ mollitiei rei plectebantur, juxta eumdem Auctorem *ibidem*.

A defunctorum proximis cognatis aut amicis, qui ventorum afflatum, quo flammæ viribus auctæ corpus in cineres mature consumerent, supplicibus votis sollicitabant, accendi solebat pyra; sic Achilles, igne Patrocli rogo admoto, Boream & Zephyrum precatur, ut viribus junctis ad ejus auxilium advolent *Iliad.* ψ'. *vers.* 192.

Οὐδὲ πυρὴ Πατρόκλου καίετο τεθνειῶτος,
Ἔνθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεὺς,
Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς, δοιοῖς ἠρᾶτ' ἀνέμοισι
Βορέῃ καὶ Ζεφύρῳ, καὶ ὑπέσχετο ἱερὰ καλὰ,
Πολλὰ δὲ καὶ σπένδων χρυσέῳ δέπαϊ λιτάνευεν
Ἐλθέμεν, ὄφρα τάχιστα πυρὶ φλεγεθοίατο νεκρὸν,
Ὕλη τ' ἐσσεύαιτο καήμεναι. ——

Neque pyra Patrocli ardebat mortui,
Tum vero alia animo designavit pedibus valens nobilis Achilles,
Stans seorsim a pyra, duobus vota fecit ventis
Boreæ & Zephyro, & pollicitus est sacra pulchra,
Multis etiam libans aureo poculo supplicavit
Ut venirent, quo citissime igne comburerent cadaver,
Lignaque propere arderent. ——

In exercitus ducum summorumque præfectorum funeribus, milites simulque omnes adstantes in honorem defuncti rogum solemnem in morem ter circuire solebant. Sic Græci apud Homerum *Iliad.* ψ'. *vers.* 13.

Οἱ δὲ τρὶς περὶ νεκρὸν ἐΰτριχας ἤλασαν ἵππους
Μυρόμενοι. ——
Hi vero ter circa mortuum pulchre jubatos egerunt equos
Lugentes. ——

Hoc autem officium Græce dicebatur περιδρομὴ, Latine *decursio*, cujus sæpius meminerunt Poetæ; nominatim illam eleganter descripsit Statius *Thebaid. l.* VI. *vers.* 213.

Tum septem numero turbas (centenus ubique
Surgit eques) versis ducunt insignibus ipsi
Grajugenæ reges, lustrantque ex more sinistro
Orbe rogum, & stantes inclinant pulvere flammas:
Ter curvos egere sinus, illisaque telis
Tela sonant, quater horrendum pepulere fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.

Ubi observandum est, in hac decursione motum sinistrorsum peractum fuisse, quo tristitiam exprimemebant; econtra motum ad dextram lætitiæ signum fuisse; unde idem Auctor *ibid. vers.* 221. subjungit:

—— *hic luctus abolere, novique*
Funeris auspicium vates, quamquam omnia sentit
Vera, jubet, dextro gyro, & vibrantibus hastis
Huc redeunt. ——

Has autem decursiones cum clamoribus & tubarum clangore peractas fuisse nos docet Valerius Flaccus *Argonaut. l.* III.

Inde ter armatos Minyis referentibus orbes
Concussi tremuere rogi, ter inhorruit æther
Luctificum clangente tuba, jecere supremo
Tum clamore faces. ——

In quibus ultimis verbis subindicare videtur decursionem perfectam fuisse ante rogum accensum; ex aliis autem Scriptoribus liquet, illam actam fuisse dum pyra ardebat: sic Virgilius disertis verbis tradit *Æneid. l.* XI. *vers.* 188.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Dum rogus ardebat, defuncti amici adstantes vina libabant, ejusque manes invocabant: eum in morem Patrocli funera per totam noctem celebravit Achilles *Iliad.* ψ. *vers.* 218.

—— καὶ πάννυχος ὠκὺς Αχιλλεὺς
Χρυσέου ἐκ κρητῆρος, ἔχων δέπας ἀμφικύπελλον,
Οἶνος ἀφυσσόμενος χαμάδις χέε, δεῦε δὲ γαῖαν,
Ψυχὴν κικλήσκων Πατρόκλῆος δειλοῖο.
—— *& tota nocte velox Achilles*
Aureo ex cratere, tenens poculum rotundum,
Vinum hauriens in humum fundebat, rigabatque terram,
Animam vocans Patrocli miseri.

Pyra consumpta flammisque desinentibus, ignem superstitem vino effuso exstinguebant, ossaque & cineres colligebant: sic Trojani Hectoris exequias perficiunt apud Homerum *Iliad.* ω. *vers.* 791.

Πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊὴν σβέσαν αἴθοπι οἴνῳ
Πᾶσαν, ὁπόσσον ἐπέσχε πυρὸς μένος· αὐτὰρ ἔπειτα
Οςέα λευκὰ λέγοντο κασίγνητοί θ' ἕταροί τε.
Primum quidem pyram exstinxerunt nigro vino
Totam, quantum occuparat ignis vis; at deinde
Ossa alba legerunt fratres sodalesque.

Ex quibus verbis liquet, istud officium a proximis cognatis persolutum fuisse; ad quem morem pariter alludit Tibullus *l.* I. *eleg.* III.

—— *non hic mihi mater*
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Vino ablui, & mox peracta ablutione, oleo condiri solebant ossa. Illud officium ejus ossibus persolutum fuisse Achilli nunciat Agamemnon apud Homerum *Odyss.* ω. *vers.* 71.

Αὐτὰρ ἐπεὶ δή σε φλὸξ ἤνυσεν Ηφαίςοιο,
Ηῶθεν δή τοι λέγομεν λεύκ' ὀςέ', Αχιλλεῦ,
Οἴνῳ τ' ἀκρήτῳ καὶ ἀλείφατι. ——
At postquam flamma Vulcani te penitus absumpsit,
Mane jam tibi collegimus alba ossa, Achilles,
Vino mero & unguento. ——

Patrocli ossa adipe inclusa dicuntur ab Homero *Iliad.* ψ'. *vers.* 252.

Κλαίοντες δ' ἑτάροιο ἐνηέος ὀςέα λευκὰ
Αλλεγον ἐς χρυσέην φιάλην καὶ δίπλακα δημόν.
Flentes vero socii mitis ossa alba
Collegerunt in auream phialam & duplicem adipem.

Quæri autem potest, quomodo funeris reliquiæ a brutorum & hominum concrematorum ossibus discernebantur; (iis, quæ de lapide Amianto & Indica cannabi, quasi igne uri nequirent, fabulantur, prætermissis) respondeo, ex duobus præsertim exemplis allatis liquere, ut ea distinguerentur, defuncti corpus in media pyra, homines vero & bruta ad latera reposita fuisse: sic Patrocli reliquias facile secerni posse Græcis affirmat Achilles apud Homer. *Il.* ψ'. *v.* 237.

Πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊὴν σβέσατ' αἴθοπι οἴνῳ
Πᾶσαν, ὁπόσσον ἐπέσχε πυρὸς μένος· αὐτὰρ ἔπειτα
Οςέα Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο λέγωμεν,
Εὖ διαγιγνώσκοντες, ἀριφραδέα δὲ τέτυκται·
Εν μέσσῃ γὰρ ἔκειτο πυρῇ, τοὶ δ' ἄλλοι ἄνευθεν
Εσχατιῇ καίοντ' ἐπιμὶξ ἵπποι τε καὶ ἄνδρες.
Primum quidem pyram exstinguite nigro vino
Totam, quantum occupavit ignis vis: at deinde
Ossa Patrocli Menœtiadæ legamus,
Bene discernentes, cognitu facilia enim sunt:
In media namque jacebat pyra, alii vero seorsum
In extrema ora cremabantur promiscue equique & viri.

Pari ratione discriminata sunt Achillis ossa, teste Quinto Smyrnæo *l.* III. *vers.* 720.

Δὴ τότε πυρκαϊὴν οἴνῳ σβέσαν, ὀςέα δ' αὐτοῦ
Φαίνετ' ἀριφραδέως· ἐπεὶ οὐχ ἑτέροισιν ὁμοῖα

Ἦν, ἀλλ' οἷα γίγαντος ἀτειρέος· οὐδὲ μὲν ἄλλα
Σὺν κείνοις ἐμέμικτο· ἐπεὶ βόες, ἠδὲ καὶ ἵπποι,
Καὶ παῖδες Τρώων, μίγδα κταμένοισι καὶ ἄλλοις
Βαιὸν ἄπωθε κέοντο περὶ νέκυν, ὃς δ' ἐνὶ μέσσοις
Ῥιπῇ ὑφ' Ἡφαίστοιο δεδμημένος οἶος ἔκειτο.
Tandem pyram vino restinxerunt, ossa autem illius
Insigniter exstabant: quia cæteris non æqualia
Erant, sed invicti gigantis instar: nec quidem alia
Cum his permixta erant: nam boves, & equi,
Et Trojugenæ, promiscue cum aliis mortuis
Haud longe jacebant circa cadaver, quod in medio
Vulcani æstu consumptum jacebat separatim.

B Cum ossibus ita discretis una colligebantur cineres immixti: nulla enim ratione, saltem quæ nobis innotuerit, hominum ossa perusta a vulgaribus cineribus secernere noverant.

Ossa cineresque collecti in urnis, quæ dicebantur κάλπαι, φίαλαι, κρωσσοὶ, λάρνακες, ὀστοθῆκαι, ὀστοδοχεῖα, σοροὶ, &c. reponebantur. Ex diversa autem materia, vel ligno, lapide, argilla, argento, aurove conflabantur, pro dignitate defunctorum. Virorum virtute insignium urnæ ut plurimum floribus & sertis decorabantur: alias, ne luci exponerentur, velo vulgo operiri solebant, donec humo commissæ erant; quod in funeribus ab Homero descriptis imprimis observare licet; C sic Hectoris ossa obvelata fuisse dicuntur *Iliad. ώ. vers.* 795.

Καὶ τά γε χρυσείην εἰς λάρνακα θῆκαν ἑλόντες,
Πορφυρέοις πέπλοισι καλύψαντες μαλακοῖσιν.
Et hæc aureum in loculum posuerunt suscepta,
Purpureis peplis obtecta mollibus.

Idem officium Patrocli urnæ persolutum dicitur *Iliad. ψ'. vers.* 254.

Ἐν κλισίῃσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν.
Et in tentoriis positum peplo subtili texerunt.

D De sepultura observandum est, corpus in feretro resupinum jacuisse, quia mortuos magis decere, eorumque majori beneficio conducere, ni fallor, credebatur, quando facies cœlum Deorum superorum sedem lucisque originem citius quam Deorum inferorum tenebrosas domos respiciebat. Quapropter Diogenes Cynicus interrogatus, quem in situm inhumatus jacere mallet, respondit, εἰς πρόσωπον, id est, *facie prona*: causam autem rogatus regessit, *quia mundus brevi invertendus est*, juxta Laertium in *Diogene*; quo responso Græcorum superstitionem hac in parte ludibrio exponebat ille Philosophus. E Nec prætermittendum est, corpus in tumulo ita repositum esse, ut caput solis ortum adspiceret, teste Thucydidis Scholiaste. Plutarch. quidem in *Solone* tradit, Megarenses funus orientem versus, Athenienses vero, quorum consuetudo eadem esse videtur ac cæterorum Græcorum, versus occidentem tumulasse; cui accinit Ælianus *Var. Hist. l.* VII. *c.* XIX. quoad Athenienses spectat: notandum autem est, ut facies solem orientem respiceret, occidenti obverti necessario debebat caput: qua de causa sepulcri caput vel suprema pars, ut solis ortum adspiceret, ad occasum itidem collocata.

F Pro clausula subjungam, duo, tria, imo quatuor corpora in uno sepulcro condere solitos fuisse Megarenses; Athenis vero in uno tumulo, multo minus in una sandapila vel urna, raro componebantur plura cadavera, juxta Plutarchum in *Solone*; quod a reliquis Græcis vulgo servatum fuisse videtur; illi soli, qui propinqua cognatione aut amicitia conjuncti erant, una sepeliri consueverant; cum immane haberetur separare in morte, quos per vitam nulla infortunia divellere poterant. Plurima hujuscemodi exempla apud veteres Scriptores exstant; A hinc Agathiæ epigramma in fratres geminos *Antholog. l.* III. *c.* III. *epigr.* II.

Εἷς δύ' ἀδελφοὺς ὧδ' ἐπέχει τάφος, οὗ γὰρ ἐπέγνον
Ἦμαρ καὶ γενεῆς οἱ δύο καὶ θανάτου.
Unus duos fratres ibi continet tumulus, unum enim obtinuerant
Diem ortus ambo & mortis.

Quod ad fœlicitatem suam non parum conferre existimabant amantes; sic Thisbe suprema hora unice rogavit, ut simul cum Pyramo inhumaretur, teste Ovidio *Metamorph. l.* IV. *fab.* IV. *vers.* 154.

B *Hoc tamen amborum verbis estote rogati,*
O multum miseri meus illiusque parentes;
Ut, quos certus amor, quos hora novissima junxit,
Componi tumulo non invideatis eodem.

Admetus apud Euripidem *Alcest. vers.* 365. profitetur se velle jacere in eodem tumulo cum sua uxore Alcestide:

Ἐν ταῖσιν αὐταῖς γάρ μ' ἐπισκήψω κέδροις
Σοί τε θεῖναι πλευράς. ——
Mandabo enim ut in iisdem cedrinis arcis mea
C *Tecum ponant latera.* ——

Patroclus, post mortem Achilli ostensus, eum obnixe rogat, ut ipsius ossa in eodem tumulo, quem sibi ipsi destinarat, condere dignetur, juxta Homerum *Iliad. ψ'.* & Achille defuncto, cineres amici sui Antilochi in eadem urna cum suis ponuntur a Græcis, imo illi Patrocli non tantum in eodem vase injecti, sed una mixti fuerunt; quemadmodum Agamemnonis manes, quando in inferis ei occursarent, eidem referunt *Odyss. ώ. vers.* 76.

Ἐν τῷ τοι κεῖται λεύκ' ὀστέα, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ,
D Μίγδα δὲ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος.
Χωρὶς δ' Ἀντιλόχοιο, τὸν ἔξοχα τῖες ἁπάντων
Τῶν ἄλλων ἑτάρων μετὰ Πάτροκλόν γε θανόντα.
In hac tibi jacent candida ossa, illustris Achilles,
Permixtim autem Patrocli Menœtiadæ demortui:
Separatim vero Antilochi, quem eximie honorabas omnium
Aliorum sociorum post Patroclum defunctum.

Halcyone præ amore longius abripitur; nam, marito suo Ceyce sævis undis absorpto, se ipsam solatur eo quod, etsi ipsius cadaver non recuperari posset, tandem sua nomina eidem monumento inscriberentur, & quasi mutuo se amplexarentur, ut canit Ovidius *Metamorph. l.* XI. *Fab.* X. *vers.* 708.

E —— *crudelior ipso*
Sit mihi mens pelago, si vitam ducere nitar
Longius, & tanto pugnem superesse dolori.
Sed neque pugnabo, nec te, miserande, relinquam;
En tibi nunc saltem veniam comes, inque sepulcro
Si non urna, tamen junget nos littera, si non
Ossibus ossa meis, at nomen nomine tangam.

CAP. VII.

F *De ipsorum sepulcris, monumentis, cenotaphiis, &c.*

VEteres Græci humabantur in locis ædium ad id selectis, secundum Platon. *Minoe*; apud Thebanos vigebat lex, qua nemo domum ædificaret, quin prospiceret loco in sepulturam defunctorum. Intra civitates corpora humo mandari ipsis recentioribus ætatibus usitatissimum fuisse videtur, earumque partes celeberrimas monumentis quam ma-

xime locupletatas fuiſſe; ſed iſtud beneficium non niſi in viros præſtantiſſimos, & qui de republica optime meriti erant, conferebatur; ceu qui humo ſe ſuſtulerant, virtutiſque exemplaria futuris ſæculis extiterant, aut ob ſingulare aliquod officium digni habiti fuerant, ut ipſorum nominis memoria a poſteris celebraretur. Magneſii in medio eorum foro tumulum Themiſtocli exſtruxerunt, juxta Plutarchum in *ejus Vita*; Corinthii eodem honore Euphronem decorarunt, teſte Xenophonte Ἑλλω. *l.* VII. atque ex Pindari Scholiaſte patet colonias plerumque in mediis urbibus illos tumulaſse, qui eas deduxerant, & quorum ope novas ſedes occuparant.

In templis aliquando reponebantur mortui; cujus rei plurima exempla nobis ſuppeditant priſca ſæcula; ita ut nonnulli putaverint, templa originem habuiſse ex honoribus in mortuos delatis. Vide *Archæologiam noſtram l.* II. *c.* II. Nec poſterioribus temporibus omnino deſunt ejuſmodi exempla; Euchidas enim a Platæenſibus in templo Dianæ Eucliæ ſepultus dicitur eo, quod mille ſtadia uno die emenſus attulerit ignem Delphis, ut refert Plutarch. in *Ariſtide*; ex quo multiſque aliis exemplis liquet, iſtud in ſummo beneficio habitum, ac ceu præmium publicorum officiorum conceſsum fuiſse. Interdum id expetebant in præſidium, prout diſcimus ex eo quod Medea ambos ſuos filios in Junonis Acrææ æde defoderit ad eos ab hoſtium malitia tutos præſtandos, ſecundum Euripid. *Medea v.*1378. quemadmodum ſuperius annotavimus.

Verum plerique Græci, præſertim recentioribus ſæculis, extra civitates, & potiſſimum ad vias regias, demortuos humo mandare conſueverant, quod videtur factum, ſive ut a ſe ipſis arcerent ſepulcrorum tetrum fœtorem, quo infeſtarentur civitates; ſive ad propulſandum periculum, in quo ipſorum ædes verſabantur, quando rogo ignis ſubjiceretur; ſive ut viatorum animis obverſarentur cogitationes mortalitatis; ſive ut ſemetipſos incitarent ad quævis pericula ſubeunda potius quam mœnibus ſuis hoſtem accedere monumentaque ſpoliare aut defunctorum quietem turbare ſinerent; poſtremo (ne pluribus diverſis ſententiis recenſendis negotium Lectori faceſſamus) alii probabilius putant, iſtum morem inductum fuiſſe, ne cadaverum contactu pollüerentur, de quo ſuperius egimus.

Hac in re autem, ut in pleriſque ſuis inſtitutis, Lycurgus a reliquis Græcorum Legiſlatoribus diſſentiebat; ut enim ſepulcrorum ſuperſtitionem tolleret, mortuos intra civitates, imo circa templa, humare Lacedæmoniis conceſſit; ſicque ipſorum juventus ſpectaculis hujuſmodi aſſuefacta, adſpectu cadaveris non terreretur, ſimulque eos levaret opinione, qua quem contaminandum fore tangendo cadaver, tumulumve pedibus conculcando credebant, juxta Plutarchum in *Lycurgo*.

Singulæ familiæ proprium ſibi ſepulcrum vulgo poſſidebant, & ſi illo carerent, maximum malum, quod ipſis accidere poſſet, exiſtimabatur; quapropter cum Lacedæmonii Meſſenios ſubigere aut in incœpto vitam omnes amittere ſtatuerunt, legimus apud Juſtinum *lib.* III. *cap.* V. quod teſſeras dextro brachio deligarunt, inſculptis ſuis & patrum nominibus, ut ſi in prælio perirent omnes, adeoque confuſa corporum lineamenta internoſci nequirent, ex indicio titulorum pateret quam familiam contingerent, ſicque in ſepulcra majorum inferrentur. Apud cæteros Græcos obtinuit eadem conſuetudo; hinc (ut Lectores unico tantum exemplo detineam) cum inter eos vigeret lex quædam, qua quis, avito patrimonio diſſipato, avorum monumentis deſtitueretur, Democritus ideo, facultatibus in ſtudio Philoſophiæ conſumptis, hanc pœnam ſubire periclitatus eſt, tradente Laertio in *Democrito*.

Veteris Græciæ vulgaria ſepulchra nil aliud erant quam cavernæ in terra defoſſæ, dictæque ὑπόγαια, ſecundum *Etymologici* Auctorem *Voc.* Ἠρία: illa vero recentiorum temporum magis affabre facta, plerumque lapidibus ſtrata, nec minori arte & cura quam viventium ædes ornata; adeo ut qui mortuos lugebant, in eorumdem conditoria ſe reciperent, ibique per multos dies ac noctes cognatos ſuos una lamentarentur, prout liquet ex Petronii hiſtoria de Epheſia matrona.

Reges & magni viri ſupra montes vel ad eorum radices antiquitus humabantur, teſte Servio *ad Æneid. lib.* XI. Ita Aventinus Sylvius in colle, qui ab ipſo nomen habuit, tumulatus fuit, juxta Aurelium *de Orig. Gent. Rom.* De Rege Dercenno id ipſum traditur a Virgilio *Æneid. l.* XI. *verſ.* 849.

—— fuit ingens monte ſub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum.

Hinc itidem nata conſuetudo exſtruendi montem in ſepulcris illuſtrium virorum, quod Lucanus *lib.* VIII. ſic extulit, de Ægyptiis canens:

Et Regum cineres exſtructo monte quieſcunt.

Ex lapidibus quandoque conſtabat; unde Theſeus apud Euripidem *Herc. Fur. verſ.* 1332. ait Herculi, Athenienſes cadaver ejus decorare velle

—— λαΐνοισί τ' ἐξογκώμασι,
—— *lapideiſque tumulis.*

Verum nil niſi terra vulgo adhibebatur, hinc dici ſolebat χῶμα. Sic Euripides *Hecuba verſ.* 221.

—— πρὸς ὀρθὸν χῶμ' Ἀχιλλείου τάφου,
—— *ad excelſum aggerem Achillei ſepulcri.*

Illum aggerere ab Homero verba faciente de Hectoris tumulo vocatur χέειν σῆμα *Iliad.* ω. *verſ.* 801.

Χεύαντες τὸ δὲ σῆμα, πάλιν κίον. ——
Aggeſto autem tumulo, redierunt. ——

Eamdem vocem uſurpavit in deſcribendo Patrocli funere *Iliad.* ψ'. *verſ.* 257. Antipater illud effert χώννυσθαι τάφον *Anthol. lib.* III. *cap.* XIV. *epigram.* XIV.

Ἥρωος Πριάμου βαιὸς τάφος, οὐχ ὅτι τοίου
Ἄξιος, ἀλλ' ἐχθρῶν χερσὶν ἐχωννύμεθα.
Herois Priami parvus tumulus, non quod tali
Dignus, ſed hoſtium manibus tumulati ſumus.

Interdum exprimitur generalioribus vocabulis ὀγκῶσαι, ὑψῶσαι, &c. Sic Euripides:

—— μητρὶ ἐξώγκουν τάφῳ.
—— *matri excitabant tumulum.*

Alia ſimilis dictio adhibetur ab Alcæo *Anthol. lib.* III. *cap.* XXV. *epigram.* XVII. *in Heſiodum*:

Λοκρίδος ἐν νέμεϊ σμικρῷ νέκυν Ἡσιόδοιο
Νύμφαι κρηνιάδων λοῦσαν ἀπὸ σφετέρων,
Καὶ τάφον ὑψώσαντο. ——
Locridis in nemore opaco cadaver Heſiodi
Nymphæ e fontibus lavarunt ſuis,
Et tumulum erexerunt. ——

Hinc Latinum *tumulus*, quo proprie nihil aliud

intelligitur quam *colliculus*, postea denotavit *sepulcrum*.

Ex qualicumque materia confecta fuerint, cum cura & arte vulgo congesta erant; sicut Homerus *Iliad.* ψ'. *vers.* 255. de Patrocli tumulo testatur:

> Τορνώσαντο δὲ σῆμα, θεμείλιά τε προβάλοντο
> Ἀμφὶ πυρήν, εἶθαρ δὲ χυτὴν ἐπὶ γαῖαν ἔχευαν.
> *Circulo autem designarunt tumulum, fundamentaque jecerunt*
> *Circa pyram, statimque fusilem terram injectam aggesserunt.*

Ubi vocem θεμείλια nonnulli accipiunt pro *lorica*, interdum metaphorice dicta θριγκὸς, γεῖσον, &c. & a Pausania περιοικοδομὴ ac κρηπὶς, ab aliis σκέπη, &c. Antiqua μνημεῖα duabus partibus composita erant; altera intelligebatur sepulcrum seu tumulus, quod pariter dictum μνημεῖον, vocabulo stricte sumpto, aliisque pluribus nominibus notum, a figura utplurimum desumptis, ut σπήλαιον, τύμβος, &c. Altera erant humus circumdans sepulcrum, palisque aut muro circumsepta, sed plerumque in culmine patens, ideoque sæpius appellata ὕπαιθρον. Tumuli lapidei majori cum arte poliebantur ornabanturque; hinc frequens mentio fit ξεστῶν τάφων. Ita Euripides *Alcestide vers.* 836.

> Τύμβον κατόψει ξεστόν. —
> *Tumulum videbis politum.* —

Iterumque *Helena vers.* 991.

> — κεισόμεσθα δὲ
> Νεκρὼ δύ' ἑξῆς τῷδ' ἐπὶ ξεστῷ τάφῳ.
> — *jacebimus autem*
> *Mortui ambo ordine supra hoc politum sepulcrum.*

Ornamentis innumeris decorabantur sepulcra. Columnæ lapideæ fuerunt perantiquæ, ut perspicuum fit ex historia Idæ percutientis Pollucem columna effracta ab monumento Amyclæ avi sui, teste Lycophrone *Cassandr. vers.* 557.

> — τῷ δ' οὐ προπηνεῖ
> Πληγῷ ἀθαμβὴς κρατὸς ἐγκορύψεται,
> Ἄγαλμα πάλτῳ τῆς Ἀμυκλαίου ταφῆς.
> — *in hunc vero secundum*
> *Intrepidus ictum aries incutiet,*
> *Columnam vibrans Amyclæi sepulcri.*

Pindarus *Nem. ode* x. *vers.* 125. illud vocat ἄγαλμ' Ἀΐδαο, ξεστὸν πέτρον, *statuam Plutonis, politum saxum*: quod itidem annotatur a Theocrito Διοσκούροις seu *Idyll.* XXIII. *vers.* 124. *seq.*

Columnæ istæ dicebantur στῆλαι, iisque sæpius insculptæ inscriptiones, quæ familiam, præclara dona, & quidquid in defuncto eximium ostendebant, & vulgo carmine scriptæ. Hujuscemodi non exstabant apud Sicyonios, secundum Pausaniam in *Corinthiacis*; Lycurgus etiam carmen tumulis superaddere vetuit, nec quidem ferre potuit ut nomina iis inscriberentur, præterquam virorum qui in bello, aut mulierum, quæ in partu fatis concesserant, narrante Plutarcho in *ejus Vita*. Nec insolitum aliis in locis omittere defunctorum nomina, eorumque loco insculpere egregiam quamdam sententiam, aut brevem ad vivos hortationem, cujusmodi hæc:

> ΤΟΥΣ ΑΓΑΘΟΥΣ ΚΑΙ ΘΑΝΟΝΤΑΣ ΕΥΕΡΓΕΤΕΙΝ ΔΕΙ.
> *VIRI BONI ATQUE DEFUNCTI BENEFICIIS SUNT AFFICIENDI.*

Præterea, imprimis ubi nulla dabatur inscriptio, addi solebat mortui effigies, aliudve quid simile ad rem faciens, ac declarans ejus indolem, studia, munus, aut conditionem. Virginum tumulis exstabat imago puellæ aqualem tenentis, secundum Pollucem *lib.* VIII. *cap.* VII. prior demortuum repræsentabat, posterior indicabat consuetudinem, qua in sepulcris puellarum innuptarum aquam ferre soliti adolescentes. Hujusmodi figuris exhibebatur diligens materfamilias, quemadmodum occurrit in sequenti Antipatri *in Lysidicem epigrammate*:

> Μαστεύω, τί σοι, τις ἐπὶ στάλιτι ἧδε πέτρα,
> Λυσιδίκα, γλυπτὸν τόνδ' ἐχάραξε νόον;
> Τὰ μὲν ἀνεγρομέναν με ποτ' ἔργα νύκτερος ὄρνις,
> Ἀνία δ' αὐδάσει δώματος ἡνίοχον·
> Ἱππεῖς ὁ δ' [illegible],
> Οὐ λάλον, ἀλλὰ καλᾶς ἔμπλεον ἡσυχίης.
> *Rogo, quis tuum super lapide instar columnæ,*
> *Lysidice, insculptum signavit animum?*
> *Lanam quidem me aliquando nentem nocturna avis,*
> *Habena autem dicet domus aurigam:*
> *Frænum vero, quo equi reguntur, pronunciabit me non loquacem,*
> *Non garrulam, sed egregia quiete ac silentio plenam.*

Diogenis Laertii monumento insculptus erat canis, ad sectæ suæ vel sui ipsius naturam significandam. Isocratis tumulus imagine Sirenis, Archimedis sphæra ac cylindro ornatus fuit; quibus mira prioris facundia, posterioris studia mathematica declarabantur. Sepulcris non raro defixa instrumenta, quibus defunctus usus fuerat. Militum tumuli ex armis, nautarum ex remis internoscebantur; & (ut paucis dicam) instrumenta cujusvis artis comitabantur magistros, manebantque ceu monumenta, quibus ipsorum memoria conservaretur. Unde Elpenor inducitur ab Homero *Odyss.* λ'. *vers.* 75. Ulyssem supplex orans, ut remum, quo ad remigandum usus fuerat, ipsius tumulo imponat, prout jam observatum *Archæologiæ nostræ l.* III. *cap.* XI. Æneas apud Virgilium *Æneid. l.* VI. Miseno tubicini suo idem officium præstat.

Isti ritus, cum aliis multis, ad memoriam defunctorum continuandam adsciti fuerunt; hinc eorumdem sepulcra dicta σώματα, μνημεῖα, μνήματα, &c. Agamemnon summam Achillis fœlicitatem ducit, quod decoratus esset monumento, quo ejus nomen posteris tradendum foret, *Odyss.* ω *vers.* 36.

> Ὄλβιε, Πηλέος υἱὲ, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
> Ὃς θάνες ἐν Τροίῃ, &c.
> *Fœlix, Pelei fili, Diis similis Achilles,*
> *Qui mortuus es in Troja, &c.*

Et *ibid. vers.* 80.

> — ἔπειτα μέγαν καὶ ἀμύμονα τύμβον
> Χεύαμεν, Ἀργείων ἱερὸς στρατὸς αἰχμητάων,
> Ἀκτῇ ἔπι προὐχούσῃ, ἐπὶ πλατεῖ Ἑλλησπόντῳ·
> Ὥς κεν τηλεφανὴς ἐκ ποντόφιν ἀνδράσιν εἴη,
> Τοῖς οἳ νῦν γεγάασι, καὶ οἳ μετόπισθεν ἔσονται.
> — *postquam magnum & laudatum sepulcrum*
> *Fudimus, Argivorum sacer exercitus bellicosorum,*
> *Littore in excelso in lato Hellesponto:*
> *Ut longe manifestus ex ponto viris esses,*
> *His qui nunc nati sunt, & qui in futurum erunt.*

Quia autem recentioribus sæculis in illis ædificiis estruendis plus nimio sumptuosi fuerunt Græci, illorum luxum prodigum ad modum cogere, severis pœnis sancitis in eos, qui limites positos transgredi

gredi ausi fuissent; necessum duxerunt Legislatores: statuas Mercuriales (prout mos erat, quia e numero Deorum inferorum habitus Mercurius) vel fornices monumentis addi, illorumque structuram decem opificum laborem triduanum excedere vetuisse dicitur Solon apud Athenienses: Demetrius Phalereus lege sanxit, ut unica columna, eaque altitudinis tricubitalis tantum, ullum decoraretur monumentum. Vid. Cicero *de Legibus lib.* II.

Nec abs re erit hoc in loco notare morem amicis virisque pietate & virtute claris precandi, ut levi onere eorum corpori incumbat terra; inimicis vero improbisque viris imprecandi, ut a telluris gravi pondere opprimantur; manes enim, qui amicula sua recolebant, pristinaque domicilia studio adhuc prosequebantur, omnium suorum corporum casuum acuto sensu affici credebantur; quapropter pro Alcestide hunc in morem precatur chorus apud Euripidem *Alcest. vers.* 462.

—— κοῦφα σοι
Χθὼν ἐπάνω πέσειε, γύναι.
—— levis
Terra cadat super te, mulier.

Menelaus in morte animum eo solatio sublevat, quia scilicet noverat Deos unquam cavisse, ne fortium virorum corpora terræ pondere graventur, dum ignavos ea opprimi sinunt, adud Euripidem *Helena vers.* 857.

—— Εἰ γάρ εἰσιν οἱ Θεοὶ σοφοὶ,
Εὔψυχον ἄνδρα πολεμίων θανόνθ' ὕπο
Κούφῃ καταμπίσχουσιν ἐν τύμβῳ χθονί
Κακοῖς δ' ἐφ' ἕρμα στερεὸν ἐμβάλλουσι γῆς.
—— Nam si sunt Dii sapientes,
Virum fortem interfectum ab inimicis
Circumtegunt levi terra in sepulcro:
In ignavos vero solidum terræ fulcrum injiciunt.

Impiæ Phædræ hanc pœnam imprecatur Theseus apud Senecam *Hippolyto Act.* V. *ult. duob. vers.*

—— istam terra defossam premat
Gravisque tellus impio capiti incubet.

Votum cum acumine in epigrammate invertit Ammianus *Antholog. lib.* II. *cap.* XLIII. *epigram.* I. εἰς πονηρούς:

Εἴη σοι κατὰ γῆς κούφη κόνις, οἰκτρὲ Νέαρχε,
Ὄφρα σε ῥηϊδίως ἐξερύσωσι κύνες.
Sit tibi sub terra levis cinis, miserande Nearche,
Ut te facilius eruant canes.

Quod sic vertitur a Martiale *lib.* IX. *epigram.* XXIX. *de morte Philænis*:

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

Ad monumenta in honorem mortuorum erecta, sed ossibus vacua, quæ idcirco κενοτάφια, κενήρια dicta sunt, pergamus.

Duplicia autem fuerunt: altera enim iis, qui jam alibi humo mandati fuerant, dicari solebant: horum frequenter meminit Pausanias in *Atticis*, *Messenicis*, *Eliacis* β'. *Bœoticis*, quibus in locis loquitur de tumulis honorariis Euripidis, Aristomenis, Achillis, Dameonis, Tiresiæ, &c.

Altera vero insepultis donabantur; Veteres enim invaserat opinio, mortuorum scilicet intumulatorum manes ad beatas sedes nunquam admitti, sed spatio centum annorum tristes vagari: qui autem in mari aliove loco perierat, ejusque corpus nullibi inveniebatur, quiete donari credebatur inani sepulcro erecto, defunctique manibus ad paratam sedem ter alta voce vocatis, quod dicebatur ψυχαγωγία

Ab antiquissimis temporibus obtinuisse videtur hæc consuetudo: ut Phryxi, qui in Colchide occubuerat, animam in patrium solum advocet, a Iasone monetur Pelias apud Pindarum *Pythion. ode* IV. Idem officium Deiphobo persolvit Æneas apud Virgilium *Æneid. lib.* VI. *vers.* 505.

Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Constitui, & magna manes ter voce vocavi.

Hujus consuetudinis causam reddidit Ausonius eleganti carmine in *Præfat. Parentalium*:

Hoc satis & tumulis, satis & telluris egenis;
Voce ciere animas funeris instar habet:
Gaudent compositi cineres sua nomina dici;
Frontibus hoc scriptis & monumenta jubent:
Illi etiam mœsti cui defuit urna sepulcri,
Nomine ter dicto pene sepultus erit.

Innumera hujusmodi exempla ubique apud Poetas occurrunt. Honoraria autem sepulcra, juxta Theocritum Ἐραστῇ seu *Idyll.* XXIV. *vers.* 30. ab aliis discerni solebant per ἴκριον, vel *lignum navis fractæ* surrectum, quo defuncti obitus in loco peregrino significabatur.

Tandem de sepulcrorum sanctimonia pauca subjungere consentaneum duco. Horum autem, omniumque rerum, quæ ad mortuos spectabant, tanta fuit dignitas, ut qui ea delere vel ullo modo polluere tentasset, sacrilegus certamque ruinam sibi accersiturus credebatur. Plura sunt exempla, quam hoc loco recenseri possint, quapropter illud Idæ, qui, dum unicam Apharei sepulcri columnam frangere tentabat, Jovis fulmine ictus est, tantum afferam ex Theocrito *Idyll.* mox adducto *vers.* 30.

Ἦ γὰρ ὅδε στάλαν, Ἀφαρηΐου ἐξανέχουσαν
Τύμβῳ, ἀναῤῥήξας ταχέως Μεσσάνιος Ἴδας,
Μέλλε κασιγνήτοιο βαλεῖν σφετέροιο φονῆα·
Ἀλλὰ Ζεὺς ἐπάμυνε, χερῶν δέ οἱ ἔκβαλε τυκτὰν
Μάρμαρον, αὐτὸν δὲ φλογέῳ συνέφλεξε κεραυνῷ.
Certe enim ille columnam, Apharei exstantem
Sepulcro, erutam celeriter Messenius Idas
Jacere volebat in fratris sui interfectorem:
Sed Jupiter opem tulit, manibusque illius excussit fabrefactum
Marmor, ipsumque flammeo combussit fulmine.

Quæstio jamdiu agitata est, an cenotaphiorum par fuerit religio, ac sepulcrorum, in quibus ossa mortuorum jacebant? ut autem nodus solvatur, animadvertendum est illos tumulos, qui honoris causa tantum constituebantur, non ita sacros habitos fuisse, ut qui eos polluerint, divinam vindictam incurrerint; eorum vero, qui manes incolere credebantur, eadem fuit dignitas ac ipsorum sepulcrorum, quæ supplere dicebantur.

CAP. VIII.

De orationibus, ludis, lustrationibus, epulis, consecrationibus, aliisque honoribus funebribus, &c.

AD sepulcrum ut plurimum perorabantur defuncti laudes. Apud Athenienses de illis, qui in bello occubuerant, solennem orationem habebat vir a Magistratibus nominatus: nec ea illorum meritis condigna merces censebatur, nisi quotannis certo die iterata fuisset, juxta Ciceronem *de Orat.* Hi autem mores ab antiquo non obtinuerant;

A quandoquidem a Solone, vel, juxta nonnullos, a Pericle introducti dicuntur: attamen non in sola Græcia, sed & Romæ universo usu venerunt; iterum ad majorem mortuorum felicitatem conducere credebatur, quando a diserta lingua dicebantur illorum laudes; Virginii enim Rufini beatitudinem in eo, quod ab eloquentissimo illius ætatis Oratore peroratus fuerat, perfici scribit Plinius *lib.* 11. *epist.* 1.

Præterea suorum amicorum funera ludis omnigenisque certaminibus celebrare solebant viri genere clari. Vulgaris autem fuit hæc consuetudo, & ab antiquis Scriptoribus frequenter memora- B tur: exemplo sunt Miltiadis apud Herodotum, Brasidæ apud Thucydidem, Timoleontis vero apud Plutarchum, pluriumque aliorum funera: antiquissimus autem fuit mos iste, Homeri enim *Iliad.* ψ'. maximam partem conficiunt Patrocli ludi funebres: pariter innumeris hujusmodi solennibus se interfuisse Achillis manibus Agamemnonis anima dixisse inducitur ob eodem Poeta *Odyss.* ώ *vers.* 85.

Μήτηρ δ' αἰτήσασα Θεοὺς, περικαλλέ' ἄεθλα
Θῆκε μέσῳ ἐν ἀγῶνι ἀριστήεσσιν Ἀχαιῶν·
C Ἤδη μὲν πολέων τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησα
Ἡρώων, ὅτε κέν ποτ' ἀποφθιμένου βασιλῆος
Ζώννυνταί τε νέοι καὶ ἐπεντύνονται ἄεθλα·
Ἀλλά κε κεῖνα μάλιστα ἰδὼν ἐτεθήπεα θυμῷ,
Οἷ' ἐπὶ σοὶ κατέθηκε Θεὰ περικαλλέ' ἄεθλα
Ἀργυρόπεζα Θέτις. ——
Mater autem Diis rogatis perpulchra certamina
Fecit medio in certamine principibus Achivorum:
Jam quidem multorum in sepulcrum virorum incidi
Heroum, quum aliquando mortui regis
Cinguntur que juvenes & parant certamina:
Sed illa maxime conspicatus miratus fuisses animo,
D *Qualia in te posuit Dea perpulchra certamina*
Argenteis pedibus Thetis. ——

Superiore ætate in Oedipi funere agitati ludi, Pelopisque funus ludis celebrasse dicitur Hercules apud Dionysium Halicarnass. *lib.* v. Hunc honorem primus retulit Azan Arcadis, Arcadum patris, filius, cujus funus certaminibus equestribus decoratum fuisse tradit Pausanias in *Arcadicis*. Præmia pro dignitate & munificentia virorum, qui ea condixerant, diversi generis & pretii fuerunt. Co- E ronæ victorum ex apio confici solebant, quod mortuis maxime affine credebatur, quia ex Archemori sanguine germinatum fingebatur, unde eo coronabantur victores in ludis Nemeis, qui in hujus viri funere instituti sunt. Vide *Archæologiam nostram lib* 11. *cap.* XXIV. & XXV.

Vulgo creditum est omnia circumjacentia polluisse cadavera; quocirca, post funera peracta lustrari solebant Veteres; quem morem describit Virgilius *Æneid lib.* VI. *vers.* 229.

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo fœlicis olivæ,
Lustravitque viros. ——

F Plures alii fuerunt lustrandi mores, qui, quia funerum proprii non erant, & superius descripti sunt, idcirco iis enarrandis hoc in loco supersedebo. Funere pollutis nec templa ingredi, nec ad Deorum sacra admitti licebat; quapropter de Diana hæc ait Iphigenia apud Euripidem *Iphigenia Taurica vers* 380.

Τὰ τῆς Θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
Ἥτις, βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου,
Ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
Βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη.

Deæ vero damno vaframenta,
Quæ, si quis quidem mortalium patrarit cædem,
Aut etiam partum, aut cadaver attigerit manibus,
Eum *arcet ab ara, ut impurum existimans.*

Nec sola Diana, cujus meminit Poeta, sed & alii Dii Deæque ab hujusmodi pollutione abhorrebant: nam in *Tractatu de Dea Syra* tradit Lucianus, qui funus viderat, in illius Deæ templum non admitti nisi die sequente, & postquam lustratus fuerat; hujus autem consuetudinis universus usus, juxta Suidam *Voc.* καταλύει & Aristophanis Scholiastem in *Nubibus*, indicat, ab hac contaminatione æque aversas fuisse omnes cœlestes animas. Idem liquet ex eo quod iis, qui dicebantur ὑστερόποτμοι aut δευτερόποτμοι apud Hesychium in *utraque voce*, id est, qui post exequias peractas, qui mortui crediti sunt, ad vivos redibant, vel qui peregre obiisse dicti fuerant, inopinato ad suos revertebantur, templa subire non licebat: hi a quorumdam Deorum, juxta Hesychium solarum Eumenidum, juxta vero alios universorum Deorum sacris arcebantur: quapropter ut Delphicum oraculum interrogarent rationem, qua ejus pollutio abstergenda esset, misit Aristinus, cui responsum hoc redditum est:

Ὅσσα μὲν ἐν λεχέεσσι γυνὴ τίκτουσα τελεῖται,
Τόσσα μὲν ἂν τελέσαντα θύειν μακάρεσσι Θεοῖσι.
His peragit quæcumque purpurea rite peractis
Omnibus, ad Superum tua dona altaria sistes.

Ut autem oraculo pareret, ablutus, fasciis involutus, uno verbo eodem modo, quo infantuli recenter nati solent, habitus est. Sed Aristini ætate antiquiorem fecisse, & a primitivis temporibus hanc consuetudinem alios repetiisse asserit Plutarchus *Quæst. Rom.* haud procul ab initio; & quidem opinio de cadaverum impuritate late per orbem dispersa, & a vetustis sæculis propagata fuisse videtur; nam & a Legislatore Judæorum olim sancitam fuisse legimus.

Domus itidem lustrabatur; cujus rei exstat exemplum apud Homerum *Odyss.* χ'. *vers.* 481. ubi Ulysses, Penelopes procis interfectis & ex domo exportatis, vetulam suam nutricem sic alloquitur:

Οἶσε θέειον, γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ,
Ὄφρα θεειώσω μέγαρον. ——
Fer sulphur, anus, malorum medelam, ferque mihi ignem,
Ut purificem domum. ——

Subjungit Poeta *ibid. vers.* 492.

—— οὐδ' ἀπίθησε φίλη τροφὸς Εὐρύκλεια,
Ἤνεγκεν δ' ἄρα πῦρ καὶ θήϊον· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Εὖ διεθείωσεν μέγαρον, καὶ δῶμα, καὶ αὐλήν.
—— *& paruit dilecta nutrix Euryclea,*
Portavitque igitur ignem & sulphur: Ulysses vero
Bene purgavit ædes, & tectum, & aulam.

Has autem ineptias ex sui Legislatoris præceptis adspernabantur Lacedæmonii, & a ratione omnino alienam habebant illorum opinionem, qui defunctos honestæ & ad suæ gentis severam disciplinam compositæ vitæ curriculo emenso a funere pollui statuebant; econtra, quia illorum cineres omni reverentia dignos existimabant, idcirco nullo honoratiore loco quam in Deorum templorum vicinia reponendi esse iis videbantur, teste Plutarcho in *Lycurgo*.

Exequiis perfectis, in defuncti proximorum cognatorum ædes conveniebat turba funebris, in qui-

bus convivio eum in finem parato luctum pellere studebant, juxta Demosthenem *Orat. de Corona* & Lucianum *Dialogo de Luctu*: dicebatur autem περίδειπνον, νεκρόδειπνον, τάφος, &c. Cicero Latine *circumpotationem* appellat, quam in funere servorum prohibitam fuisse a legibus Atticis narrat *lib.* II. *de Legibus*. Sic (ut plura exempla taceam) Hectoris exequiis celebratis, in Priami regia splendido convivio excipiuntur Trojani *Iliad. ώ. vers.* 801.

> Χεύαντες δὲ τὸ σῆμα, πάλιν κίον· αὐτὰρ ἔπειτα
> Εὖ συναγειρόμενοι δαίνυντ' ἐρικυδέα δαῖτα
> Δώμασιν ἐν Πριάμοιο διοτρεφέος βασιλῆος.
> *Aggesto autem tumulo, redierunt: & deinde*
> *Frequentes congregati epulati sunt splendidum epulum*
> *Ædibus in Priami Jovis alumni regis.*

In Græcorum castris idem mos celebratur, nisi quod coram Patrocli funere ad epulum convivas admittit Achilles *Iliad.* ψ'. *vers.* 28.

> Κὰδ δ' ἷζον παρὰ νηὶ ποδώκεος Αἰακίδαο
> Μυρίοι, αὐτὰρ ὁ τοῖσι τάφον μενοεικέα δαῖνυ·
> Πολλοὶ μὲν βόες ἀργοὶ ὀρέχθεον ἀμφὶ σιδήρῳ
> Σφαζόμενοι, πολλαὶ δ' ὄϊες, καὶ μηκάδες αἶγες,
> Πολλοὶ δ' ἀργιόδοντες ὕες θαλέθοντες ἀλοιφῇ,
> Εὑόμενοι τανύοντο διὰ φλογὸς Ἡφαίστοιο·
> Πάντῃ δ' ἀμφὶ νέκυν κοτυλήρυτον ἔρρεεν αἷμα.
> *Desederunt vero ad navem pedibus velocis Æacidæ*
> *Frequentissimi, at is eis epulum funebre lautum præbebat:*
> *Multi quidem boves pigri gravem edebant mugitum recepto ferro*
> *Inter jugulandum, multæ etiam oves, & balantes capræ,*
> *Multi & albis dentibus sues florentes pinguedine,*
> *Ad amburendas setas extendebantur per flammam Vulcani:*
> *Undique autem circum cadaver multus fluebat sanguis.*

Ex quibus ultimis verbis colligere est, in convivio interfuisse funus; ut autem Patrocli manibus dicatus dicitur sacrificiorum sanguis, ita escæ, quæ de mensa decidebant, manibus sacræ erant, nec ea comedere fas erat, juxta Athenæum *Deipnosoph. lib.* x. Ad hanc superstitionem alludit Pythagoras in Aphorismo, licet fatendum sit exinde quid magis arcanum erui posse, quando ait, referente Laertio in *Pythagora*, τὰ πεσόντα μὴ ἀναιρεῖσθαι, *ne tollas quæ ceciderunt*, vel, ut alii illum exprimunt, μηδὲ γεύεσθαι ἅττ' ἂν ἐντὸς τραπέζης καταπέσῃ, *ne gustes iis quæ de mensa deciderunt*: hæc autem frustula ad tumulum delata deponebantur, ut iis vescerentur manes; unde quando alicujus extremam paupertatem significare vellent, *cibum suum de sepulcris quærere* dicebatur: quo alluditur in Tibulli imprecatione *lib.* I. *eleg.* VI.

> *Ipsa fame stimulante furens, escasque sepulcro*
> *Quærat, & a sævis ossa relicta lupis.*

Recentioribus sæculis non ex sola carne, ut Homeri ætate, sed ex omnigenis leguminibus, nimirum, (juxta Plutarchum in *Problemat.*) fabis, pisis, simulque lactucis, apio, ovis, pluribusque aliis cibis parari solebant hæc epula. In iis autem de defunctorum, præsertim illorum qui virtute aut qualibet laudanda dote claruerant, laudibus imprimis confabulantur convivæ, primitivorum vero sæculorum tanta fuit simplicitas, ut his conviviis conticere multo præstare crediderint homines, quia verebantur, ne in sermone vel defun-

A ctorum memoria, vel ipsa veritas læderetur: utrumque enim æque grave delictum iis videbatur: sed in posterum laudes omnibus indiscriminatim profundebant; unde natum est proverbium, οὐκ ἐπαινεθείης οὐδ' ἐν περιδείπνῳ, quod intelligebatur de flagitiosissimo nequam, in quo nil laude dignum deprehendi poterat.

Qui Argis cognatos aut amicos amiserant, mox a luctu Apollini, triginta vero abhinc diebus Mercurio sacrificia offerre pro more tenebantur, ea nimirum de causa, quia ut Tellurem corpora, ita Mercurium illorum animas excipere credebant: sacrificii hordeum Apollinis sacerdoti tradebant,
B carnem vero sibi servabant, quam igne sacrificiali exstincto, eo quod pollutus habebatur, novoque accenso elixabant; dicebatur autem ἔγκνισμα apud Plutarchum *Quæst. Græc. pag.* 296. 297. *Edit. Paris.* quia fumus Græce dictus κνίσσα ex sacrificio ardente exhalabatur.

Defunctorum sepulcris diversi honores persolvi solebant; utplurimum in eorum hypogæis vel antris subterraneis ardebant lampades; ut defunctis vehemens studium, quo flagrabant, testarentur, eo se recipere & recludi assueverant superstites cognati; exemplum matronæ Ephesinæ nobis suppeditat Petronius.

C Tumulos herbis & floribus, præsertim apio sternere moris erat, prout patet ex iis, quæ de Timoleonte scribit Plutarchus, qui, dum clivum, unde Carthaginiensem exercitum dispicere commode liceret, superare molitetur, mulas apio onustas offendit, quod (inquit ille) pro infaustissimo & lethifero omine acceperunt ejus milites, eo quod illo olere decorari solebant mortuorum sepulcra; inde autem natum est proverbium, quod de morbo gravi & desperato intelligebatur, quando quis dicebatur δεῖσθαι σελίνου, id est, *indigere apio*; quæ verba sibi volebant, ægrotum mox mo-
D riturum humoque mandandum. Omnes candidi & purpurei flores defunctis grati esse credebantur, ut amaranthus, quo Achillis tumulum Thessali primi exornarunt, juxta Philostratum *Heroicis*, πόθος λευκός, juxta Theophrastum *lib.* VI. φυτικῶν & Athenæum *Deipnosoph lib.* XIV. quem nonnulli *jasminum* interpretantur, lilia pluresque alii flores: unde Virgilius *Æneid. lib.* V. *vers.* 79. ait:

> *Purpureosque jacit flores, ac talia fatur.*

Ad eumdem morem alludit idem Poeta *Æneid. lib.* VI. *vers.* 883.

> *Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas,*
> E *Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis,*
> *Purpureos spargam flores, animamque nepotis*
> *His saltem accumulem donis.* ——

Rosa pariter accepta erat; unde de illo flore hæc carmina canit Anacreon *ode de rosa*:

> Τόδε καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ,
> Τόδε καὶ νεκροῖς ἀμύνει.
> *Quid plura? nonne multis*
> *Medicina certa morbis?*
> *Defendit hæc sepultos.*

F Nec minus usitata myrtus; quapropter Electra, eo quod Agamemnonis tumulum hujus arbusti ramis decorare non licuerit, queritans inducitur ab Euripide *Electra vers.* 323.

> Ἀγαμέμνονος δὲ τύμβος ἠτιμασμένος
> Οὐ πώποτ', οὐ χοὰς οὐδὲ κλῶνα μυρσίνης
> Ἔλαβε. ——
> *Agamemnonis vero sepulcrum neglectum*
> *Nusquam, nec libamina neque ramum myrti*
> *Accepit.* ——

Uno verbo, ſertis ex omni florum genere contextis exornari ſolebant monumenta, prout liquet Agamemnonis filiæ exemplo apud Sophoclem *Electra verſ.* 896.

Ἐπεὶ γὰρ ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον,
Ὁρῶ κολώνης ἐξ ἄκρας νεοῤῥύτους
Πηγὰς γάλακτος, καὶ περιστεφῆ κύκλῳ
Πάντων ὅσ' ἐστὶν ἀνθέων θήκην πατρός.
Nam ubi ad antiquum patris ſepulcrum veni,
Video ex ſummo tumulo recentes
Fontes lactis, & ornatum undique
Buſtum patris omni florum genere.

Vulgo autem dicebantur ἔρωτες, juxta Phavorinum & *Etymologici* Auctorem; vel quia iis affectum reverentiamque erga defunctos teſtari ſtudebant; vel ab ἔραvος, quia ex diverſis floribus mixtis conſeri ſolebant; vel ab ἔρα, quia humi deponebantur: tamen ex his tribus duæ ultimæ cauſæ pro certis non accipiendæ ſunt; quandoquidem ex unico floris genere ſæpenumero contexebantur ſerta, pariterq; non raro columnis appendebantur, nec humi ſpargebantur. Pluribus aliis rebus exornabantur monumenta, ut vittis; quapropter Epaminondas militibus ſpem abjicientibus, quia vittam de ejus haſta pendentem ad cujuſdam Lacedæmonii monumentum a vento abreptum viderant, animum reddidiſſe dicitur, quia ſubjecerat, hoc ſigno Lacedæmoniis portendi cladem; ſepulcra enim vittis ornari ſolebant. Leg. Frontinus *lib.* I. *cap.* II. Præterea manibus dicabantur capilli; ſibique ſororique Chryſothemi iſtud officium ejus manibus perſolvendum injunxiſſe Agamemnonem palam facit Electra apud Sophoclem *Electra verſ.* 50.

Ἡμεῖς δὲ πατρὸς τύμβον, ὡς ἐφίετο,
Λοιβαῖσι πρῶτον καὶ καρατόμοις χλιδαῖς
Στέψαντες. ——
Nos vero patris tumulum, ut Apollo *præcepit,*
Ubi libationibus & capite deſectis capillis
Coronaverimus. ——

Eo quod amaſii tumulum ſuis comis exornare non licuerit, miſeram ſe exclamat Canace apud Ovidium *Heroid. epiſt.* XI. *Canace ad Macareum*, prout jam obſervatum eſt.

Tumuli ſuavibus odoramentis perfundere aſſueverant; ad quem morem alludit Anacreon *ode de ſeipſo*:

Τί σε δεῖ λίθον μυρίζειν;
Τί δὲ γῇ χέειν μάταια;
Ἐμὲ μᾶλλον, ὡς ἔτι ζῶ,
Μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα
Πύκασον. ——
Tumulum quid eſt quod ungas?
Vel humo quod ebibenda
Peritura dona fundas?
Potius manente vita
Roſeas meo corollas
Capiti feraſque odores.

Unde hujus epigrammatis acumen deſumpſiſſe videtur Leonidas *Anthologiæ lib.* II. *cap.* XLVII. *epigr.* III.

Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου,
Μηδὲ τὸ πῦρ φλέξῃς· εἰς κενὸν ἡ δαπάνη.
Ζῶντί μοι, εἴτι θέλῃς, χάρισαι. τέφρην δὲ μεθύσκων
Πηλὸν ποιήσεις, οὐχ ὁ θανὼν πίεται.
Non unguenta, non coronas lapideis columnis exhibe,
Neque ignem comburas: in vanum hæc impenſa.
Viventi mihi, ſi quid velis, exhibe: cinerem vero inebrians
Lutum facies, nec mortuus honoratur.

His adde nudo corpore ſepulcris circumcurſandi morem; Alexandrum enim Trojam appellentem Heroum eo in loco ſepultorum memoriæ libamina profudiſſe, Achillis ſepulcro unguenta dicaviſſe, & pro more antiquo una cum amicis nudos circumcurriſſe, ſertiſque donaſſe ſcribit Plutarchus in *Alexandro*.

Præter ritus jam memoratos, innumeri alii uſurpabantur, præſertim ſacrificia & libamina: hoſtiæ ferales erant nigræ & ſteriles juvencæ, aut oves, nec diverſæ ab iis, quæ Diis inferis mactabantur, ut indigitarent & lucem & fœcunditatem ex illa regione omnino exulare; unde Ulyſſem manibus ſic voventem inducit Homerus *Odyſſ.* λ. *verſ.* 29.

Πολλὰ δὲ γουνούμην νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα,
Ἐλθὼν εἰς Ἰθάκην στεῖραν βοῦν, ἥτις ἀρίστη,
Ῥέξειν ἐν μεγάροισι, πυρήν τ' ἐμπλησέμεν ἐσθλῶν·
Τειρεσίῃ δ' ἀπάνευθεν ὄϊν ἱερευσέμεν οἴῳ
Παμμέλαν', ὃς μήλοισι μεταπρέπει ἡμετέροισι.
Multum autem precatus ſum mortuorum infirma capita,
Veniens ad Ithacam bovem ſterilem, quæ optima,
Sacrificaturum in ædibus, pyramque impleturum bonis:
Tireſiæ vero ſeorſum ovem mactaturum ſoli
Totam nigram, quæ inter pecora excellat noſtra.

Ultra hæc ſacrificia in foſſis peracta, pluresque alios mores, de quibus ſuperius *lib.* II. *cap.* IV. egimus, notandum eſt pilos ab hoſtiæ fronte demiſſos primos obtuliſſe, qui idcirco ἀπαρχαὶ, eoſque dicare ἀπάρχεσθαι dicebantur; licet autem hæ voces de manium ſacrificiis ſæpius uſurpentur, tamen in Deorum ſuperorum aliorumque Numinum ſacrificiis hæ primitiæ offerri ſolebant, prout patet ex diverſis exemplis, præſertim ex Minervæ ſacrificio apud Homerum memorato *Odyſſ.* γ'. *verſ.* 445.

—— *πολλὰ δ' Ἀθήνῃ*
Εὔχετ' ἀπαρχόμενος, κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων.
—— *multiſque Minervæ*
Supplicavit libamina faciens, capillos in ignem jaciens.

Eoſque omnibus Diis gratos prædicat idem Poeta *Odyſſ.* ξ'. *verſ.* 422.

Ἀλλ' ὅγ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν
Ἀργιόδοντος ὑὸς, καὶ ἐπεύχετο πᾶσι θεοῖσι.
Sed hic primitias ſolvens capitis crines in ignem jecit
Albis dentibus ſuis, & precatus eſt omnes Deos.

Nihilominus uſitatiſſima ſacrificia fuerunt ſanguinis, mellis, vini, lactis, aquæ, &c. libamina, quæ ſimila hordeacea ſpargebant; & Solon ἐναγίζειν βοῦν οὐκ εἴασεν, *bove parentare vetuit*, ut in *ejus Vita* refert Plutarchus. Nonnullorum meminit Homerus *Odyſſ.* λ'. *verſ.* 26.

Ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοὰς χεόμην πᾶσι νεκύεσσιν,
Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ,
Τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι· ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον.
Circa eam autem libamina fundebamus omnibus manibus,
Primum mulſo, poſteaque dulci vino,
Tertium vero aqua: inſuper autem farinam albam commiſcebamus.

Iis manes pacare & litare credebant, qua de causa dicta sunt *χοαὶ ἡδυντήριοι*, aut *θελκτήριοι*. Ea describit Iphigenia apud Euripidem *Iphigenia Taurica vers.* 159.

—— *ᾧ τάσδε*
Χοὰς μέλλω, κρατῆρά τε
Τῶν φθιμένων
Ὑδραίνειν γαίας ἐν νώτοις,
Πηγάς τ' οὐρείων ἐκ μόσχων,
Βάκχου τ' οἰνηρὰς λοιβὰς,
Ξανθᾶν τε πόνημα μελισσᾶν,
Ἃ νεκροῖς θελκτήρια κεῖ-
τ'. ——
—— *cui has*
Inferias paro, poculumque
Mortuorum
Ut in terræ dorsum effundam aquam,
Fontesque sanguinis *ex montanis vitulis,*
Bacchique vinosam libationem,
Et flavarum laborem apum,
Quæ sunt sacrificia pro
mortuis. ——

In omnibus fere hujusce generis libaminibus mel adhibebant: nam *πεποίηνται τὸ μέλι καὶ θανάτου σύμβολον· διὸ καὶ μέλιτος σπονδὴν τοῖς χθονίοις ἔθυον*, *mortis symbolum mel fecerunt, ideoque libmen mellis Diis infernis offerebant*, ut tradit Porphyrius, *de Antro Nympharum*. Ab hoc ritu factum nonnullis videtur, ut animæ defunctorum *μέλισσαι*, Dii infernales *μειλίχιοι Θεοὶ*, libamen illis fundere *μειλίσσεσθαι*, & ejusmodi placationes *μειλίγματα* dicantur. Vel in aris, quæ olim ad sepulcra, simulque mensæ ad epulandum exstrui solebant, vel humi aut in tumulo una cum verborum certa formula manibus libabantur. Eum in morem Clytæmnestræ monumentum suo nomine adire Hermionen filiam jubet Helena apud Euripidem in *Oreste vers.* 112.

Ὦ τέκνον, ἔξελθ', Ἑρμιόνη, δόμων πάρος,
Καὶ λάβε χοὰς τάσδ' ἐν χεροῖν, κόμας τ' ἐμὰς,
Ἐλθοῦσα δ' ἀμφὶ τὸν Κλυταιμνήστρας τάφον
Μελίκρατ' ἄφες γάλακτος, οἰνωπόν τ' ἄχνην,
Καὶ στᾶσ' ἐπ' ἄκρου χώματος λέξον τάδε·
Ἑλένη σ' ἀδελφὴ ταῖσδε δωρεῖται χοαῖς.
O filia Hermione, exi ante ædes,
Et cape in manibus has inferias, easque comas,
Progressa autem ad Clytæmnestræ sepulcrum
Dimitte mel cum lacte mixtum, & vini spumam,
Et stans in summo tumulo dicas ista:
Helena soror donat te his inferiis.

Aqua hunc in usum adhibita dicebatur *λουτρὰ*, *χθόνιον λουτρὸν*, Athenis vero *ἀπόνιμμα* apud Eustathium *Odyss. ά*. Ad monumenta illorum, qui matrimonii vinculo juncti fuerant, aquam deferre & effundere solebant certæ mulieres, quæ ab effusione dictæ sunt *ἐγχυτρίστριαι* apud *Etymologici* Auctorem. Ad adolescentis vel adolescentulæ tumulum ministrabat puer, juxta eumdem; vel (prout aliis probabilius videtur) in sepulcro adolescentis puer, virginis vero virgo aquam effundebat. Simulacra, quæ virgines vasis aqua plenis instructas exhibebant, in cælibum & virginum monumentis erigendi morem inde natum esse *superiore capite* notavimus; licet hanc consuetudinem ad priorem sententiam retulerimus. Qui vero in infantia a fatis rapiebantur, nec libaminibus, nec aliis sacris funebribus decorabantur, juxta Plutarchum *Consolat. ad uxorem*.

Hi honores manibus persolvebantur nono & trigesimo diebus a sepulturæ die, secundum Pollucem *lib.* III. *cap.* X. iterabantur ad adventum amicorum, qui celebritati non interfuerant, & quotiescumque illorum memoriam celebrare tenebantur superstites cognati. Attamen in diversis Græciæ civitatibus mensis Anthesterion his sacris peragendis præsertim dicatus esse videtur: hoc mense defunctis justa persolvisse Apolloniatas nominatim scribit Athenæus *Deipnosoph.* VIII. Pariter Hesychius *voce* *Μιαραὶ* tradit, eumdem morem Athenis obtinuisse, ibidemque subjungit dies his sacris funebribus dicatos *μιαρὰς ἡμέρας* nuncupatos fuisse, vel juxta alios *ἀποφράδας* apud Suidam, quia mortuis pollui credebantur, quorum manes ex domiciliis suis subterraneis ad auras superas adscendebant, ut benignis amicorum suorum officiis oblectarentur, juxta Lucianum *Ἐπισκοποῦσιν*: qui enim his honoribus carebant, infœlicissimi habebantur, quapropter inter infinitas Trojanorum miserias hanc nominatim dolet Cassandra, nimirum fore ut eis desint amici superstites, qui eorum tumulis sacrificia offerant, *Troad. vers.* 381.

—— *οὐδὲ πρὸς τάφοις*
Ἔσθ' ὅστις αὐτῶν αἷμα γῇ δωρήσεται.
—— *neque ad sepulcra*
Ipsorum est quisquam qui sanguinem terræ donet.

His autem diebus solennibus omnium cognatorum mortuorum nomina, iis exceptis, quos immatura ætate præripuerant fata, aut qui ob patrimonium disperditum, aliudve delictum his honoribus jure merito exciderant, sigillatim recitabant. Alia etiam occasione defunctorum nomina recensere assueverant; quem morem, quia superius prætermissum, hoc loco attingam: usurpabatur autem in regionibus exteris, in quibus amici perierant, antequam enim inde migrarent, omnium sociorum absentium nomina ter vocabant; sic socios, qui in prælio cum Ciconibus decertato occubuerant, nomine advocasse dicitur Ulisses apud Homerum *Odyss. ι. vers.* 64.

Οὐδ' ἄρα μοι προτέρω νῆες κίον ἀμφιέλισσαι,
Πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι,
Οἳ θάνον ἐν πεδίῳ Κικόνων ὕπο δηϊωθέντες.
Neque certe mihi ulterius naves procedebant utrinque agitatæ,
Priusquam horum miserorum sociorum ter unumquemque vocassem,
Qui perierunt in campo a Ciconibus trucidati.

Hylam ter conclamasse scribitur Hercules a Theocrito *Hyla* sive *Idyll.* XIII. *vers.* 58.

Τρὶς μὲν Ὕλαν ἄϋσεν, ὅσον βαθὺς ἤρυγε λαιμός.
Ter Hylam inclamavit, quantum profundo gutture clamavit.

Duplex autem hujus moris causa redditur a Johanne Tzetze *Chiliad.* v. *Hist.* XIV. tum ut sodales absentes audito clamore ad naves patrias se reciperent, tum vero ut testarentur se invitos a portu solvere, ullo socio deficiente:

Τὸ πρότερον τοὺς θνήσκοντας εἰς γῆν τὴν ἀλλοτρίαν
Ἀποδημοῦντες οἱ αὐτῶν τρισσάκις ἀνεκάλουν,
Ὡς Ὅμηρος ἐδίδαξε βίβλῳ τῆς Ὀδυσσείας.
Τοῦτο δ' ἔδρων ὡς μνήμονες τυγχάνοντες φιλίας·
Καὶ ὡς εἰ ἀπολείφθη τις, πρὸς τὴν φωνὴν συνδράμοι.
Olim morientes in terra aliena
Qui simul peregrinabantur cum ipsis ter evocabant,
Ut Homerus docuit in libro Odysseæ:
Hoc autem faciebant ceu memores existentes amicitiæ:
Atque ita si relictus quis esset, ad vocem concurrebat.

Ut e diverticulo redeamus, notandum eſt diebus anniverſariis ſacros honores manibus perſolutos fuiſſe: dicebantur autem Νεμέσια, quia in feſta Nemeſis, quæ defunctorum honoribus peculiari modo præeſſe credebatur, incidebant, teſtibus Moſchopulo & Suida; non raro Ὡραῖα, juxta Heſychium ac Phavorinum, imo Γενέσια, ex Suida, &c. Cujus appellationis inde petenda eſt origo, quia nimirum defuncti feralia, juxta Suidam, Heſychium, Favorinum, Moſchopulum, &c. proprie dicta Νεκύσια, iiſdem ritibus, qui in ejus natalitiis obtinebant, celebrari ſolebant; diei autem natalis feſta vocabantur Γενέσια: qua de cauſa utroque nomine una eademque ſolennia ſignificari creduntur.

Honores, qui defunctis tribuebantur, diverſi erant pro ſingulorum dignitate & meritis. Qui virtute & bene meritis de Republica ſupra vulgus claruerant, ἡρωϊκὰς τιμὰς, id eſt, *honores heroicos*, referebant; qui autem iis donabantur, dicebantur ἀνιερῦσθαι vel τετυχέναι τιμῶν ἡρωϊκῶν, ἰσοθέων, aut ἰσολυμπίων. Qui illos ſuperabant, ad altiorem dignitatem evehebantur, & in Deorum numerum referebantur: horum conſecratio dicebatur θεοποιΐα, & ab altera in eo diſtinguebatur, quod illorum tantum ἐναγίζειν, horum vero ſacra θύειν dicebantur. Poſteriores honores in heroicis temporibus perraro dicabantur: ſed inferioribus ſæculis, in quibus eximiæ virtutis exempla pauciora, & ad adulandum procliviores fuerunt homines, viliori pretio parabantur; ita ut qui olim heroicis honoribus tantum decorati fuerant, divinos in poſterum conſecuti ſunt: præſto eſt exemplum (ut plura alia prætercam) Lampſaces unius e Plutarchi Heroidibus *lib. de mulierum virtutibus*; horum honorum ſupra modum profuſiſſimi fuiſſe præ cæteris notantur Athenienſes, imo arte adulandi & ſuperſtitiones captandi cæteros Græcos exceſſiſſe vulgo obſervatur gens iſta; prout ex diverſis exemplis ſuperius allatis demonſtratum eſt.

Tandem notandum eſt, hos & alios honores, quando ab amicis, acceptaſſe, quando vero ab inimicis perſolutos, indignabundos repudiaſſe Divos mortuos: unde ſororem Chryſothemim, ne Clytæmneſtræ dona Agamemnoni offerat, monet Electra apud Sophoclem *Electra verſ.* 432.

Ἀλλ', ὦ φίλη, τούτων μὲν, ὧν ἔχεις χεροῖν,
Τύμβῳ προσάψῃς μηδέν· οὐ γάρ σοι θέμις
Οὐδ' ὅσιον ἐχθρᾶς ἀπὸ γυναικὸς ἱστάναι
Κτερίσματ', οὐδὲ λουτρὰ προσφέρειν πατρί.
Sed, o chara ſoror, eorum quidem, quæ habes
præ manibus,
Nihil ſepulchro admoveas: non enim tibi fas eſt
Nec pium ab inimica muliere afferre
Inferias, neque libationes offerre patri.

Eoſdem enim affectus, quos in vita foverant, mortui pati credebantur: idem iterum liquet Eteoclis & Polynicis Oedipi filiorum exemplo, qui pugna ſingulari ſe invicem interfecerant: corporum enim, quæ in eodem rogo comburebantur, flamma uniri noluit, ſed diviſa implacabile & æternum inter fratres odium exhibuit, prout nos docet Bianor hoc epigrammate *Anthologiæ lib.* III. *c.* XIV. *epigram.* II.

Οἰδίποδος παιδῶν Θήβη τάφος, ἀλλ' ὁ πανώλης
Τύμβος ἔτι ζώντων αἰσθάνεται δοράτων·
Κείνους οὔτ' ἀΐδης ἐδαμάσατο, κἠν Ἀχέροντι
Μάρνανται, κείνων χὡ τάφος ἀντίπαλος·
Καὶ πυρὶ πῦρ ἤλεγξαν ἐναντίον· ὦ ἐλεεινοὶ
Παῖδες, ἀκοιμήτων ἁψάμενοι δοράτων·
Oedipodis puerorum Thebæ ſepulchrum, ſed perniciosus
Tumulus adhuc viventium ſentit haſtas:
Illos neque mors domuit, etiam in Acheronte
Pugnant, telorum etiam ſepulcrum eſt hoſtile:
Et igni ignem deprehenderunt contrarium: o
miſeri
Pueri, qui non quieturas tetigeritis haſtas.

Simile exemplum Mopſi & Amphilochi, qui, quum ſibi mutuo mortem intuliſſent, in clivi dorſis oppoſitis ſepulti ſunt, ne, ſi e regione alterutrius poſita fuiſſent ſepulcra, alterno adſpectu gravati fuiſſent illorum manes, nobis ſuppeditat Lycophron *Caſſandra verſ.* 443.

Αἰπὺς δ' ἀλιβρὸς ὄχμος ἐν μεταιχμίῳ
Μέγαρσος ἁγνῶν ἠρίων σταθήσεται,
Ὡς μὴ βλέπωσι, μηδὲ νερτέρων ἕδρας
Δύντες, φόνῳ λουσθέντας ἀλλήλων τάφους
Altus autem exeſuſque tumulus Megarſus
In medio ſacrorum ſtabit ſepulcrorum,
Ut ne videant, nec inferorum ſedes
Ingreſſi, cruore reſperſa alterutrius ſepulcra.

CAP. IX.

De puerorum amore apud Græcos.

Qui pæderaſtiam in Græciam primus introduxerit, incertum eſt; vulgo autem (ut Jovis, Orphei, Laii Thebani, aliorumque amores impudicos ſileam) apud veteres Græcos viguit, nec privati tantum, ſed & publice legumque vi; nunquam enim certius ad clara facta juvenes accendi poſſe, nec quidquam Reipublicæ incolumitati magis conducere exiſtimabant, hujus ingenui affectus ſtimulo. Illorum libertatis oppreſſores ſæpiſſime illud experti ſunt: unde pro certo artis politicæ præcepto Tyranni illum amorem ex ſuis dominiis totis viribus exſtirpare ſtuduerunt: nonnulla exempla nobis ſuppeditat Athenæus *Deipnoſophiſtarum lib.* III. econtra, Reſpublicæ liberæ, omneſque civitates, quæ ſuæ gloriæ conſulebant, unanimi quaſi conſenſu leges tulerunt, quibus illum accenderent & remunerarent. Earum nonnullas expendamus.

Primo in Creta ita vulgaris & tanta in exiſtimatione fuit hæc conſuetudo, ut ingenui & venuſti adoleſcentes, qui nulli amaſio unquam dilecti fuerant, ab omnibus exprobrabantur, quaſi quid moribus deeſſet, quorum corruptela ſola impediverat quominus quis illorum amore arderet. Qui autem aliorum ſtudium incendere noverant, primas ſedes in publicis ludis obtinebant & pro honoris inſigni veſtem pretioſiſſimam geſtabant, quam ſupra ætatem virilem ſervabant, ut hoc monumento indicarent ſe olim fuiſſe κλεινοὺς, id eſt, *præclaros*, juxta Strabonem *lib.* X. eo enim nomine adoleſcentes dilectos, amatores vero φιλήτορας dicebant Cretenſes. Hujus autem inſulæ id proprium erat, quod pueros dilectos vi rapiebant amaſii, qui, quum quemdam deperibant, ejus cognatis tum ſuum ſtudium, tum diem, quo illum rapere ſtatuerant, palam faciebant. Quando puero indignus erat amator, repulſam ferebat; ſin vero ejus genus & virtutes cum pueri dignitate concinebant, molliter quidem reluctabantur, ut legi parerent, raptoremque ad domum perſequebantur, tumque conſentiebant; deinde puerum, quocumque lubebat, abducebat amator, iis, qui in raptu interfuerant, comitibus; aliquamdiu, ad ſummum per bimeſtre, venatione, aliiſque ludis oblectatum domum reducebat; ex legis præcepto, puer diſcedens referebat perfectam armaturam, bovem, & calicem, quæ pluribus aliis muneribus pro ſua liberalitate augere ſolebat amator. Puer domum reverſus bovem Jovi mactabat, fugæ comites convivio exci-

piebat, & quem in morem a dilectore habitus fuerat; enarrabat; si enim duriter illum excepisset, lex compensationem amatori irrogabat, teste Strabone. Præterea in illa familiari consuetudine nil indecori, nilque quod severissimæ pudicitiæ adversaretur, transactum fuisse afferit Maximus Tyrius *Diss.* x. licet autem nonnullis Scriptoribus male oleat mos iste; tamen tum ex plurium aliorum testimonio, tum ex eo quod antiquorum Cretensium leges, quibus hi amores jubebantur, a Veteribus summopere laudantur, abunde ab omni calumnia vindicatur: sed nostra sententia extra omnem controversiæ aleam poni videtur ex iis, que *loc. cit.* subjungit Strabo, nimirum, non tam ob externam formam, quam ob animi dotes, verecundiam, fortitudinem, puerorum amore illos flagrasse.

A Cretensibus pergamus ad Lacedæmonios, quorum plures leges a Creta manarunt. Hujus gentis pæderastia in tota Græcia percrebruit, ejusque integrum regimen, eximiaque beneficia, quæ inde promanabant, in omnium admirationem venerunt. Nulla enim munuscula a se mutuo accipiebant amantes, nec ulla turpi arte mutuum affectum accendere studebant: illorum amor ingenuus & Spartanæ disciplinæ consonus erat; ex reciproca existimatione alebatur, eodemque fomite & incendebatur & augebatur ista flamma. Nec ipsius inverecundiæ suspicione maculabatur: puerum, quem deperibat, deosculari noluit Agesilaus, ne ab aliis carperetur, teste Plutarcho *Apophthegm.* Qui in adolescentem quidquam austerissimæ pudicitiæ adversum tentasset, vi legum (quæ alias honestum amorem jubebant) ignominiæ damnabatur, & ab omnibus ingenuorum civium immunitatibus exuebatur, referentibus Xenophonte *de Repub. Lacedæm.* & Plutarcho *Instit. Lacon.* Mulieribus indulgebatur eadem consuetudo, quæ inter illas ita viguit, ut erga pudicas & formosas virgines suum amorem palam testari gravissimas & honoratissimas matronas non puduerit, juxta Plutarchum in *Lycurgo*; unde horum morum puritas iterum evincitur. Eodem amore, quo quis formosam statuam miratur, erga pueros arsisse Spartanos tradit Maximus Tyrius *Diss.* x. idque demonstrare conatur ex eo quod Plutarchus in *Lycurgo* scribat, licet in uno puero affectum collocaverint plures amatores, attamen nullam inter illos obortam esse invidiam aut zelotypiam; potius intima amicitia conjunctos fuisse, dum puerum omnibus dilectum ad consummatissimam virtutem expolire viribus unitis studebant; etenim ad eum finem dirigebatur amor iste, ut ex familiari cum viris probis & peritis consuetudine in omnigena virtute & bonis moribus proficerent adolescentes; qua de causa & dilectori & dilecto decus & dedecus communia erant; præsertim amatori vituperio vertebantur pueri delicta, eorumque pœna irrogabatur, juxta Ælianum *Var. Hist. lib.* XIII. *c.* V. Quemdam Spartanum a summis Magistratibus mulctatum fuisse, quia puer, quem deamabat, in certamine clamorem effœminatum ediderat, refert Plutarchus in *Lycurgo*. Idem amor erga puerum ardebat in ipsa ætate virili, qui amatoris intima conjunctione continuo utebatur, ei sua consilia recludebat, ejusque consilio regebatur; prout patet ex iis, quæ Plutarchus de Cleomene in *ejus Vita* tradit, qui, antequam ad solium promotus fuisset, cuidam Xenari dilectus fuit: intimam autem necessitudinem cum eo deinceps fovit, donec novam regiminis formam in Rempublicam inferre molitus est, a cujus consuetudine licet discesserit Xenares, quia ejus consilium improbabat, tamen fidem ei datam nunquam fregit, nec ejus molimina ulli patefecit.

Si Sparta Athenas transierimus, occurret Solon,

A qui puerorum amore servis interdixit, quasi hoc factum honesto nomine donasset, & quod indignis vetuit, dignis præcepisset; hæc sunt Plutarchi in *Solone* ipsissima verba. Ille ipse Legislator Pisistratum deamasse dicitur a Plutarcho *eodem in loco*; imo præclarissimi hujus Reipublicæ viri eumdem affectum passi sunt. Socratis, qui ob Gentilium idololatriam damnatam martyr obiit, celebratissimi sunt amores, nec tamen in minimam turpitudinis suspicionem unquam adductus; quod inde patet, quia, dum Callias, Thrasymachus, Aristophanes, Anytus, Melitus, cæterique inimici Socrati objiciebant Critiæ præcepta tyrannidis tradidisse, eumque sophisticæ artis, Deorum contemptus, alio-
B rumque criminum insimulabant, ei tamen impudicos amores, illosque vel scriptos vel sermone agitatos, nunquam exprobraverint; licet autem nonnulli Scriptores, præsertim recentiorum sæculorum, qui veterum Græcorum mores forsan non probe noverant, hujus Philosophi bonos mores hac in parte in dubium vocarint; tamen tum ipsius, tum discipuli Platonis pudicitiam ab eorum calumniis abunde vindicat Maximus Tyrius *Diss.* VIII. IX. X. XI. quo remittimus Lectorem. Horum amorum castitas præterea evincitur ex severis legibus in impudicitiam latis, quibus cinædi ignominiæ
C damnati ab omnibus publicis muneribus arcebantur, prædicones vero morte plectebantur; plures alias pœnas sanciverunt ad homines a tam horrendo flagitio deterrendos, prout liquet ex Atheniensium legibus, quas superius *lib.* I. *c.* XXVI. *col.* 120. *seq.* descripsimus.

Plura alia exempla eodem redeuntia adduci possent; unicum tantum addam a Thebanis desumptum, quorum Legislatores juxta Plutarchum in *Pelopida* hunc egregium amorem in sua gente accendere studuerunt ad juventutis mores probe componendos. Nec fine intento excidisse præcla-
D clare evincitur exemplo (ut cætera conticeam) ἱέρας φάλαγγος, id est, *sacræ phalangis*, quæ ex trecentis viris lectis, tum amatoribus, tum amatis, composita erat, & idcirco *sacra* dicta; plures autem insignes victorias pepererunt, & Spartanos (quorum fortitudo eousq; invicta videbatur) omnibus paribus devicerunt, nec unquam victi, donec Chæroneæ pugnatum est; prælio enim decertato, dum confossos inspiciebat rex Philippus, ad locum, quo hi trecenti viri, qui cum tota ejus phalange pugnarunt, simul occubuerant, advenit; quum autem audiisset hanc fuisse amantium cohortem, miratus & lacrymans inquit, *Pereant*, qui
E *suspicantur hos viros quid turpe vel egisse, vel passos fuisse*.

Pro clausula notandum venit, amatorem ab Spartanis εἴσπνιλον, εἴσπνηλον, alii scribunt εἰσπνήλην, amatum vero a Thessalis dicitur ἀΐτην, prout nos docet Theocritus *Aite* seu *Idyll.* XII. *vers.* 12.

Δοιὼ δή τινε τώδε μετ' ἀμφοτέροισι γενέσθην
Φῶθ' ὁ μὲν ἦν εἴσπνιλος, φαίη χὠ μυγλαΐσδων·
Τὸν δ' ἕτερον πάλιν ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι ἀΐταν.

F *Duo quidam inter se juncti fuerunt*
Viri: alter quidem erat amicus, dicat quis Amyclæa lingua loquens:
Alterum vero Tessalice loquens amatum vocet.

Græcus Scholiastes utrumque nomen deducit παρὰ τὸ τὸν ἐρώμενον εἰσπνεῖν καὶ εἰσπνεῖν τὸν ἔρωτα τῷ ἀγαπῶντι, id est, *quia amatus amatoris accendit affectum*; qua in re cum eo consentiunt plures alii veteres Grammatici.

CAP. X.

De diversa ratione amorem exprimendi, philtris, incantamentis, &c.

AMorem & affectum erga dilectos diversimode testari & indicare noverant Græci. In singulis ambulacrorum, quæ frequentabant, arboribus, in muris ædium suarum, in libris, quos legebant, dilectæ nomen addito cognomine καλὴ aut καλὸς inscribere solebant. Quapropter Lucianus in *Amatore* quemdam enarrans, qui Venerem Cnidiam deperibat, inter alia flagrantis amoris documenta hoc subjungit, omnes scilicet arbores murosque ubique proclamasse Ἀφροδίτη καλὴ, id est, *Venus pulchra*. Eodem affectu ardet Callimachi amator, nisi quod precatur, ut amasiæ nomen in foliis inscribatur, si Aristophanis Scholiastæ *in Acharn.* credere est:

Ἀλλ' ἐνὶ δὴ φύλλοισι κεκομμένα τόσσα φέροιεν.
Γράμματα, Κυδίππην ὡς ἐρέωσι καλήν.
Etiam in foliis incisas tot ferant
Litteras, quot dicant Cydippen pulchram.

Ad quem morem alludens quidam apud Euripidem ex Eustathio *Iliad.* ζ'. *pag.* 490. *Edit. Basil.* asserit se nunquam de mulieribus bene existimaturum, licet illarum nomina in pinubus montis Idæ ubique viserentur. Ad eumdem morem respicit Aristophanes, quando quemdam senem Atheniensem, qui causis decidendis summopere delectabatur, subsannans inquit, in singulis locis κημὸς καλὸς, id est, *operculum urnæ judicialis pulchrum*, eum scripsisse in *Vespis pag.* 430. *Edit. Amstelod.*

—— αὖ ἴδῃ γέ που γεγραμμένον
Τὸν Πυριλάμπους ἐν θύρᾳ Δῆμον καλὸν,
Ἰὼν παρέγραψε πλησίον, Κημὸς καλός.
—— *si viderit ad quasdam fores scriptum*
Pyrilampus pulcher vicus est,
Prope transiens adscripsit, Pulcher fiscus est.

Dilectarum fores floribus & sertis exornare solebant amasii: cum enim, quos deamabant, amoris Dei imaginem esse existimarent, idcirco Cupidinis templum, cui hi honores vulgo tribuebantur, adumbrare eorum ædes decebat, juxta Athenæum *Deipnosoph. lib.* XV. Ex eodem fonte manavit præ amasiarum foribus libandi easque vino adspergendi consuetudo, cujus meminit Aristophanis Scholiastes in *Pluto Act.* I. *Scen.* I. ubi observat amoris, quo erga formosam Naim ardebant, ejus foribus vino adspersis publica documenta dedisse plures adolescentes Thessalos.

Cujusvis corolla soluta amorem suum declarabat, juxta Athenæum *loc. cit.* mulier vero ad indicandum amorem sertum contexebat, teste Aristophane in *Thesmoph. pag.* 774. *Edit. Amstelod.*

—— ὥς', ἐάν τις πλέκῃ
Γυνὴ σέφανον, ἐρᾶν δοκεῖ. ——
—— *ut, si quædam contexat*
Mulier coronam, amare videatur. ——

Diversis artibus utebantur, unde compertum haberent an sui amores fœliciter succederent, necne? κότταβος usu frequentissimo veniebat in conviviis, quem inferius, si vacat, describemus. Duplex autem ratio apud Theocritum occurrit *Caprario* seu *Idyll.* III. *vers.* 28.

Ἔγνων πρᾶν, ὅκα μευ μεμναμένῳ εἰ φιλέεις με,
Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα,
Ἀλλ' αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ πάχεϊ ἐξεμαράνθη.
Εἶπε καὶ Ἀγροιὼ τἀλαθέα κοσκινόμαντις,
Ἁ πρᾶν ποιολογεῦσα, παραιβάτις, οὕνεκ' ἐγὼ μὲν
Τὶν ὅλος ἔγκειμαι, τὺ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιῇ.
Intellexi nuper, cum quærerem an me amares,
Telepbilon allisum non edidit sonum,
Sed frustra in tenero cubitu exaruit:
Dixit & Agræo verum cribellaria vates,
Quæ nuper spicas legebat, mercede conducta, quod eo quidem
Tibi totus incumberem, tu vero me nihili faceres.

Utramque hanc consuetudinem superius *lib.* II. *c.* XVIII. attigimus, quo Lectorem remittimus.

Quando amores ex voto non succedebant, dilectæ affectum accendere pluribus artibus noverant. Hujus æque ac aliarum magicarum artium peritissimæ celebrantur Thessalæ mulieres: diversimode autem peragebatur: quandoque per potus dictos φίλτρα, quorum meminerunt non raro tum Latini tum Græci Scriptores; nominatim Juvenalis *Satyra* VI. *vers.* 609.

Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti.

Vis illorum vehemens & damnosa erat, quandoquidem iis poti rationem vulgo amittebant. Hujusmodi potu primum rationis, deinde vitæ jacturam fecisse Lucullum Romani exercitus ducem tradunt Plutarchus & Cornelius Nepos; eodem haustu periit Poeta Lucretius, & Cajum Caligulam per philtrum ipsi ab uxore Cæsonia propinatum in furorem actum fuisse scribit Suetonius; cujus facti meminit Juvenalis *loco citato*:

—— *tamen hoc tolerabile, si non*
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit. ——

Huic potui eamdem vim tribuit Ovidius *Artis Amat. lib.* II. *vers.* 105.

Nec data profuerint pallentia philtra puellis,
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Ex pluribus condimentis, quorum singula seorsim sumpta eodem valere credebantur, miscebatur istud medicamentum; præcipua fuerunt,

Hippomanes, caruncula in fronte pulli equini recens nati, colore nigro aut furvo, ficus magnitudinem & speciem exhibens, quam equæ, statim ac enixæ sunt, demordent, quando vero prævertuntur, fœtum deserunt; unde præsens medicamentum ad amorem accendendum credebatur, præsertim quando in pulverem contusum & amatoris sanguine immixtum potabatur. Ejus frequenter meminerunt Physiologi; Aristoteles, Plinius, Solinus, Columella, & plures alii de illo scribere non dedignati sunt; vires veneni ubique canunt Poetæ; quapropter (ne plura exempla efferam) ut Æneæ amorem iterum incendat, illud adhibet Dido apud Virgilium *Æneid. lib.* IV. *v.* 515.

Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor.

Idem vocabulum alio sensu sumitur & a Plinio dicitur *virus distillans ab inguine equæ coitum maris appetentis, & in furorem agens.* Nec priore minus efficax venenum fuit, prout patet ex iis, quæ de statua equina a Phormide Arcade dicata refert Pausanias *Eliacis* α'. prope finem; ea enim hippomane, de quo hic agitur, a Mago quodam infecta equos mares prætereuntes ad tantam libidinem agebat, ut frænis diffractis & sessoribus dejectis eo abripe-

peren-

perentur & verberibus vix reduci possent. Hujus veneni vires sæpius memorarunt Poetæ; inter quos Ovidius *Amorum lib.* I. *eleg.* VIII. hæc habet:

Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.

Ex equabus Lusitanicis a vento imprægnatis illud profluere contendit Virgilius *Georgic. lib.* III. *vers.* 271.

Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis
Vere magis (quia vere calor redit ossibus) illæ
Ore omnes versæ in Zephyrum, stant rupibus altis,
Exceptantque leves auras; & sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)
Saxa per, & scopulos, & depressas convalles
Diffugiunt; non, Eure, tuos, neque solis ad ortus,
In Boream, Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur, & pluvio contristat frigore cœlum.
Hinc demum, Hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus,
Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.

Idem testatur Aristoteles. Juxta alios Hippomanes est planta in Arcadia nascens, quæ ad jam dicta effecta plurimum valet. Sic Theocritus *Pharmaceutria* seu *Idyll.* II. *vers.* 48.

Ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι· τῷ δ' ἔπι πᾶσαι
Καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα, καὶ θοαὶ ἵπποι·
Ὡς καὶ Δέλφιν ἴδοιμι καὶ ἐς τόδε δῶμα περῆσαι
Μαινομένῳ ἴκελον, λιπαρᾶς ἔκτοθε παλαίστρας.

Hippomanes planta est apud Arcades: hac autem omnes
Et equulei insaniunt in montibus, & celeres equæ:
Utinam sic & Delphidem videam ad hanc domum venire
Insano similem, ex nitida palæstra.

Ἰυγξ, avicula, cujus de Latino nomine non convenit inter Auctores: alii enim *passerculum*, alii vero *torquillam*, *frutillam*, aut *regulum* interpretantur. Eam fabularum consarcinatores, nominatim Suidas, Isacius Tzetzes *in Lycophronem vers.* 310. ubi *Commentarius noster* adeundus, faciunt Panis & Pitho vel Echo filiam, quæ, quia Jovis amorem cæcum in Io accenderat, a Junone mutata est in avem: deinde Veneri dilecta fuit, & quia libidinosa mansit, in amoribus usuvenit, amoris Dea hanc primo adhibuit in Argonautarum expeditione, in qua amores medicatos, incantamenta, & potus, qui ex illa avicula imprimis miscebantur, invenit, Jasonique tradidit, ut iis Medeæ affectum accenderet; qua de causa Pindarus *Pythion ode* IV. *vers.* 384. sic canit:

Μαινάδ' ὄρνιν Κυπρογένεια φέρεν
Πρῶτον ἀνθρώποισι, λιτάς τ' ἐπαοιδὰς ἐκδιδάσκησεν σοφὸν Αἰσονίδαν·
Ὄφρα Μηδείας τοκέων ἀφέλοιτ' αἰδῶ. ——

Furiosam avem Cypria attulit
Primum hominibus, preculasque incantatrices edocuit sapientem Æsonidem:
Ut e Medea parentum auferret reverentiam. ——

Lingua hujusce avis præ cæteris partibus magni fiebat, & poculis amatoriis vim præsentissimam addere a veneficis credebatur: quandoque integram avem rotæ cereæ alligabant, quas simul ad ignem versabant donec consumptæ fuissent, ut ille, cujus amorem ciere volebant, flamma libidinis corriperetur. Alii contendunt ἴυγγα nil aliud esse quam instrumentum musicum, ab aliis vero sumitur pro omni illecebrarum genere.

His addi possunt herbæ & insecta ex putrida materia nata, aliaque plura animalia, nominatim piscis dictus ἐχενηὶς vel *remora*, lacerta, aliusque ei non absimilis nuncupatus *stellio* & *stincus*, vituli cerebrum, capilli in extrema lupi cauda nascentes, nonnullæque ejus partes interiores, ossa in latere sinistro bufonis a formicis exesi; hæc enim amorem, quæ vero in dextro latere innata erant, odium gignere credebantur. Alii eadem ossa bufonis, cujus caro a formicis vorata erat, sumpta in vas aqua plenum conjiciebant; ea autem, quæ mergebantur, albo linteo obvoluta, ejus, cui alligabatur, amorem, alia vero odium incendebant. Aliæ rubetæ partes in veneficiis adhibebantur: unde Juvenalis ait *Sat.* VI. *vers.* 658.

At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ.

Alii memorant sanguinem columbarum, serpentum ossa, strigis plumas, stamina lanea rotæ circumducta, (quæ hunc in usum frequentissime adhibebantur, eo quod amoris vincula mollia adumbrabant) præsertim ea, quibus vir sui ipsius homicida cinctus fuerat: horum medicamentorum nonnulla describit Propertius *lib.* III. *eleg.* IV.

Improba non vicit me moribus illa, sed herbis,
Stamine & a rhombi ducitur ille rota;
Illum turgentis ranæ portenta rubetæ;
Et lecta e sectis anguibus ossa trahunt,
Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ,
Cinctaque funesto lanea vitta viro.

Pluribus aliis rebus miscebantur philtra, quæ in Lælii carminibus, ab Apulejo *Apolog.* allatis, enumerantur:

Philtra omnia undique eruunt,
Antipathes illud quæritur,
Trochisci, iynges, tæniæ,
Radiculæ, herbæ, surculi,
Aureæ ilices, bichordilæ,
Hinnientium dulcedines.

Inferebantur & panniculamenta, tædæ, & (ut paucis dicam) quælibet mortuorum reliquiæ, & quidquid a cadaveribus atque funeribus desumptum erat. Aliquando hirundinum pullities in idoneo vase posita, humo defodiebatur donec fame periisset: pullorum autem, qui rostro clauso, ad sedandum, qui vero rostro cibo inhiante enecati fuerant, ad amorem accendendum valere credebantur. Eumdem in finem usurpabantur ossa ab ore canis voracis & famelici rapta, quæ hujus animalis cupidine poculum amatorium aliquomodo inficere existimabantur: unde eleganti carmine cujusdam veneficæ artes sic describit Horatius *Epode* V. *vers.* 14.

Canidia brevibus implicata viperis
Crines & incomptum caput,
Jubet sepulcris caprificos erutas,
Jubet cupressos funebres,
Et uncta turpis ova ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ strigis,
Herbasque, quas & Iolchos, atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunæ canis,
Flammis aduri Colchicis.

His infundebatur aliud quid omnium, quæ eousque retulimus, efficaciſſimum, a Poeta in *eadem epode* ſic deſcriptum *verſ.* 29.

Abacta nulla Veja conſcientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus;
Quo poſſet infoſſus puer
Longo die bis terve mutatæ dapis
Inemori ſpectaculo,
Cum promineret ore, quantum exſtant aqua
Suſpenſa mento corpora;
Exſucta uti medulla, & aridum jecur
Amoris eſſet poculum,
Interminato cum ſemel fixæ cibo
Intabuiſſent pupulæ.

Tranſeamus ad alias artes, quibus amorem accendere noverant: cujuslibet mulieris, quam oculo libidinoſo intuiti erant, cupidinem vi uberis hyænæ ſiniſtro ſuo brachio alligati pellicere poſſe jactabant nonnulli: alii adhibebant πίτυρα, olivæ exiguæ & duriuſculæ genus, vel juxta aliorum interpretationem hordaceum furfur, quod vel nativum, vel in maſſam ſubactum in ignem conjicere ſolebant, ut amatæ cupidinis flammas infunderent: unde Simætha apud Theocritum *Pharmaceutria* ſeu *Idyll.* II. *verſ.* 33. inquit:

Νῦν θυσῶ τὰ πίτυρα. ——

Nunc ſacrificabo furfures. ——

Aliquando ἀλφίτοις vel *ſimilagine* utebantur, quæ θυλήματα dicta fuiſſe ſcribit Theocriti Scholiaſtes. Hanc artem deſcripſit Theocritus eodem *Idyll.* ubi ſuæ ancillæ hæc præcipiens inducitur venefica *verſ.* 18.

Ἄλφιτά τοι πρᾶτον πυρὶ τάκεται· ἀλλ' ἐπίπασσε,
Θεςυλὶ δειλαία, πᾶ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι;
Ἦ ῥά γέ τοι, μυσαρά, καὶ τὶν ἐπίχαρμα τέτυγμαι;
Πάσσ' ἅμα, καὶ λέγε ταῦτα, Τὰ Δέλφιδος ὀςέα πάσσω.

Mola quidem in igne conſumitur: ſed adſperge,
Theſtylis infœlix, quo tibi mens avolavit?
An vero, ſceleſta, tibi quoque ludibrio ſum?
Sparge ſimul, & dic iſta, Delphidis oſſa ſpargo.

Furfuris aut ſimilæ loco laurus comburi ſolebat, prout diſcere eſt exemplo ejuſdem ſagæ, quæ ſic pergit *ibid. verſ.* 23.

Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν, ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν
Αἴθω· χ' ὡς αὐτὰ λακέει, μέγα καππυρίσασα,
Κἠξαπίνης ἄφθη, κοὐδὲ σποδὸν εἴδομες αὐτῆς,
Οὕτω τοι καὶ Δέλφις ἐνὶ φλογὶ σάρκ' ἀμαθύνοι.

Delphis me cruciat, ego vero in Delphide hanc laurum
Uro: & ſicut illa crepat, valde inflammata,
Et ſubito conflagravit, ut neque cinis de ea appareat,
Ita etiam Delphidis caro inflammata conſumatur.

Nec raro ceram liquefaciebant, ut illius, quem deperibant, cor liqueſceret: unde ſic ſaga perſequitur *ibid. verſ.* 28.

Ὡς τοῦτον τὸν καρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω,
Ὡς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις.

Sicut hanc ceram ego Deo adjuvante liquefacio,
Ita præ amore ſtatim liqueſcat Myndius Delphis.

Aliquando una cum cera ad ignem admovebatur argilla; ut enim illa liqueſcebat dum hæc indurabatur, ita cor, quod refugiebat, liquefactum iri affectu & cupidine arſurum, dum ſuum indureſceret & inflexibile fieret, vovebant; vel ut, dum illorum amore flagraret cor illud, ullius alius forma nunquam tangi poſſet; quo reſpicit Virgilius primo ſequentium carminum, cæteris autem alludit ad mores ex Theocrito ſuperius expoſitos *Ecloga* VIII. *verſ.* 80.

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,
Uno eodemque igni; ſic noſtro Daphnis amore:
Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros;
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.

Quæ in dilectis perfici cupiebant, imitari ſolebant: ſic rotam circumducere aſſueverant, dum, ut ipſe amatus coram foribus amantis procidens humo ſe volutaret, vovebant. Exemplo ſit Theocriti ſaga *ibid. verſ.* 30.

Χ' ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος, ἐξ Ἀφροδίτας
Ὡς κεῖνος δινοῖτο ποθ' ἁμετέραισι θύραισιν.

Utque volvitur hic æneus orbis, ope Veneris
Sic ille volvatur ante noſtras fores.

Imaginem ceream effictam & illius, quem amore ardere volebant, nomine dictam, ad ignem, cujus calor & effigiem & effictum afficere credebatur, admovere ſolitos fuiſſe ſcribit Wierus *lib.* V. *cap.* XI. Eam ter aræ circumducit venefica apud Virgilium *Ecloga cit. verſ.* 74.

—— *terque hæc altaria circum*
Effigiem duco. ——

Eamdem antea liciis obligarat, ut indicaret ejus amorem vinciendum eſſe *ibid. verſ.* 73.

Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circumdo. ——

Nec inſolitum ædes dilectæ medicamentis incantatis conſpergere: huc referri debet veneficæ mandatum apud Theocritum *ibid. verſ.* 59.

Θέςυλι, νῦν δὲ λαβοῖσα τὺ τὰ θρόνα, ταῦθ' ὑπόμαξον
Τᾶς τήνω φλιᾶς καθυπέρτερον, ἇς ἔτι καὶ νῦν
Ἐκ θυμῶ δέδεμαι· (ὁ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιεῖ)
Καὶ λέγ' ἐπιφθύσδοισα, Τὰ Δέλφιδος ὀςέα πάσσω.

Theſtylis, nunc aſſumptis hiſce venenis, ea illinc
Limini illius deſuper, cui etiam nunc
Ex animo alligata ſum: (ille vero me nihil curat)
Et inſpuens dicito, Delphidis oſſa ſpargo.

Cujuslibet dilectæ ſupellectilis, quod in amantis manus inciderat, præſentiſſima vis credebatur: ut Delphis ſimili flamma uratur, ejus veſtis fimbrias accendit eadem venefica *ibid. verſ.* 53.

Τοῦτ' ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δέλφις,
Ὡ 'γὼ νῦν τίλλοισα κατ' ἀγρίῳ ἐν πυρὶ βάλλω.

Hanc a veſtimento fimbriam amiſit Delphis,
Quam ego nunc divellens in ſævum ignem ſpargo.

Dilecti pignora humo ſub limine infodit ſaga apud Virgilium *Ecloga cit. verſ.* 91.

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit
Pignora cara ſui; quæ nunc ego limine in ipſo,
Terra, tibi mando; debent hæc pignora Daphnim.

Ejus autem conſuetudinis finis fuiſſe videtur, ut

nimirum amoris sui fidem servaret; alterius vero affectum reductum sisteret.

In iis, quæ ancillæ suæ mandat Nympha apud Virgilium *ibid. vers.* 101. alia ars latet:

Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti
Transque caput jace; ne respexeris: his ego Daphnim
Aggrediar, nil ille Deos, nil carmina curat.

Unicam tantum artem amoris incentivam subjungam, quando scilicet nodos Venereos nectebant, ut dilectæ amorem necterent, teste Virgilio *ibid. vers.* 77.

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
Necte, Amarylli, modo, & Veneris, dic, vincula necto.

Quam caute nodorum numerum moneat Nympha, observatu dignum est: pleræque enim illæ artes numero trino confici solebant: similem cautelam hac in parte adhibet venefica apud Theocritum *Idyll. cit. vers.* 43.

Ες τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε, πότνια, φωνῶ.
Ter libo, & ter hæc, o veneranda, dico.

Hujus consuetudinis causam reddit Virgilius *Ecloga cit. vers.* 75. quia nimirum isto numero delectari Dii credebantur:

—— *numero Deus impare gaudet.*

An perfectioni, quæ numero trino tribuebatur, quia, dum initium, medium, & finem complectitur, tota rerum natura in eo includi posse videtur, an dignitati, quam apud Pythagoreos aliosque nonnullos Philosophos, qui Trinitatis doctrinam tuebantur, obtinuit, an vero denique (ne plures sententias afferam) illius numeri aptitudini omnibus Deorum ordinibus, qui in superos, terrestres, & inferos distinguebantur, indicandis originem debeat hæc superstitio, necne, aliis definiendum relinquimus? Hoc unum certum est, numero impari vim & efficaciam inesse credidisse Veteres: quocirca fossas ad minimum novem, ad summum septemdecim, semper autem imparis numeri pedum latitudinem æquantes castris circumducendas esse monet Vegetius *lib.* III. *cap.* VIII. & *Geoponic. lib.* XVIII. vult ut pastores caveant ne ovium, quas pascunt, æqualis sit numerus: omnium autem numerorum imparium trinus Diis gratissimus habebatur; unde fatorum præsides trinæ sorores, trinæ Furiæ, triplex Dianæ nomen & adspectus, juxta Poetæ verba:

—— *tria virginis ora Dianæ.*

Pariter trini Saturni filii, inter quos mundi imperium divisum est, vulgo prædicantur: eodem respicit Jovis fulmen trifidum, Neptunique tridens, & plura similia trina; quibus patet quanta fuerit illius numeri religio apud Gentiles.

Plures aliæ incantandi artes in amoribus adhibitæ a vulgaribus incantationibus diversæ non erant: formula carminum incantata distinguebatur tantum respectu usus, in quem adhibebatur: eamdem speciem, eamdemque vim, quæ Circes carminibus conveniebant, suis tribuit Nympha apud Virgilium *Ecloga* sæpius adducta *vers.* 67.

—— *nihil hic nisi carmina desunt:*
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim;
Carmina vel cœlo possunt deducere lunam,
Carminibus Circe socios mutavit Ulyssei,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Itidem herbæ & mineralia, quæ in aliis magicis artibus adhibebantur, in amoribus usuveniebant: iis enim mira potestas inesse credebatur, quæ ad quævis naturæ vires superantia & miraculi similia efficienda æque valent: quapropter iisdem medicamentis, quorum ope sua præstigia edebat Mœris, ad Daphnidis amorem pelliciendum utitur Nympha apud Virgilium *ibid. vers.* 95.

Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris; nascuntur plurima Ponto;
His ego sæpe lupum fieri, & se condere sylvis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulcris,
Atque satas alio vidi traducere messes.

Ut pluribus argumentis recensendis supersedeam, omnium magicarum artium eamdem fuisse rationem inde patet, quia iis iidem Dii præesse credebantur, prout nos docet Simœtha apud Theocritum, a quo Lunam & Hecaten auxilio vocans sic inducitur *Idyll.* jam citato *vers.* 10.

—— ἀλλά, Σελάνα,
Φαῖνε καλόν, τὶν γὰρ ποταείσομαι ἄσυχα, δαῖμον,
Τᾶ χθονίᾳ θ' Εκάτᾳ, ταν καὶ σκύλακες τρομέοντι
Ερχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία, καὶ μέλαν αἷμα.
Χαῖρ' Εκάτα δασπλῆτι, καὶ ἐς τέλος ἄμμιν ὀπάδει,
Φάρμακα ταῦθ' ἔρδοισα χερείονα μήτε τι Κίρκης,
Μήτε τι Μηδείας, μήτε ξανθᾶς Περιμήδας.

—— *sed tu, o Luna,*
Luceas pulchre, ad te enim convertam carmina placide, o Dea,
Et ad Hecaten subterraneam, quam etiam catuli timent
Incedentem per mortuorum sepulcra & atrum sanguinem:
Salve Hecate terribilis, & ad finem usque nobiscum sis,
Efficiens hæc venena non inferiora neque Circes,
Nec Medeæ, neque flavæ Perimedæ venenis.

Hec sufficiant de artibus, quæ amorem incendebant. Nunc quæri potest, an daretur via ad illum affectum semel concitatum molliendum? Patet autem vulgo levatum fuisse, qui amore flagrabat, ope fortiorum medicaminum vel dæmonum potentiorum iis, qui illum vinxerant; unde Canidia queritur apud Horatium *Epod.* V. *vers.* 61. omnia sua incantamenta irrita facta fuisse arte valentiore quam sua:

Quid accidit? cur dira barbaræ minus
Venena Medeæ valent,
Quibus superba fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba, nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum:
Ah, ah! solutus ambulat veneficæ
Scientioris carmine.

Verum amori excitato sine ope magica vix mederi potest; Apollo ipse ullum adversus illum remedium invenire nequit, imo inducitur ab Ovidio *Metamorph. lib.* I. *fab.* IX. *vers.* 521. hisce verbis lamentans:

Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum est subjecta potentia nobis;
Hei mihi! quod nullis amor est medicabilis herbis,
Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus, artes.

Idem Poeta *de Remedio amoris vers.* 259. declarat, nullam dari artem, qua amator liberandus esset:

Nulla recantatas deponent pectora curas,
Nec fugiet vivo sulphure victus amor.
Quid te Phasiacæ juverunt gramina terræ,
Cum cuperes patria, Colchi, manere domo?
Quid tibi profuerunt, Circe, Perseides herbæ,
Cum tibi Neritias abstulit aura rates?

Sed quamvis difficile sanaretur iste morbus, tamen non deerant præcepta, quæ variis illius causis accommodari poterant; prout videre est ex vetulæ nutricis verbis ad Myrrham amore insanientem apud Ovidium *Metamorph. lib.* X. *fab.* IX. *vers.* 397.

Seu furor est, habeo quæ carmine sanet & herbis:
Sive aliquis nocuit, magico lustrabere ritu:
Ira Deum sive est, sacris placabilis ira.

Amoris remedia ad duplex genus referri queunt; vel enim erant res vi quadam naturali præditæ ad effectum, quem sperabant, producendum; cujusmodi agnus castus, omnesque herbæ, quæ generationi noxiæ existimabantur; vide *Archæologiæ hujus lib.* II. *cap.* III. vel quæ facultate quadam occulta ac dæmonum ope sanationem procurare pares erant, quales sparsus pulvis, in quo se volutasset mulus, juxta Plinium *Nat. Hist. lib.* XXX. *c.* XVI. bufones alligati pelli animalis recens mactati, ex eodem *ibid. lib.* XXXII. *cap.* X. pluraque alia ab illo ipso memorata; quibus accensenda omnia mineralia & herbæ, quæ adversus alias artes magicas amuleta existimabantur, illa enim ad id pariter conducebant; unde apud Poetas frequens mentio fit Caucasi, Colchidis, aliorumque locorum ob plantas magicas celebrium, ceu ex quibus solis suppeterent remedia contra amorem: unicum exemplum in medium afferam, ubi Propertius *lib.* I. *eleg.* XII. inquirens quid causæ esset cur ab amasia derelictus fuisset, istud inter alia proponit:

——— *an quæ*
Lecta Prometheis dividit herba jugis.

Promethei monte intelligit Caucasum, qui fuit maxime notabilis ob herbas eximiæ vis effluentis ex Promethei sanguine.

Inferi Dii auxilio vocabantur; ut discere est exemplo Didonis, quæ propositum abjiciendi ab Ænea amoris residui hisce verbis declarat apud Virgilium *Æneid. lib.* IV. *vers.* 638.

Sacra Jovi Stygio, quæ rite incœpta paravi,
Perficere est animus, finemque imponere curis,
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.

Anna Didonis soror narrans, quomodo ad eosdem Deos placandos summis viribus adnixa, inducitur a Silio *lib.* VIII.

Nigro forte Jovi, cui tertia regna laborant,
Atque atri sociæ thalami nova sacra parabam,
Queis ægram mentem & trepidantia corda levaret
Infœlix germana tori. ———

Paulo ante illa ipsa referens, quomodo aruspices sanam mentem Didoni restituere tentassent, inquit, ab illis in auxilium invocatos noctis Deos, quibus intelligit infernas umbras:

Heu! sacri vatum errores, dum Numina noctis
Eliciunt, spondentque novis medicamina curis.

Unicam tantum rationem, qua amori suo mederi possent, commemorabo: nimirum aquam Selemni, fluvii in mare prope Argyram urbem Achajæ se exonerantis: historia sic se habet; Selemnus egregia forma puer, pecus in his regionibus pascens, amatus fuit a Nympha Argyra, a qua urbs & fons cognomines appellari cœperunt; fluvius vero istam ætatem prætergressus, a Nympha desertus fuit, exinde desiderio contabuit & in fluvium a Venere mutatus est; in posterum suum priorem amorem etiamnum servavit, & (prout memorant Patrenses) aliquantisper ad Argyram fontem aquis subiens penetrabat, eodem modo quo Alpheus simul cum Arethusa fluere dictus; donec Veneris beneficio eum cepit ipsius oblivio; inde quotquot in hoc flumine se abluissent, amorum suorum obliviscerentur. Hactenus Pausanias in *Achaicis pag.* 442. & 445. *Edit. Hanov.*

Hæc satis sint de amore. Plura super hac re afferri posse optime novi, sed quæ a nobis dicta sunt (prout speramus) ad explendam curiositatem Lectoris sufficient, nec ulterius ipsius patientia abutemur.

CAP. XI.

De eorumdem matrimoniis.

PRimævi Græciæ incolæ absque legibus & regimine vivebant, nullis limitibus circumscripti ipsorum affectus, nec eorum amor (ut & reliquæ cupiditates) coercitus, sed quid confusum ac mixtum erat, quandoquidem nulla auctoritate humana prohibitus, palam permittebatur. Indomitæ illorum licentiæ fræna primus injecit Cecrops, qui cum sua virtute nulliusque ope summum imperium in populum, qui deinceps Athenienslum nomen inditum, obtinuisset, inter multa alia utilia instituta matrimonium induxit. Vide *Archæologiæ hujus lib.* I. *cap.* II. Erato Musarum uni ab aliis tribuitur honor hujusce instituti una cum saltatione; verum nonnulli id potius intelligunt de conjugiis solennibus, quæ prius ab Erato ordinata statuunt. Quidquid sit, ab universis Græcis aliquando receptum fuit; nam statim ac suam vivendi rationem feram atque barbaram emendare & in civitates societatesque coalescere cœperunt, necessarium duxerunt coercere indomitas hominum cupiditates adsciscendo legitimo matrimonio ut & aliis optimorum morum regulis.

In variis Græciæ Rebuspublicis honoratissimum fuit connubium, cum legibus optime firmatum ac promotum fuerit, econtra cum quis illud fugeret, increpabatur, nonnullisque in locis plectebatur: quandoquidem enim Rerumpublicarum robur in multitudine hominum consisteret, qui ad earum incrementum quidquam conferre nolebant, nullo studio animique ardore erga patriam affici censebantur. Lacedæmonii acerbe severi extiterunt in eos, qui conjugium differebant, ut & in illos, qui illud penitus aversarentur, juxta Stobæum *Serm.* LXV. *de laude nuptiarum.* Nemo apud eos cælebs vivere poterat ultra ætatem a Legislatore præscriptam quin plura pœnarum genera subiret. Primo quidem publicum forum quavis hyeme nudi obambulare jubebantur illi a Magistratibus; & ut ignominia major foret, quamdam cantilenam canebant, cujus verba crimen ipsorum augebat, & qua in ridiculo habebantur. Secundo in pœnam arcebantur a ludis illis, in quibus, juxta Spartanorum morem, puellæ nudæ contendebant, teste Plutarcho in *Lycurgo.* Tertio in eos animadvertebatur certa quadam solennitate, in qua mulieres circa altare illos trahebant, pugnisque perpetuo conscindebant, ex Athenæo *Deipnosoph. lib.* XIII. Denique destituebantur illo honore ac reverentia, quam juniores senioribus persolvere tenebantur: Ὅθεν καὶ τὸ πρὸς Δερκυλλίδαν ῥηθὲν οὐδεὶς ἐμέμψατο, καίπερ ἐνδό-

κιμον ὄντα στρατηγόν. ἐπιόντι γὰρ αὐτῷ, τῶν νεωτέρων τὶς ἕδρας οὐχ ὑπεῖξεν αὐτῷ, εἰπών, Οὐδὲ γὰρ ἐμοὶ σὺ τὸν ὑπείξοντα γεγέννηκας. *Quare* (inquit Plutarchus *loco cit.*) *quod exprobratum Dercyllidæ fuit, quantumvis inclyto duci, nemo reprehendit: cui intervenienti adolescentum quidam subsellio non cessit, adjiciens, Neque enim tu mihi eum, qui cessurus sit, sustulisti.* His subjungenda Atheniensium lex, ex Dinarcho *in Demosthenem*, qua omnes præfecti, oratores, iique, quibus legatum publicum aliquod negotium, matrimonio juncti esse debebant, ipsisque natos esse liberos, ac fundos possidere; hæc enim habebantur ceu tot pignora bonorum morum ac prudentiæ ipsorum, sine quibus periculosum existimabant concredere illis administrationem publicorum negotiorum.

Polygamia apud Græcos vulgo prohibita; siquidem matrimonium censebatur esse conjunctio viri cum muliere; hinc, juxta nonnullos, γάμος derivatur παρὰ τὸ δύο ἅμα εἶναι, *quod duo fiant unum*. Quando Herodotus in *Terpsichore* seu *lib.* v. refert, Anaxandridæ Spartano fuisse duas uxores, observat hoc adversari consuetudini, quæ Spartæ servabatur: in eo cum Lacedæmoniis magna ex parte conveniebant reliquæ Græciæ civitates; tantummodo urgente quadam necessitate, ut quando viri in bello aliisve cladibus perierant, ipsis concedebatur ut plures uxores ducerent; cujus rei exstat exemplum Athenis circa tempora Euripidis, qui, sicut asserunt nonnulli, odium in universum sexum habuit, ex eo apud Historicos celebratus quod simul & semel a duabus uxoribus vexatus fuerit, secundum Gellium *Noct. Attic. lib.* xv. *cap* xx. Xantippæ ac Myrto matrimonio junctus eodem tempore fuisse dicitur Socrates apud Diogenem Laertium in *ejus Vita*; imo Athenæus *Deipnosoph. lib.* XIII. colligit illud tunc temporis in offendiculo non habitum, quia ab ullo inimicorum nunquam ei exprobratum; verum rationem facti jure merito in dubium vocandam esse quidam opinantur, & quidem duas uxores eodem tempore Socratem habuisse negavit Panætius Rhodius, atque ἱκανῶς πρὸς τούτους ἐν τοῖς περὶ Σωκράτους ἀντείρηκε, ut ait Plutarchus in *Pericle*.

Diversis in locis diversa ætate matrimonium contrahebatur; Spartanis ducere uxorem non licuit, donec ad ætatis robur pervenissent, secundum Xenophontem *de Republ. Lacedæm.* quamvis autem accuratus ac præcisus annorum numerus, quibus cohibiti fuerunt, non inveniatur, tamen patet ex quodam Lycurgi præcepto, viros ac mulieres simul limitibus hac in re constringi; hujus autem rationem rogatus iste Legislator respondit, ut Spartani pueri robusti atque vegeti forent. Atheniensium legibus semel cautum dicitur, ne ante ætatis annum trigesimum quintum connubio jungerentur homines. Nam humanam vitam in decem hebdomadas a Solone divisam accepimus, *in harum autem hebdomadum quinta maturitatem ad stirpem relinquendam homini inesse* dicebat, referente ex ejus Elegiis Censorino *de Die Natali cap.* XIV. Sed hoc ex cujusvis Legislatoris lubitu pendebat, cum in eo non convenirent omnes; ab Aristotele *Polit. lib.* VII. *cap.* XVI. annus trigesimus septimus optima ætas habebatur, a Platone trigesimus, idemque fere sentit cum ipsis Hesiodus, ita enim suum amicum monet *Oper. & Dieb.* β'. *v.* 313.

Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι,
Μήτε τριηκόντων ἐτέων μάλα πολλ' ἀπολείπων,
Μήτ' ἐπιθεὶς μάλα πολλά. γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος.
Maturus autem uxorem tuam ad domum ducito,
Neque triginta annis valde multum deficiens,
Neque superans multum: nuptiæ vero tibi tempestivæ hæ.

Mulieres citius quam viri nubebant; ex nonnullis priscis Atheniensium legibus permittebantur matrimonium contrahere annos viginti sex natæ, ex Aristotele octodecim, ex Hesiodo quindecim *ibid. vers.* 316.

Ἡ δὲ γυνὴ τέτορ' ἡβῴη, πέμπτῳ δὲ γαμοῖτο.
Mulier autem quatuor annos pubescat, quinto vero nubat.

Ubi Poeta docet, mulieribus licere ad pubertatem pervenire quarto anno, hoc est, quatuor post decem, & nubere quinto, id est, decimo quinto: alii existimant Poetam velle ut innuptæ maneant quatuor annos, postquam aptæ viro evasissent, id est, decimo quarto anno, & matrimonio jungantur quinto anno, hoc est, decimo nono. Sicut autem mulieres citius nubiles erant quam viri, ita ipsarum tempus multo brevius, cum viri ætate multa provectiores quam fœminæ conjugium contrahere solerent; quemadmodum conqueritur Lysistrate apud Aristophanem *Lysistr. pag.* 858. *Edit. Amstelod.*

ΛΥ. Περὶ τῶνδε κορῶν ἐν τοῖς θαλάμοις γηρασκουσῶν ἀνιῶμαι.
ΠΡ. Οὔκουν γ' ἄνδρες γηράσκουσιν; ΛΥ. Μὰ Δί', ἀλλ' οὐκ εἶπας ὅμοιον·
Ὁ μὲν γὰρ ἥκων, κἂν ᾖ πολιός, ταχὺ παῖδα κόρην γεγάμηκεν.
Τῆς δὲ γυναικὸς μικρὸς ὁ καιρός, κἂν τούτου μὴ πιλάβηται,
Οὐδεὶς ἐθέλει γῆμαι ταύτην, ὀττευομένη δὲ κάθηται.

LY. *Pro virginibus autem, quæ in thalamis veterascunt, maceror.*
PR. *Nonne etiam viri senescunt?* ΛΥ. *Sane equidem non eadem hæc sunt:*
Nam vir procus, etsi sit canus, cito teneram puellam nuptum accepit.
Mulieribus autem brevis ætas, imo ne hac fruantur,
Nemo vult ducere illas, vaticinantes vero sedent.

Anni tempora, quibus commodissime connubium inibant, secundum Athenienses, erant menses nonnulli hyberni, potissimum Januarius, ideoque dictus Γαμηλιών: Εὔλογον γὰρ ᾤοντο τότε σπείρειν ὅτε καὶ ἡ γῆ ἀρδεύεται, ἐπιτήδειος γὰρ ὁ καιρὸς πρὸς καρπῶν γένεσιν. *Consultum enim ducebant tum sementim facere cum terra irrigatur, idoneum enim tempus ad fruges producendas.* Vid. Olympiodorus *in Meteora Aristotelis*, & Eustathius *in Iliad.* α'. Hinc persona apud Terentium in *Phormione Act.* IV. *Scen.* IV. asserit aruspices vetuisse matrimonium contrahere ante hyemem:

Aruspex vetuit ante brumam autem quid novi Negotii incipere. ——

Tempestas maxime opportuna habebatur quando accidebat conjunctio solis & lunæ, tum agitabantur festa nuncupata Θεογάμια seu *Deorum nuptiæ*, secundum Hesiodi Scholiastem *Oper. & Dieb.* Clytæmnestræ Agamemnonem rogatæ, quandonam Iphigeniam Achilli nuptui dare statuerat, respondit, plenilunium esse tempus convenientissimum, teste Euripide *Iphigen. in Aul. vers.* 717.

Ὅταν σελήνης εὐτυχὴς ἔλθῃ κύκλος.
Quum lunæ fœlix venerit orbis.

Themis apud Pindarum *Isthm. ode* VIII. *vers.* 93. animadvertit Thetidem nupsisse Peleo eadem tempestate; nam per διχομηνίδας ἑσπέρας intelligit plenilunium, quod incidit in medium mensium luna-

rium, quibus Græci annum antiquitatis numerabant; Poetæ verba sic sonant:

—— Ἐν διχομηνίδεσσι
Δ᾽ ἑσπέραις, ἐρατὸν
Λύοι κεν χαλινὸν ὑ-
φ᾽ ἥρωι παρθενίας.
—— *In pleniluniis*
Autem vesperis, amabile
Solvat frenum sub
Heroe virginitatis.

Consuetudo ista ortum habuisse videtur ex quadam opinione, quam fovebant de lunæ vi in generationem. A nonnullis statuuntur alii dies; quartum aptissimum censet Hesiodus, quia (prout observat unus *in eum* Scholiastarum) Veneri & Mercurio sacer erat, *Oper. & Dieb. vers.* 36.

Ἐν δὲ τετάρτῃ μηνὸς ἄγεσθαι ἐς οἶκον ἄκοιτιν,
Οἰωνοὺς κρίνας, οἳ ἐπ᾽ ἔργματι τούτῳ ἄριστοι.
Quarto autem mensis uxorem domum ducito,
Observatis avibus, quæ ad hanc rem sunt optimæ.

Decimus sextus, aut, juxta quosdam, decimus octavus, memoratur præ cæteris omnibus minime conveniens *ibid. vers.* 18.

Ἕκτη δ᾽ ἡ μέσση μάλ᾽ ἀσύμφορός ἐστι φυτοῖσιν,
Ἀνδρογόνος τ᾽ ἀγαθή, κούρῃ δ᾽ οὐ σύμφορός ἐστιν,
Οὔτε γενέσθαι πρῶτ᾽, οὔτ᾽ ἄρ γάμου ἀντιβολῆσαι.
Sexta vero media valde incommoda est plantis,
Viripara bona, puellæ vero non utilis est,
Neque gignendæ primum, neque nuptiis tradendæ.

Plures alii dies hac in re cæterisque omnibus habiti ut fausti vel infausti, quos hic recensere nimis molestum foret.

A plerisque Græcis in turpe existimabatur, si quis alteri jungeretur in quibusdam gradibus consanguinitatis: Hermione apud Euripidem *Andromache vers.* 173. non minori cum abominatione loquitur de consuetudine, qua fratres cum sororibus connubio juncti, ac de illa, qua filii in matrimonio matres habebant:

—— Τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος·
Πατήρ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται,
Κόρη τ᾽ ἀδελφῷ· διὰ φόνου δ᾽ οἱ φίλτατοι
Χωροῦσι· καὶ τῶν οὐδὲν γ᾽ ἐξείργει νόμος.
—— *Tale est omne barbaricum genus:*
Pater enim filiæ, & filius matri miscetur,
Sororque fratri: & per cædem charissimi
Vadunt: & horum nihil probibet lex.

Normam honesti ac decori prætermisisse nuptiasque nefandas & incestas permisisse videntur multæ barbaræ gentes; Persæ potissimum notandi hac in re; illorum enim Magi, sacrosancti inter eos viri, erant soboles matrum ac filiorum; unde Catullus *epigram.* XCI. canit:

Nascatur Magus ex Gelli matrisque nefando
Conjugio, & discat Persicum aruspicium:
Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia religio.

Lacedæmoniis interdictæ fuerunt nuptiæ cum quodam ex cognatis, in recto gradu sive adscendendo sive descendendo, sed transverso cognationis gradu juncti ab illis non arcebantur; nepotes enim materteras, & patrui neptes in matrimonium accipiebant; cujus rei exemplum nobis suppeditat Anaxandridas apud Herodotum *Terpsichore* seu *lib.* V. qui sororis filiam uxorem duxit. Fra-

A trum ac sororum connubia prorsus illicita fuerunt, quamvis probata pluribus exemplis suorum Deorum; quod ample describitur apud Ovidium *Metamorph. lib.* IX. *fab.* XI. *vers.* 789. hisce Byblidis fratrem suum Caunum depereuntis verbis, ubi, etsi illius amore arderet, fatetur tamen nullis exemplis comprobari posse suam incestam cupiditatem:

Di melius! Di nempe suas habuere sorores:
Sic Saturnus Opim junctam sibi sanguine duxit,
Oceanus Tethyn, Junonem Rector Olympi,
Sunt Superis sua jura: quid ad cœlestia ritus
Exigere humanos diversaque fœdera tento?
B *Aut nostro vetitus de corde fugabitur ardor;*
Aut, hoc si nequeo, peream precor ante, toroque
Mortua componar, positæque det oscula frater:
Et tamen arbitrium quærit res ista duorum,
Finge placere mihi, scelus esse videbitur illi;
At non Æolidæ thalamos timuere sororum:
Unde sed hos novi? Cur hæc exempla paravi?
Quo feror? obscœnæ procul hinc discedite flammæ.

Nec tamen in pluribus locis illicitum erat fratri uxorem ducere sororem, vel uterinam, vel paternam; aliquando enim inter agnatos, aliquando vero inter cognatos inita matrimonia licita erant: C iis, qui ex eadem matre, sed ex alio patre prognati erant, inter se matrimonio jungi per Lacedæmoniorum Legislatorem licebat, juxta Philonem Judæum *lib. de specialibus legibus ad præceptum* VIII. *contra mœchos*. Athenis fratri vetitum erat cum sorore uterina, cum paterna vero matrimonium contrahere licebat; exemplum occurrit Archeptolis Themistoclis filii, qui sororem Mnesiptolemam, teste Plutarcho in *Themistocle*, uxorem duxit; pariter Cimonis, qui quia sororem Elpinicen in congruum matrimonium collocare ob extremam paupertatem non posset, eam ipsemet duxit; nec D Atheniensium legibus aut moribus adversabatur, prout Athenæus *Deipnosoph. lib.* XII. censet; Plutarchus enim in *Cimone* tradit, matrimonium publice celebrasse hunc virum, leges minime veritum; & juxta Cornelium Nepotem in *Cimone*, conjugium, quod iniit Cimo cum sorore, cum suæ patriæ moribus convenisse: *Habebat in matrimonio* (inquit) *sororem germanam suam, nomine Elpinicen, non magis amore, quam more ductus; nam Atheniensibus licet eodem patre natas uxores ducere*. Atque, ut alia testimonia prætercam, expresse traditur a Philone Judæo *lib.* περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων, quod Solon ὁμοπατρίους ἐφεὶς E ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν, *concessa libertate eodem patre genitas ducendi, eadem matre genitas ducere probibuit*. Cimo quidem sæpius carpitur, eo quod sorore Elpinice familiarius uteretur; quæ tamen intelligenda sunt de eo quod eam sibi adjunxerat, postquam Calliæ nupserat; etenim ex Auctoribus mox citatis liquet Cimonem sororem primo uxorem duxisse, postquam autem eam Calliæ diviti Atheniensi elocasset, familiari consuetudine cum illa conjunctum fuisse, ideoque adulterii detentum, quia cum alterius viri uxore coiverat.

Pleræque Græciæ civitates, præsertim quæ nomen sibi fecerant, cives cum civibus tantum ma- F trimonia contrahere jusserant; jus enim civitatis apud illas tanti existimabatur, ut peregrinos eorumque progeniem eo donare vix vellent: idcirco apud Athenienses liberi ex ejusmodi mixto conjugio prognati vi legum perpetuæ servituti addicebantur, prout superius *lib.* I. *cap.* IX. notavimus: imo lex lata est, per quam peregrinum, qui civem Atheniensem sibi uxorem adjunxerat, cuivis licebat in jus vocare coram Thesmothetis; quando autem in illo foro judiciali delicti convictus

foret, in servitutem vendebatur, bona fisco, nisi quod eorum tertia pars accusatori, addicebantur: eadem pœna irrogabatur iis civibus, qui peregrinas mulieres sub nomine filiarum viris Atheniensibus in uxores obtrudebant, nisi quod pro servitute ignominiæ damnabantur, qua suffragio in publicis conventibus, aliisque civium immunitatibus interdicebantur. Denique civis Atheniensis, qui uxorem non ingenuam civem duxerat, mille drachmis mulctabatur, secundum Demosthenem *Orat. in Neæram*. Ejusmodi autem leges non habuere perpetuam vim, verum tempori aliquando eousque cedebant, ut peregrinæ mulieres pro legitimis uxoribus habitæ, earumque liberi inter cives recensiti sint. Pericles enim, ut in *ejus Vita* refert Plutarchus, jus illud de ducendis solis civibus, quod obsoletum ante id tempus fuerat, restituit: id tamen, ipsius Periclis exemplo, & populo consentiente, iterum antiquatum est, donec tandem Aristophon in prætura Euclidis legem scripsit, qua nemo alius civis Atheniensis haberi permittitur, præterquam qui utroque parente cive natus esset. Vid. Demosthenes *contra Eubulidem*.

Virgines viro nubere, nisi consentientibus parentibus, non permittebantur; unde matrimonio jungi iis honeste non licere, quia sui parentes dissentiebant, Hero ostendit Leandro apud Musæum *vers.* 179.

> Αμφαδὸν ἐ δυνάμεθα γάμοις ὁσίοισι πελάσσαι,
> Οὐ γὰρ ἐμοῖς τοκέεσσιν ἐπεύαδεν. ——
> *Manifeste non possumus nuptiis legitimis conjungi,*
> *Non enim meis parentibus placet.* ——

Sui connubii cura relicta, eam omnino patri commisisse palam facit Hermione apud Euripidem in *Andromache vers.* 987.

> Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
> Μέριμναν ἕξει, κὐκ ἐμὸν φρονεῖν τάδε.
> *Desponsationis quidem meæ pater meus*
> *Curam habebit, & non est meum statuere hoc.*

Matris æque ac patris consensus requirebatur; qua de causa Achilli nubere non permittitur Iphigenia, donec assentiretur Clytæmnestra apud Euripidem *Iphigenia in Aulide*. Nec ulli licebat parentibus nesciis matrimonium contrahere; nam in ipsis antiquissimis & imperitissimis sæculis ita innotuerat jus parentum in liberos, ut illis dissentientibus hos sui corporis elocandi minime compotes fuisse statuerint. Agamemnonis filiam oblatam repudiat Achilles, patrem enim Peleum ei uxorem prospicere malebat *Iliad. ι. vers.* 393.

> Ην γὰρ δή με σάωσι Θεοὶ, καὶ οἴκαδ' ἵκωμαι,
> Πηλεὺς θήν μοι ἔπειτα γυναῖκα γαμέσσεται αὐτός.
> *Si enim jam me servarint Dii, & domum venero,*
> *Peleus mihi tunc uxorem desponsabit ipse.*

Virgines patre orbas fratres elocare solebant: sic ei, qui Sphingem Thebis infestum devicturus esset, pro præmio sororem Jocastam pollicetur Creon; pariter sororem Electram amico Pyladi in matrimonium collocat Orestes. Quæ parentibus & fratribus carebant, aut si fratres minorennes essent, ab avis, præsertim paternis, elocari assueverant: his autem deficientibus, committebantur curæ custodum, qui dicebantur ἐπίτροποι aut κύριοι. Vid. Demosthenes in *Stephanum testem*. Similiter uxores superstites aliis non raro desponsabant mariti morientes: prout liquet exemplo Demosthenis patris, qui moribundus uxorem Cleobulam cum ampla dote Aphobo despondit: illo au-
A tem mortuo, dotem servavit, uxorem vero ducere recusavit Aphobus, cui dicam inscripsit coram Magistratu, & eleganti oratione declamavit Demosthenes *Orat. in Aphobum*. Imo hanc consuetudinem vulgo obtinuisse patet ex ejusdem Oratoris Apologia pro Phormione servo, qui, quia rem integra fide administrarat, ab hero morituro & manumissus & suæ uxori desponsatus est.

Nec vero a mulieris duntaxat patre aut curatoribus, sed etiam a patre viri, quamdiu is sub paterno imperio erat, sponsio fiebat. Hinc in prima Terentianæ *Andriæ Scena Act.* I. Simo narrat se
B Pamphilum filium despondisse:

> —— *hac fama impulsus Chremes*
> *Ultro ad me venit unicam gnatam suam*
> *Cum dote summa filio uxorem ut daret,*
> *Placuit: despondi; hic nuptiis dictus est dies.*

Diversa virginem elocandi formula utebantur: Clemens Alexandrinus *Stromat. lib.* II. ex Menandro nobis hanc tradidit: Παίδων σπόρῳ τῶν γνησίων δίδωμί σοι τὴν ἐμαυτῦ θυγατέρα, id est, *Hanc meam filiam tibi eloco, ex qua sis liberorum legitimorum pater*. Dos sæpissime exprimebatur; sic in Xenophontis *Cyropæd. lib.* VIII. Cyaxares filiam
C Cyro desponsat, hac formula: Δίδωμαί σοι, ὦ Κῦρε, αὐτὴν ταύτην τὴν γυναῖκα θυγατέρα τε ἐσαν ἐμὴν, ἐπιδίδωμαι δ' αὐτῇ ἐγὼ καὶ φερνὴν Μηδίαν πᾶσαν, id est, *Cyre, tibi eloco in uxorem hanc meam filiam, & pro dote totam Mediam do*. Idem sæpius in Plauto: sic enim in *Aulularia Act.* II. *Scen.* II. Megadorus ab Euclione filiam stipulatur:

> M. *Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?*
> E. *Illis legibus,*
> *Cum illa dote, quam tibi dixi.* M. *Sponden' ergo?* E. *Spondeo.*

D Et in *Trinummo Act.* V. *Scen.* II. Charmis Lysiteli eodem modo filiam spondet:

> —— LY. *Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?*
> CH. *Spondeo, & mille auri Philippum dotis.* ——

Desponsati mutuam fidem sibi aut cognatis dabant: sic apud Achillem Tatium *lib.* V. sibi invicem fidem adstringunt Clitophon & Leucippe, qua alter amorem certum sincerumque, altera vero ei nubere, omniumque suorum bonorum dominum eum instituere pollicebatur: virgo desponsata proximo
E loco juramentum sponso dicebat, juxta Ovidium:

> *Promisit pater hanc, hæc & juravit amanti.*

Fidem autem vulgo dare solebant vel mutuo osculo, vel junctis dextris; qui mos ad quælibet pacta sancienda adhiberi assueverat; unde Achillis fidem matrimonii cum filia sua ineundi sibi adstringit Clytæmnestra dextra data apud Euripidem *Iphigenia in Aulide vers.* 831.

> —— δεξίαν γὰρ ἐμῇ χεῖρα
> Σύναψον, ἀρχὴν μακαρίαν νυμφευμάτων.

> —— *dextram meæ manum*
F *Adjunge, fœlix principium desponsationis.*

Thebis mutuam fidem sanciebant amantes ad tumulum Iolai, Herculis amatoris, laborumque socii, juxta Plutarchum in *Pelopida*, qui in numerum Deorum relatus amoribus præesse credebatur.

Primitivis sæculis virgines sine dote elocabantur; acquirebantur enim ab amantibus, qui mulieris amatæ agnatis pro dote munera largiri sole-

bant. Sic pro Dina dilecta virgine cum Jacobo ejusque filiis paciscitur Sichem *Gen.* XXXIV. 2. *Inveniam gratiam* (inquit ille patri & fratribus virginis) *in oculis vestris, & quod dixeritis mihi, dabo: augete mihi valde dotem & donum: & dabo quemadmodum dixeritis mihi, & date mihi puellam in uxorem.* Plura hujusmodi exempla adduci possent; sed hæc tam nota sunt, ut nulla probatione indigeant; hoc tantum observandum est, quando ad politiores & molliores mores transierunt homines, vulgo abrogatam esse istam consuetudinem; Aristoteles enim *Politic. lib.* II. *c.* VIII. antiquos Græcos incultum fuisse genus hominum inde evincere conatur, quia uxores pretio emere solebant: quamprimum igitur incomptos mores exuere cœperunt, desuevit & similiter mos iste; unde omnium creaturarum ratione præditarum miserrimas esse mulieres, quia suos dominos caro pretio emendi duræ necessitati subjectæ sunt, conqueritur Medea apud Euripidem *Med. vers.* 230. Uxoribus enim tam solenne fuit dotem in maritos conferre, ut inter γυναῖκα & παλλακὴν præcipuum discrimen in eo interfuisse, quod altera dotata, altera vero indotata fuerit, nonnulli contendant; idcirco quidam apud Plautum in *Trinummo Act.* III. *Scen.* II. inducitur sic loquens:

Sed ut inops infamis ne sim, ne mihi banc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse magis, quam in matrimonium.

Unde qui uxorem sine dote ducebat, saltem instrumentis dotalibus, quæ προικῷα dicebantur, dotem acceptam ferebat. Cæteroquin in eo distingui solebant, quod viro familiarius uti licere, & majus ejus obsequium sibi quam illi, quæ ab eo alitur, deberi contendebat mulier dotata: idcirco, quod captiva Andromache in Pyrrhi affectu ejus æmula esse sustineat, ægre fert Hermione apud Euripidem *Andromache vers.* 147.

Κόσμον μὲν ἀμφὶ κρατὶ χρυσέας χλιδῆς,
Στολμόν τε χρωτὸς τῶνδε ποικίλων πέπλων,
Οὐ τῶν Ἀχιλλέως, οὐδὲ Πηλέως ἄπο
Δόμων ἀπαρχὰς δεῦρ' ἔχουσ' ἀφικόμην·
Ἀλλ' ἐκ Λακαίνης Σπαρτιάτιδος χθονὸς
Μενέλαος ἡμῖν ταῦτα δωρεῖται πατὴρ
Πολλοῖς σὺν ἕδνοις, ὥστ' ἐλευθεροστομεῖν·
Ὑμᾶς μὲν οὖν τοιοῖσδε ἀμείβομαι λόγοις·
Σὺ δ' οὖσα δούλη καὶ δορίκτητος γυνὴ,
Δόμους κατασχεῖν, ἐκβαλοῦσ' ἡμᾶς, θέλεις
Τούσδε. ——

Ornatum quidem circa caput aurearum deliciarum,
Vestitumque corporis horum variorum peplorum,
Non ab Achillis neque Pelei
Domo primitias munerum *habens huc veni*:
Sed ex Lacæna Spartana terra
Menelaus pater mihi hæc donat
Cum magna dote, ut liceat libere loqui.
Vobis igitur his respondeo verbis:
Tu autem, cum sis serva & captiva mulier,
Vis, nobis ejectis, ædes tenere
Istas. ——

Hoc pluribusque aliis incommodis istum morem laborare conscius fuit Lycurgus, qui idcirco, ne uxores dominium in conjuges usurparent, ne ad nummos potius quam ad animi dotes mulierum attenderent viri, nec tenuis fortuna impediret, quominus maritum consequeretur mulier, eum abrogavit Spartæ, testibus Justino *Hist. lib.* III. *cap.* III. Plutarcho *Apophthegm. Laconicis*, Æliano *Var. Hist. lib.* VI. *cap.* VI. Cum illo consentit Solon, qui pauca vilia supellectilia triplicemque vestem tantum pro dote virginibus Atheniensibus statuit: Οὐ γὰρ ἐβούλετο μισθοφόρον οὐδ' ὤνιον εἶναι τὸν γάμον, ἀλλ' ἐπὶ τεκνώσει καὶ χάριτι καὶ φιλότητι γενέσθαι τὸν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς συνοικισμόν. *Neque enim meritorium aut venale volebat fœdus esse nuptiarum, sed liberorum causa & gratiæ atque amicitiæ virum & mulierem consociari.* Verum nonnulli existimant ea dona non fuisse dotem, sed referri debere ad τὰ ἐπαύλια, de quibus postea dicendum erit. Vel si de dote proprie dicta capienda sint, certe hæc lex plures exceptiones habuit; parentibus enim aliis deficientibus filiabus bona sua addicere licebat; hæredes vero (Athenis dictæ ἐπίκληροι) proximis cognatis nubere adstrictæ erant, ne bona unius familiæ ad alienam migrarent; imo ob grandem dotem, quando ad officium conjugale persolvendum invalidus erat maritus, ejus proximo consanguineo uti permittebatur uxor: lex autem ista lata est in illos, qui licet imbecillitatis conscii, tamen hæredes ob amplam dotem ambibant, & lege abutebantur ut naturæ vim facerent. Sed (inquit Auctor noster) uxor viri proximo agnato prudenter adstricta est, ut liberi ejusdem forent familiæ: hæredes præ cæteris uxoribus altera prærogativa gaudebant, quandoquidem viri ter mense iis concumbere tenebantur, juxta Plutarchum *loco citato*. In lege de dotibus iterum excipiebatur casus pupillarum; virgines enim parentibus bonisque orbas, vel ducere uxores, vel dotem (quam dictam fuisse θῆσσαν refert ex Aristophane Grammatico Eustathius *in Iliad.* φ'.) iis assignare tenebantur proximi consanguinei pro ratione dignitatis suæ; πεντακοσιομέδιμνος, vir primi ordinis, quinque minas, aut quingentas drachmas, ἱππεὺς, secundi ordinis, trecentas, ζυγίτης vero, tertii ordinis vir, centum & quinquaginta conferre solebat; quando virgini fuerunt plures cognati in eodem gradu consanguinitatis, singuli partem contribuebant ad dotem conficiendam: plurium autem virginum sororum proximus cognatus unam tantum ducere uxorem, vel ei dotem addicere adstrictus erat, quod si præstare recusasset, cuivis licebat eum in jus vocare ad Archontem, qui illum ad officia implenda cogere tenebatur; si vero legi obtemperare nollet, mille drachmis, quæ Junoni conjugii Deæ prælidi dicebantur, mulctari solebat, secundum Demosthenem *Orat. ad Maceratum de Hagniana hæreditate*. Has consuetudines subinde indigitat Terentius, qui, eo quod ejus fabularum scena Athenis ponitur, hujus civitatis mores non raro describit; sic in *Phormione Act.* I. *Scen.* II.

Lex est, ut orbæ, qui sint genere proximi,
Eis nubant, & illos ducere eadem hæc lex jubet.

Et inferius in eadem *fabula Act.* II. *Scen.* III. expressis verbis meminit quinque minarum, quæ a viris primæ dignitatis conferri solebant:

Etsi mihi facta injuria est, verum tamen
Potius quam lites secter, aut quam te audiam
Itidem, ut cognata si sit, id quod lex jubet
Dotem dare, abduce hanc, minas quinque accipe.

Porro observandum est, pecunia deinceps aucta, virginum dotem a cognatis pariter auctam fuisse; πεντακοσιομέδιμνον enim decem minas dedisse tradit Eustathius *Iliad.* φ'. nec dubitandum est, quin viri inferioris dignitatis dotem pariter & juxta proportionem auxerint. Virginum cognatis, qui iis dotem prospicerent, orbarum, & a viris de patria bene meritis natarum, curam habere solebat Respublica: nobis suppetit insigne Aristidis binarum filia-

filiarum exemplum, quarum singulis trecentarum drachmarum dotem adscripsit civitas Atheniensium, teste Plutarcho in *Aristide*: nec mirum (inquit ille) si illas virgines, quæ in civitate agebant, dotaverint Athenienses, quandoquidem, quum Aristogitonis (clari illius civis, boni publici studiosi, qui Pisistrati filiorum tyrannidem opposuit) neptem in insula Lemno in abjecta conditione jacere & verisimiliter deficiente dote virum nunquam consecuturam audivissent, eam Athenas accersitam viro genere claro elocarunt, prædiumque urbanum pro dote ei assignarunt. Licet autem apud veteres Athenienses virorum amor liberalior fuerit, tamen apud illorum posteros amoris firmissimum vinculum fuit pecunia; qua jure cum iis conveniebant Spartanorum mores, imo dum ipsæ Lycurgi leges vigebant: Lysandri enim, dum florebat & opulentissimus credebatur, filias plures viri desponsarunt, qui deinceps, quum illum pauperculum, licet cum laude honestatis, obire vidissent, fidem fregerunt: Spartani quidem in illorum perfidiam severe animadverterunt, non tam, juxta Plutarchum in *Lysandro*, quia antiqua suæ gentis instituta, quæ, simulac divitias parere & mirari cœperunt Spartani, oblivioni tradita sunt, tuebantur, quam quia Lysandri memoriam reverebantur. Græci igitur, licet vetantibus legibus, pecuniæ cupidi erant, & illius cupidine potius quam animi aut corporis dotum existimatione allecti conjugia iniisse videntur: nec recentioribus sæculis tantum, sed & primitivis temporibus obtinuit hæc corruptela: Andromache enim ab Homero *Iliad*. ζ'. dicitur πολύδωρος, id est, juxta Eustathium, πολύπροικος vel *bene dotata*: sed ante pecuniæ usum introductum sponsorum greges & armenta, quæ illorum temporum præcipuæ erant divitiæ, ovibus & bobus augere solebant virgines, unde (eodem Scriptore observante) sæpius dicuntur ἀλφεσίβοιαι: & ex eo quod in filiabus elocandis sumptus faciebant parentes, natum est proverbium:

Παῖς μοι τελτογενὴς εἴη, μὴ τελτογένεια.

Puer mibi sit τελτογενὴς, non τελτογένεια.

Quo precabatur pater, ut liberi filii, non vero filiæ forent. Quanta fuerit dos, nil certi definiri potest, quandoquidem ab illorum, qui eam dabant, tum moribus, tum suæ rei domesticæ statu ut plurimum pendebat: tamen observandum est, in insula Creta sorores duplo minorem partem fratribus retulisse, juxta Alexandrum ab Alexandro *Genial. Dier. l.* IV. *c.* VIII. Dos dicebatur προὶξ, alias μείλια, παρὰ τὸ μειλίσσειν τὸν ἄνδρα, vel ἔδνα quasi ἥδανα, παρὰ τὸ ἥδειν, quia dabatur ad sponsi bonum affectum alliciendum; quandoque φερνὴ, a φέρειν, quia ab uxore ad virum allata. Horum nominum nonnulla de viri dote aut forte dicta fuisse observavit Eustathius. Uxori dotatæ dotarium, quo aleretur, si unquam ab ea vel morte vel divortio segregaretur, collocare tenebatur maritus. Vulgo autem fuit domus aut prædium, & olim appellabatur ἀποτίμημα, quasi diceres, *merces doti æquipollens*: deinceps nuncupata est ἀντιφέρνη, id est, *dotis remuneratio*, vel ὑπόβολον, ab ὑποβάλλειν, quia ὑποβαλλόμενον τῇ φερνῇ, *loco dotis dabatur*: quando autem dos nulla remuneratione firmata erat, viri, qui ab uxoribus diffidebant, eam reddere adstricti erant, pariterque illorum hæredes, si uxores superstites alere recusassent: quapropter, licet innumeris injuriis & ingentibus damnis a matris Penelopes procis affectus fuisset Telemachus, tamen eam ad patrem Icarium remittere minime consentaneum duxit, quia simul ei dotem restituere tenebatur *Odyss.* β'. *vers.* 132.

——*κακὸν δέ με πόλλ' ἀποτίνειν*
Ικαρίῳ, αἴκ' αὐτὸς ἑκὼν ἀπὸ μητέρα πέμψω.

——*durum autem me multa rependere*
Icario, siquidem ipse volens matrem dimisero.

Ex quibus verbis sequi videtur, quando uxor sua sponte abibat, prædicta obligatio nulla erat. Tamen ubi mulier more legibus permisso, quod Athenis quasdam ob causas fieri licebat, & magistratu id approbante, virum deseruit, dos ei restituebatur.

Si quando contingeret mariti bona publicari, lege Atheniensi concessum erat, ut uxor dotem suam eximeret, repeteretque ante omnes, quotquot erant, creditores.

Eadem urbe lex erat, ut qui uxori dimissæ dotem non restituit, novem obolos fœnoris titulo penderet: id vero facere si neglexisset, mulieris curator actionem ipsi in Odeo intendebat, quæ *δίκη σίτου* dicta est. Vid. Demosthenes *in Neæram*. Quod quidem de minima dote accipi debet, quæ erat centum & quinquaginta drachmarum, quantam orbis dandam a Zygitis præcepit Solon: nam una mina, quæ centum drachmis æquivalet, secundum usitatas fœnoris leges parit drachmam, sive sex obolos, ideoque centum quinquaginta drachmæ singulis mensibus parient novem obolos.

Has ob causas factum, ut testes advocarentur; tabulæ etiam dotales (προικῷα) signarentur, in quibus acceptam dotem ferebat maritus, qui si tabulas non dedisset, nihil ab eo repeti potuit, lege eo casu judicante, nihil ei datum fuisse: unde Isæus probat Nicodemum sorori, quam Pyrrho elocabat, dotem nullam dedisse, quia Pyrrhus *μηδεμίαν προῖκα διωμολογήσατο ἔξειν ἐπ' αὐτῇ*. Quod si fœmina sine liberis decessisset, dos ad eum redibat, qui illam præbuisset: ea exceptione, quod maritus non amplius restituere debebat, quam se accepisse tabulis scripti confessus fuerat. Vid. Isæus *Orat. de hæred. Pyrrhi*. Quidquid ab uxore præter dotem referebat maritus, dici solebat παράφερνα, ἐπίπροικον, ἐπιμείλια, & a recentioribus Græcis ἐξώπροικα.

Antequam uxorem ducerent, domum, in qua agerent, sibi prospiciebant viri; ad quem morem alludit Hesiodus, quando monet *Oper. & Dieb.* β'. *vers.* 23. (vide Turnebum *Advers. lib.* XXI.)

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε. ——

Domum quidem primum, uxoremque. ——

Amantem, an domum ei paraverit, interrogat mulier apud Theocritum *Idyll.* XXVIII. *vers.* 36.

Τεύχεις μοι θαλάμους, τεύχεις καὶ δῶμα, καὶ αὐλάς;

Exstruisne mibi thalamos, exstruisne & domum,
& stabula?

Cui respondet *ibid. vers.* 37.

Τεύχω σοι θαλάμους. ——
Exstruo tibi thalamos. ——

Quia ad bellum Trojanum mox post ductam uxorem profectus est Protesilaus, idcirco domum imperfectam, vel δόμον ἡμιτελῆ, reliquisse dicitur apud Homerum *Iliad.* β'. *vers.* 700.

Τοῦ δὲ καὶ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος Φυλάκῃ ἐλέλειπτο,
Καὶ δόμος ἡμιτελής. ——

Hujusque ambas lacerata genas uxor in Phylace
relicta erat,
Et domus semiperfecta. ——

Nonnulli quidem contendunt *οἶκον* denotare familiam, quæ idcirco dicitur *ἡμιτελὴς*, quia derelicta est, antequam illam liberis ornasset, juxta Scholiastem veterem in *loco citato*. Versantur in eodem dubio Valerii Flacci verba, in quibus Homerum imitari studet *lib.* VI.

> —— *conjux miseranda Caico*
> *Linquitur, & primo domus imperfecta cubili.*

Eumdem sensum expressit Catullus *epigram.* LXIX. *ad Mallium*:

> *Conjugis ut quondam flagrans advenit amore*
> *Protesilaeam Laodamia domum*
> *Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro*
> *Hostia cœlestes pacificasset heros.*

Verum prior sensus tum ad veterum morem, tum ad mentem Poetarum accommodatior videtur: solenne enim fuit ante nuptias domum ædificare; unde uxor, quæ statim post nuptias virum amisit, dicitur ab Homero *nova in domo vidua*, *Iliad.* ρ. *vers.* 36.

> *Χηρώσας δὲ γυναῖκα μυχῷ θαλάμοιο νέοιο.*
> *Viduasti autem uxorem in conclavi thalami recentis.*

Quem ad locum respexisse Hesychium verisimile est: *Θαλάμοιο νέοιο, κατεσκευασμένου νεωστί, ὑπὸ δὲ τῶν γάμων αὐτὰς τὰς ἡμέρας* (sic enim legendum) *θαλάμης ἐπηγμένον, ὡς οὐκ ἔκπαλαι γεγαμηκότος.* Dianæ dicabantur Athenienses virgines, antequam viro nubere iis liceret: hæc solennitas Braurone Atheniensi pago celebrari solebat; dicebatur autem *ἀρκτεία*, virgines ipsæ *ἄρκτοι*, actio vero *ἀρκτεία*, quia ad Deam ob ursum occisum in nonnullos Athenienses iratam litandam instituta fuerant hæc festa, quæ superius *lib.* II. *cap.* XX. ample descripta sunt. Solebant & virgines maturæ viro canistra nonnullis raris & eximiis plena Dianæ dicare, ut ab ea veniam e turba veneratricum (virgines enim illi Deæ sacræ credebantur) cedendi & vitæ conditionem mutandi impetrarent: ad quem morem alludit Theocritus *Pharmaceutria* seu *Idyll.* II. *vers.* 66.

> *Ἦνθ' ἁ τῶ 'Υ̓βούλοιο κανηφόρος ἄμμιν Ἀναξὼ*
> *Ἄλσος ἐς Ἀρτέμιδος.* ——

> *Venit ad nos Anaxo Eubuli filia sportulam ferens*
> *Ad lucum Dianæ.* ——

Actio *κανηφορεῖν*, virgines vero *κανηφόροι* a canistris, quæ gestabant, dicebantur. Apud Bœotos & Locrenses Eucliæ, cujus imago & altare in illorum foro visebantur, sacrificia ante nuptias facere solebant ambo conjuges: hanc autem Eucliam Menœtii filiam, & Patrocli sororem nonnulli faciunt; alii econtra (ut Plutarchus in *Aristide*) eamdem cum Diana fuisse contendunt: verosimilius videtur Dianam sic dictam esse a Patrocli sorore, & sub cognomine Eucliæ cultam fuisse; quia enim virginitatis Dea fuit Diana, non mirum videri debet, si cujus intemeratam castitatem reverebantur, illius Deæ nomen retulerit; quandoquidem iis, qui in qualibet virtute aut eximia dote primi claruerant, quotquot in posterum eorum vestigia premebant, præclare facta tribui solebant: unde plures memorantur Joves, Minervæ, Bacchi, Hercules, &c. plurimorum Heroum tempore & loco a se invicem remotorum claris facinoribus uni soli adscriptis. Ut autem e diverticulo redeamus, ante nuptias sacra solennia Dianæ facta esse dicuntur; etenim quia a conjugio abhorrebat, quotquot illud inibant, eo quod ab illa dissentiebant, Deæ veniam sollicitare decebat: fiebant autem preces & diversa sacrificiorum genera; qua de causa Iphigeniam Achilli in matrimonium collocaturus Agamemnon sic Clytæmnestram alloquitur apud Euripid. *Iphigenia in Aulide v.* 1110.

> Ἔκπεμπε παῖδα δωμάτων πατρὸς μέτα,
> Ὡς χέρνιβες πάρεισιν ηὐτρεπισμέναι,
> Προχύταί τε βάλλειν πῦρ καθάρσιον ἐκ χερῶν,
> Μόσχοι τε, πρὸ γάμων ἃς Θεᾷ πεσεῖν χρεὼν
> Ἀρτέμιδι, μέλανος αἵματος φυσήματα.

> *Mitte filiam cum patre ex ædibus,*
> *Quia sacra aqua adest parata,*
> *Et molæ salsæ, ut ex manibus conjiciantur in ignem lustralem,*
> *Et juvencæ, quas ante nuptias oportet mactari Deæ*
> *Dianæ, nigri sanguinis halitus.*

Hæc sacra dicebantur *γαμήλιοι εὐχαὶ*, *προγάμεια*, *προτέλειοι εὐχαι*, aut *προτέλεια*: *τέλος* enim & *γάμος* sunt synonyma, quorum prius nuptias æque ac quoslibet ritus generaliore significatione denotat, vel (ut quidam volunt) quia nuptiis implentur & ad finem perducuntur sponsorum cupidines; vel quia conjuges perfecti & consummati evadunt atque mores affectusq; pueriles exuunt, unde *τέλειοι* apud Bisetum *in Aristophanis Thesmophor.* & *ἐν βίῳ τελείῳ* esse dicuntur, & *τελειωθῆναι* explicatur ab Eustathio *γῆμαι*. Idem cognomen tribuitur Diis, qui conjugio præesse credebantur; idcirco Jupiter *τέλειος* & Juno *τελεία* memorantur apud Suidam aliosque complures. Hæc Numina ante nuptias litari solebant sacris, quæ eodem nomine, quo Dianæ efferuntur, nota sunt; nisi quod Junonis sacra illius nomine præfixo, quæ dicitur Græce Ἥρα, Ἡρατέλεια nuncupantur: pluribus aliis Diis iidem honores adscribebantur; nominatim Minerva cognominata *παρθένος*, id est, *virgo*, eodem jure, quo Dianæ persolvebantur, illos referebat, nec marito nubere ulli virgini licebat, donec in templo illi Deæ in arce dicato sacra peregisset, juxta Suidam. Venus pariter & reliqui *γαμήλιοι Θεοὶ*, vel *ἔφοροι γάμου*, qui nuptiis præsidebant, auxilio vocabantur, teste *Etymologici* Auctore. Spartæ dicata erat antiqua statua Ἀφροδίτης Ἥρας, id est, *Veneris Junonis*, cui matres filiabus elocatis sacrificia offerebant, ex Pausania in *Laconicis*. Antiquissimi Athenienses eosdem honores Cœlo & Terræ persolvebant, qui nuptiis præsidere peculiari modo credebantur, quia hæc ab illius benigno adspectu fœcundatur, qua in re exprimitur idonea matrimonii imago; legendus Proclus *in Timæum Platonis Comment.* v. Iterum Parcæ & Gratiæ, eo quod conjugia nectere, & amorem vinctum tueri existimabantur, eosdem honores consequebantur, juxta Pollucem *l.* III. *c.* III. *Etymolog.* Auctorem *Voc.* Γαμηλία: nec vero absimile videtur diversa alia Numina diversis in locis & diversas ob causas iis participasse. Die proximo ante nuptias vulgo celebrabantur hæc solennia apud Hesychium, quæ *γαμηλία* dici solebat, alias *κουρεῶτις* in *Etymologici* Auctore, quia eo in die comam abrasam nonnullis prædictorum Numinum, vel aliis Diis, a quibus insignia beneficia retulerant, dicare assueverant. teste Polluce *loco citato*, &c. vel quos credebant nuptiis esse inimicos, ut eorum iram devitarent. Pollux *Onomast.* *l.* III. *c.* III. refert a nonnullis comæ primitias Dianæ & Parcis oblatas fuisse. Apud Trœzenios lege cautum fuisse tradit Julianus *de Dea Syria*, ne adolescentes & virgines nuptias inirent, priusquam comas totonderint Hippolyto, quem cælibem fuisse notum est omnibus. Megaris virgines capillos libabant ad monumentum Iphinoes Alcathoi filiæ, quæ virgo obiit; in insula Delo Hecaerge & Opidi, juxta Pausaniam in *Atticis*; Argis vero & Athenis (ne

A pluribus exemplis Lectori tædium afferam) Minervæ: hujus ritus Deæque templi, in quo peragebatur, meminit Statius *Thebaid. lib.* 11.

—— hic more parentum
Jasides, thalamis ubi casta adolesceret ætas,
Virgineas libare comas, primosque solebant
Excusare toros. ——

Hæc autem nomina (γαμηλία & κυρεῶτις) Athenis proprie tribuebantur uni festorum diei, quæ dicebantur *Apaturia*, quo cura parentum liberi in publicum nomenclatorem referebantur, pro illorum incolumitate, ratione habita peculiarius matrimo-
B nii, sacrificia fiebant, parsque comæ cuidam Numini, imprimis illi Deæ, cujus in honorem festa habebantur, dicanda tondebatur. Licet autem nulla certa ætate capillos abraserint, nihilominus hanc consuetudinem usurpabant tum mulieres, tum viri, vulgoque illam celebrabant quando ætatem maturam attigerant: partem capillitiei hunc in usum dicare satagebant; idcirco Pentheo Baccho comæ rasuram minitanti respondit juvenis Deus, illum impie facturum, quia illam cuidam Numini sacraverat apud Euripidem *Bacchis vers.* 494.

Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ Θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω.
C *Sacer* est *capillus* iste, *Deo enim ipsum nutrio.*

Coma, quia Deo in testimonium animi grati ob curam illorum educationis habitam consecrata, dicebatur πλόκαμος θρεπτήριος: Apollini vulgo dicabatur, teste Plutarcho in *Theseo*, qui juxta consuetudinem Græcorum adolescentum ad comarum primitias Deo loci domino dicandas Delphos profectus esse dicitur. Sed ad pauperiores homines, qui hujusmodi itinerum sumptibus sustinendis impares erant, nullo modo spectabat hæc religio, nec ad illum honorem Apollini persolvendum adstricti erant opulentiores; quandoquidem aliis Diis, præ-
D sertim iis, qui a cunabulis illorum saluti invigilasse & ad ætatem virilem incolumes perduxisse credebantur, eumdem honorem tribuere assueverant: res tam nota est, ut nulla probatione indigeat: tantum observatu dignum est, Deos fluviatiles ea reverentia dignos censeri, quæ superstitio originem debere videtur nonnullorum Philosophorum sententiæ, qui omnia ex aqua fieri, & fœcundari statuebant: unde Deos aquaticos æque ac Apollinem κουροτρόφους cognominarunt Poetæ, quia ad viventium nutritionem requiruntur æque ac sol, cujus calor deficiente humido eodem non valeret, teste Eustathio *Iliad.* Ψ'. ubi hanc rem fusius enarrat:
E unde ob vitæ donum & conservationem animus gratus utrisque deberi credebatur. Unicum exemplum afferam comarum flumini dicatarum, quo, quæ jam de hujus moris origine diximus, firmabuntur: Achilles enim fluvio Sperchio comam sacram facit ea conditione, ut salvus & incolumis domum redeat, & deinceps, quum deprehendisset a fatis decretum esse se Trojæ occubiturum, eam detondit: unde colligi potest, suos capillos Diis donasse, in animi grati indicium eo quod illorum vitam tuiti fuerant: Homeri de Patrocli funere disserentis verba sic sonant *Iliad.* Ψ'. *vers.* 140.

F Ἔνθα αὖτ' ἄλλ' ἐνόησε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς,
Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην,
Τήν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν·
Ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπεν, ἰδὼν ἐπὶ οἴνοπα πόντον·
Σπερχεῖ', ἄλλως σοί γε πατὴρ ἠρήσατο Πηλεύς,
Κεῖσέ με νοστήσαντα φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
Σοί τε κόμην κερέειν, ῥέξειν θ' ἱερὴν ἑκατόμβην,
Πεντήκοντα δ' ἔνορχα παρ' αὐτόθι μῆλ' ἱερεύσειν
Ἐς πηγάς, ὅθι τοι τέμενος, βωμός τε θυήεις·
Ὣς ἠρᾶθ' ὁ γέρων, σὺ δέ οἱ νόον οὐκ ἐτέλεσσας·
Νῦν δ' ἐπεὶ οὐ νέομαί γε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
Πατρόκλῳ ἥρωϊ κόμην ὀπάσαιμι φέρεσθαι.

Tum vero alia animo designavit pedibus valens nobilis Achilles,
Stans seorsum a pyra flavam abscidit comam,
Quam sane Sperchio fluvio alebat florescentem:
Ingemiscens autem dixit, conversis oculis in nigrum pontum:
Sperchie, frustra tibi utique pater vovit Peleus,
Illuc me reversum dilectam in patriam terram,
Tibique comam abscissurum, mactaturumque sacram hecatomben,
Quinquaginta autem masculas ibidem oves sacrificaturum
Ad fontes, ubi tibi ager sacer, altareque odoratum:
Sic vovit senex, tu vero ei votum non perfecisti:
Nunc autem quoniam haudquaquam redibo dilectam in patriam terram,
Patroclo heroi comam dabo secum ferendam.

Atque consuetudo Deo comam alendi apud plerasque gentes obtinuisse videtur. Judæorum Nazaræi satis omnibus noti sunt. Ægyptios ex antiquissimis temporibus eumdem morem habuisse e Diodori Siculi *libro primo* constat, ubi Osiris cæsariem suam Diis vovisse dicitur. Denique Arrianus, de rebus Indicis agens, refert Indos κομᾶν τῷ Θεῷ, *comam Deo nutrire*, a Libero edoctos esse. Ut scopum resumamus; antequam nuptiæ celebrarentur, alii Dii interrogabantur, & auxilio vocabantur precibus & sacrificiis, quæ a sponsorum vel parentibus, vel cognatis, iis Numinibus, quæ huic negotio præesse credebantur, vulgo fieri solebant: nec eadem fuerunt hæc sacra cum iis, quæ mox memoravimus, dicta Προτέλεια, quandoquidem in Dialogo inter Agamemnonem & Clytæmnestram de filiæ Iphigeniæ nuptiis liquide distinguuntur apud Euripidem *Iphigenia in Aulide vers.* 718.

Κλυ. Προτέλεια δ' ἤδη παιδὸς ἔσφαξας Θεᾷ;
Αγα. Μέλλω γ'· ἐπὶ ταύτῃ καὶ καθέσταμεν τύχῃ.
Κλυ. Κἄπειτα δαίσεις τοὺς γάμους ἐσύστερον;
Αγα. Θύσας γε θύμαθ', ἅπερ μ' ἐχρῆν θῦσαι Θεοῖς.

Cly. *Jamne mactasti Deæ initiales victimas nuptiarum filiæ?*
Aga. *Mactabo: nam in hoc negotio jam sumus occupati.*
Cly. *An vero deinde celebrabis convivium nuptiale?*
Aga. *Cum mactavero victimas, quas me Diis immolare oportet.*

Victimæ exenteratæ fel eximebatur ac pone aram projiciebatur, juxta Cœlium Rhodiginum *Lect. Antiq. lib.* XXVIII. *cap.* XXI. cum esset sedes iræ atque malignitatis, ideoque omnia Numina, quibus curæ amor, illique, qui ipsis sese devoverant, aversarentur. Vide Plutarchi *Conjugalia Præcepta.* Exta ab aruspicibus diligenter inspiciebantur; si autem quoddam omen infaustum ipsis ostenderetur, fœdus conjugiale dissolvebatur tanquam Diis minime gratum, nuptiæque intercipiebantur: id ipsum fiebat, quando extra victimam conspiciebatur augurium aliquod malorum præsagum; sic apud Achillem Tatium *lib.* II. videmus Clitophonis cum Calligone constitutum matrimonium præpeditum fuisse ab aquila, quæ victimæ frustum ex altari rapuerat. Aruspicatissimum omen eliciebatur ex viso turturum pare, ob singularem amorem, quem istæ aves in se invicem habere dicuntur: idem observandum de κορώναις, quæ præ earum vivacitate (quæ in proverbium cessit) amorisque constantia longam vitam aut fœlicitatem promittere censebantur, mortua enim una socia-

rum, altera ſolitaria jam inde manebat, teſte Alexandro ab Alex. *Genial. Dieb.* quam ob cauſam hæ aves ſeorſim viſæ diſſidium & mœrorem novis nuptis portendebant, unde (prout diſcimus ex Horapolline) in ſponſaliis cantari ſolitum κόρη ἐκκόρει κορώνην, quo puellæ cavere monebantur, ne ulla ex hiſce avibus ſeorſim advolans turbaret ſolennia; aut forſan id agendum ad propulſandos exitiales exitus tam diri ominis, ſi unquam appareret. Ad vitanda mala auguria hoc remedium etiam adhibebatur, nim. ſupra ædium fores inſcribebant, ΜΗΔΕΝ ΕΙΣΙΤΩ ΚΑΚΟΝ, *NULLUM MALUM INGREDIATUR*; quæ ſententia amuletum contra ſpecies male ominatas præſentiſſimum habebatur, eique aliquando appoſitum domini ædium nomen, ut patet ex quodam novo marito, qui hanc inſcriptionem ædibus poſuit:

Ο ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΠΑΙΣ ΗΡΑΚΛΗΣ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΣ
ΕΝΘΑΔΕ ΚΑΤΟΙΚΕΙ ΜΗΔΕΝ ΕΙΣΙΤΩ ΚΑΚΟΝ.

JOVIS FILIUS HERCULES VICTOR EGREGIUS
ISTIC HABITAT, NULLUM INGREDIATUR MALUM.

Hinc Diogeni Laertio in *Diogene* anſa jocandi data, nam precatione mox memorata ſupra domus alicujus viri nequam fores conſpecta inquit, *Dominus igitur ædium ne ingrediatur.*

Sponſi veſtes erant omnes tinctæ, quemadmodum Suidas *Voc.* Βαπτὰ obſervavit ex Ariſtophane. Quidquid ſit, ſponſus & ſponſa, omneſque ipſis adſtantes, ſplendide ornati erant, pro ſingulorum conditione:

Σοὶ δὲ γάμος σχεδόν ἐστι, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν
Εἵματα ἕννυσθαι, τὰ δὲ τοῖσι παρασχεῖν, οἵ κέ σ' ἄγωνται.

Tuæ autem nuptiæ prope erant, ita ut deberes pulchras
Veſtes induere, eaſque iis præbere, qui te comitantur.

Itidem variarum herbarum ac florum coronis cincti erant; unde Clytæmneſtra ſic alloquitur Achillem de ſua filia Iphigenia apud Euripidem *Iphigenia in Aulide verſ.* 903.

Ἀλλ' ἄμυνον, ὦ Θεᾶς παῖ, τῇ τ' ἐμῇ δυσπραξίᾳ,
Τῇ τε λεχθείσῃ δάμαρτι σῇ μάτην μέν, ἀλλ' ὅμως
Σοὶ καταστέψασ' ἐγώ νιν ἦγον ὡς γαμουμένην.

Quamobrem opem feras, o Deæ fili, & meo infortunio,
Et ei, quæ eſt dicta tua uxor fruſtra quidem, attamen
Coronans eam adduxi tanquam nupturam tibi.

Herbæ ad id plerumque adhibitæ, quæ hac vel illa ratione vincla connubialia denotabant, cujuſmodi illæ Veneri ſacræ, aut (quarum meminit Scholiaſt. in *Ariſtophanis Pacem*) σισύμβριον, μήκων, σήσαμον, &c. Placentæ ex ſeſamo confectæ in nuptiis ſimiliter porrigebantur, quum illa herba eſſet πολύγονος ſeu *fœtifica*, ſecundum eumdem Auctorem. Bœoti coronas ex ſylveſtri aſparago textas geſtabant, qui valde ſpinoſus, ſed optimos fructus ferens, ideoque ſponſam referre exiſtimabatur, quæ amaſio, illam ambienti ejuſque amicitiam ſibi comparare ſtudenti, quamdam moleſtiam crearat, eumque jucunda ſua conſuetudine poſtea remunerarat. Domus, in qua celebratæ nuptiæ, ſertis intenſa: piſtillum alligatum januæ, cribrumque a puella geſtatum, juxta Pollucem *Onomaſt. l.* III. *cap.* III. ſponſa ipſa (ſecundum eumdem *ibid. l.* I. *c.* XII.) ferebat φρύγετρον, φρύγετρον, aut φρύγητρον, vas figulinum, in quo hordeum toſtum, eoque denotaretur eam adſtrictam eſſe curandæ ipſius familiæ.

Ex domo paterna ad ædes mariti circa veſperam curru duci ſolebat ſponſa, teſtibus Suida *Voc.* Ζεῦγος & Euſtathio *ad Iliad.* λ'. *pag.* 765. *Edit. Baſil.* Nam antiquitus mulieres non niſi noctis tempore ducebantur, illa enim virgineo pudori tegendo aptiſſima eſt. Hinc Tacitus de nuptiis Neronis & Pythagoræ agens *lib.* XI. ait; *& interdiu in viro nubente ſpectata, quæ in fœmina nox operit.* Et Catullus in *Epithalam. carm.* LXIII. ab initio:

Veſper adeſt, juvenes conſurgite, veſper Olympo,
Expectata diu vix tandem lumina tollit:
Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas:
Jam veniet virgo, jam dicetur hymenæus.

Collocabatur in medio, eique ab uno latere aſſidebat maritus, ab altero unus ex intimis familiaribus, qui idcirco dictus πάροχος; Suidas *Voc.* Ζεῦγος morem hunc deſcribit; Ζεύξαντες (inquit) τὴν λεγομένην κλινίδα, ἡ ἐστιν ὁμοία δίφρῳ, τὴν τῆς νύμφης μέθοδον ποιοῦνται· παραλαβόντες δὲ αὐτὴν ἐκ τῆς πατρώας ἑστίας, ἐπὶ τὴν ἅμαξαν ἄγουσιν εἰς τὰ τοῦ γαμοῦντος ἑσπέρας ἱκανῆς· κάθηνται δὲ τρεῖς ἐπὶ τῆς ἁμάξης, μέση μὲν ἡ νύμφη, ἑκατέρωθεν δὲ ὁ νυμφίος καὶ ὁ πάροχος. Hujuſmodi conſuetudo adeo frequenter obtinebat, ut, quando ſponſa ad ædes mariti procedebat, qui eam comitabatur, idem nomen haberet; appellatus etiam νυμφευτὴς, παρανύμφιος, & παράνυμφος, (juxta Heſychium *Voc.* Νυμφαγωγὸς) quamvis hoc uſitatius uſurpetur fœminino genere, & intelligatur de muliere, quæ ſponſæ famulabatur, interdum nuncupata νυμφεύτρια. Sponſo, qui alias uxorem duxerat, non licebat accerſere ſponſam ex domo patris, verum hæc cura dabatur cuidam neceſſariorum, dicto νυμφαγωγῷ vel νυμφοστόλῳ, (juxta Heſychium, Pollucem *Onomaſt. lib.* III. Suidam, Phavorinum, cæteroſque Lexicographos) quæ vocabula itidem accipiebantur de iis, quæ aderant in nuptiis parandis ac dirigendis omnibus ad matrimonium ſpectantibus, quæ, ſi mulieres, vocabantur προμνήστριαι, προξενήτριαι, &c. Unum adhuc obſervandum in ſponſæ tranſitu ad ædes mariti, nempe tædas ei præferri, ut liquet exemplo nuncii, qui ait ſe reminiſci tempus, quo tædas ante Menelaum & Helenam ferebat; illius verba ad Helenam ſic ſe habent apud Euripidem *Helena verſ.* 728.

Νῦν ἀνανεοῦμαι τὸν σὸν ὑμέναιον πάλιν,
Καὶ λαμπάδων μεμνήμεθ', ἃς τετραόροις
Ἵπποις τροχάζων παρέφερον· σὺ δ' ἐν δίφροις
Σὺν τῷδε νύμφη δῶμ' ἔλειπες ὄλβιον.

Nunc igitur *renovo tuas nuptias iterum,*
Et memini facum, quas quadrijugis
Equis vehens præferebam: tu vero in curru
Cum illo ſponſa relinquebas fœlicem domum.

Illæ enim tædæ a famulis geſtari conſueverant; ut patet ex ſequentibus Heſiodi verbis *Scuto Herculis verſ.* 275.

Τῆλε δ' ἀπ' αἰθομένων δαΐδων σέλας εἰλύφαζε
Χερσὶν ἐνὶ δμώων. —

Et procul ab ardentibus facibus fulgor reſplendebat
In manibus famulorum. —

Aliquando comitabantur cantatores atque saltatores, quemadmodum nos docet Homerus in descriptione clypei Achillis *Iliad.* σ'. *vers.* 490.

Ἐν ᾗ δύω ποίησε πόλεις μερόπων ἀνθρώπων
Καλάς· ἐν τῇ μέν ῥα γάμοι τ' ἔσαν, εἰλαπίναι τε·
Νύμφας δ' ἐκ θαλάμων, δαΐδων ὑπολαμπομενάων,
Ἠγίνεον ἀνὰ ἄστυ, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει·
Κοῦροι δ' ὀρχηστῆρες ἐδίνεον, ἐν δ' ἄρα τοῖσιν
Αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον· αἱ δὲ γυναῖκες
Ἱστάμεναι θαύμαζον ἐπὶ προθύροισιν ἑκάστη.

Et fecit in eo duas urbes articulate loquentium hominum
Pulchras: in una quidem nuptiæ erant, conviviaque solennia:
Sponsas autem ex thalamis, tædis allucentibus,
Ducebant per urbem, multusque hymenæus excitabatur:
Adolescentes autem saltatores in orbem agebant se, interque eos
Tibiæ citharæque sonum edebant: mulieres vero
Stantes admirabantur in vestibulis unaquæque.

Cantus, quo excipiebantur in ipsorum transitu, dicebatur ἁρμάτειον μέλος, ab ἅρμα, seu *curru*, quo invecti; hujus autem axis igne combustus, quando ad itineris exitum perveniebant, quo intelligebant sponsam ad domum paternam nunquam redituram. Apud Rhodios obtinebat peculiaris consuetudo sponsæ a publico præcone accersendæ. Quando sponsus una cum sponsa domum intrabat, ipsorum capiti injici solebant ficus variaque alia genera fructuum, tanquam omen abundantiæ, qua fruituri erant, secundum Aristophanis Scholiast. *in Plutum p.*78. Dies, quo sponsa ex domo paterna exibat, celebratus ad instar festi, dictusque Προσχαιρητήρια Harpocrationi, Suidæ; videtur agitatum in ædibus paternis antequam discederent, cum distingueretur a nuptiarum solennibus, quæ agebantur in sponsi domo, & circa vesperam, tempus quo sponsa huc accedere consueverat, inchoabant.

Sponsa domum sponsi ingressa excipiebatur convivio lautissimo, quod eodem nomine veniebat ac nuptiæ, scil. γάμος, prout notavit Pollux ex Homeri *Odyss.* α'. *vers.* 226.

Εἰλαπίνη, ἠὲ γάμος, ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν.

Splendidum convivium, vel nuptiæ, quoniam non symbolum hæc sunt.

Unde δαίειν γάμον est nuptiales epulas apparare, ut apud Homerum *Iliad.* τ'. *vers.* 299.

—— *δαίσειν δὲ γάμον μετὰ Μυρμιδόνεσσι.*

—— *instructurumque epulas nuptiales inter Myrmidones.*

Apud eumdem Poetam *Odyss.* δ'. *vers.* 3. exstat eadem dictio:

—— *δαίνυντα γάμον πολλοῖσιν ἔτῃσιν.*

—— *præbentem convivium multis sodalibus.*

Quænam fuerit hujus convivii finis, discimus ex Athenæo, qui (ut sileam gaudia, quæ hoc die agitabantur) *Deipnosoph.* l. V. c. I. initio duas istius rationes producit; prior erat reverentia Diis conjugalibus debita, qui ante festum invocabantur, nec exiguam partem ex eo participabant, & ex quorumdam sententia pleraque Græcorum festa ea de causa prius celebrata; posterior hujusce convivii ratio erat, ut conjugium palam omnibus notum fieret; universi enim cognati sponsi & sponsæ invitati, ut

A adforent testes ipsorum matrimonii & una cum ipsis gaudio indulgerent; hinc adolescens apud Terentium *Phormione Act.* IV *Scen.* IV. colligit nuptias, de quibus loquitur, non posse extemplo celebrari, quia tempus exigebatur ad familiares vocandos aliaque necessaria paranda:

Ducenda est uxor, ut ais; concedo tibi:
Spatium quidem apparandis nuptiis,
Vocandi, sacrificandi dabitur paululum.

Interea dum solennia agerentur, qui iis intererant, se ipsos recreabant, Deosque conjugales musica atque tripudiis cohonestabant; raro sermo est
B de connubio absque illis: universi cantus nuncupati ὑμέναιοι seu ὑμένες: ita Homerus *Iliad.* σ'. *vers.* 493. & Hesiodus *Scuto Herculis vers.* 274.

—— *πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει.*

—— *multusque hymenæus excitabatur.*

Eamdem vocem adhibuerunt Latini: sic Terentius *Adelphis Act.* V. *Scen.* VII.

Hymenæum, turbas, lampadas, tibicinas.

C Hujusce nominis ratio inde petenda, quod frequenter in his cantibus invocaretur Hymen vel Hymenæus, nuptiarum Deus; quemadmodum videre est in isto Catulli versu *Carm. Nupt.* LXIII.

Io Hymen, Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.

Iste Hymenæus (ut discimus) Argivus erat, qui (secundum Homeri Scholiast. *ad Iliad.* σ'. *vers* 493) a popularibus in numerum Deorum suorum receptus fuit, ejusque memoria recolebatur ob egregium facinus in liberandis quibusdam virginibus Atheniensibus a libidine & crudelitate nonnullorum
D Pelasgorum: alii hanc vocem deducunt ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ ναίειν, quod sponsus & sponsa *simul habitent*: cæteri denique ab ὑμὴν, quo intelligitur *membrana virginalis*.

Circa tempus, quo excipiebantur, obtinebant plurimi notabiles ritus, qui hac vel illa ratione ad nuptias referri possunt; cujusmodi iste Athen. usurpatus, scil. huc ingrediebatur puer cinctus ramis albæ spinæ & glandium, gestans sportam panibus plenam, & cantans, ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, hoc est, *vitavi malum, inveni melius*: quod adhibitum in quodam ex ipsorum festis, quo celebrabatur immutatio cibi ex glandibus in frumentum; vi-
E detur autem hoc in casu significasse fœlicitatem, qua sponsus & sponsa fruituri erant, connubiumque anteferendum vitæ solitariæ. Apud Athenienses circumferri solebat quoddam placentarum genus variis figuris efformatum, dictumque χυρίβανες, interea dum tripudiarent, ipsorumque cantibus sponsam laudarent, teste Athen. *Deipnosoph.* l. X.

Choreis finitis, sponsus & sponsa ad torum ducebantur, appellatum a Latinis *lectum genialem*, a Græcis κλίνην νυμφιδίην seu γαμικὴν, vel (quando primas nuptias aut juveniles adepti) κουρίδιον λέχος: magnifice ornatus pro dignitate personæ; panno purpureo plerumque sternebatur, unde Poeta *de*
F *nuptiis Pelei & Thetidis vers.* 1402.

Purpureumve tuum consternens veste cubile.

Apollon. *Argonaut.* l. IV. *vers.* 1141. ejusdem coloris & florum, quibus sterni solebat, meminit:

Ἔνθα τότ' ἐστόρεσαν λέκτρον μέγα· τοῖο δ' ὕπερθε
Χρύσεον αἰγλῆεν κῶας βάλον, ὄφρα πέλοιτο
Τιμήεις τε γάμος καὶ ἀοίδιμος· ἄνθεα δέ σφι

Νύμφαι ἀμεργόμεναι λευκοῖς ἐνὶ ποικίλα κόλποις
Ἐσφόρεον. ——

Ibi igitur regificum tunc ſtraverunt cubile ; eique
Fulgidam pellem auream ſuperinjecerunt , quo fierent
Auguſtiores nuptiæ & cantabiliores : necnon & flores ſtratis
Nymphæ delibabant , & de niveis ſinibus
Ingerebant. ——

Illo ipſo in loco poni ſolebat ſponda dicta *κλίνη παράβυςος* Heſychio, *ὑπὲρ τοῦ τὸν παῖδα μὴ ἀθυμῆσαι*, ut Pollux *Onomaſt. l.* III. c. III. hujus moris cauſam affert. Verum, antequam lectum peterent, ſponſa pedes lavabat ; hinc Trygæus apud Ariſtophanem *Pace pag.* 656. *Ediſt. Amſtelod.* ſtatuens Oporam uxorem ſibi adjungere, ſtatim ac eam deduxit domum ſuam, jubet famulos proſpicere vas aquæ, deinde lectum apparare :

Ἀλλ' εἴσαγ' ὡς τάχιςα ταυτηνὶ λαβών,
Καὶ τὴν πύελον κατάκλυζε, καὶ θέρμαιν' ὕδωρ,
Στόρνυθί μοι καὶ τῇδε κουρίδιον λέχος.

At duc intro quam citiſſime illam prehendens ,
Et trulleum ablue , ac calefacito aquam ,
Sterne quoque mihi illique genialem lectum .

Aquam iſtam ſemper accerſebant Athenienſes ex fonte Callirhoe, poſtea nuncupata *ἐννεακρούνῳ* a novem ciſternis, quæ illius ope aqua implebantur ; eam ferebat puer affinitate conjunctus ſponſo vel ſponſæ, dictuſque a munere *λουτροφόρος*, ſecundum Suidam & Pollucem *loco cit.* Deinde ſponſæ lectum petenti plurimæ faces præferebantur, una enim non ſufficiebat, prout animadvertendum ex Miſero apud Libanium *Declam.* XXXVII. qui conqueritur ſe non poſſe unica tæda ſponſam ad cubile ducere : uni tædarum novæ nuptæ mater tæniam circumligabat, hancque eo ſubducebat, capilloſque alia nectebat : ad iſtum morem reſpicit Seneca *Theb. Act.* IV. *verſ.* 63.

—— *non te duxit in thalamos parens*
Comitata primos , nec ſua feſtas manu
Ornavit ædes , nec ſua lætas faces
Vitta revinxit.

Cognati ſponſæ & ſponſi intererant ſolennibus, nec mediocre infortunium habebatur ſi abeſſent ; matres potiſſimum operam continuam navabant accendendis tædis, quando filiorum uxores domum intrabant : Jocaſta apud Euripid. *Phœniſſis verſ.* 339. (in quem locum vide Scholiaſt.) acriter increpat Polynicem, quod uxorem ducat in peregrina regione, quia ipſimet ſimul cum cæteris cognatis ac familiaribus eriperetur munus in ejus nuptiis :

Σὲ δ', ὦ τέκνον, καὶ γάμοισι δὴ κλύω
Ζυγέντα, παιδοποιὸν ἁδονὰν
Ξένοισιν ἐν δόμοις ἔχειν,
Ξένον τε κῆδος ἀμφέπειν·
Ἄλαςα ματρὶ τάδε,
Λαΐῳ τε σῷ παλαιγενεῖ,
Γάμων ἐπακτὰν ἄταν·
Ἐγὼ δ' οὔτε σοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς
Νόμιμον ἐν γάμοις,
Ὡς πρέπει ματρὶ μακαρίᾳ·
Ἀνυμέναια δ' Ἰσμηνὸς ἐκηδεύθη
Λουτροφόρου χλιδᾶς,
Ἀνὰ δὲ Θηβαίαν πόλιν
Ἐσιγάθη σᾶς εἴσοδος νύμφας.

Te vero , o fili , audio connubio
Conjunctum , conjugalem voluptatem
Habere in externa terra ,
Peregrinamque affinitatem curare :
Hæc ſunt intolerabilia matri ,
Et Laio avo tuo ,
Nuptiarum externam noxam :
Ego vero neque lumen ignis accendi tibi
Legitimum in nuptiis ,
Ut decet matrem beatam :
Nec Iſmenus curavit hymenæum ,
Qui ex balneis conſtat deliciarum ,
Per Thebanam vero urbem
Præteritus eſt ſilentio ingreſſus tuæ ſponſæ.

Sponſæ mater non minori jure in iſtud officium gaudebat ; videmus enim Clytæmneſtram, dum omnino profiteretur obſequium debitum Agamemnoni exoptanti ut illa nuptiis Iphigeniæ non interforet, conſtanter reſpuere id ceu valde iniquum, licet ipſe polliceretur explere ejus partes in iſto ritu peragendo, teſte Euripid. *Iphigenia in Aulide v.* 730.

Κλυ. Ἡμᾶς δὲ ποῦ χρὴ τηνικαῦτα τυγχάνειν ;
Αγα. Χώρει πρὸς Ἄργος, παρθένους τε τημέλει.
Κλυ. Λιποῦσα παῖδα ; τίς δ' ἀνασχήσει φλόγα ;
Αγα. Ἐγὼ παρέξω φῶς, ὃ νυμφίοις πρέπει.
Κλυ. Οὐχ ὁ νόμος οὗτος, καὶ σὺ δὲ φαῦλ' ἡγῇ τάδε.

Cly. Sed ubi nos interim oportet eſſe ?
Aga. Proficiſcere Argos , & cura virgines.
Cly. Relicta filia ? quis vero præferet ſublatam facem ?
Aga. Ego exhibebo facem , quæ convenit ſponſis.
Cly. Non hoc moris eſt , & tu ipſe judicas hæc indecora.

Poſtquam paucis diſputarunt, ita pergunt *ibidem verſ.* 739.

Αγα. Πιθοῦ. Κλυ. Μὰ τὴν ἄνασσαν Ἀργείαν Θεάν.
Ἐλθὼν δὲ, τἄξω πρᾶσσε, τὰν δόμοις δ' ἐγὼ,
Ἃ χρὴ παρεῖναι νυμφίοισι παρθένοις.

Aga. Pare. Cly. Non per Deam reginam Argivorum
Profectus igitur quæ foris ſunt age , res vero domeſticas ego curabo ,
Quas oportet habere puellas nubentes .

Athenis lege ſtatutum eſt, ut ſponſus & ſponſa cubiculo concluſi pomum cotoneum ſimul comederent, quo nimirum monebantur ſuavi & jucundo ſermone ſe mutuo adire, juxta Plutarchum in *Solone* & in *Conjugal. Præceptis.* Tum ſponſæ zonam ſolvebat ſponſus ; unde *λύειν ζώνην* deflorare, *γυνὴ* vero *λυσίζωνος* eſt mulier deflorata : nec illa zona (ut nonnulli autumant) a ſolis virginibus, ſed & a mulieribus nuptis geſtabatur, quandoquidem ea cingebatur debilior ſexus, ad virorum cupidine accenſorum præcipitem vim arcendam ; qua de cauſa a Nonno *l.* XII. circa finem dicitur *σαόφρων* : illius enim ope virginum pudicitia, quas Satyri comprimere conabantur, tuta tectaque fuit. Idem iterum liquet ex eo quod Scriptores meminerint illius zonæ mulieribus parturientibus ſolutæ, ut & quia puellæ viro nondum maturæ *ἄμιτροι*, id eſt, *zona carentes*, dici ſolerent.

Interim adoleſcentes & virgines ad fores adſtabant ſaltantes & cantantes carmina dicta *ἐπιθαλάμια* a *θάλαμος*, *cubiculum nuptiale*, imo vociferantes & pedibus complodentes tanto cum ſtrepitu, ut ſponſæ clamores obruere valerent, quod dicebatur *κτυπία* vel *κτυπίον*, juxta Heſychium : ne autem ad ſponſæ opem ferendam accurrere liceret mulieribus, unus ex ſponſi amicis ad cubiculi fores excubias agebat, qui a munere dictus eſt *θυρωρὸς* apud Pollucem *Onomaſt. lib.* III. capit. III.

Hoc carmen, æque ac reliqua, dicebatur ὑμέναιος, in quo ſponſi & ſponſæ laudes votaque felicia decantabantur, prout elici poteſt (cæteris prætermiſſis) ex *Helenæ Epithalamio* ſeu *Idyll.* XVIII. apud Theocritum, quod ſic incipit;

Ἐν ποκ' ἄρα Σπάρτᾳ, ξανθότριχι πὰρ Μενελάῳ,
Παρθενικαὶ θάλλοντα κόμαις ὑάκινθον ἔχοισαι,
Πρόσθε νεογράπτω θαλάμω χορὸν ἐστάσαντο,
Δώδεκα ταὶ πρᾶται πόλιος μέγα χρῆμα Λακαινᾶν,
Ἁνίκα Τυνδαρέω κατεκλάξατο τὰν ἀγαπατὰν
Μναστεύσας Ἑλέναν ὁ νεώτερος Ἀτρέος υἱός·
Ἄειδον δ' ἄρα πᾶσαι ἐς ἓν μέλος, ἐγκροτέοισαι
Ποσσὶ περιπλέκτοις, περὶ δ' ἴαχε δῶμ' ὑμεναίῳ.

In Sparta olim, apud flavum Menelaum,
Virgines virentem hyacinthum comis implicitum *habentes,*
Ante recens depictum thalamum choream instituerunt,
Duodecim primariæ urbis magnum decus Lacænarum,
Quando Tyndari filiam *amabilem* in thalamo *conclusit*
Helenam, cum eam duxiſſet uxorem minor natu filius Atrei:
Concinebant autem omnes carmen unum, applaudentes
Pedibus connexis, atque domus inſonuit hymenæo.

Mane autem reverſi ſalutabant conjuges, canebantque ἐπιθαλάμια ἐγερτικὰ, eo enim nomine nuncupabantur carmina matutina, quibus ſponſum & ſponſam expergefacere & ſuſcitare ſtudebant; ea vero, quæ præeunte nocte cantata fuerant, quia ad ſomnum hortantia, ἐπιθαλάμια κοιμητικὰ vocari ſolebant: hanc conſuetudinem uſurpat apud Theocritum chorus virginum, quæ mox citatum *Epithalamium* claudunt ad diluculum reverſuras pollicitæ:

Εὕδετ' ἐς ἀλλάλων στέρνον φιλότητα πνέοντες
Καὶ πόθον· ἔγρεσθε δ' ἢ πρὸς ἀῶ, μήτι λάθησθε·
Νεύμεθα κἄμμες ἐς ὄρθρον, ἐπεί κα πρᾶτος ἀοιδὸς
Ἐξ εὐνᾶς κελαδήσῃ, ἀνασχὼν εὔτριχα δειρήν·
Ὑμὰν, ὦ Ὑμέναιε, γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.

Dormite in pectora mutuo amorem inſpirantes
Et deſiderium: expergiſcamini vero ſub auroram, neque obliviſcamini:
Redimimus & nos mane, ubi primus cantor
E cubili ſuo inſonuerit, ſuſtollens pulchre pennatam cervicem:
Hymen, o Hymenæe, his nuptiis gaudeas.

Solennia pluribus diebus celebrabantur; dies ante nuptias προαύλια, (quia illum diem, quo ſponſa αὐλίζετο τῷ νυμφίῳ, id eſt, *cum ſponſo cohabitabat,* præcedebat) nuptialis dies γάμοι, dies vero ſubſequens, juxta Pindarum, dicebatur ἐπίβδης, quo nomine denotatur in genere dies celebritati ſuperadditus: ab Heſychio *Voc.* Γάμοι dicitur παλία, nomine forſitan facto a πάλιν, quia ſuperioris diei gaudia in eo iterabantur; unde a Romanis dictus eſt *repotia*; niſi pro παλία παλαιὰ legere liceat, tumque eodem rediret ac Athenæi *Deipnoſoph. lib.* III. c. XV. ἕωλος ἡμέρα: ἕωλος enim ſignificat rem obſoletam; unde librum, cujus ſtudium apud homines refriguit, ἕωλον vocat Tullius, & Athen. *Deipnoſoph. l.* IV. τὰς ἀκμαίας γάμων ἡμέρας opponit τῇ ἑώλῳ τ̃ συμποσίας: dies ſecundus ab aliis effertur ἐπαύλια vel ἐπαυλία: tertius vero dies ἀπαυλία: vel potius ἀπαύλια, quia ſponſa patris domum reverſa, ἀπαυλίζεσθαι τῷ νυμφίῳ, id eſt, *ſeorſim a ſponſo habitare,* ſolebat, licet ad diem poſt nuptias ſeptimum hunc morem referant nonnulli; alii iterum ſic vocari contendunt, quia in eo ſponſus in ſoceri ædibus ſeorſim ab ſponſa habitabat; forſan neuter illorum fallitur; ſponſus enim & ſponſa in hujus patris domo cubabant, ſed in diverſis lectis; nec deſunt, qui ἀπαυλία idem faciant ac ἐπαύλια: ſed inde oriri videtur difficultas, quandoquidem duo hæc vocabula contraria, alterum ſponſæ ſeceſſum a ſponſo, alterum vero ſponſæ cohabitationem cum ſponſo exprimere videtur: ſolvetur autem nodus, ſi ἐπαύλια intelligatur de ſponſæ cohabitatione cum ſponſo, ἀπαυλία vero de ejus diſceſſu a patris ædibus. Vide Pollucem *Onomaſt. l.* III. c. III. Heſychium, Suidam, *Etymologici* Auctorem, Phavorinum, &c. in *Voc.* ἀπαύλια & ἐπαύλια. Die dicto ἀπαύλια (quotuſcumque fuerit) ſponſum veſte dicta ἀπαυλιστηρία donabat ſponſa: pariter dona dabantur ſponſæ & ſponſo a ſponſæ patre vel amicis, nuncupata aliquando ἀπαύλια, quandoque ἐπαύλια: fuerunt autem vaſa aurea, cubilia, grabbati, pixides unguentariæ, pectines, ſandalia, & omnigena ſupellectilia, quæ magna cum pompa domum vehebantur a mulieribus, virum dictum κανηφόρον a caniſtro geſtato eodem modo, quo in ſacris obambulationibus ſolebat, ſequentibus; cui præibat puer albo indutus tædamque in manu geſtans. Alia dona ſponſæ dabantur a marito ejuſque cognatis & ſodalibus, quæ apud Suidam nuncupantur ἀνακαλυπτήρια. Tertium diem ἀνακαλυπτήριον dici contendit Heſychius, quia in eo primum in publicum prodibat ſponſa: Suidas ſcribit dona ſic nuncupata fuiſſe, quia tum primum ſponſo oſtendebatur ſponſa: eadem de cauſa ſæpenumero dicuntur θεώρητρα, ὀπτήρια, ἀθρήματα, & προσφθεγκτήρια, quia tum cum ſponſa libere converſari ſponſo licebat; innuptæ enim virgines arcte & private recludebantur, nec in publicum prodire, nec cum viris colloqui permittebantur, quando autem illa libertate uti iis indulgebatur, faciem velo tegebant, quod vocabatur καλύπτρον vel καλύπτρα, nec deponebatur in conſpectu virorum ante nuptias; unde nonnulli cenſent ſponſam dictam fuiſſe νύμφην ἀπὸ τ̃ νέον, id eſt πρώτως, φαίνεσθαι, quia tum primum in publico revelata oſtendebatur, juxta Phurnutum *de Natura Deorum* in *Neptuno*; inde donorum, quæ Proſerpinæ, quando velum detraxit, dedit Pluto, meminerunt Poetæ, nominatim Euphorion in carminibus, quæ ab Euripidis Scholiaſte citantur in *Phœniſſis verſ.* 688.

Τῇ ῥά ποτε Κρονίδης δῶρον πόρε Περσεφονείῃ
Εἰνὶ γάμοις, ὅτε πρῶτον ὀπωπήσασθαι ἔμελλε,
Νυμφιδίου σπείροιο παρακλίνουσα καλύπτραν.
Tum quidem Saturnius (Pluto) *donum dedit Proſerpinæ*
In nuptiis, quum primum velamina poſuit,
Virginalis veſtis demiſſo flammeo.

Narratur hiſtoria de Sophiſta Hermocrate huic conſuetudini affinis, nimirum, cum ipſi invito a Severo Romanorum Imperatorum data fuiſſet uxor minime formoſa, rogatuſque ipſius ἀνακαλυπτήρια, quando ipſa velum poneret, reſpondit, ἐγκαλυπτήρια μὲν οὖν τοιαύτην λαμβάνων, *Convenientius fuiſſet eam munere donare quo ſe tegeret, niſi ipſius vultus formoſior fuiſſet.*

Cum nuptiarum ritus apud Spartanos a cæteris omnibus differrent, hunc in locum illos reſervavi, eoſque ob oculos ponam ipſiſſimis Plutarchi verbis in *Lycurgo:* Ἐγάμουν δὲ δι' ἁρπαγῆς, οὐ μικρὰς οὐδὲ ἀώρους πρὸς γάμον, ἀλλὰ καὶ ἀκμαζούσας καὶ πεπείρους. Τὴν δὲ ἁρπασθεῖσαν ἡ νυμφεύτρια καλουμένη παρα-

λαβοῦσα, τὴν μὲν κεφαλὴν ἐν χρῷ περιέκειρεν, ἱματίῳ δὲ ἀνδρείῳ καὶ ὑποδήμασιν ἐνσκευάσασα, κατέκλινεν ἐπὶ στιβάδα μόνην ἄνευ φωτός. Ὁ δὲ νυμφίος οὐ μεθύων οὐδὲ θρυπτόμενος, ἀλλὰ νήφων, ὥσπερ ἀεὶ δεδειπνηκὼς ἐν τοῖς φιδιτίοις, παρεισελθὼν ἔλυε τὴν ζώνην, καὶ μετήνεγκεν ἀράμενος ἐπὶ τὴν κλίνην· συνδιατρίψας δὲ χρόνον οὐ πολὺν ἀπῄει κοσμίως ὅπερ εἰώθει τὸ πρότερον καθευδήσων μετὰ τῶν ἄλλων νέων· καὶ τὸ λοιπὸν οὕτως ἔπραττε, τοῖς μὲν ἡλικιώταις συνδιημερεύων καὶ συναναπαυόμενος· πρὸς δὲ τὴν νύμφην μετ' εὐλαβείας φοιτῶν, αἰσχυνόμενος καὶ δεδοικὼς, μή τις αἴσθοιτο τῶν ἔνδον· ἅμα καὶ τῆς νύμφης ἐπιτεχνωμένης καὶ συνευπορούσης, ὅπως ἂν ἐν καιρῷ καὶ λανθάνοντες ἀλλήλοις συμπορεύοιντο· καὶ τοῦτο ἔπραττον οὐκ ὀλίγον χρόνον, ἀλλ' ὥστε καὶ παῖδας γενέσθαι ἐνίοις πρὶν ἐς ἡμέραν θεάσασθαι τὰς αὑτῶν γυναῖκας. Ἡ δὲ τοιαύτη σύνοδος οὐ μόνον ἐγκρατείας καὶ σωφροσύνης ἄσκησις ἦν, ἀλλὰ τοῖς τε σώμασι γονίμους, καὶ τὸ φιλεῖν ἀεὶ καινοὺς καὶ προσφάτους ἦγεν ἐπὶ τὴν κοινωνίαν, οὐδὲ διακορεῖς οὐδ' ἐξιτήλους ταῖς ἀναίδην κοινωνίαις, ἀλλ' ἀεί τι λείψανον καὶ ὑπέκκαυμα πόθου καὶ χάριτος ἐναπολείποντας ἀλλήλοις. *Uxores autem ducebant* (Spartani) *raptu, non pusillas aut impuberes, sed adultas & maturas. Raptam vero assumptam abducebat* νυμφεύτρια *sive pronuba dicta, capillosque* ejus *cute tenus circumtondebat, vesteque virili & calceamentis indutam in toro sine lumine solam locabat. Sponsus autem non vino gravis nec deliciis confectus, sed sobrius, quum in convivio solito cœnatus esset, latenter ingressus solvebat* sponsæ *cingulum, & sublatam in lecto collocabat: nec longo ibi spatio commoratus abibat modeste conferebatque se cubitum quo ante fuerat solitus cum cæteris juvenibus: quem modum deinceps servabat, ac transigebat cum coætaneis dies & noctes: ad sponsam presse commeabat cum pudore & metu, ne quis ex familia perciperet: unaque machinante illa & opportunitatem suppeditante, quo in tempore & insciis aliis congrederentur: neque vero ad modicum tempus ita agebant, sed aliqui etiam liberos prius tulerunt, quam viserent uxores suas interdiu. Talis autem congressus non modo temperantiæ & castimoniæ meditatio erat, verum etiam cum corporibus fœcundos, tum perpetuo amore recentes & integros adigebat ad concubitum, non expletos & flaccidos conjunctionibus immodicis, verum semper reliquias aliquas & aculeum relinquentes mutui desiderii & amoris.*

CAP. XII.

De eorumdem divortiis, adulteriis, concubinis, ac meretricibus.

Græcorum leges de divortiis diversæ erant; nonnullæ permittebant viris uxores levibus de causis repudiare; a Cretensibus illud in dultum viro, qui progeniem liberorum nimis numerosam sibi metuebat; Athenienses hoc itidem futilibus argumentis faciebant, sed non ita tamen quin libellum darent, in quo continebatur divortii ratio, ut, si repudiata ad jus provocaret, a summis magistratibus comprobaretur, teste Alexandro ab Alexandro *Genial. Dier. l.* IV. c. VIII. Spartani, licet in uxoribus eligendis non tam attenti essent, eas tamen raro dimittebant; legimus enim Lysandro mulctam ob id solum a magistratibus dictis *Ephoris* irrogatam fuisse; quamvis autem Ariston, ex ipsorum Regibus unus, uxorem suam repudiasset, civibus probantibus, tamen hoc fuisse factum videtur potius ex ardenti desiderio habendi filium, qui ei in regno succederet, (quod ex hac uxore sperare non poterat) quam ex more patrio, ut refert Herodot. in *Erato* seu *l.* VI. c. LXIII. Verum quidquid sibi hac in re indulserint viri, arctius coercebantur eorum uxores; summe enim decorosum, si uxor maritum desereret; hinc Medea conqueritur de dura sui sexus conditione, cui nullum remedium erat adversus virorum inclementiam, sed primo maritos suos maximis opibus comparare coactæ erant, & deinde malam ipsorum tractationem subire, nulla spe reliqua de illis emendandis; quemadmodum canit Euripides *Medea vers.* 230.

Πάντων δ', ὅσ' ἔστ' ἔμψυχα, καὶ γνώμην ἔχει,
Γυναῖκές ἐσμεν ἀθλιώτατον φυτόν·
Ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
Πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος
Λαβεῖν· κακοῦ δὲ, τοῦτ' ἔτ' ἄλγιον κακὸν,
Κἀν τῷδ' ἀγὼν μέγιστος, ἢ κακὸν λαβεῖν,
Ἢ χρηστόν· οὐ γὰρ εὐκλεεῖς ἀπαλλαγαὶ
Γυναιξὶν, οὐδ' οἷόν τ' ἀνήνασθαι πόσιν.
Omnium autem, quæcumque sunt animata, & mentem habent,
Nos mulieres sumus miserrima propago:
Quas primum quidem oportet maximis opibus
Comparare maritum, dominumque corporis
Accipere: illo enim malo hoc longe gravius,
Et in hoc maximum est periculum, aut malum accipere,
Aut bonum: non enim honesta sunt divortia
Mulieribus, neque licet abdicare maritum.

Athenienses uxoribus nonnihil æquiores potestatem iis dabant maritos justis de causis derelinquere; nihilominus tenebantur prius appellare ad Archontem, eique ipsasmet offerre libellum injuriarum: ut patet exemplo Hipparetes Alcibiadis uxoris apud Plutarchum in *Alcibiade*: en illius verba: Εὔτακτος δ' οὖσα καὶ φίλανδρος ἡ Ἱππαρέτη, λυπουμένη δ' ὑπ' αὐτοῦ περὶ τὸν γάμον ἑταίραις ξέναις καὶ ἀσταῖς συνόντος, ἐκ τῆς οἰκίας ἀπιοῦσα, πρὸς τὸν ἀδελφὸν ᾤχετο. Τοῦ δ' Ἀλκιβιάδου μὴ φροντίζοντος, ἀλλὰ τρυφῶντος, ἔδει τὸ τῆς ἀπολείψεως γράμματα παρὰ τῷ ἄρχοντι θέσθαι, μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλ' αὐτὴν παροῦσαν· ὡς οὖν παρῆν τοῦτο πράξουσα κατὰ τὸν νόμον, ἐπεξελθὼν ὁ Ἀλκιβιάδης, καὶ συναρπάσας αὐτὴν, ἀπῆλθε δι' ἀγορᾶς οἴκαδε κομίζων, μηδενὸς ἐναντιωθῆναι μηδ' ἀφελέσθαι τολμήσαντος· ἔμεινε μέντοι παρ' αὐτῷ μέχρι τελευτῆς· ἐτελεύτησε δὲ μετ' οὐ πολὺν χρόνον, εἰς Ἔφεσον τοῦ Ἀλκιβιάδου πλεύσαντος. Αὕτη μὲν οὖν οὐ παντελῶς ἔδοξεν ἡ βία παράνομος οὐδὲ ἀπάνθρωπος εἶναι· καὶ γὰρ ὁ νόμος δοκεῖ διὰ τοῦτο προάγειν τὴν ἀπολείπουσαν εἰς τὸ δημόσιον αὐτὴν, ὅπως ἐγγένηται τῷ ἀνδρὶ συμβῆναι καὶ κατασχεῖν. *Hipparete autem, casta fœmina & viri amans, quum esset impatiens injuriarum genialis tori, quod consuetudinem ille haberet cum meretricibus peregrinis & urbanis, divertit ab eo, & contulit se ad fratrem. Non curante id Alcibiade, sed læte agente, oportebat eam divortii monumenta apud archontem deponere, non per alios, sed ipsam præsentem: quæ ubi adfuit, ut id ex lege ageret, irrumpens Alcibiades rapuit eam, medioque foro domum ferens abiit, nec fuit quisquam qui obsidere vel eam auferre sustineret: atque illa mansit apud eum quoad vixit: cæterum non multo post, quum navigasset Alcibiades Ephesum, vita excessit. Et quidem non fuit vis hæc visa prorsus detestanda vel inhumana: lex namque ideo in publicum, meo judicio, producit ipsam quæ divertit, quo congrediendi cum ea viro & retinendi ejus sit facultas.* Viri, qui suas uxores repudiabant, ipsis dotem restituere adstricti erant, ut *cap.* præcedenti observatum; si hoc non præstarent, Atheniensium legibus tenebantur nomem obolos singulis mensibus in victum iis solvere, quos ad forum habitum in Odeo postulare uxoris curatori integrum erat, secundum Demosthenem *Orat. in Neæram*. Tandem notandum, voces, quibus exprimebatur viri & uxoris a se invicem discessus, discrepare; viri dicebantur ἀποπέμ-

πέμπειν, ἀπολύειν, *dimittere* uxores, easque vinculis liberare; uxores vero ἀπολείπειν, *divortere*, *discedere* a suis maritis.

Matrimonii vinculum sæpius solvebatur consensu partium, quibus in novas nuptias se conjicere licebat: exemplum nobis suppeditat Plutarchus in *Pericle*, qui, quia inter illum & uxorem non bene conveniebat, & mutui consortii illos tædebat, eam alteri viro volens & lubens elocavit. Sed magis notatu dignum occurrit in exemplo Antiochi Seleuci filii, qui Stratonicem socrum, quam deperibat, uxorem duxit consentiente patre, testibus Plutarcho in *Demetrio* & Valerio Maximo *lib.* v. *cap.* VII. Eumdem morem apud Romanos obtinuisse liquet ex eo, quod Cato uxorem Martiam Hortensio concesserit; quæ consuetudo (inquit Strabo *Geograph. lib.* VII.) vulgaris fuit, tumque apud veteres Romanos, tum apud plures alios populos viguit.

Sed magis peregrinum videtur, quod in nonnullis Græciæ locis uxores a viris mutuo aliis datæ fuerint. Nec ex solis Atheniensibus nobis suppetit exemplum Socratis, qui juxta Tertullianum *Apolog. cap.* XXXIX. uxorem suam Xantippen Alcibiadi mutuavit, & lex, qua hæredibus, quibus viri officio conjugali deerant, illorum proximis cognatis uti licebat; quandoquidem ipsa Lacedæmone, quæ omnium Rerumpublicarum Græcarum ab impudicitia & morum licentia maxime aliena erat, eo quod severissimis legibus regebatur, & austerissimæ disciplinæ subjecta erat, plura hujusmodi exempla occurrunt: quid hac in re consueverint Spartani, nobis tradit Plutarchus in *Lycurgo*: Τοσαύτην δὲ τοῖς γάμοις ἐπιστήσας αἰδῶ καὶ τάξιν, οὐδὲν ἧττον ἐξέβαλλε τὴν κενὴν καὶ γυναικώδη ζηλοτυπίαν, ἐν καλῷ καταστήσας, ὕβριν μὲν καὶ ἀταξίαν πᾶσαν εἴργειν ἀπὸ τοῦ γάμου, παίδων δὲ καὶ τεκνώσεως κοινωνίαν τοῖς ἀξίοις καταγελῶν τῶν ὡς ἄμικτα καὶ ἀκοινώνητα ταῦτα μετιόντων σφαγαῖς καὶ πολέμοις. Ἐξῆν μὲν γὰρ ἀνδρὶ πρεσβυτέρῳ νέας γυναικὸς, εἰ δή τινα τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀσπάσαιτο νέων καὶ δοκιμάσειεν, εἰσαγαγεῖν παρ' αὐτὴν, καὶ πλήσαντα γενναίου σπέρματος, ἴδιον αὐτῆς ποιήσασθαι τὸ γεννηθέν. Ἐξῆν δὲ πάλιν ἀνδρὶ χρηστῷ, τῶν εὐτέκνων τινὰ καὶ σωφρόνων θαυμάσαντι γυναικῶν ἑτέρῳ γεγαμημένην, πεῖσαι τὸν ἄνδρα συνελθεῖν, ὥσπερ ἐν χώρᾳ καλλικάρπῳ φυτεύοντα καὶ ποιούμενον παῖδας ἀγαθοὺς, ἀγαθῶν ὁμαίμους καὶ συγγενεῖς ἐσομένους. Πρῶτον μὲν γὰρ οὐκ ἰδίους ἡγεῖτο τῶν πατέρων τοὺς παῖδας, ἀλλὰ κοινοὺς τῆς πόλεως ὁ Λυκοῦργος· ὅθεν οὐκ ἐκ τῶν τυχόντων, ἀλλ' ἐκ τῶν ἀρίστων ἐβούλετο γεγονότας εἶναι τοὺς πολίτας.......... Ταῦτα δὲ οὕτως πραττόμενα φυσικῶς καὶ πολιτικῶς τότε, τοσοῦτον ἀπεῖχε τῆς ὕστερον λεγομένης γενέσθαι περὶ τὰς γυναῖκας εὐχερείας, ὥς τε ὅλως ἄπιστον εἶναι τὸ τῆς μοιχείας παρ' αὐτοῖς. *Postquam tantam matrimonio imposuit verecundiam & temperantiam, nihilosecius vanam illam & muliebrem obtrectationem abegit, hancque adhibuit moderationem, ut petulantiam & confusionem excluderet a conjugio omnem, liberorum autem eorumque procreationis permitteret communicationem inter honestos: deridens eos, qui hæc velut seclusa & abstracta a communi usu, cædibus & bellis exsequuntur. Nam viro natu grandiori, cui florens ætate erat conjux, si quem probum & prudentem adolescentem charum haberet probaretque, jus erat eam huic jungere, & quum impleta esset egregio semine, sibi vindicare partum. E diverso liberum erat bono viro, si qua ei casta mulier, quæ elegantes pueros ederet, alteri nupta cordi esset, agere cum viro, ut copiam sibi ejus faceret, atque ita tanquam frugiferum arvum conserere & gignere liberos probos, qui proborum futuri consanguinei & propinqui essent. Ante omnia enim non duxit privatos parentum filios Lycurgus, sed communes civitatis: quare noluit ex turmalibus, sed ex præstantissimis generari cives .... Atque hæc, quæ tam naturæ convenienter id temporis & civiliter agebantur, tantum aberant ab illa, quæ post sequuta fertur, licentia mulierum, ut adulterium fuerit apud eos inauditum.* Præterea mulieribus alienis eadem cum familiaritate uti peregrinis, dummodo venusti viri forent, sanosque & vegetos liberos ad gignendos valere viderentur, æque ac civibus Spartæ licitum esse alii Scriptores asserunt, nominatim Nicolaus *de moribus* apud Stobæum. Huic autem legi non subjiciebantur Reges ut nimirum regia progenies genuina servaretur, imperiumque in eadem familia legitima successione resideret.

Licet autem hac libertate, quæ a mutuo partium consensu pendebat, uterentur, tamen quælibet alia adulteria turpissima flagitia apud Spartanos habebantur, quibus, dum antiqua gentis suæ instituta tuiti sunt, omnino ignota fuerunt; Plutarchus enim ita scribit in *Lycurgo*: Καὶ λόγος ἀπομνημονεύεται Γεράδα τινὸς Σπαρτιάτου τῶν σφόδρα παλαιῶν, ὃς ἐρωτηθεὶς ὑπὸ ξένου, τί πάσχουσιν οἱ μοιχοὶ παρ' αὐτοῖς, εἶπεν, Ὦ ξένε, οὐδεὶς γίνεται μοιχὸς παρ' ἡμῖν. Ἐκείνου δὲ ὑπολαβόντος, Ἐὰν δὲ γένηται; Ταῦρον, ἔφη ὁ Γεράδας, ἐκτίνει μέγαν, ὃς ὑπερκύψας τὸ Ταΰγετον ἀπὸ τοῦ Εὐρώτα πίεται. Θαυμάσαντος δὲ ἐκείνου καὶ φήσαντος, Πῶς δ' ἂν γένοιτο βοῦς τηλικοῦτος; Γελάσας ὁ Γεράδας, Πῶς δ' ἂν, ἔφη, ἐν Σπάρτῃ μοιχὸς γένοιτο; *Memoratur dictum Geradæ cujusdam Spartiatæ ex antiquissimis, qui hospiti sciscitanti, quæ esset pœna apud ipsos in adulteros constituta, respondit*, O hospes, nullus reperitur adulter apud nos. *Quo subjiciente*, Quid si inventus sit? Taurum, *inquit Geradas*, luit ingentem, qui capite trajecto Taigetum bibat ex Eurota. *Obstupescente illo ac dicente*, Qui exstat bos tantus? *Ridens Geradus*, Qui, *inquit*, Spartæ adulter existat?

Græci diversas pœnas in adulteros decreverunt, quarum nonnullæ hæ fuerunt.

Ab heicis sæculis initium faciamus; uxores raptas, si hoc in loco de iis agere liceat, truculentis & cruentis bellis ultos fuisse viros tradunt Veteres: inde natum esse illud perpetuum hostile odium, quo per plura sæcula se invicem prosecuti sunt Græci & Asiatici, nec unquam pacatum fuisse, donec hi devicti illorum imperio subjecti fuerint, scribit Herodotus *Clio* seu *lib.* I. initio; cui accinit Lycophron; quandoquidem ab Io raptam a Phœnicibus in Asiæ populos tanta ira accensi sunt Græci, ut postquam innumera damna & bella sibi mutuo intulerint, tandem Asiam sub jugo miserint Europæi duce Alexandro Macedone: sic canit Poeta *Cassandra vers.* 1291.

Ὄλοιντο ναῦται πρῶτα Καρνῖται κύνες,
Οἳ τὴν Βοῶπιν ταυροπάρθενον κόρην
Λέρνης ἀνηρείψαντο, φορτηγοὶ λύκοι,
Πλᾶτιν πορεῦσαι κῆρα Μεμφίτῃ πρόμῳ,
Ἔχθρας δὲ πυρσὸν ἦραν ἠπείροις διπλαῖς.
Pereant nautæ primum Carnitæ canes,
Qui bovis præditam facie tauri virginem puellam
A Lerna adsportarunt, mercatores lupi,
Conjugem deducendam in fœlicem Memphitum Duci
Odiique facem duabus extulere continentibus.

Pergit autem in enumerandis litibus, quibus gemini illi populi a se invicem continuo dissederunt usque ad Alexandri Magni tempora, quæ licet in dubium vocari possint, eo quod illis primitivis temporibus populorum distinctio inter Græcos & barbaros nondum nota fuerit, nec ullaa inter illos confœderatio ad hos debellandos interfuerit; attamen nobis suppetit insigne exemplum (ut alia

prætermittam) diuturni & immitis belli ob Helenam a Paride raptam oborti. Sed exempla, quæ propius nostrum propositum attingant, afferre lubet; quid autem Heroicis sæculis de adulterio senserint homines liquet, tum exemplo Atrei uxoris Aeropes stuprum in fratrem Thyestem ulti, cui sui filii carnem in epulo apposuit, aliisque diræ vindictæ exemplis, quam de iis, qui vel uxores vel proxime cognatas constupraverant, sumpserunt viri; tum plenius ex pœnis a lege vel magistratu in hujusmodi sontes decretis, qui lapidibus obrui solebant; unde Hector apud Homerum Paridi objicit pœnam criminis sui, eo quod alienam uxorem rapuerat, condignam fuisse *λάϊνον χιτῶνα tunicam lapideam*, qua jure merito induendus fuisset; nimirum illo diro mortis genere tam turpe facinus solummodo expiari posse *Iliad. γ. verf.* 57.

Λάϊνον ἕσσο χιτῶνα κακῶν ἕνεχ' ὅσσα ἔοργας.
Lapideam indutus fuisses tunicam, tot malorum
gratia quæ fecisti.

Idem supplicium in usu fuit apud populos orientaliores, nominatim apud Judæos, qui ex præscripto Legis divinæ *Deuter. c.* XXII. adulteros & adulteras illo afficere tenebantur. Divitibus mœchis se redimere licebat mulcta pecuniaria, dicta *μοιχάγρια*, quam adulteræ viro solvebant: quocirca, ut Mars cum Venere in adulterio deprehensus mulctam Vulcano pendat, unanimi consensu statuunt Dii apud Homerum *Odyss. θ'. verf.* 329. ubi Græcus Scholiastes consulendus:

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα, κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν·
Ὡς καὶ νῦν Ἥφαιστος ἐὼν βραδὺς εἷλεν Ἄρηα,
Ὠκύτατόν περ ἐόντα Θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι,
Χωλὸς ἐών, τέχνῃσι· τὸ καὶ μοιχάγρι' ὀφέλλει.
Non recte succedunt mala opera, assequitur tardus celerem;
Ut nunc Vulcanus, cum sit tardus, cepit Martem,
Qui est velocissimus Deorum, qui Olympum tenent,
Claudus inquam, technis: quod & pœnam auget.

Nec acptivum dimittere voluit Vulcanus, donec mulctam solvere pollicitus fuisset Neptun. *ib. v.* 354.

Τὸν δ' αὖτε προσέειπε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
Ἥφαιστ', εἴπερ γάρ κεν Ἄρης χρεῖος ὑπαλύξας
Οἴχηται φεύγων, αὐτός τοι ἐγὼ τάδε τίσω.
Hunc rursus allocutus est Neptunus terram quatiens,
Vulcane, etiamsi Mars debitum renuens
Abierit fugiens, ipse tibi ego hæc persolvam.

Ex eodem loco iterum patet socerum dotem, quam pro filia acceperat, genero reddere solitum fuisse; Vulcanus enim *ibid. verf.* 317. Martem & Venerem in vincula conjicere minitatur, donec dos ei restituta sit:

—— ἀλλά σφωε δόλος καὶ δεσμὸς ἐρύξει,
Εἰσόκε μοι μάλα πάντα πατὴρ ἀποδώσει ἔεδνα,
Ὅσσα οἱ ἐγγυάλιξα κυνώπιδος εἵνεκα κούρης,
Οὕνεκά οἱ καλὴ θυγάτηρ, ἀτὰρ οὐκ ἐχέθυμος.
—— sed ipsos dolus & vinculum detinebit,
Donec mihi omnem pater retribuat dotem,
Quantam ei præbui impudentem ob puellam,
Quod illi pulchra filia, sed neutiquam pudica.

Plures autumant hanc summam refudisse adulterum, qui ex æquo mulieris patrem omni damno eximere tenebatur; idcirco mulcta, quæ Marti irrogatur, ab hac non distinguitur; postquam enim vadem se præstitit Neptunus, ejus vincula sine mora solvit Vulcanus.

Iterum adulteris oculi effodi solebant; quod supplicium æque antiquum esse videtur ac alterum; justum autem & æquum censetur, aut illo membro, quo cupidinis illecebræ primo admissæ animum invaserunt, orbaretur reus. Fabularum Scriptores referunt, Orioni, eo quod Candiopen aut Meropen stupraverat, oculos eruisse Oenopionem, quem hujus mulieris virum nonnulli, alii vero patrem faciunt; legendi Natalis Comes *Mytholog.* Servius *in Æneid.* Phœnix Achillis custos eamdem pœnam subiit ob Clytiam patris concubinam vitiatam, juxta Apollodorum *lib.* III. & Lycophronem *Cassandra verf.* 421.

Τὸν πατρὶ πλεῖστον ἐστυγημένον βροτῶν,
Ὅμηρον ὅς μιν θῆκε τετρήνας λύχνους,
Ὅτ' εἰς νόθον τρήρωνος ηὐνάσθη λέχος.
Patri maxime omnium invisum,
Qui eum perforatis lucernis excæcavit,
Quando in adulterino columbæ cubuerat lecto.

Homerus quidem *Iliad. ι. verf.* 455. hujus pœnæ ei inflictæ nullam mentionem facit, tantum narrat, patrem comperto flagitio filio imprecatum fuisse, ut unquam liberis careret, quos Tzetzes *in Lycophronem loco citato* interpretatur *oculos*, quia liberi parentibus cariores, majorique sunt solatio præ membris corporis maxime necessariis: sed hæc interpretatio coacta est, & Mythologis tum veteribus tum recentioribus adversatur, qui fabulam & verba Lycophronis litteraliter exponunt. Fuit & apud Locrenses recentioribus sæculis introductum hoc supplicii genus a Zeleuco illius gentis Legislatore, qui exemplo summæ severitatis celebrato hanc legem præstitit, filium enim, quem in ipso adulterio deprehenderat, visu orbari decrevit, diuque se exorari non sivit, licet tota civitas pœnam libenter remisisset, & adolescentis veniam eum obnixe rogasset; tandem populi importunis precibus victus sententiam, quam tulerat, mitigavit, filiique alterum oculum sui dispendio redemit, quo in judicio justitiæ & misericordiæ simul memorandum exstitit exemplum apud Valerium Maximum *lib.* VI. *cap.* V.

Gortynæ in Cræta alio supplicio afficiebantur adulteri: lana enim, illorum indolis mollis & effœminatæ emblemate, obvoluti per urbem ad magistratus domum hoc in habitu devehebantur, qui eos ignominiæ damnabat, qua omnibus civium immunitatibus excidebant, & ab omnibus publicis muneribus arcebantur, teste Cœlio Rhodigino *Lect. Antiq. lib.* XXI. *cap.* XL.

Pœnas in adulteros statutas sigillatim recensere infinitum foret opus; idcirco antequam ad Atheniensium leges pergamus, prius ex Pausania *Bœoticis pag.* 597. 598. *Edit. Hanov.* notabimus primum, qui legem & pœnas in adulteros decrevit, fuisse quemdam Hyettum Argivum, qui Moluro Arisbæ filio, quem uxore sua familiarius utentem deprehenderat, interfecto ad Orchomenum Minyæ filium civitatis Bœotiæ cognominis Regem confugit: ab eo autem amice exceptus partem suorum dominiorum pro dono retulit, ubi pagum de suo nomine fecit Hyettum, & severas leges in adulterium tulit.

Apud Athenienses pœnæ in adulteros fuerunt arbitrariæ, quas pro sua sapientia statuere penes summum magistratum manebat auctoritas: unde Hippomenes vir Codri sanguine regio satus, & ex numero Archontum in filiam Limonem ejusque adulterum peregrinam tulit sententiam: ambos enim curru junxit, donec vir occubuisset; de-

inde filiam cum equo alligatam conclusit, fameque enecavit, juxta Heraclidem *de Polit. Athen.* Postea Draco, qui leges ponendi auctoritate indutus est, adulteros illorum potestati, qui eos in flagranti peccato deprehenderant, tradidit; permittebantur enim illos pro lubitu vel mutilare, vel occidere, vel quocumque alio modo vellent habere, nulla in illos inquisitione facta; quam pœnam antea statuerat Hyettus, juxta Pausaniam *Bœoticis*, Demosthenem *in Aristocratem*, & deinceps firmavit Solon, teste Plutarcho in *ejus Vita*, Lysia *Orat.* In hoc flagitium, quando per idoneos testes coram judice compertum fuit, plures alias pœnas decrevit Solon; qui liberam mulierem rapuerat, centum, qui vero illam circumduxerat, viginti, vel (juxta nonnullos) ducentis drachmis mulctabatur, quia gravius crimen censebatur mulieris animum, quam corpus, violare; nec familiæ & marito tantum intulisse damnum putabatur, qui fœminam vi compressit, quantum qui ejus animum a marito alienavit; qui autem virgini liberæ vim intulerat, mille drachmas pendebat, eamque qui stupraverat, uxorem ducere cogebatur: unde quemdam, qui virginem compresserat, ejus patrem sic alloquentem inducit Plautus in *Aulularia Act.* IV. *Scen.* X.

Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam,
Ut mihi ignoscas, eamque uxorem des, ut leges jubent.

Quando virgo, aut ejus mater, a mœcho dona acceperat, eam sibi adjungere uxorem non tenebatur, quandoquidem pro publico scorto traducebatur; hinc de filia jam vitiata sic loquitur Sostrata apud Terentium *Adelphis Act.* III. *Scen.* II.

Pejore res loco non potis est esse, quam in hoc, quo nunc sita est;
Primum indotata est, tum præterea, quæ secunda ei dos erat,
Periit, pro virgine dari nuptum non potest: hoc relliquum est,
Si inficias ibit, testis mecum est annulus, quem amiserat:
Postremo, quando ego conscia mi sum, a me culpam esse hanc procul, nec
Pretium, neque rem ullam intercesse illa aut me indignam; experiar Geta.

Quod si quis adulterii suspectus in custodia habebatur, licebat supplicem libellum Thesmothetis offerre, ut coram judicibus se purgaret; ubi, si innocens fuisse appareret, dimittebatur. Quod si damnatus esset, qui ad judices provocabat, pro arbitrio in eum animadvertebant, excepta tamen capitis pœna. Vid. Demosthenes *in Neæram*. Fuit & aliud pœnæ genus in adulteros decretæ, quæ dicebatur, parte posita pro toto, παρατιλμὸς vel ῥαφανίδωσις, quando nimirum membri virilis pilis avulsis, cineribus ardentibus pars ista adspergebatur, & rapum, vel mullus, aut quidvis simile in anum adulterorum intrudebatur, unde in posterum λεύπρωκτοι dicebantur. Hujus moris meminit Juvenalis *Sat.* X. *vers.* 317.

—— *quosdam mœchos & mugilis intrat.*

Soli autem pauperes eum in morem habebantur, dum ditioribus pecunia pœnam redimere licebat, juxta Aristophanis Scholiastem in *Nubibus*. Unde in Aristophanis *Pluto Act.* I. *Scen.* II. Chremylus Paupertati id objicit:

Ο δ' ἀλὺς γε μοιχὸς διὰ σέ πως παρατίλλεται.
Hic autem deprehensus adulter propter te vulsuram patitur.

Nam οἱ πλούσιοι χρήματα παρέχοντες ἀπελύοντο, *divites opibus datis liberabantur*, inquit Scholiastes *in hunc locum*.

Tanta severitate, quanta in viros, in mulieres animadvertebatur; qui enim, juxta Plutarchum, sororem aut filiam suam innuptam in flagitio deprehenderat, per Solonis leges eam in servitutem vendere permittebantur; adulteris, quando detectis, pretiosas vestes gestare non amplius licebat; quando autem nitide ornatæ in publicum prodire sustinebant, penes quemvis obvium erat vestimenta dilacerare, imo ipsas verberibus excipere, dummodo a cæde abstinerent, & ne illas membrorum impotes redderent, caverent; pari modo illas habere licebat, quando in templis deprehensas, quæ a tam turpium & abominandarum mulierum præsentia pollui credebantur. Tandem viris, licet invitis, earum consortio pœna ignominiæ sancita omnino interdicebatur, secundum Demosthenem *Orat. in Neæram*: qui vero mulieres prostituebant, morti addicebantur. Vide *Leges Atticas lib.* I. *c.* XXVI. *col.* 120.

Audivimus, quid Græci de adulterio statuerint, de pellicatu autem melius sensisse patet, cum ubique permitteretur, idque absque offendiculo, pellices, quotquot liberet, assumere; hæ appellatæ παλλακίδες, plerumque mulieres bello captæ, aut argento emptæ, semperque inferiores legitimis uxoribus, quæ dote, amplissima cognatione, aut quadam alia re præcellebant; istarum frequens mentio fit apud Homerum; Achilli erat sua Briseis, eaque absente Diomede, Patroclo Iphis, Menelao, Agamemnoni, & (ne plures recenseam) sapientissimis, gravissimis, ac antiquissimis illorum omnium, quale Phœnix & Nestor, erant suæ uxores. Nec mirum, Ethnicos in hasce libidines ruisse, cum Judæi, iique inter eos maxima pietate insignes, ut Abrahamus & David, in eadem licentia vixerint. Imo Græcæ uxores licentiam maritorum suorum semper ægre tulerunt, quippe ex illa privilegiis suis aliquid detrahebatur; unde Laertes apud Homerum *Odyss.* α. *v.* 433. licet Eurycleam ipsius mancipium vehementer observaret, tamen ex metu animi iniqui uxoris secum in lectum nunquam admisit:

Ἶσα δέ μιν κεδνῇ ἀλόχῳ, τίεν ἐν μεγάροισιν,
Εὐνῇ δ' οὔποτ' ἔμικτο, χόλον δ' ἀλέεινε γυναικός.
Perinde autem ipsam ac pudicam uxorem honorabat in ædibus,
Lecto vero nunquam commixtus est, iram namque fugiebat uxoris.

Phœnix a matre impellitur ad vitiandam patris pellicem, ut a rivali tam importuna eam liberaret; quemadmodum ab ipso narratur apud Homerum *Iliad.* ι. *vers.* 447.

—— λίπον Ἑλλάδα καλλιγύναικα,
Φεύγων νείκεα πατρὸς Ἀμύντορος Ὀρμενίδαο,
Ὅς μοι παλλακίδος περιχώσατο καλλικόμοιο,
Τὴν αὐτὸς φιλέεσκεν, ἀτιμάζεσκε δ' ἄκοιτιν,
Μητέρ' ἐμήν· ἡ δ' αἰὲν ἐμὲ λισσέσκετο γούνων
Παλλακίδι προμιγῆναι, ἵν' ἐχθήρειε γέροντα·
Τῇ πιθόμην, καὶ ἔρεξα. ——

—— *liqui Græciam pulchris mulieribus abundantem,*
Fugiens jurgia patris Amyntoris Ormenidæ,
Qui mihi de pellice irascebatur pulchras comas habente,
Quam ipse diligebat, & ignominia afficiebat uxorem,

Matrem meam: hæc autem semper me supplex A
orabat prehensis *genibus*,
Ut pellici miscerer, ut odio haberem senem:
Huic parui, & feci. ——

Pluribus exemplis id confirmari posset, verum illud Clytæmnestræ subjicere sufficiet, quæ, occiso marito suo Agamemnone, Cassandram ipsius pellicem ultioni mactavit; hinc Seneca eam inducit proferentem hæc verba in *Agamemnone Act.* V. *vers.* 135.

At ista pœnas capite persolvat suo
Captiva conjux, regii pellex tori;
Trahite, ut sequatur conjugem ereptum mihi.

Meretrices pellicibus non minus vulgares erant, B cum in plerisque Græciæ Rebuspublicis aliisve tolerarentur; nec cum illis rem habere contrarium optimis moribus credebatur; unde Latinus Comicus, de Athenis loquens, ait:

Non esse flagitium scortari hominem adolescentulum.

Prudentissimi Ethnicorum Sapientum idem sentiebant; a Solone enim permissum prostibulis, ut palam adirent eos, qui mercede illas conducebant, & ab eo incitati Athenienses adolescentes ad libidinem cum illis exsaturandam, ne quidquam in uxores filiasque suorum civium molirentur; hujusce Legislatoris mentem eleganter expressit Philemon in sequenti fragmento *Delphis* apud Athenæum *Deipnosoph. lib.* XIII. C

Εὖ δ' εἰς ἅπαντας εὗρες ἀνθρώπους, Σόλων·
Σὲ γὰρ λέγουσι τοῦτ' ἰδεῖν πρῶτον βροτῶν,
Δημοτικὸν, ὦ Ζεῦ, πρᾶγμα καὶ σωτήριον,
(Καί μοι λέγειν τοῦτ' ἐστὶν ἁρμοστὸν, Σόλων)
Μεστὴν ὁρῶντα τὴν πόλιν νεωτέρων,
Τούτους τ' ἔχοντας τὴν ἀναγκαίαν φύσιν,
Ἁμαρτάνοντάς τ' εἰς ὃ μὴ προσῆκον ἦν,
Στῆσαι πριάμενον γυναῖκας κατὰ τόπους
Κοινὰς ἅπασι καὶ κατεσκευασμένας·
Ἑστᾶσι γυμναὶ, μὴ ξαπατηθῇς πάνθ' ὅρα· D
Οὐκ εὖ σεαυτοῦ τυγχάνεις ἔχων; ἔχεις
Πῶς ἡ θύρα σοι ἐστὶν ἀνεῳγμένη·
Εἷς ὀβολὸς, εἰσπήδησον· οὐκ ἔστ' οὐδεὶς
Ἀκκισμὸς, οὐδὲ λῆρος, οὐδ' ὑφαρπαγή·
Ἀλλ' εὐθὺς, ὡς βούλει σὺ, καὶ συχνὸν τρόπον·
Ἐξῆλθες; οἰμώζειν λέγ', ἀλλοτρία 'στί σοι.

In omnes beneficus, o Solon, fuisti:
Hoc enim primum te vidisse ajunt,
Quod, o summme Jupiter, populare valde & salutare fuit,
Et (quod mihi fas sit dicere) magnopere tum expediebat, E
Cum frequentem juvenibus civitatem esse tum animadverteret,
Qui necessariis legibus naturæ obsequerentur,
Et multa, ubi parum conveniebat, delinquerent,
Emptitias mulieres statuisse quibusdam in locis
Omnibus communes & apparatas:
Stant nudæ, ne te fallant, despice omnia:
Nonne tu mentis compos es? si voles, habes:
Accede: tibi quidem fores patent:
Obolum numera, prosili & abi: nulla
Earum ficta est simulataque recusatio, nullæ nugæ, non illæ se subtrahunt,
Si placet, statim complectere, & quo voles modo: F
Existi? mandato laqueum, alienæ quid ad uxores?

In eadem erat sententia Cato Censor Romanus, quemadmodum ex historia omnibus nota manifestum fit, nempe, cum ei se obtulisset juvenis quidam Eques Romanus exiens ex publico lupanari, jussit eum illic libidini se dedere, ut legimus in Horatio *Serm. lib.* 1. *sat.* II. *v.* 31.

Quidam notus homo cum exiret fornice, Macte
Virtute esto, inquit, sententia dia Catonis;
Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes æquum est descendere. ——

Cæteris exemplis recensendis supersedebo, cum testimonio Ciceronis *Orat. pro M. Cœlio* satis superque confirmentur quæ diximus; sic enim ille: *Verum si quis est, qui etiam meretricis amoribus interdictum juventuti putet: est ille quidem valde severus: negare non possum: sed abhorret non modo ab hujus sæculi licentia, verum etiam a majorum consuetudine, atque concessis; quando enim hoc non factum est? quando reprehensum? quando non permissum? quando denique fuit, ut, quod licet, non liceret?* Nec mirandum, Ethnicos illam licentiam sibi permisisse, cum Judæi fas esse putaverint; ipsis quidem interdictum fuit mœchari, imo stuprum vetitum variis pœnis propositis; sed hæc (ut observatur a Grotio *in Matth. c.* V. *vers.* 3. 4.) respicere solas uxores suæ gentis credebantur, nec ipsorum legibus ad exteras extendebantur; sicque prostibula apud ipsos palam permittebantur, ac mulieres illic commorantes in tutela & præsidio magistratuum latebant, prout liquet ex duabus meretricibus, quæ de puerulo contenderunt, earumque causa a Rege Salomone in publico foro cognita fuit 1. *Reg. c.* III. *v.* 16. verum Judæis mulieribus toto corpore se prostituere non licebat, ideoque peregrinis seu extraneis fœminis nonnunquam intelliguntur meretrices, ut quando Salomo suum filium hortatur *ad amplectendum sapientiam atque prudentiam, ut custodiant eum a muliere extranea, & a peregrina, quæ verbis suis blanditur, Proverb. c.* VII. *v.* 4. 5. & ad illum muniendum adversus meretricum blandimenta sic alloquitur *Proverb. c.* V. *v.* 3. 4. *Favum stillant labia alienæ, & guttur ejus blandius est quam oleum; postrema vero ejus amara sunt velut absinthium, & acuta ceu gladius biceps.* Hac in re, ut & in pluribus aliis, conveniebant Athenienses cum Judæis; nam, licet multifariam animadverteretur in eos, qui mulieres jure civium Atticarum gaudentes vitiarant, attamen extraneis fas erat ganea publica habere, & hac de causa apud ipsos æque ac Judæos meretrices appellabantur ξέναι sive *peregrinæ* mulieres. Verum hæc vaga libido non tam probata, & prorsus inculpata fuisse, quam metu gravioris mali tolerata, videtur. Nam qui temperabant ab hujusmodi voluptatibus, laudem, cæteri veniam habebant; hinc Simo Terentianus, cum narrasset Pamphilum suum a meretrice quadam abstinuisse, addit in *Andria Act.* 1. *Scen.* 1. *vers.* 69.

Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.

Priscis sæculis non æque ac posterioribus verecundiam exuerant meretrices; nunquam enim recto vultu foras prodibant, sed, pro more cæterarum fœminarum, velo seu oscillo faciem obtegebant: nec, juxta nonnullos, intra civitates se prostituere fas erat, ut ex Chrysippo notat Grotius *in Matth. cap.* V. *vers.* 27. quæ consuetudo orta videtur ex populis orientalibus; *Thamar* enim *Genes. cap.* XXXVIII. *vers.* 15. quando ad instar meretricis videri vellet, *obtexit se peplo, & consedit in propatulo ab bivium qua itur ad*

Timnath: sed forsitan ibi sedens in animo tantum habebat obviam fieri Judæ seu filio suo, quem ad suos amplexus sollicitare cuperet: verumtamen recentioribus sæculis, quando intra urbes manere meretricibus omnino concessum, ad vias regias ceu locos frequentissimos stare solebant; Salomone regnante, frequentabant civitates; loquens enim de meretrice *Proverb. cap.* VII. *vers.* II. inquit, *Et ecce occurrebat ei mulier ornatu meretricio, cauta corde; hæc sterpera erat & inconstans; cujus pedes domi consistere nesciunt; nunc foris erat, nunc in plateis, ad omnem angulum insidias struens.* Imo paucis sæculis interjectis, quando urbes incolere æque ac tempore Salomonis ipsis licitum fuerit, frequentes veniebant in loca extra illas celeberrima, cujusmodi viæ publicæ, præsertim compita, ibique tentatoria figebant, in quibus commorabantur ad mœchos excipiendos; hinc (cæteris exemplis prætermissis) ista Ezechielis verba *cap.* XVI. *vers.* 25. *In omni compito ædificasti tibi excelsum tuum, & abominandam reddidisti pulchritudinem tuam, divaricasti pedes tuos omni prætereunti, & multiplicasti scortationes tuas.* Rursus *ibid. vers.* 31. *Fabricasti fornicem tuum in capite omnis viæ, & excelsum tuum fecisti in omni platea.* Quinetiam meretricibus Atheniensibus solenne fuit, ut quotidianos haberent concursus apud Ceramicum, Scirum, & Forum vetus, in quo Veneris πανδήμυ ædes erat a Solone concessa, in qua publice prostarent. Denique, ne diutius rei notissimæ immorer, copiam sui faciebant in foro quodam juxta portum in ea Piræei parte, quam στοὰν μακρὰν, *porticum longam*, vocabant; nam illius partes recenset Pollux, δεῖγμα, ἐμπόριον· ἐμπορίυ ᾗ μέρη, καπηλεῖα, ϗ πορνεῖα. Et in cæteris portubus, quo nautarum advenarumq; numerus ingens confluebant, meretrices prostabant.

Nonnullis in locis meretrices ab honestis mulieribus vestitu distinguebantur; unde Salomonis verba *Proverb. cap.* VII. *vers.* 10. *Ei occurrit mulier in habitu meretricis & acuti ingenii.* Qualis fuerit illa vestis, incertum est: si autem hac in re, ut innumeris aliis in rebus, mores a Judæis hauserint, colligere licet vestes floribus interstinctas gestasse earum meretrices: quia enim illius gentis Legislator consentaneum duxit, ut honestæ mulieres a pellicibus quadam certa & visibili nota discriminarentur, idcirco sancivit ut illæ gravi & modesta, hæ vero floribus conspersa veste in publicum prodirent. Clemens Alexan. *Pædag. lib.* III. *cap.* II. Ως τὸν δραπέτην τὰ στίγματα, ὕτω τὴν μοιχαλίδα δείκνυσι τὰ ἀνθίσματα. *Veluti servum fugitivum stigmata, sic meretricem floridæ vestes arguunt.* Quam legem suis etiam Locrensibus posuit Zaleucus, ut auctor est Diodorus Siculus: eademque apud Syracusanos obtinuit, teste Phylarcho apud Athenæum *Deipnosoph. lib.* XII. Quamvis enim tolerabantur a Legislatoribus meretrices, ipsæ tamen plerumque infames, nec nisi e captivorum servorumque genere oriundæ. Unde decretum fuisse Athenis legimus, ut illicitum esset a ludis solennibus pellici nomen imponere; dehonestari enim putabant nomina rebus vilibus applicata, ut prius observatum fuit, ubi *de servis* egimus: hinc Athenæus mirari se profitetur, quo pacto evenerit ut *Nemeæ* meretrici a *Nemeis* ludis nomen imponeretur: Κεκώλυται γὰρ τὰ τοιαῦτα τίθεσθαι ὀνόματα ὐ μόνον ταῖς ἑταιρύσαις, ἀλλὰ ϗ ταῖς ἄλλαις δύλαις, ὥς φησι Πολέμων ἐν τοῖς περὶ Ακροπόλεως. *Probibitum enim fuit hujus nomina non modo meretricibus, sed etiam aliis servis imponere, ut tradit Polemo de Arce Atheniensi.*

Corinthus celebre fuit meretricum seminarium; quandoquidem in illa civitate templum Veneri di-
A catum est, in quo, ut Deæ gratiam inirent, formosas puellas consecrare solebant, quæ in posterum hoc in templo alebantur, & pro mercede sua corpora prostituebant; millenas simul ibi fuisse tradit Strabo *lib.* VIII. Hinc κορινθιάζειν est fornicari, Hesychius exponit μαστροπεύειν, ἑταιρεύειν. Similem sensum habent λεσβιᾶν & λεσβιάζειν, item φοινικίζειν, quod Lesbii & Phœnices Veneri intemperanter dediti fuerint; λεσβιάσαι autem peculiariter dici solet de impuris osculis, ut ex eodem discimus, λεσβιάζειν· πρὸς ἄνδρα στοματεύειν· λεσβιάδας γὰρ τὰς λαικαστρίας ἔλεγον. Verum ad Corinthias redeo: fuerunt autem meretricum no-
B bilius genus, quia eo solos, qui amplam pecuniam summam eis largiri poterant, in ulnas excipiebant, prout nos docet Aristophanes *Pluto Act.* 1. *Scen.* II.

Καὶ τάς γ' ἑταίρας φασὶ τὰς Κορινθίας,
Οταν μεὸ αὐτάς τις πένης ὢν τύχῃ,
Οὐδὲ προσέχειν τὸν νῦν· ἐὰν δὲ πλούσιος,
Τὸν πρωκτὸν αὐτὰς εὐθὺς ὡς τῦτον τρέπειν.
Etiam meretriculas ajunt Corinthias,
Si quando eas quidam pauper offenderit,
Nullam rationem ejus habere: si vero dives,
Ipsas statim ei facere copiam sui.

C Unde natum est proverbium:

Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλῦς.

Quod Horatius sic reddidit:

Non cuivis hominum contingit adire Corinthum.

Nonnulli id tribuunt celebri illi scorto Lai Corinthiæ, alii vero alias hujus proverbii reddunt causas. Tanto autem lucro eis fuit ars illa meretricia, ut quæ corporis & animi dotibus ditatæ erant, amplas divitias paraverint: cujus rei insigne exemplum exstat Phryne, quæ Thebanis obtulit illo-
D rum civitatis mœnia, quæ diruerat Alexander, se suis sumptibus instaurare velle, dummodo iis insculpere hanc inscriptionem non dedignarentur:

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΝΕΣΚΑΨΕΝ ΑΝΕΣΤΗΣΕ ΔΕ ΦΡΥΝΗ Η ΕΤΑΙΡΑ.
ALEXANDER DIRUIT, INSTAURAVIT PHRYNE AMICA.

Ut illarum consortio magis oblectarentur viri animi dotibus & genere clari, horas otiosas in Matheseos aliarumque scientiarum studio insumere, eaque de causa Philosophorum gymnasia & con-
E fessus frequentare solebant, & μέγα ἐφρόνυν ἐφ' ἑαυταῖς, παιδείας ἀντεχόμεναι, ϗ τοῖς μαθήμασι χρόνον ἐπιμερίζυσαι, διόπερ ϗ εὔθικτοι πρὸς τὰς ἀπαντήσεις ἦσαν, *magna spirabant, quod operam darent humanioribus litteris, & mathematicis disciplinis temporis non nihil impenderent, quarum scientia fierent in colloquiis virorum acutiores.* Athenæus *Deipnosoph. lib.* XIII. fine *cap.* V. Aspasia Periclis dilecta amasia, cum Socrate versari solita, ad tantam eruditionem pervenit, ut ob Rhetorices peritiam miramque facundiam frequentes eam convenerint Athenienses; imo ex illis, qui gravitati &
F rebus seriis maxime studebant, eo uxores ad lectionem ducebant, ut ex ejus confabulatione proficerent; Pericles ipse in Reipublicæ regimine ejus consilio utebatur; eoque mortuo quidam Lysicles rusticus & væsanus tenebrio ex ejus familiari consuetudine ita profecit, ut unus ex principibus viris Athenis fieret, juxta Plutarchum in *Pericle:* plura hujusmodi exempla occurrunt apud Auctores, ut illud Archianassæ Colophoniæ Platonis amasiæ; aliud Herpyllidis, quæ Aristotele usque ad mortem familiariter usa est, eique peperit filium

nomine Nicomachum; denique (ut alia prætermittam) Leontii, quæ Epicuri hortos frequenter adibat, ubi Philosophis, præsertim Epicuro, suum corpus prostituebat, teste Athenæo *Deipnosoph. lib.* XIII.

CAP. XIII.

De mulierum arcta coercitione & occupatione.

BArbari populi, præsertim Persæ, inquit Plutarchus in *Themistocle*, erga suas mulieres, tum uxores, tum servas & pellices, vulgo zelotypos, austeros, & morosos se præstabant: tam arcte enim custodiebantur, ut nemini extra suam familiam eas videre liceret: quando domi erant, recludebantur; quando vero peregre ibant, in rhedis aut curribus undique clausis vehebantur: sic, inquit Auctor noster, vectus est Themistocles, dum in Persiam fugiebat, ut nemini innotesceret; qui autem vecturam ducebant, juvenem matronam Græcam ex Ionia ad nobilem virum in aula agentem se convehere omnibus obviis & in itinere interpellatis dicebant.

Ex iis, quæ differit Plutarchus, colligere licet tum ipsum, tum cæteros Græcos improbasse illam severitatem, quæ apud barbaras gentes in mulieres exercebatur; licet autem Persis remissiores fuerint, tamen mulieres sub severam disciplinam miserunt; ipsi vero Romani tanto mitius Græcis, quanto Græci barbaris, mulieres habebant; quandoquidem Romanæ uxores publicis conviviis interesse, & cum convivis conversari permittebantur; imo optima ædium cubicula iis largiebantur viri, dum Græcæ raro vel nunquam in alienum consortium prodibant, sed in penetralibus domus delitescebant, juxta Cornelium Nepotem *Præfat. in vitas excell. Imperatorum.*

Eapropter apud Græcos domus in duas partes dividebantur, in quibus viri & mulieres distincta domicilia tenebant: pars viris addicta ad domus januam sita erat, dicebaturque ἀνδρὼν vel ἀνδρωνίτις: pars vero, quam mulieres incolebant, vocabatur γυναικὼν, γυναικωνίτης vel γυναικωνίτις, extrema autem in domo, & pone τὴν αὐλὴν, cui præposita erant πρόδομος & προαύλιον, fuit: seorsim & a filiabus, quæ in remotissima ædium parte habitabant, segregati collocantur Primi filii apud Homerum *Iliad.* ζ. *vers.* 242.

Αλλ' ὅτε δὴ Πριάμοιο δόμον περικαλλέ' ἵκανε,
Ξεστῇσ' αἰθούσῃσι τετυγμένον, αὐτὰρ ἐν αὐτῷ
Πεντήκοντ' ἔνεσαν θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο,
Πλησίοι ἀλλήλων δεδμημένοι· ἔνθα δὲ παῖδες
Κοιμῶντο Πριάμοιο παρὰ μνηστῇς ἀλόχοισι·
Κουράων δ' ἑτέρωθεν ἐναντίοι ἔνδοθεν αὐλῆς
Δώδεκ' ἔσαν τέγεοι θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο,
Πλησίοι ἀλλήλων δεδμημένοι. ——
Sed quando jam Priami domum perpulchram pervenerat,
Fabrefactis porticibus exstructam, in ea autem
Quinquaginta inerant thalami polito lapide,
Prope se invicem ædificati: ubi scilicet filii
Cubabant Priami apud legitimas uxores:
Filiarum autem e regione oppositi intra atrium
Duodecim erant sub tecto thalami polito lapide,
Prope se invicem ædificati. ——

Quo in loco observatu dignum est, mulierum cubicula dici τεγέους θαλάμους, quia in supremis ædibus fuerunt; mulieres enim vulgo habitabant summa cubicula, (prout Eustathius *in hunc locum pag.* 409. *Edit. Basil.* notat) ut ab omni sodalitio secluderentur; unde in altissima parte domus fuisse dicitur Helenæ cubiculum *Iliad.* γ'. *vers.* 423.

Η δ' εἰς ὑψόροφον θάλαμον κίε δῖα γυναικῶν.
Ipsa autem in altum thalamum adscendit nobilissima mulierum.

Penelope diversata est in simili cubiculo, quo ope κλίμακος adscendebat, prout testatur idem Poeta *Odyss.* ά. *vers.* 330.

Κλίμακα δ' ὑψηλὴν κατεβήσατο οἷο δόμοιο.
Cochleam vero altam descendit suæ domus.

Κλίμαξ quidem *gradus* significat, sed hoc in loco nil obstat quin pro scala sumatur, quæ illis temporibus, quando Architectura hominibus parum innotuerat, in usu fuit; quocirca scalam ei porrigere custodem jubet Antigone apud Euripidem *Phœnissis vers.* 103.

Ορεγε νῦν, ὄρεγε γεραιὰν
Νέᾳ χεῖρ' ἀπὸ κλιμάκων,
Ποδὸς ἴχνος ἐπαντέλλων.
Porrige nunc, porrige senilem
Juveni manum de gradibus,
Sublevans vestigium pedis.

Hæc cubicula sæpius, præsertim Lacedæmone, dicebantur ᾠὰ, ὠϊὰ, vel ὑπερῷα: quia autem ista vocabula tantum accentibus (quorum usus veteribus Græcis ignotus fuisse videtur) ab ᾠὰ, *ova* distinguuntur, ex homonymia vocum, (prout opinantur nonnulli) fabularum inventores commenti sunt Castorem, Pollucem, Helenam, & Clytæmnestram ex ovis nasci, quia in illis summis cubiculis nati sunt.

Mulieres intra domicilia arcte claudebantur, præsertim virgines & viduæ, apud Harpocrationem: illæ autem majore cum severitate custodiebantur, quia inexpertiores: earum habitaculum dicebatur παρθενὼν, serrisque & pessulis firmabatur; unde Agamemnon Clytæmnestram domum ire jubens, ut virgines, quæ domi solæ minime relinquendæ erant, inspiceret, responsum accepit, apud Euripidem *Iphigenia in Aulide vers.* 738.

Οχυροῖσι παρθενῶσι φρουροῦνται καλῶς.
Bene custodiuntur firmis gynæceis.

Quandoque ita arcte recludebantur, ut ex una parte domus in alteram migrare, nisi venia impetrata, iis minime liceret: quocirca etsi Antigone a matre copiam consecuta fuisset ad supremam domum adscendendi, unde Argivum exercitum, qui Thebas obsidebat, despiceret; tamen ejus custos viam prius explorat, ne ab ullo conspiceretur, quia ejus pudicitia & fides vituperari possent: verba, quibus senex ad illam juvenem Principissam utitur, sic sonant apud Euripidem *Phœnissis vers.* 88.

Ω κλεινὸν οἴκοις, Αντιγόνη, θάλος πατρὶ,
Επεί σε μήτηρ παρθενῶνας ἐκλιπεῖν
Μεθῆκε, μελάθρον δ' ἐς διήρες ἔσχατον
Στράτευμ' ἰδεῖν Αργεῖον, ἱκεσίαισι σαῖς,
Επίσχες, ὡς ἂν προὐξερευνήσω στίβον,
Μή τις πολιτῶν ἐν τρίβῳ φαντάζεται,
Κἀμοὶ μὲν ἔλθοι φαῦλος ὡς δούλῳ ψόγος,
Σοὶ δ' ὡς ἀνάσσῃ. ——
O Antigone, egregium germen patris in domo,
Postquam te mater gynæceum relinquere
Permisit, & in extremam contignationem domus adscendisti,
Ut videas exercitum Argivorum, propter preces tuas,
Expecta, donec investigavero viam,
Ne quis civium in via appareat,

Et mihi ut servo veniat mala reprehensio,
Tibique tanquam regina. ——

Recenter nuptæ mulieres tam stricte ac ipsæ virgines custodiebantur: Hermionem severe reprehendit vetula quædam ejus custos, quia extra fores prodierat; hac enim licentia utendo ejus pudicitia in magnum discrimen adducebatur, teste Euripide in *Andromache vers.* 876.

Αλλ' εἴσιθ' εἴσω, μηδὲ φαντάζου δόμων
Πάροιθε τῶνδε, μή τιν' αἰσχύνην λάβῃς,
Πρόσθεν μελάθρων τῶν δ' ὁρωμένη, τέκνον.
Sed vade intro, neque appareas ædes
Ante has, ne quod dedecus accipias,
Conspecta ante hanc aulam, o filia.

Menander ab Stobæo *Serm.* CXCIII. citatus non vult, ut mulier nupta extra fores *τῆς αὐλῆς* prodeat, & quamdam, eo quod hos limites transgressa fuerat, increpat;

Τοὺς τῶν γαμετῶν ὅρους ὑπερβαίνεις, γύναι,
Διὰ τὴν αὐλάν· πέρας γὰρ αὔλιος θύρα
Ελευθέρᾳ γυναικὶ νενόμιστ' οἰκίας.
Excedis, o mulier, limites nuptarum
Per atrium: nam vestibuli fores ultra
Domum esse ab ingenua muliere existimantur.

Sed quando puerperæ erant, non tam arcte recludebantur, unde *μήτηρ*, *mater*, juxta nonnullos fit *ἀπὸ τοῦ μὴ τηρεῖσθαι*, *quia non amplius servabatur*, secundum *Etymologici* Auctorem: tamen libertas, qua tum gaudebant, virorum bonæ indoli omnino debebatur, qui enim zelotypia laborabant, in carceribus uxores in perpetuum detinebant; quocirca de severitate, quæ in mulieres Athenienses usurpabatur, conqueritur quædam mulier apud Aristophanem *Thesmophor. pag.* 774. *Edit. Amstelod.*

—— *ταῖς γυναικωνίτισιν*
Σφραγῖδας ἐπιβάλλουσιν ἤδη, καὶ μοχλοὺς,
Τηροῦντες ἡμᾶς, καὶ προσέτι μολοττικοὺς
Τρέφουσι, μορμολύκεια τοῖς μοιχοῖς, κύνας.
—— *muliebribus cubiculis*
Sigilla apponunt jam, & pessulos,
Observantes nos, & insuper molossos
Alunt, terriculamenta adulteris, canes.

Quidquid autem uxoribus indulserint viri, tamen eas non decebat foras discursitare; unde orta tot proverbia, in quibus ad mulierum officium alluditur, ipsæque domi manare monentur; cujusmodi illud, quod ex Euripide adducit Eustathius *Iliad. ἑ. pag.* 429. *Edit. Basil.*

Ενδον γυναικῶν καὶ παρ' οἰκέταις λόγος.
Domi & inter domesticos mulierum sermo.

Eodem redit Phidiæ emblema apud Plutarchum *de Præcept. Connub.* Venerem testudini, quæ suum domicilium in dorso circumfert, insistentem exhibens.

Quum foras ibant, aut in publicum prodibant, faciem velabant: sic solebat Penelope, quando in consortium juvenum procorum, qui eam ambibant, de cubiculo descendebat *Odyss. σ. vers.* 208.

Η δ', ὅτε δὴ μνηστῆρας ἀφίκετο δῖα γυναικῶν,
Στῆ ῥα παρὰ σταθμὸν τέγεος πύκα ποιητοῖο,
Αντα παρειάων σχομένη λιπαρὰ κρήδεμνα.
Hæc autem, quando jam ad procos venit pulcherrima mulierum,
Stetit in limine domus ornate factæ,
Ante genas habens mollia vela.

Velum autem ita tenue fuisse, ut per illud perspicere licuerit, patet ex verbis Iphigeniæ apud Euripidem *Iphigenia Taurica vers.* 372.

Εγὼ δὲ λεπτῶν ὄμμα διὰ καλυμμάτων
Εχουσ', ἀδελφὸν τοῦτον εἰλόμην χεροῖν,
Ος νῦν ὄλωλεν. ——
Ego vero tenuia per velamina oculos
Conjiciens, fratrem hunc cepi manibus,
Qui nunc periit. ——

Solon Atheniensis, ut adimeret fœminis omnem peccandi opportunitatem, lege cavit ne qua uxor, vel matrona (virgines arctius custodiebantur, etsi nulla esset lex) foras proficiscens, plures quam stolas, neque plus cibi aut potus quam obolo emi posset, neque calathum cubitali majorem secum efferret: neque iter noctu faceret, nisi curru veheretur prælucente lucerna. Vid. Plutarchus in *Solone*. Postea Philippides sanxit, ne qua mulier inornatius in publicum prodiret sub pœna mille drachmarum: quæ lex ut religiose observaretur, curabant magistratus quidam *γυναικονόμοι* & *γυναικοκόσμοι* dicti; mulctæ, quæ delinquentibus irrogabantur, apud platanum in Ceramico legendæ omnibus exponebantur. Vid. Eustathius *Iliad. κ'.* Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX. Hesychius *Voc.* *Πλάτανος*, Athenæus *Deipnosoph. lib.* VI. *cap.* XI. Iis & vulgo aderant comites: sic Penelope binæ ancillæ præsto erant *Odyss. σ'. vers.* 206.

Ως φαμένη κατέβαιν' ὑπερώϊα σιγαλόεντα,
Οὐκ οἴη, ἅμα τῇ γε καὶ ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο.
Sic loquuta descendit cœnacula splendida,
Non sola, simul hanc & famulæ duæ sequebantur.

Mulieres autem ætate & gravitate provectæ fuisse videntur; Homerus enim statim *ibid.* subjicit:

Αμφίπολος δ' ἄρα οἱ κεδνὴ ἑκάτερθε παρέστη.
Famula igitur ei prudens utrinque adstitit.

Nec foris tantum, sed & domi suis dominabus comites adjunctæ erant hæ mulieres, earumque educationi in tenera ætate prospiciebant; unde dictæ sunt *τροφοί*. Nec solis mulieribus mandata fuit hæc provincia; etenim in Euripidis *Tragœdia mox citata* Antigones custos dicitur vir quidam senior. Similiter curæ Eunuchorum, qui omnia ancillarum officia obibant, commissæ sunt mulieres: ii autem ab hominibus genere claris utplurimum alebantur; quamobrem amasiam sic alloquitur Phædria apud Terentium *Eunucho Act.* I. *Scen.* II.

—— *Eunuchum porro dixti velle te,*
Quia solæ utuntur his reginæ. ——

Eunuchorum usum (juxta Ammianum Marcellinum *Hist. lib.* XIV.) prima introduxit Semiramis: iis utebantur barbaræ gentes multo libentius ipsis Græcis, qui teste Philostrato *Vita Apollonii Thyanei lib.* I. *cap.* XXI. viros eum in morem mutilare pro immani crudelitate habebant: illud expresse vetuit Phocylides *Ποιήμ. νουθετ. vers.* 175.

Μηδ' αὖ παιδογόνον ποτὲ τέμνειν ἄρσενα κοῦρον.
Nec item generationi aptum puerum marem unquam exseca.

Ab antiquo pro simplicitate illorum temporum morum habebantur mulieres: aquam enim haurire, ovesque & vaccas & equos pascere assueve-

rant: nec pauperiores & ignobiliores solæ, sed & ditiores & nobiliores mulieres hujusmodi officiis vacabant; Rebecca, Bethuelis Abrahami fratris filia, hydria, quam ad fontem gestavit, aquam hausit *Genes. cap.* XXXIV. *vers.* 15. & Rachel Labanis filia patris oves custodivit *Gen. cap.* XXIX. *vers.* 6. similiter Zippora ejusque sex sorores patris Jethro, qui Princeps, vel (quod illis sæculis æque honoratum nomen censebatur) Sacerdos Madian fuit, greges pascebant *Exod. cap.* II. *vers.* 16. Idem traditur de Andromache Hectoris uxore apud Homerum *Iliad.* θ'. *vers.* 183. quo in loco equos suos sic alloquitur iste Heros:

Ξάνθε τε, καὶ σὺ Πόδαργε, καὶ Αἴθων, Λάμπε τε δῖε,
Νῦν μοι τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον, ἣν μάλα πολλὴν
Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος,
Ὑμῖν πὰρ προτέροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν,
Οἶνόν τ' ἐγκεράσασα πιεῖν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.
Xanthe que, & tu Podarge, & Æthon, Lampeque generose,
Nunc mihi alimentorum præmia rependite, quæ permulta
Andromache, filia magnanimi Eetionis,
Vobis prioribus suave triticum apposuit,
Vino etiam immixto ad bibendum quandocumque animus juberet.

Vide *Commentarium nostrum in Lycophronis Cassandram vers.* 91.

Nendo, texendo, & in omnigeno opere Phrygionico tempus plerumque insumebant mulieres; tot occurrunt hujusmodi exempla, quot hoc in loco recensere molestum foret; his enim operibus vacare iis tam solenne fuit, ut in plerisque ædibus, ubi plures habitabant mulieres, certa cubicula hos in usus destinata fuerint, quæ vel mulierum domiciliis vicina, vel ab iis non diversa fuerunt, quandoquidem Pollux, dum ædium cubicula recenset, memorato γυναικείῳ, illico subjungit, ἱστῶν θάλαμον, ταλασιουργὸν οἶκον, &c.

Pluribus aliis officiis vacabant mulieres: rei enim domesticæ prospicere solebant: sed ne illa sigillatim aggrediar, hoc unum in genere addam, mulieres diversimode habitas fuisse pro virorum aut custodum moribus, vel dote, vel loci aut temporis, in quibus agebant, consuetudine.

Lacedæmone mores a vicinis omnino diversos usurpabant mulieres: virgines enim facie detecta, nuptæ vero mulieres velata in publicum prodibant, quia illæ (prout cuidam hujus consuetudinis causam inquirenti respondit Charilus) viros quærebant, hæ vero hoc unum studebant, ut suos servarent, teste Plutarcho in *Apophthegmat. Laconicis*. Mulierum Spartanarum mores sequentibus verbis ample describit Plutarchus in *Lycurgo*: Τῆς δὲ παιδείας (ἣν μέγιστον ἡγεῖτο τοῦ νομοθέτου καὶ κάλλιστον ἔργον εἶναι) πόρρωθεν ἀρχόμενος, εὐθὺς ἐπεσκόπει τὰ περὶ τοὺς γάμους καὶ τὰς γενέσεις· οὐ γὰρ (ὥς Ἀριστοτέλης φησὶν) ἐπιχειρήσας σωφρονίζειν τὰς γυναῖκας, ἐπαύσατο μὴ κρατῶν τῆς πολλῆς ἀνέσεως καὶ γυναικοκρατείας, διὰ τὰς πολλὰς στρατείας τῶν ἀνδρῶν, ἐν αἷς ἠναγκάζοντο κυρίας ἀπολιπεῖν ἐκείνας· καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον τοῦ προσήκοντος αὐτὰς ἐθεράπευον καὶ δεσποίνας προσηγόρευον. Ἀλλὰ καὶ τούτων τὴν ἐνδεχομένην ἐπιμέλειαν ἐποιήσατο· τὰ μέντοι σώματα τῶν παρθένων δρόμοις καὶ πάλαις καὶ βολαῖς δίσκων καὶ ἀκοντίων διεπόνησεν, ὡς ἥ τε τῶν γενομένων ῥίζωσις ἰσχυρὰν ἐν ἰσχυροῖς σώμασιν ἀρχὴν λαβοῦσα βλαστάνοι βέλτιον, αὐταί τε μετὰ ῥώμης τοὺς τόκους ὑπομένουσαι καλῶς ἅμα καὶ ῥᾳδίως ἀγωνίζοιντο πρὸς τὰς ὠδῖνας. Ἀφελὼν δὲ θρύψιν καὶ σκιατροφίαν καὶ θηλύτητα πᾶσαν, οὐδὲν ἧττον εἴθισε τῶν κόρων τὰς κόρας γυμνάς τε πομπεύειν, καὶ πρὸς ἱεροῖς τισιν ὀρχεῖσθαι καὶ ᾄδειν τῶν νέων παρόντων καὶ θεωμένων. Ἔστι δὲ ὅτε καὶ σκώμματα λέ-

A γουσαι πρὸς ἕκαστον εὐχρήστως, ἐπελαμβάνοντο τῶν ἁμαρτανομένων, καὶ πάλιν εἰς τοὺς ἀξίους αὐτῶν ἐγκώμια μετ' ᾠδῆς πεποιημένα διεξιοῦσαι, φιλοτιμίαν πολλὴν καὶ ζῆλον ἐνεποίουν τοῖς νεανίσκοις· ὁ γὰρ ἐγκωμιασθεὶς ἐπ' ἀνδραγαθίαις, καὶ κλεινὸς ἐν ταῖς παρθένοις γεγονώς, ἀπῄει μεγαλυνόμενος ὑπὸ τῶν ἐπαίνων· αἱ δὲ μετὰ παιδιᾶς καὶ σκωμμάτων δήξεις οὐδὲν ἀμβλύτεραι τῶν μετὰ σπουδῆς νουθετημάτων ἦσαν· ἅτε δὴ πρὸς τὴν θέαν, ὁμοῦ τοῖς ἄλλοις πολίταις, καὶ βασιλέων καὶ τῶν γερόντων συμπορευομένων. Ἡ δὲ γύμνωσις τῶν παρθένων οὐδὲν αἰσχρὸν εἶχεν, αἰδοῦς μὲν παρούσης, ἀκρασίας δὲ ἀπούσης· ἀλλ' ἐθισμὸν ἀφελῆ καὶ ζῆλον εὐεξίας ἐνειργάζετο, καὶ φρονήματος τὸ θῆλυ παρέγευεν οὐκ ἀγεννοῦς,
B ὡς μηδὲν ἧττον αὐτῷ καὶ ἀρετῆς καὶ φιλοτιμίας μετουσίαν οὖσαν· ὅθεν αὐταῖς καὶ λέγειν ἐπῄει καὶ φρονεῖν οἷα καὶ περὶ Γοργοῦς ἱστόρηται τῆς Λεωνίδου γυναικός· εἰπούσης γάρ τινος (ὡς ἔοικε) ξένης πρὸς αὐτήν, ὡς μόναι τῶν ἀνδρῶν ἄρχετε ὑμεῖς αἱ Λάκαιναι· μόναι γὰρ (ἔφη) τίκτομεν ἄνδρας. Ἦν μὲν οὖν καὶ ταῦτα παρορμητικὰ πρὸς γάμον, λέγω δὲ τὰς πομπὰς τῶν παρθένων, καὶ τὰς ἀποδύσεις, καὶ τοὺς ἀγῶνας ἐν ὄψει τῶν νέων, ἀγομένων οὐ γεωμετρικαῖς, ἀλλ' ἐρωτικαῖς (ὥς φησιν ὁ Πλάτων) ἀνάγκαις. *Juventutis tyrocinii (quod maximum censebat & pulcherrimum esse legislatoris munus) altius exordium repetens, statim curam egit nuptiarum & liberorum procreandorum: neque enim (ut vult Aristo-*
C *teles) quum animum adjecisset componendis mulieribus, non potuit refrænare earum licentiam & auctoritatem, ob frequentes virorum expeditiones, per quas cogebantur liberum arbitrium relinquere illis: quamobrem plus satis eas colebant, dominasq; appellabant. Sed & his, quatenus habebat res facultatem, prospexit: corpora quidem virginum cursu, lucta, discorum & telorum jactu exercuit, ut & fœtus radix validum in valentibus corporibus exordium accipiens germinaret melius, atque illæ strenue partus excipientes bene & facile adversus puerperii dolores decertarent. Remotis autem deliciis, umbrati-*
D *li vita, mollitie omni fœminina, assuefecit juxta puellas atque adultos nudos in publico versari, certisque solennibus saltare & cantare assistentibus atque spectantibus juvenibus. Interim sales in quemq; festive jacientes, perstringebant peccantes, contra laudes in merentes carminibus composita recitantes, magno gloriæ & honestatis desiderio juvenes incendebant: cujus enim celebrata virtus fuerat, & qui inter virgines habebatur clarus, abibat elatus illis laudibus: facetiarum vero aculei & dicteriorum nihilo erant seriis castigationibus obtusiores: quod ad id spectaculum, simul cum cæteris civibus reges & senatores convenirent. Detectioni autem virginum*
E *nihil inerat obscœni, cum qua conjunctus rubor erat, aberatq; libido: sed simplicem assuetudinem & studium boni habitus conciliabat, gustumque fœminæ præbebat spirituum non inertium, quod societate nec ipsæ virtutis & gloriæ excluderentur: unde & dicere & gloriari non dubitabant, quæ de Gorgone Leonidæ uxore literis prodita sunt: quum mulier quædam peregrina scilicet diceret ei,* Solæ vos Lacænæ imperium in viros habetis: nempe solæ (*inquit*) parimus viros. *Et quanquam hi quoque ad nuptias erant stimuli, pompas dico virginum, vestium detractionem, & certamina, quæ in spectantibus*
F *adolescentibus peragebant, non geometricis, sed amatoriis (ut ait Plato) coactibus.*

Deinceps, quando Lycurgi leges in contemptum adductæ sunt, & a majorum severa virtute degeneres fuerunt Spartani, illorum mulieres male audiverunt, & libertate, quam iis indulserat Legislator, ad mala patranda abusæ sunt: ita ut earum lascivia & immodica libido a veteribus Scriptoribus carpantur, imo apud Euripidem a Plutarcho in *Numa* citatum nomine infami ἀνδρομανεῖς, id est, *virorum amore furentes*, inurantur.

CAP.

CAP. XXIV.

De consuetudinibus, quæ puerperium & infantulorum curam respiciunt.

QUI cupidine liberorum flagrabant, Diis, præsertim iis, qui generationi præesse credebantur, munera & sacrificia profundere solebant: Lectori non molestus ero in illorum Deorum nominibus & cultu sigillatim recensendis; sed ob servatu dignum est, certos Deos dictos τριτοπάτορας vel τριτοπατρεῖς ea de causa invocasse Athenienses; quinam illi fuerint, aut quænam nominis origo, non facile est definire; Orpheus a Phanodemo apud Suidam citatus Amaclidem, Protoclem, & Protocleontem vocatos fuisse, & ventis præfuisse contendit; Demo ipsos ventos facit; sed quid rei ventis illorumve dominis cum generatione fuerit, non bene percipio: eorum nomina Cottum, Briareum, & Gygem, necnon Οὐρανοῦ, & Γῆς, id est, *Cœli* & *Terræ*, filios fuisse tradit alius Scriptor in eodem Lexicographo; similiter Philochorus Tellurem eorum matrem facit, sed loco Cœli Solem aut Apollinem patrem substituit Eam autem ipsam causam reddere videtur, cur generationi præsidere crediti, & τριτοπάτορες vocati fuerint; quia enim a duobus Diis immortalibus nati fuerant, idcirco (inquit ille) τρίτοι πατέρες vel *tertii patres* dicti, & generis humani communes parentes existimati sunt, eademque de causa iis tanquam hominum procreationis auctoribus & præsidibus divinos honores tribuerunt Athenienses. Vide Suidam, *Etymologici* Auctorem, Phavorinum, Hesychium, &c.

Dea, quæ parturientibus aderat, vocabatur Εἰλείθυια aut Εἰλήθυια, aliquando Ἐλεύθω, ut exstat *Anthol. lib.* III. *cap.* XIII. *epigr.* IX.

—— μόχθον Ἐλευθοῦς
Ἐκφυγες. ——

—— *laborem Lucinæ*
Effugisti. ——

Apud Latinos dicitur *Lucina*: utraque a mulieribus eosdem honores refert, iisdemque nominibus & cognominibus gaudet: a Nonno in *Dionysiacis lib.* XLI. sub finem *Elithyia* dicitur

—— ἀρήγων θηλυτεράων
—— *auxiliatrix fœminarum.*

Eamdem in morem de Romana Dea loquitur Ovidius *Fast. lib.* II.

—— *gravidis facilis Lucina puellis.*

Mulier parturiens Elithyiam invocat apud Theocritum Ἐγκωμ. εἰς Πτολεμ. seu *Idyll.* XVII. *vers.* 60.

Ἔνθα γὰρ Εἰλείθυιαν ἐβώσατο λυσίζωνον.

Ibi enim Lucinam invocavit, quæ parturientes liberat.

Romanæ mulieres Lucinam auxilio vocabant, unde Ovidius:

—— *tu voto parturientis ades.*

Plura alia utrique communia sunt; ut enim Elithyia vocatur ὠδίνων ἐπαρωγός, θελειῶν σώτειρα, &c. sic pluribus cognominibus, quæ ejus præsentem opem parturientibus indicant, decoratur Lucina; licet autem earum nominum diversa sit origo, tamen eodem redeunt: Εἰλήθυια enim fit ἀπὸ τοῦ ἐλλύθειν, *a veniendo*; vel quia parturientibus adjutum advenit, vel potius quia auxilio vocabatur ut infans ἔρχεσθαι εἰς τὸ φῶς, *in lucem prodire*, valeret; Lucina pariter est a luce eamdem ob causam, juxta Ovidium:

—— *tu nobis lucem, Lucina, dedisti.*

Græcum nomen φωσφόρος, quod huic Deæ sæpius tribuitur, cum Latino nomine *Lucina* coincidit: derivatur enim ἀπὸ τὸ φῶς φέρειν, *a lucem ferendo*; quia nimirum ea auxiliante e tenebris in lucem prodibant infantuli. Eo autem alluditur, quando apud Græcos & Latinos tædam in manu gestans describitur utraque Dea; quæ ratio mihi magis genuina videtur illa quam nonnulli afferunt, scil. ὅτι γυναιξὶν ἐν ἴσῳ καὶ πῦρ εἰσὶν αἱ ὠδῖνες, *quod parturientis dolores haud secus atque ignis urere videantur*, apud Pausaniam in *Arcadicis pag.* 582. *Edit. Lipsiensis.*

Quænam illa Elithyia fuerit, non convenit inter Auctores; quidam ab Hyperboreis ejus genus deducunt, quæ, quum a solo natali ad Delum venisset, Latonæ parturienti obstetricata est; subjiciuntque, in Delo, unde alio pervenit, hoc nomen ei primo inditum fuisse, juxta Pausaniam in *Atticis pag.*42. *Edit. Lips.* Olenus, qui in Græcia hymnos in honorem Deorum primus scripsit, eam Cupidinis matrem fuisse tradit; unde colligi posset eamdem esse ac Venerem, nisi Pausanias, qui hunc locum Oleni adducit *Bœoticis pag.*762. adversaretur; quandoquidem Cupidinis genus inde deductum ab altero vulgo recepto, quo Veneris filius credebatur, diversum statuit *ibid. pag.* 762. eam Saturno antiquiorem, eamdemque ac Πεπρωμένην, quo nomine *Fatum* efferre solent Græci, facit idem Poeta ab eodem Auctore citatus in *Arcadicis pag.* 639. alii Junonem, Dianam, Lunam, &c. esse volunt. Maxime autem probabile videtur, omnes Θεοὺς γενεθλίους, id est, *Deos natales*, qui partui mulierum præerant, in genere vocari *Elithyias*, aut *Lucinas*; sunt enim generaliora nomina, quæ huic vel illi Numini tribuuntur.

Juno inter has Deas accensetur; unde mulier parturiens eam sic invocat:

Juno Lucina, fer opem. ——

Plura celebrantur exempla Junonis vis præsentis hoc in negotio, illud Alcmenæ tantum adducam, cui Dea irata fuit, eo quod Jovis amasia fuerit; quia enim ex illo gravida fuit, simulque Stheneli uxor prægnans esset, sed altera serius, Juno effecit, ut ex duobus infantibus qui primus nasceretur, alteri dominaretur; deinde mutatis naturæ legibus, Eurystheus ex Stheneli uxore prior natus est, Hercules vero ex Alcmena posterior; quamobrem Eurystheo semper paruit Hercules, omnesque labores suscepit ut ejus mandatis obsequium præstaret.

Filiæ istius Deæ eidem muneri præpositæ eodemque titulo ornatæ erant, prout exstat apud Homerum *Iliad.* λ'. *vers.* 269.

Ὡς δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα,
Δριμύ, τό τε προϊεῖσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι,
Ἥρης θυγατέρες, πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι·
Ὡς ὀξεῖ' ὀδύναι δῦνον μένος Ἀτρεΐδαο.

Ut vero quum parturientem tenet telum doloris *acutum mulierem,*
Acerbum, quod immittunt partuum præsides Ilithyiæ,
Junonis filiæ, amarorum dolorum arbitræ:
Sic acuti dolores subierunt robur Atridæ.

Hisce Numinibus accensebatur quoque Luna, adeo ut contendat Cicero Lunam, sic dictam a Latinis, eamdem esse cum Lucina: nec immerito

A Luna credita ex istis fuisse Numinibus,quæ partum curabant, quoniam, ex plurium Philosophorum sententia, illius ope ac vi quammaxime promovebatur generatio,tradente Cicerone *de Nat. Deor. l.* II.

Diana, cum vulgo eadem haberetur ac Luna, eodem officio fungi itidem existimabatur: quemadmodum occurrit in Horatio, qui, cœlesti Diana prius invocata, sic pergit *Epod. lib. Carm. sæcul. vers.* 13.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis:
B *Diva, producas sobolem; patrumque*
Prosperes decreta super jugandis
Fœminis, prolisque novæ feraci
Lege marita.

Ab eodem Poeta *Carm. lib.* III. *ode* XXII. eadem cura demandata huic Deæ, non tanquam in cœlo agenti eumdemque titulum simul cum Luna sustinenti, verum quatenus hasce regiones inferiores frequentaret sylvasque peragraret:

Montium custos nemorumque virgo,
C *Quæ laborantes utero puellas*
Ter vocata audis, adimisque letho,
Diva triformis.

Hinc *μογοςόκος*, vulgare Elithyiæ epitheton, appellatur a Theocrito *Idyll.* XXVIII. *vers.* 29.

Αλλὰ τεὴ βασίλεια μογοςόκος Αρτεμίς ἐςιν.

Verum regina tua Diana obstetricatrix est.

Varii alii tituli eo facientes eidem tribuuntur ab Orpheo *Hymno in Dianam:*

D Πασιφαὴς, δᾳδῦχε, Θεὰ δίκτυννα, λοχεία,
Ωδίνων ἐπαρωγὲ, καὶ ωδίνων αμυντὲ,
Λυσιζωνε, &c. ——

Venatrix, Lucina parens, manifesta, parunda,
Partubus adjutrix maturis, partubus expers,
Cinxia, &c. ——

Epitheta *φαεσφόρος*, *φερέσβιος*, &c. quibus significatur luminis vitæque largitio, Proserpinæ itidem data declarare videntur ipsam quoque mulierum e dolore laborantium curam gerere creditam fuisse; quod novum videri nequit, si consideE retur ceu eadem Dea cum Diana, cui, cum sub triplici vario respectu agat in cœlo, terra, & inferno, tria distincta nomina erant; in cœlo erat Σελ*ώη*, *Luna*; in terra Αρτεμις, *Diana*; in inferno Περ*σεφόνη*, *Proserpina*; hinc desumpta varia illa epitheta, quibus triplicem ejus caracterem indicant Poetæ, cujusmodi *Τρίμορφος*, *triformis*, *tergemina*, aliaque plura.

Hunc in finem invocatæ hæ Deæ, nim. ut mulieres absque dolore eniterentur, quod certissimum divinæ benevolentiæ indicium credebatur; unde Theocritus in suo *Encomio Ptolemæi* pro insolita F benedictione habet, quod mater ipsius Berenice sine doloribus eum peperisset *Idyll.* XVII. *vers.* 56.

—— σὲ δ', αἰχμητὰ Πτολεμαῖε,
Αἰχμητᾷ Πτολεμαίῳ ἀριζηλος Βερενίκα·
Καί σε Κόως ἀτίταλλε, βρεφὸς νεογιλὸν ἐόντα
Δεξαμένα παρὰ ματρὸς, ὅτε πράταν ἴδες ἀῶ·
Ενθα γὰρ Ειλείθυιαν ἐβώσατο λυσίζωνον
Αντιγόνας θυγάτηρ βεβαρημένα ὠδίνεσσιν,
Η δέ οἱ εὐμενέοισα παρίσατο, καδδ' ἄρα πάντων
Νωδυνίαν κατέχευε μελῶν. ——

—— te vero, strenue Ptolemæe,
Bellicoso Ptolemæo eximia peperit Berenice:
Et te Cos insula eduxit,infantem nuper susceptum
Excipiens a matre,cum primam vidisti auroram:
Ibi enim Lucinam invocavit, quæ parturientes liberat,
Antigones filia gravata doloribus partus,
Illa vero ipsi benigne adfuit, & per omnia
Membra indolentiam perfudit. ——

Imo tanti ducebant illum favorem, ut nonnisi mulieres pudicas ac integras eo dignari crediti sint Dii; hinc pudicitiæ mulieris certissimum argumentum censebatur; quemadmodum exstat apud Plautum *Amphitryone Act.* V. *Scen.* I. scil. cum Amphitryo suam zelotypiam de Alcmena proderet, hac ratione utitur ad hunc animi motum levandum:

—— interea uxorem tuam
Neque gementem, neque plorantem nostrum quisquam audivimus,
Ita profecto sine dolore peperit. ——

Aliud signum, quo Deorum benevolentia conciliari credebatur, notabant, quando gemellos pariebant, quod, cum Alcmenæ accideret, adductum ad ostendendam ipsius integritatem *ibid.*

BR. *At ego faciam, tu idem ut aliter prædices,*
Amphitryo, pium & pudicam esse tuam uxorem ut scias;
De ea re signa atque argumenta paucis verbis eloquar:
Omnium primum, Alcumena geminos peperit filios.
AM. *Ain' tu geminos?* BR. *Geminos.* AM. *Di me servent! Sine me dicere,*
Ut scias tibi tuæque uxori Deos esse omnes propitios.

Alia itidem media adhibebant,quibus facilis partus daretur; quorum istud erat,nempe præ manibus habebant palmæ ramos, qui indicabant lætitiam & victoriam, virosque repræsentabant ex ingenti calamitate ad summam fœlicitatem emersos; quippe de ista arbore observatur, quod quo graviori onere premitur, eo altius surgat ac progerminet: Latona, quando Apollinem enixa est, palmæ ramos in manibus accepit ad dolores leniendos; unde Theognis *Gnom. vers.* 5. hunc Deum ita compellat:

Φοῖβε ἄναξ, ὅτε μέν σε Θεὰ τέκε πότνια Λητὼ,
Φοίνικος ῥαδινῆς χερσὶν ἐφαψαμένη.

Phœbe rex, quando equidem te Dea peperit veneranda Latona,
Palmam agilibus manibus amplexata.

Pariter Homerus *Hymno in Apollinem vers.* 14. Latonæ juxta palmam parturientis meminit:

Χαῖρε, μάκαιρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα,
Απόλλωνά τ' ἄνακτα, καὶ Αρτεμιν ἰοχέαιραν·
Τὴν μὲν ἐν Ορτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ,
Κεκλιμένη πρὸς μακρὸν ὄρος καὶ Κυνθιον ὄχθον
Αγχοτάτω φοίνικος, ὑπ' Ινωποῖο ῥεέθροις.

Salve, o beata Latona, quoniam peperisti præclaros liberos,
Apollinemque regem, & Dianam sagittis gaudentem:
Hanc quidem in Ortygia, illum vero aspera in Delo,
Inclinata ad longum montem & Cynthium collem
Proxime palmam, sub Inopi fluentis.

Observandum est veteres Athenienses usos fuisse solis viris qui obstetricarentur; quippe quadam ipsorum lege vetitum fuit ne ullo modo mulieres aut mancipia theoriæ praxive Medicinæ operam navarent; cum id male cesserit plurimis mulieribus, quarum modestia non patiebatur ut curæ virorum sese traderent; certa quædam Agnodice veste virili sumpta se involvit, & sub quodam Professore nuncupato Herophilo Medicinæ studuit; ubi cum illam artem mediocriter didicisset, suo sexui se detexit, quæ unanimi consensu convenerunt nullam aliam præter eam adhibituras: interea cæteri Medici furore perciti quod nihil agendum haberent, ei dicam scripserunt coram Foro Areopagitico, ceu quæ mulieres vitiaret; ad hanc accusationem propulsandam prodidit cujus sexus esset; postea Medici eam acrius insectati sunt, quæ leges violaret, virorumque privilegia usurparet; quando, ne opprimeretur illa, principes civitatis matronæ in forum venerunt judicesque compellarunt hoc modo: *Illos non esse viros, sed hostes, qui damnaturi erant illam, cui vitam debebant:* deinde veterem legem abrogarunt Athenienses, illudque munus suscipere ingenuis mulieribus permiserunt, teste Hygino *fab.* CCLXXIV.

Statim ac natus erat infans, aqua abluebant; hinc Callimachus, loquens de Jovis nativitate, hæc verba affert *Hymno in Jovem vers.* 25.

Ενθα σ' ἐπεὶ μήτηρ μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων,
Αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος, ᾧ κε τόκοιο
Λύματα χυτλώσαιτο, τεὸν δ' ἐνὶ χρῶτα λοέσσαι.

Hic te postquam mater magno deposuit ex utero,
Statim quærebat rivum aquæ, quo partus sui
Sordes ablueret, tuumque corpus purgaret.

Lycophron quoque, exprimere volens cædem Cillæ ejusque filii Munippi, quæ patrata simul ac infans natus, ait illos mortem oppetiisse antequam puerulus ablutus aut lactatus esset in *Cassandra vers.* 319. ubi consulendus Meursii *Commentarius:*

Ἰν' ἅλμα πάππου, καὶ χαμευνάδος μόροι
Τῆς λαθρονύμφου πόρτιος μεμιγμένοι
Σκύμνῳ κέχυνται, πρὶν λαφύξασθαι γάνος,
Πρὶν ἐκ λοχείας γυῖα χυτλῶσαι δρόσῳ.

Ubi saltus avi, & meretricis fata
Juvencæ occultinubæ cum vitulo
Confusa sunt, antequam laticem mulgeret,
Et a partu membra rore lavaret.

Lacedæmonii recens natos infantes vino, non aqua, ut in omnibus aliis regionibus fieri solebat, abluebant, (inquit Plutarchus in *Vita Lycurgi*) ad probandam ipsorum corporis constitutionem; existimabant enim hoc modo ablutos debiles infantes convulsionibus corripiendos, aut illico deliquium passuros; econtra robustos ac vegetos novas majoresque vires acquisituros, & pro ratione temperiem contracturos ad instar chalybis dum temperatur.

Proxime notanda amputatio umbilici pueruli, a nutricibus facta, dictaque ὀμφαλητομία Suidæ in *ista voce*; hinc natum proverbium, Ὀμφαλός σου οὐ περιετμήθη, id est, *Umbilicus tuus non excisus est*; quod idem est ac si diceres, Tu es adhuc infans, & vix a matre tua sejunctus. In Creta erat locus quidam vocatus *Omphalium* ab ὀμφαλὸς, seu *umbilicus*; quoniam ibi abscissus Jovi umbilicus; unde Callimachus *Hymno in Jovem vers.* 44. sic eum alloquitur:

Τηνάκι τοι πέσε, δαῖμον, ἀπ' ὀμφαλός· ἔνθεν ἐκεῖνο
Ὀμφάλιον μετέπειτα πέδον καλέουσι Κύδωνες.

Ibi tum decidit tibi, Deus, omphalos: (id est, *umbilicus*) *hinc istum*
Omphalium deinceps locum nominant Cydones.

Tum nutrix infantem fasciis involvebat, ne forte ipsius membra tenera adhuc & flexibilia distorquerentur; solæ Spartanæ nutrices adeo industriæ ac expertæ erant, ut nullis fasciis adhibitis ipsarum infantes essent omnes recti ac bene comparati. Apud ipsos itidem puerorum educatio a reliquis omnibus Græcis in plurimis aliis rebus discrepabat; quemadmodum videre est ex hisce Plutarchi verbis in *Lycurgo:* Ετι δὲ εὔκολα ταῖς διαίταις, καὶ ἄσικχα, καὶ ἀθαμβῆ σκότου, καὶ πρὸς ἐρημίαν ἄφοβα, καὶ ἄπειρα δυσκολίας ἀγεννοῦς καὶ κλαυθμυρισμῶν· διὸ καὶ τῶν ἔξωθεν ἔνιοι τοῖς τέκνοις Λακωνικὰς ἐωνοῦντο τιτθάς· καὶ τήν γε τὸν Ἀθηναῖον Ἀλκιβιάδην τιθηνήσασαν Ἀμύκλαν ἱστοροῦσι γεγονέναι Λάκαιναν. *Assuefasciebant etiam eos quibusdam cibis & jejunio, utque delicatioris cibi minime appetentes, & intrepidi ad tenebras, & imperterriti essent ad solitudinem, nescii illiberalis morositatis & vagituum: quapropter exteri nonnulli liberis mercabantur nutrices Laconicas: etiam quæ Atheniensem Alcibiadem nutricata est, Amyclam tradunt Lacænam fuisse.*

Ut ad propositum redeamus, recens nati infantes Athenis involvi solebant veste, in qua exhibebatur Gorgonis caput, quia insculptum erat scuto Minervæ, istius civitatis Deæ tutelaris; ex quo forsitan infantes illius curæ committebantur; aut etiam ut admonerentur, quando ætatem virilem attingerent, hujusmodi exempla clara & illustria in illo clypeo repræsentata imitaturos esse; vel ut futuræ ipsorum fortitudinis faustum omen foret; quibus de causis eos clypeis imponere moris quoque erat; sic ab Alcmena collocati dicuntur Hercules ejusque frater Iphiclus, juxta Theocritum *Herculisco* seu *Idyll.* XXV. initio:

Ηρακλέα δεκάμηνον ἐόντα ποχ' ἁ Μιδεᾶτις
Αλκμήνα, καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἰφικλῆα,
Αμφοτέρως λούσασα, καὶ ἐμπλήσασα γάλακτος,
Χαλκείαν κατέθηκεν ἐπ' ἀσπίδα, τὰν Πτερελάου
Αμφιτρύων καλὸν ὅπλον ἀπεσκύλευσε πεσόντος.

Herculem, cum jam decem menses natus esset, quondam Mideatis.
Alcmena, & nocte juniorem Iphiclum,
Cum ambos lavisset, & lacte replevisset,
Posuit super scutum æreum, quod Pterelæ
Amphitryon pulchram armaturam ademerat interfecto.

Hunc ritum religiose observabant Lacedæmonii; unde Nonnus *Dionys. lib.* XLI. *vers.* 168.

—— Λακωνίδες οἷα γυναῖκες
Υἱέας ὠδίνουσιν ἐπ' εὐκύκλοιο βοείας.

—— Laconicæ ut mulieres
Filios pariunt super rotundo scuto.

Aliis in locis infantes imponebantur rei quodammodo accedenti ad illam vitæ rationem cui destinabantur; nihil vulgarius quam eos statuere super vannos seu instrumenta ad ventilandum triticum, Græce λίκνα, quæ habebantur tanquam omina futurarum divitiarum & abundantiæ, secundum *Etymologici* Auctorem & Callimachi Scholiastem *in versum sequentem:* non semper vannus reipsa erat, sed plerumque instrumentum illius figuram referens, ex auro aliave materia constans; Nemesis enim Jovem puerum super aureo vanno ita collocavit, canente Callimacho *Hymno in Jovem vers.* 47.

—— σὲ δὲ κοίμισεν Ἀδρήστεια
Λίκνῳ ἐνὶ χρυσέῳ. ——

—— te autem circumtulit Adrastea
Cunis in aureis. ——

Unum adhuc de Atheniensibus observandum, antequam huic capiti finis imponatur, nempe usitatissimum apud eos præsertim in familiis illustribus, draconibus aureis puerulos imponere; qui mos adscitus a Minerva ad celebrandam memoriam Erichthonii, ex ipsorum Regibus unius, cui pedes non absimiles pedibus serpentum, &, cum foras exponeretur adhucdum infans, ab hac Dea duobus pervigilibus draconibus in custodiam traditus: Euripides *Jone vers.* 15. hunc ritum ample recensuit, verba faciens de Creusæ filio, quem Apollini peperit:

—— ὡς δ' ἦλθε χρόνος,
Τεκοῦσ' ἐν οἴκοις παῖδ', ἀπήνεγκε βρέφος
Εἰς ταυτὸν ἄντρον, ὅπερ ηὐνάσθη Θεῷ,
Κρέουσα· κἀκτίθησιν ὡς θανούμενον
Κοίλης ἐν ἀντίπηγος εὐτρόχῳ κύκλῳ,
Προγόνων νόμον σώζουσα, τοῦ τε γηγενοῦς
Ἐριχθονίου· κείνῳ γὰρ ἡ Διὸς κόρη
Φρουρὼ παραζεύξασα φύλακας σώματος,
Δισσὼ δράκοντε, παρθένοις Ἀγλαυρίσι
Δίδωσι σώζειν· ὅθεν Ἐρεχθείδαις ἐκεῖ
Νόμος τίς ἐστιν ὄφεσιν ἐν χρυσηλάτοις
Τρέφειν τέκνα. ——

—— postquam vero tempus venit,
Pariens domi puerum, absportavit infantem
In idem antrum, ubi concubuit cum Deo,
Creusa: & exponit ut moriturum
In rotundo orbe cavæ cistæ,
Majorum morem servans, & terrigenæ
Erichthonii: illi enim Jovis filia
Custodes cum adjunxisset ad corporis custodiam,
Duos dracones, virginibus Aglauræ sororibus
Dedit servandum: unde Erechthidis illic
Mos quidam est inter serpentes auratos
Alere liberos. ——

Ipsemet Poeta istum morem itidem descripsit circa finem hujusce *Tragœdiæ vers.* 1427.

Quinto post partum die obstetrices, cum se purgassent lotis manibus, ad focum circumferebant infantem in ulnis, sicque in familiam eum quasi cooptatum tutelæ Penatium commendabant, quibus focus inserviebat loco altaris; hinc dies dictus est Δρομιάφιον ἦμαρ, aut (quod usitatius nomen) Ἀμφιδρόμια: ad instar festi ingenti cum lætitia agitabatur; ab amicis munera accipiebant; si infans esset mas, corona oleaginea ornabantur fores, si fœmina, lana, ut indicaretur cuinam operi vacare deberent mulieres: convivium ex multigenis rebus instructum, inter quas κράμβη, *brassica*, semper visebatur, quam ceu aptam lacti augendo Athenienses obstetrices puerperis præbere assueverant: ritus universus descriptus est sequentibus Ephippi versibus adductis ab Athenæo *Deipnosophistarum l.* IX. *c.* 11. *pag.*370. *Edit. Casaub.* quorum plurimi, exceptis quibusdam lectionibus variantibus, ab eodem Auctore *l.* II. *c.* XXIV. *pag.* 65. ex Eubulo citantur:

—— Ἔπειτα πῶς
Οὐ στέφανος οὐδ' εἷς ἐστι πρόσθε τῶν θυρῶν,
Οὐ κνίσα κρούει ῥινὸς ὑπεροχὰς ἄκρας,
Ἀμφιδρομίων ὄντων; ἐν οἷς νομίζεται
Ὀπτᾶν τε τύρου Χερρονησίτου τόμους,
Ἕψειν τ' ἐλαίῳ ῥάφανον ἠγλαϊσμένην,
Πνίγειν τε παχέων ἀρνείων στηθύνια,
Τίλλειν τε φάττας καὶ κίχλας ὁμοῦ σπίνοις,
Κοινῇ τε χναύειν τευθίσιν σηπίδια,
Πιλεῖν τε πολλὰς πλεκτάνας ἐπιστρόφως,
Πίνειν τε πολλὰς κύλικας εὐζωρεστέρας.

—— Deinde cur quæso
Nulla pro foribus corona est,
Nec ullus ferit victimarum nidor extremam prominentem narem,
Cum Amphidromia celebrentur? quibus mos est
Assare casei Chersonitæ frusta,
Oleoq; brassicam in fasciculos collectam incoquere,
Pinguiumque agnorum pectora torrefacere,
Ac cum carduelibus columbas simul & turdos vellere,
Sepiolisque ac loliginibus in communi vesci,
Flagella multa polyporum diligenter congerere,
Calices item multos bibere meraciores.

Septimo die, quo nomen puerulo imponebatur, celebrata itidem sunt solennia; illumque diem festum agere dicebatur ἑβδομεύεσθαι. Ratio cur eo tempore nomen infanti imposuerint, erat, quia tum ἐπίσδον τῇ σωτηρίᾳ, *spem habebant eum victurum esse*, τὰ πλεῖστα γὰρ ἀναιρεῖται πρὸ τῆς ἑβδόμης, *debiles & infirmi infantes plerumque ante septimum diem decedunt*, ut ait Aristoteles apud Harpocrationem *Voc.* Ἑβδομευομένου.

Quidam octavum diem solennem habebant, atque is etiam γενέθλιος, *natalis*, aliquando dicitur, quod tum infantis *nati* causa gauderent. Terentius *Phormione Act.* 1. *Scen.* 1.

—— porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro alio autem, ubi erit puero natalis dies.

Ubi vetus Interpres: *Solebant Antiqui diem octavum pueri natalem constituere, & eo die singulis annis convivium parare, sicut Judæi in die octavo circumcidunt.*

Alii infantibus nomen indebant decimo post nativitatem die, ad quem vocati amici convivio excipiebantur, Diisque sacrificia offerebantur; istius consuetudinis meminit Euripides in *Ægei Fragmento vers.* 14.

—— τίς σε, μᾶτερ, ἐν δεκάτῃ τόκου
Ὠνόμασεν; ——

—— quis te, mater, in decimo satam
Die vocavit nomine? ——

Et Aristophanes *Avibus pag.* 564. *Edit. Amstel.*

—— θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγώ,
Καὶ τοὔνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ 'θέμην.

—— sacrificium offero decimo ipsius die,
Et nomen tanquam puero nunc imposui.

Nonnulli contendunt decimum diem eumdem esse ac Ἀμφιδρόμια, verum (utut ex aliis conjungi possent hæc duo solennia) vulgo distincta erant: illum diem celebrare dicebatur δεκάτην θύειν, δεκάτην ἀποθύειν, δεκάτην ἑστιάσαι. De his diebus videndi Pollux *Onomast. l.* 1. *c.* 1. Aristotel. *Hist. Animal. l.* VII. *c.* XII. Hesychius, Suidas, Harpocratio, *Etymologici* Auctor, Phavorinus in *his Vocibus.*

Item notandum, quando infanti nomen positum sive decimo sive alio quodam die, amicos non paucos adfuisse: hujusmodi consuetudo non solum apud Græcos, sed Romæ plurimisque aliis in locis, servata; cujus rei potissima ratio fuisse videtur ad vitandas controversias exinde oriundas, quando puer negotia publica tractaturus esset variisque muneribus in Republica fungeretur, si ipsius nomen certissime non notum esset.

Infanti nomen utplurimum a patre inditum, imo lege cautum Athenis, ut pater liberis nomina tum imponeret, tum imposita mutaret, prout tradit Demosthenes *adversus Bœotum* περὶ ὀνόματος: qua in re nihil certi ac perpetui observatum; attamen vulgo seligebant quosdam ex præstantissimis majoribus, quorum nomina posteris tradenda vellent, quæ ipsismet ac familiæ honori essent, quibusque liberorum animi revocarentur atque excitarentur ad præclara exempla imitanda; sic nomina *Pyrrhus*, *Philippus*, *Ptolemæus*, &c. in plurimis eorum nepotibus conservata sunt; Ulpianus loquitur de Proxeno oriundo ex quodam Harmodio & patre alterius cognominis, vid. Scholiastes *in Demosthenis Orat. de male obita legatione*; Plutarch. in *Cimone* tradit, Thucydidem fuisse filium Olori, qui ex uno majorum nomen traxit; Aristophanes *Avibus p.* 526. *Edit. Amstel.* facit Calliam & patrem & filium Hipponici:

Ἱππόνικος Καλλίου, κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας.

Hipponicus Calliæ, & ex Hipponico Callias.

Tandem (ne pluribus exemplis Lectorem detineamus) Eustath. *ad Iliad.* ί. *p.* 441. *Edit. Basil.* hunc morem antiquissimum fuisse asserit; nec raro obtinuisse videtur apud plurimas alias gentes; in plerisque Romanis familiis sæpissime occurrunt hujusmodi exempla; Hannibal Carthaginensis nomen avi sui ferebat; & in *Evangelio D. Lucæ c.* 1. Zachariæ amici & affines admodum mirati sunt, quando ipsius filio cognomine Baptistæ nomen *Johannis* datum fuisse audiverunt, quoniam nemo erat in ejus cognatione qui hoc nomine vocaretur.

Parentum facta frequenter indicabantur ex liberorum nominibus, ut annotat Eustath. *ad Iliad.* ί. *p.* 513. *Edit. Basil.* sic Cleopatra, vel potius Marpissa, (ab Eustathio enim hac in re dissentit vetus Homeri Scholiastes) appellata fuit *Halcyone*, quia, quando ab Apolline rapta fuit, ejus mater non minore dolore affecta est quam halcyon solet ob amissos pullos, teste Homero *Iliad.* ί. *vers.* 557.

Τὴν δὲ τότ' ἐν μεγάροισι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
Ἀλκυόνην καλέεσκον ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρ' αὐτῆς
Μήτηρ, Ἀλκυόνος πολυπενθέος οἶτον ἔχουσα,
Κλαῖ', ὅτε μιν ἑκάεργος ἀνήρπασε Φοῖβος Ἀπόλλων.

Hanc autem tunc in ædibus pater & veneranda
mater
Alcyonen vocabant cognomine, quod ipsius
Mater, Alcyonis luctuosæ fatum habens,
Flebat, quando ipsam longe jaculans rapuit
Phœbus Apollo.

Hectoris filio Scamandrio nomen *Astyanax* a Trojanis additum fuit, quia ipsius pater erat τοῦ ἄστεος ἄναξ, *urbis Trojæ defensor*; nam primigenio significatu ἄναξ nihil aliud est quam *servator* aut *defensor*, hinc Dii vulgo dicti sunt ἄνακτες: quemadmodum refert Homerus *Iliad.* ζ'. *vers.* 399.

—— ἅμα δ' ἀμφίπολος κίεν αὐτῇ,
Παῖδ' ἐπὶ κόλπον ἔχουσ' ἀταλόφρονα, νήπιον αὔτως,
Ἑκτορίδην ἀγαπητὸν, ἀλίγκιον ἀστέρι καλῷ,
Τόν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον, αὐτὰρ οἱ ἄλλοι
Ἀστυάνακτ', οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ.

—— *unaque famula ibat cum ipsa*
Filium in sinu gestans tenellum, infantemque,
Hectoridem unicum, similem stellæ pulchræ,
Hunc quidem Hector vocabat Scamandrium, cæterum alii.
Astyanacta, solus enim tutabatur Ilium Hector.

Ulysses nuncupatus est Ὀδυσσεὺς, διὰ τὸ ὀδύσσεσθαι τὸν Αὐτόλυκον, *ex ira avi sui Autolyci*, prout tradit Homerus inducens Autolycum ita alloquentem Ulyssis parentes *Odyss.* τ'. *vers.* 406.

Γαμβρὸς ἐμὸς, θυγάτηρ τε, τίθεσθ' ὄνομ' ὅττι κεν εἴπω·
Πολλοῖσιν γὰρ ἔγωγε ὀδυσσάμενος τόδ' ἱκάνω
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶν ἀνὰ χθόνα πουλυβότειραν,
Τῷ Ὀδυσεὺς ὄνομ' ἔστω ἐπώνυμον. ——

Gener meus, filiaque, ponite nomen quodcumque dicam:
Multis enim ego in via iratus hoc inveni
Viris & mulieribus supra terram multa pascentem,
Huic Ulysses nomen sit cognomen. ——

Hominum propriæ actiones, corporis constitutio, aut conditio nominibus imponendis ansam sæpissime præbuerunt: ita Oedipus nominatus fuit διὰ τὸ οἰδεῖν τοὺς πόδας, *a tumore pedum*; unde a Seneca *Oedipo Act.* IV. *vers.* 812. introducitur quidam senex eum compellans:

Forata ferro gesseras vestigia,
Tumore nactus nomen ac vitio pedum.

Achillis filius primum appellatus Πυῤῥὸς, a rufo capillorum colore; postea Νεοπτόλεμος, a suscipiendo ducendoque bello Trojano, cum admodum juvenis esset: alia hujusce rei exempla afferre supervacaneum est, quamobrem hocce caput obsignabimus ipsissimis Plutarchi in *Marcio Coriolano* verbis, in quibus videmus quomodo apud Romanos æque ac Græcos indita fuerint nomina: Ἐκ τούτου τρίτον ἔσχεν ὄνομα τὸ Κοριολανόν· ᾧ καὶ μάλιστα δῆλόν ἐστιν, ὅτι τῶν ὀνομάτων ἴδιον ἦν ὁ Γαΐος, τὸ δὲ δεύτερον, οἰκίας ἢ γένους κοινὸν, ὁ Μάρκιος, τῷ δὲ τρίτῳ ὕστερον ἐχρήσατο, πράξεώς τινος, ἢ τύχης, ἢ ἰδέας, ἢ ἀρετῆς ἐπιθέτῳ· καθάπερ Ἕλληνες ἐτίθεντο πράξεως μὲν ἐπώνυμον τὸν Σωτῆρα καὶ τὸν Καλλίνικον, ἰδέας δὲ τὸν Φύσκωνα καὶ τὸν Γρυπὸν, ἀρετῆς δὲ τὸν Εὐεργέτην καὶ τὸν Φιλάδελφον, εὐτυχίας δὲ τὸν Εὐδαίμονα, τῷ δευτέρῳ τῶν Βάττων. Ἐνίοις δὲ τῶν βασιλέων καὶ σκώμματα παρέσχεν ἐπικλήσεις, ὡς Ἀντιγόνῳ τὸν Δώσωνα, καὶ Πτολεμαίῳ τὸν Λάμυρον. Ἐπὶ πλέον δὲ τῷ γένει τούτῳ καὶ Ῥωμαῖοι κέχρηνται, Διαδηματόν τινα τῶν Μετέλλων καλέσαντες, ὅτι πολὺν χρόνον ἕλκος ἔχων περιενόστει περιδεδεμένος τὸ μέτωπον· ἕτερον δὲ Κέλερα, σπεύσαντα μεθ' ἡμέρας ὀλίγας τῆς τοῦ πατρὸς τελευτῆς ἐπιταφίους μονομάχων ἀγῶνας παρασχεῖν, τὸ τάχος καὶ τὴν ὀξύτητα τῆς παρασκευῆς θαυμάσαντες. Ἐνίους δὲ συντυχίᾳ γενέσεως μέχρι νῦν καλοῦσι, Πρόκλον μὲν, ἐὰν ἀποδημοῦντος πατρὸς γένηται, καὶ Πόστουμον, ἂν τεθνηκότος· ᾧ δ' ἂν διδύμῳ γενομένῳ συμβῇ περιβιῶναι, θατέρου τελευτήσαντος, Οὐοπίσκον. Τῶν δὲ σωματικῶν, οὐ μόνον Σύλλας, οὐδὲ Νίγρους, ἀλλὰ καὶ Καίκους καὶ Κλωδίους ἐπωνυμίας τίθενται, καλῶς ἐθίζοντες, μήτε τυφλότητα, μήτ' ἄλλην τινὰ σωματικὴν ἀτυχίαν, ὄνειδος ἡγεῖσθαι μηδὲ λοιδορίαν, ἀλλ' ὡς οἰκείοις ὀνόμασιν. *Hinc* (hoc est, a captis Coriolis metropoli Volscorum) *tertium nomen habuit Coriolani: unde liquet clarissimo, ex nominibus proprium fuisse Cajum, alterum familiæ vel genti commune Marcium, tertium postea fuisse ex facto aliquo, vel ex casu, vel figura, vel virtute impositum: sicut tribuerunt ex re gesta cognomen Soterem,* (seu Servatorem) *& Callinicum,* (sive Inclytum ob victoriam) *ex forma Physconem,* (seu Ventrosum) *& Grypum,* (sive Aquilino naso) *ex virtute Euergetem* (seu Benefactorem) *& Philadelphum,* (sive

Amatorem fratrum) *ex fœlicitate Eudæmonem*, (feu Fœlicem) *alteri Battorum. Quibufdam regibus dederunt cavilla appellationem, ut Antigono Dofonem*, (id eft, Munificum in futuro tantum, cum femper promittebat, nunquam vero fidem liberabat) *& Ptolemæo Lamyrum*, (ob vanam opinionem, quam de ipfius ingenio ac feftivitate habebat.) *Largius funt hoc genere ufi Romani, ac quemdam ex Metellis, quod diu in publico verfaretur fronte, in qua ulcus habebat, obligata, appellaverunt Diadematum: alium Celerem, quod paucis ab obitu patris diebus munus funebre gladiatorum mira celeritate maturaviffet exhibere. Aliquos ex nativitatis cafu nunc quoque vocant, Proculum, fi abfente patre editus fit, Pofthumium, fi defuncto: geminis editis, fi fublatus alter fit, fuperftitem Vopifcum. Ex corporis nota, non Syllas modo & Rufos*, (id eft, viros vultu pupulis rubente, aut colore fufco) *fed & Cæcos & Claudios*, (hoc eft, cæcos & claudos, a quadam corporis macula & vitio) *cognomina imponunt, probe affuefacientes cives ne cæcitatem vel aliud corporis vitium probrofum ducant aut contumeliofum, fed aures his ut propriis nominibus accommodent.*

Interdum magis compendiaria ratione a liberis fe expedire foliti erant, vel eos illico occidentes, vel exponentes in quodam loco deferto, alibive, arbitrio fortunæ feu providentiæ: horum pofterius dicebant ἐκτίθεσθαι five ἀποτίθεσθαι, & aliquando χυτρίζειν, quoniam ἐν ταῖς χύτραις ἐξετίθεσαν τὰ παιδία, *in ollis infantes exponebant*, ut refert Ariftophanis Scholiaftes *ad hæc verba* in *Ranis Act.* V. *Scen.* I. ubi Comicus de Oedipo loquitur:

> —— ὅτε δὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν γενόμενον
> Χειμῶνος ὄντος ἐξέθεσαν ἐν ὀστράκῳ.

> —— *cum primum recens ipfum editum*
> *In tefta expofuerint, inftanti frigore.*

Neque id loco criminis aut reprehenfione dignum putabatur, fed permiffum a nonnullis Legiflatoribus, difertifque verbis imperatum ac confirmatum ab aliis: Lacedæmonii maxime notandi in ifto negotio agendo; non enim liberos alere patribus, etfi vellent, permittebatur, verum omnes recens natos infantes ducere adftricti erant ad quofdam inquifitores, qui nonnulli graviffimi viri ex fua tribu electi forum agebant in quodam loco dicto λέσχη, ubi diligenter explorabant quotquot ad ipfos deferebantur; fi vegetos ac formofos reperiebant, de illis educandis mandata dabant, certamque terræ portionem, qua fuftentarentur, affignabant; fi vero infirmos ac deformes, in altam fpeluncam fubterraneam ad montem Taigetum conjici præcipiebant, exiftimantes nec ad bonum ipforum puerorum nec ad publica commoda effe, fi educarentur, quandoquidem natura ipfis media negaffet, quibus in fe fœlices evaderent, aut in commune confulere valerent, fatis firma valetudine ac robore non inftructi; qua de caufa recenter editi infantes vino abluebantur, prout ex Plutarcho in *Lycurgo* jam obfervatum. Locus, quo a Lacedæmoniis projiciebantur infantes, vocabatur Ἀποθέται, hinc ἀποτίθεσθαι utplurimum intelligitur de exponendis liberis ac de induftria perdendis; cum econtra ἐκτίθεσθαι molliori fignificatione vulgo ufurpetur, non pauci enim liberos exponebant, eos perire nolentes, fed tantum quia illis alendis minime pares erant; filiæ præfertim hunc in modum habebantur, quia major cura defiderabatur ad illas educandas ac bene collocandas quam filios; unde fententia citata ex Pofidippo apud Stobæum *Serm.* CXCVI.

> Υἱὸν τρέφει τὶς, κἂν πένης τὶς ὢν τύχῃ·
> Θυγατέρα δ' ἐκτίθησι, κἂν ᾖ πλούσιος.

A

> *Filium educare poteft aliquis, etfi inops fuerit:*
> *Filiam vero exponit, quamvis dives fuerit.*

Ab ifta inhumana confuetudine abhorrebant Thebani, ipfifque pofita lex, qua hujus ufus crimen capitale erat; quotquot confulere liberis ac profpicere non valebant, eos ftatim a partu ad magiftratus afferre jubebantur, qui de illis nutriendis curam habere obftricti erant, & quando adoleverant, iis loco mancipiorum utebantur, eorumque operas pro educationis mercede accipiebant, tradente Æliano *Var. Hift. l.* II. c. VII.

B

Infantes fafciis involuti ac in vafe collocati exponi folebant; fic Ion a Creufa expofitus fuit, tefte Euripide in *Ione verf.* 16.

> —— ἀπήνεγκε βρέφος
> Εἰς ταυτὸν ἄντρον, οὗπερ ηὐνάσθη Θεῷ,
> Κρέουσα, κἀκτίθησιν ὡς θανούμενον
> Κοίλης ἐν ἀντίπηγος εὐτρόχῳ κύκλῳ.

> —— *abfportavit infantem*
> *In idem antrum, ubi concubuit cum Deo,*
> *Creufa, & exponit ut moriturum*
> *In rotundo orbe cavæ ciftæ.*

C

Ariftophanes illud vocat ὄστρακον, verba faciens de Oedipo in *Ranis Act.* V. *Scen.* I.

> —— αὐτὸν γενόμενον,
> Χειμῶνος ὄντος ἐξέθεσαν ἐν ὀστράκῳ

> —— *ipfum editum,*
> *Cum hyemi effet, in tefta expofuerunt.*

Interdum dicebatur χύτρα, unde χυτρίζειν idem eft ac ἐκτίθεσθαι, & χυτρισμὸς ac ἔκθεσις, juxta Hefychium.

Parentes fæpiffime gemmas & annulos alligabant infantibus, quos exponebant, aut quid aliud,

D

quo poftea proderentur, fi de falute ipforum curam fufciperent Dii; alia ratione fic ornati infantes, nim. ut incitarentur qui eos invenerant, ad ipfofmet alendos & educandos, fi adhuc in vivis effent; aut pie fepulcro eos conderent, fi mortui; pofterior ratio videtur indicari ab Euripide loquenquente de Creufa in *Ione verf.* 26.

> —— ἀλλ' ἣν εἶχε παρθένος χλιδὴν
> Τέκνῳ προσάψασ' ἔλιπεν, ὡς θανουμένῳ.

> —— *fe ea quæ habebat virgo ornamenta*
> *Filio appendens reliquit, tanquam morituro.*

E

A Terentio in *Heautontim. Act.* IV. *Scen.* I. inducitur Softrata aliam hujufce rei rationem dans, ac referent quomodo fe impellente filia fua expofita fuerit, ut eriperetur e manibus mariti fui Chremetis, qui eam morti tradere expreffe jufferat:

> —— *SO. Ut ftultæ & miferæ omnes fumus*
> *Religiofæ, cum exponendam do illi, de digito annulum*
> *Detraho, & eum dico ut una cum puella exponeret,*
> *Si moreretur, ne expers partis effet de noftris bonis.*

F

Antequam claudatur iftud caput, de purgandis puerperis aliquid addere neceffe eft, quamdiu enim in lecto jacebant, pollutæ cenfebantur; hinc Athenienfes legem tulerunt, ne ulla mulier pareret in Delo infula Apollini facra, quia omnigenam impuritatem averfari credebantur Dii; Iphigenia apud Euripidem tradit, neminem, qui cædis, contactus puerperæ, aut cadaveris reus erat, ad aram Dianæ admitti poffe *Iphigenia Taurica verf.* 381.

—— βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου,
Ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
Βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη.

—— si quis quidem mortalium patrarit cædem,
Aut etiam partum, aut cadaver attigerit manu,
Eum *arcet ab ara, ut impurum existimans.*

Ad quadragesimum diem, periculo puerperii elapso, festum celebrabatur, a numero dierum dictum τεσσαρακοστός; tunc mulier, ante purificata per ablutionem, quædam templa, utplurimum Dianæ, subibat, quæ a partu ad illud tempus hoc agere non permittebatur, teste Censorino *de Die Natali cap.* XI. ibi pro fœlici partu grates persolvebat, & sacrificia offerebat; itidem moris erat vestimenta dicare Dianæ, quæ cognomen Χιτώνης inde habuit, secundum Callimachi Scholiastem *Hymno in Jovem vers.* 77. & mulieres post primum infantem editum præterea zonas sacrabant eidem Deæ, quæ hac de causa nuncupata fuit Λυσιζώνη, templumque Athenis sub hoc titulo ipsi dedicatum erat, juxta Apollonii Scholiastem.

CAP. XV.

De eorumdem variis generibus liberorum, testamentis, hæreditatibus, officiis liberorum erga parentes, &c.

AB Homeri Scholiaste ponuntur quatuor liberorum genera: 1. Οἱ γνήσιοι, seu ἰθαγενεῖς, *liberi ex legitimo matrimonio prognati.* 2. Οἱ νόθοι, *ex concubinis* aut *meretricibus geniti.* 3. Οἱ σκότιοι, *quorum patres incogniti erant*, in quo a prioribus distinguebantur. 4. Οἱ παρθένιοι, cujusmodi qui nati erant ex mulieribus, quæ, quamvis stupratæ antequam matrimonio junctæ, semper habebantur virgines. Istam & alias liberorum divisiones prætermittam, tribus generibus solummodo annotatis.

1. Γνήσιοι, *legitime geniti.*
2. Νόθοι, *nati ex meretricibus*, quæ vox latiori sensu complectitur tria liberorum genera superius memorata.
3. Θετοὶ, *adoptivi.*

Consentaneum est pauca de singulis subjungere. Primo, ii habebantur legitimi liberi, qui ex legitimo conjugio nati erant, quod diversimode definitum est, prout singularum civitatum res ferebant; in nonnullis locis qui ex patre cive, licet ex matre peregrina nati; aliis vero in locis, qui a matre libera, quamvis a patre advena prognati erant, legitimi censebantur, & jus civitatis, in qua nati erant, omnesque aliæ immunitates hæreditate iis veniebant; pleræque Respublicæ, aut quando primo condebantur, aut postquam innumeri cives vel bello, vel peste, vel alio modo perierant, ad damna, quæ passæ erant, resarcienda & ad regionem denuo incolis frequentandam hac via instituisse videntur: sublata autem causa, quando nimio civium incremento occurrere necessum fuit, legem ferre soliti fuerunt, qua ii soli legitimi censebantur, qui ab utrisque parentibus civibus procreati erant, teste Aristotele *Polit. l.* III. c. V. quod statutum aut interruptum, aut abrogatum est pro re nata: id autem observari licet, Athenis Periclis ætate, qui, dum prosperis rebus utebatur, eique erant filii legitimi, populo suasit legem illam antiquam Solonis, qua ii soli ingenui Athenarum cives existimabantur, quorum ambo parentes Athenienses erant, pristina reddere auctoritati; qua de causa fere quinque millia hominum libertate exciderunt, & in servitutem venditi fuerunt; sed in posterum omnibus ejus filiis legitimis mortuis, ipse Pericles eo adduxit A-

A thenienses, ut hanc legem abrogarent, & ut ejus filius spurius in nomenclatorem sui districtus sub paterno nomine inferretur; quo privilegio νόθοι vel *spurii* exclusi erant, quandoquidem juxta Aristophanis Scholiastem in *Avibus* nec nomen, nec familia, nec bona paterna sua erant; pariter nullis rebus tum sacris, tum politicis se immiscere iis licebat. Ne quis in civium nomenclatores liberos suos furtim inferret, in singulis pagis diligentissima inquisitio, dicta διαψήφισις Harpocrationi, fieri solebat; qui autem illegitimi esse comperiebantur, de civitate pellebantur: fuit & forum juridicum in Cynosarge in Athenarum suburbiis, ubi explora- B bantur hi homines. Nec ii, quorum alteruter parens Atheniensis erat, licet civitate donati, pares censebantur iis qui utroque parente Atheniensi nati erant; Plutarchus enim in *Themistocle* tradit, dum hi in gymnasiis intra civitatem sua certamina peragebant, illis simulque advenis ea exercere licuisse tantum in Cynosarge gymnasio herculi, qui ipsemet fuit illegitimus, eo quod non a duobus Diis immortalibus, sed a matre mortali satus esset, dicato: Themistocles autem hoc opprobrium indignatus, plures adolescentes nobiles persuasit, ut ei comites se adjungerent ad Cynosargem, ibique C uncti in certamina descenderent, sic enim discrimen inter ingenuos nobiles & peregrinos, inter illos, quorum uterque, & illos quorum alteruter tantum parens Atheniensis erat, callide tollere intendebat. Vide *Archæologiæ* hujus *l.* I. c IX.

Nulla unquam ætate, quantum novi, (quidquid alii e contrario asserant) si excipias illa sæcula, in quibus sine lege & regimine vivebant, promiscuisque copulationibus & omni impudicitiæ generi indulgebant homines, opprobrium censebatur νοθεία seu *spurii conditio*. Eustathius quidem *ad Iliad.* θʹ. *p.*599. *Edit. Basil.* contendit concubinarum earumque filiorum tempore belli Trojani æquam fuisse D existimationem ac uxorum filiorumque legitimorum; sed ei falsi dicam scribit tota antiquitas, in nullo enim Veterum unquam exemplum offendi, quod tam absonæ opinioni faveat: non diffiteor, quin pellicum & nothorum dignitas sæpius major quam uxorum & liberorum legitimorum fuerit; sed illud iniquo virorum amori, quem mulieres, prout forma præstabant artesque placendi callebant, accendere noverant, non vero illorum temporum consuetudini tribuendum est: novi Eustathium eo argumento potissimum uti, quia Agamemnon Teucrum ad præclara facinora hortans νόθον nuncupat, quando omnino extra propositum fo- E ret ei nomen convitiosum tribuere; Herois verba sic sonant *Iliad.* θʹ. *vers.*281.

Τεῦκρε, φίλη κεφαλὴ, Τελαμώνιε, κοίρανε λαῶν,
Βάλλ' οὕτως, αἴκεν τι φόως Δαναοῖσι γένηαι
Πατρί τε σῷ Τελαμῶνι, ὅ σ' ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα,
Καί σε νόθον περ ἐόντα κομίσσατο ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

Teucer, charum caput, Telamonie, princeps populorum,
Jaculare sic, si forte quid lumen Danais fias
F *Patrique tuo Telamoni, qui te educavit parvulum existentem,*
Et te spurium licet existentem studiose aluit sua in domo.

In quibus verbis Teucri Telamonis nothi fortem animum duobus potissimum argumentis accendere studet Agamemnon; primo, quia sua fortitudine Græcos a manu hostium, qui quotidie in illos invalebant, eripere posset; secundo vero, quia tam præclaro facinore patris famam aucturus foret, cujus dignitas ipsi eo magis cordi esse debebat, qui

A tam insignia beneficia ab eo retulerat; quandoquidem, licet spurius foret, diligenti cum cura educatus fuisset, nec in loco quodam remoto, sed sub ipsius Telamonis oculis atque ædibus; hæc tam longe absunt ab æqualitate legitimorum liberorum cum illegitimis demonstranda, quin potius contrarium evincant; particula enim περ nomini νόθον postposita satis indicat illis diebus nothos utplurimum neglectos fuisse: nec Agamemnonem illum eo nomine vocantem perperam inducit Poeta; quandoquidem id omnibus Græcis innotuerat, & procul dubio ex obsequio, quod Ajaci fratri paterno & Telamonis filio legitimo præstabat ipse Teucer, continuo animadvertere licebat; sed quæ di-
B ximus firmari possunt ex verbis, quibus Teucrum alloquitur Agamemnon apud Sophoclem: inde enim constabit, quantum discrimen interfuerit inter legitimos & illegitimos filios, & nominatim quanto opprobrio verterit Teucro, quod ex matre captiva & concubina, licet sanguine regio sata, natus foret, in *Ajace vers.* 1250.

Σὲ δὴ τὰ δεινὰ ῥήματ' ἀγγέλλουσί μοι
Τλῆναι καθ' ἡμῶν ὧδ' ἀνοιμωκτεὶ χανεῖν,
Σέ τοι τὸν ἐκ τῆς αἰχμαλωτίδος λέγω·
Ἦπου τραφεὶς ἂν μητρὸς εὐγενοῦς ἄπο,
C *Ὑψηλ' ἐκόμπεις, κἀπ' ἄκρων ὡδοιπόρεις,*
Ὅτ' οὐδὲν ὢν, τοῦ μηδὲν ἀντέστης ὕπερ,
Κοὔτε στρατηγοὺς, οὔτε ναυάρχους μολεῖν
Ἡμᾶς Ἀχαιῶν, οὔτε σοῦ διωμόσω;
Ἀλλ' αὐτὸς ἄρχων, ὡς σὺ φῂς, Αἴας ἔπλει·
Ταῦτ' οὐκ ἀκούειν μεγάλα πρὸς δούλων κακά;

Nunciatur mihi te atrocia dicta
Contra nos impune effudisse,
Te, inquam, dico, qui ex bello capta natus es:
Si te mater nobilis peperisset,
Quam superbe loquereris, & quam alte incederes,
D *Quando nunc homo nihili, pro eo qui non est, adeo depugnas,*
Et nos neque duces esse nec gubernatores
Græcorum, aut tuos, dejerasti?
Sed Ajax ipse dux, ut tu ais, fuit:
Hæc annon turpe est ex homine servo audire?

Nonnulli contendunt regum & magnatum nothos solos cum legitimis liberis in pari fuisse existimatione: diffiteri nollem, quin procerum majorem quam privatorum hominum nothorum fuisse dignitatem; sed legitimorum & illegitimorum Principum libe-
E rorum parem fuisse existimationem non constat; imo, contrarium ex Teucri, cujus ambo parentes regii erant, exemplo mox citato liquet: idem aliis exemplis, quorum unicum afferam, demonstrari posset; nimirum illud Ionis, qui, licet ex patre Apolline & matre Creusa Athenarum regis uxore natus, tamen duram sortem, quod illegitimus foret, dolet apud Euripidem *Ione vers.* 589.

—— εἶναί φασι τὰς αὐτόχθονας
Κλεινὰς Ἀθήνας, οὐκ ἐπείσακτον γένος,
Ἵν' εἰσπεσοῦμαι δύο νόσω κεκτημένος,
Πατρός τ' ἐπακτοῦ, καὐτὸς ὢν νοθαγενής;
F *Καὶ τοῦτ' ἔχων τοὔνειδος, ἀσθενὴς μὲν ὤν,*
Μηδὲν κ' οὐδὲν ἐνθάδ' ὢν κεκλήσομαι.

—— dicunt indigenas esse
Inclytas Athenas, nec aliunde adductum genus,
Quo me intrudam duobus morbis laborans,
Patre inquilino natus, *& ipse nothus existens?*
Et hoc habens probrum, infirmus quidem ac homo privatus *manens,*
Nullius pretii vir ibi vocabor, & contemnar.

Objici quidem potest (prout Servius notat) regum nothos in patris solium sæpius successisse; sed simul notandum est, illud tantum contigisse, (prout idem Auctor subjungit) deficientibus legitimis liberis; nec tum semper licuit: in nonnullis locis ignobilium parentum spurii, quando legitimi liberi & cognati deerant, bona paterna hæreditario jure accipiebant, sicut patet ex lege Atheniensi a Demosthene *Orat. in Macartatum* citata: quando autem aderant cognati, nothos exclusos fuisse liquet ex dialogo inter Pisthetærum & Herculem apud Aristophanem; Herculi enim, cui nimis credulo imposuerat Neptunus, quasi Jovis legitimus hæres foret, fraudem detexit Pisthetærus, quandoquidem eum certiorem facit, eo quod illegitimus foret, omni jure hæreditatis cernendæ excidisse, & ad sententiam firmandam Solonis legem de hac re adducit; locus quidem prolixus est, sed, quia ad rem præsentem plurimum facit, & genuinam Atheniensium consuetudinem exhibet, non prætermittendum censeo; occurrit in *Avibus pag.* 602. *Edit. Amstelod.*

ΠΕ. *Οἴμοι τάλας γ' οἷόν σε περισοφίζεται;*
Δεῦρ' ὡς ἐμ' ἀποχώρησον, ἵνα τί σοι φράσω.
Διαβάλλεταί σ' ὁ θεῖος, ὦ πόνηρε σύ·
Τῶν γὰρ πατρῴων οὐδ' ἀκαρεῖ μέτεστί σοι
Κατὰ τοὺς νόμους· νόθος γὰρ εἶ, κοὐ γνήσιος.
ΗΡ. *Ἐγὼ νόθος; τί λέγεις;* ΠΕ. *Σὺ μέντοι νὴ Δία,*
Ὤν γε ξένης γυναικός· ἢ πῶς ἄν ποτε
Ἐπίκληρον εἶναι τὴν Ἀθηναίαν δοκεῖς,
Οὖσαν θυγατέρ', ὄντων ἀδελφῶν γνησίων;
ΗΡ. *Τί δ' ἢν ὁ πατὴρ ἐμοὶ διδῷ τὰ χρήματα*
Τὰ νοθεῖ' ἀποθνήσκων; ΠΕ. *Ὁ νόμος αὐτὸν οὐκ ἐᾷ·*
Οὗτος ὁ Ποσειδῶν πρῶτος, ὃ ἐπαίρει σε νῦν,
Ἀνθέξεταί σου τῶν πατρῴων χρημάτων,
Φάσκων ἀδελφὸς αὐτὸς εἶναι γνήσιος·
Ἐρῶ δὲ δὴ καὶ τὸν Σόλωνός σοι νόμον·
" *Νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχι-*
" *στείαν, παίδων ὄντων γνη-*
" *σίων· ἐὰν δὲ παῖδες*
" *Μὴ ὦσι γνήσιοι, τοῖς*
" *Ἐγγυτάτω τοῦ γένους*
" *Μετεῖναι τῶν χρημάτων.*
PI. *Ah me miserum! qualiter te circumvenit?*
Huc ad me accede, ut quid tibi dicam.
Criminatur te patruus, o ignare tu:
Bonorum enim paternorum ne quidem minimum participatur tibi
Secundum leges: spurius enim es, & non legitimus.
HE. *Ego spurius? quid dicis?* PI. *Tu quidem per Jovem*
Existens advenæ mulieris: an aliquo modo unquam
Hæredem esse Minervam putas,
Existentem filiam, existentibus fratribus legitimis?
HE. *Quid autem si pater mihi dat pecunias*
Spurio moriens? PI. *Lex ipsum non finit:*
Hinc Neptunus primus, qui extollit te nunc,
Usurpabit tuas paternas opes,
Dicens fratrem se esse legitimum:
Recitabo & tibi jam Solonis legem:
" *Spurio autem non esse affi-*
" *nitatem, filiis existentibus legi-*
" *timis: si vero filii*
" *Non sunt legitimi, his*
" *Proximo genere*
" *Participationem esse bonorum.*

Quo in loco, licet Herculi afferat Pisthetærus, *νοθεῖα χρήματα* referre per legem ei non licitum esse,

esse, hæc tamen intelligenda sunt de æquali hæreditatis parte, qua nunquam gaudebat nothus, quando patri fuerunt cognati, qui erant legitimi hæredes: ipsi enim nothi paternorum bonorum certam portionem sortiebantur: dona filiis suarum concubinarum, hæreditatem vero Isaaco filio suo legitimo dedisse Abrahamus dicitur *Gen. cap.* XXV. *vers.* 6. pariter Atheniensium Legislator eis assignarat quinque minas, sive quingentas drachmas; quæ postea auctæ in decem minas, sive drachmas mille, quæ νοθεῖα, id est, *nothi pars*, dicebantur; vide Aristophanis Scholiastem *in locum citatum*, & Suidam *Voc.* Νοθεῖα: diversa autem erat illa dos pro tempore & loco; in ipsis Rebuspublicis, quæ certa legum forma regebantur, nothorum sors a patris lubitu omnino pependisse traditur, cui illos in familiam suam cooptare, & æquam cum legitimis filiis dotem eis assignare licebat, nisi quod hi bona paterna dividendi jure gaudebant. Exemplum nobis exstat duorum filiorum, quorum alter ex legitimo matrimonio, alter vero ex captiva matre natus erat; quia autem patrimonii distributio ad priorem pertinebat, hinc totam hæreditatem, illinc vero fratris paterni matrem constituit, ut eum ad duram necessitatem redigeret, vel matrem in captivitate relinquere, vel bonorum paternorum sortem abdicare, prout tradit Sopater.

Athenis, qui legitimis filiis carebant, suas opes filiabus assignare lege tenebantur, dummodo genere proximis nuberent, alias hæreditate exciderent: hæc autem consuetudo apud Judæos pariter obtinebat, quorum pleræque leges a Solone transcriptæ videntur: hæ virgines, sive solæ hæredes, sive cohæredes, a Solone dicuntur περικληρίτιδες, ab aliis πατροῦχοι, vel vulgatissimo nomine ἐπίκληροι, & quandoque, referente Eustatio *ad Iliad.* ή. *pag.* 545. *Edit. Basil.* μάνδαι: his autem & earum proximis cognatis licebat a se mutuo conjugium postulare, quod si altera partium recusasset, altera ei dicam scribebat, idque dicebatur ἐπιδικάζεσθαι, quod omnibus causis forensibus in genere tribuitur; unde hæ hæreditates, de quibus coram judice lis erat, κληρονομίαι ἐπίδικαι, quæ vero iis excidebant sine litibus, ἀνεπίδικαι dicebantur: alii volunt, sive lites fuerint, necne, proximum cognatum, si civem, in Archontis, sin vero advenam, in Polemarchi foro, virginem in uxorem, ejusque hæreditatem reposcere, obstrictum fuisse, idque dicebatur ἐπιδικάζεσθαι, & quolibet anni mense, excepto Scirrhophorione, eo quod in rationibus componendis & reddendis eum insumebant magistratus, teste Petito *in Leges Atticas*, qui & alibi consulendus, licitum fuit. Mox citata lex de connubiis virginum hæredum argumentum est Apollodori fabulæ, quæ Επιδικαζόμενος, vel juxta Donatum, qui eam de virgine virum coram judice poscitante interpretatur, Επιδικαζομένη inscribitur: hanc Latine vertit & *Phormionem* vocavit Terentius, in qua hæc carmina de lege mox dicta occurrunt *Act.* I. *Scen.* II.

Lex est, ut orbæ, qui sint genere proximi,
Iis nubant, & illos ducere eadem hæc lex jubet.

Præterea statutum est, ut, quando pater, filia viro elocata, deinceps obibat orbus filiis, qui patrimonii hæredes forent, hæreditatem & uxorem a conjuge repeteret genere proximus, quem morem vulgarem fuisse tradit Isæus *Orat. de Pyrrhi hæredibus.*

Qui legitima prole carebant, quoslibet, sive suos nothos, sive (consentientibus parentibus) alienæ familiæ filios adoptare permittebantur: at hoc privilegio merito excludebatur, qui non erat κύριος τῶν ἑαυτοῦ, *suarum rerum dominus*: quales erant servi, fœminæ, insani, pueri viginti annis

A minores: his enim nec testamentum facere, nec adoptare licebat; quicumque autem sic adoptatus Athenis primo civitate donabatur, si non esset civis, nemini enim peregrino licebat in hæreditate succedere; deinde illorum nomina in patris adoptivi tribum & custodiam referebantur, non autem eodem mense quo proprii liberi solebant, sed festis, quæ dicebantur Θαργήλια, in mense Thargelione. Hoc in negotio maximam cautelam adhibebant Lacedæmonii, ut enim præcipites & inconsideratas adoptiones prævertererent, eas in conspectu regis confirmari lege jusserunt. Hi liberi adscititii dicebantur παῖδες θετοὶ, aut εἰσποιητοί:
B omnibus autem privilegiis & immunitatibus gaudebant, ut & ad omnia munia patris adoptivi propriorum liberorum obeunda obstricti erant: si autem in familiam suam redire cuperent, Athenis per leges iis non licebat, nisi prius liberos, qui patris adoptivi nomine nuncuparentur, procreassent; quod si recusassent, tum illorum adoptio, tum jus hæreditarium in ea fundatum frangebantur; quando quis post adoptionem prolem legitimam gignebat, ejus bona inter genitos & adoptivos liberos æqualiter distribuebantur: vid. Harpocration, Isæus *de Aristarchi hæred.* & *de Philoctemonis hæred.* Aliqui existimant Athenis non li-
C cuisse viro uxorem ducere quamdiu filius adoptatus viveret, nisi a judicibus id impetraret: unde Leogoras ab Andocide Rhetore adoptivo filio male habitus, a judicibus petiisse veniam ducendi uxorem dicitur, ut refert Joannes Tzetzes *Chiliade* VI. *Hist.* XLIX. Adoptati autem nullam cognationem habebant cum agnatis patris naturalis, cujus e familia transierant: unde nec potuerunt eorum hæreditatem vendicare ἀγχιστείας jure, nisi ejurata adoptione. Vid. Isæus *de Astyphili hæreditate*. Hoc in loco non prætereundum, olim legitimos filios bona paterna sortibus inter se dividere soli-
D tos esse, quandoquidem omnes pari jure gaudebant, nulla primogenituræ ratione habita; illegitimis autem liberis modica portio addicebatur: sic Castoris Cretensis filios, quorum unum se fingit, bona paterna inter se distribuisse, narrat Eumæo Ulysses ξ'. *vers.* 200.

Ἐκ μὲν Κρητάων γένος εὔχομαι εὐρειάων
Ἀνέρος ἀφνειοῖο πάϊς· πολλοὶ δὲ καὶ ἄλλοι
Υἱέες ἐν μεγάροις ἠμὲν τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
Γνήσιοι ἐκ ἀλόχου, ἐμὲ δ' ὠνητὴ τέκε μήτηρ
Παλλακίς, ἀλλά με ἶσον ἰθαγενέεσσιν ἐτίμα
Κάστωρ Ὑλακίδης, τοῦ ἐγὼ γένος εὔχομαι εἶναι·
Ὃς ποτ' ἐνὶ Κρήτεσσι Θεὸς ὡς τίετο δήμῳ
E Ὄλβῳ τε, πλούτῳ τε, καὶ υἱάσι κυδαλίμοισιν,
Ἀλλ' ἤτοι τὸν κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι
Εἰς Ἀΐδαο δόμους, τοὶ δὲ ζωὴν ἐδάσαντο
Παῖδες ὑπέρθυμοι, καὶ ἐπὶ κλήρους ἐβάλοντο,
Αὐτὰρ ἐμοὶ μάλα παῦρα δόσαν, καὶ οἰκί' ἔνειμαν.
Ex Creta quidem genus prædico lata
Viri divitis esse *filius: multi autem & alii*
Filii in ædibus & educati sunt & orti sunt
Legitimi ex uxore, me autem empta peperit mater
Pellex, sed me pariter cum propriis charum habebat
F *Castor Hylacides, hujus ego genus prædico esse:*
Qui quondam in Cretensibus ut Deus colebatur populo,
Fortunisque, divitiisque, & filiis honestis,
Sed certe illum fata iverunt mortis ferentia
Ad Ditis domos, facultates autem diviserunt
Filii magnanimi, & sortes jecerunt,
At mihi valde pauca dederunt, & propria attribuerunt.

Illorum, quibus nec legitimi, nec adoptivi fue-

runt liberi, bona hæreditate accipiebant proximi cognati, prout liquet ex dialogo inter Herculem & Pisthetærum supra citato: hæc consuetudo in ipsis Trojani belli temporibus obtinuit, quandoquidem ejus meminit Homerus, quando de duorum Phænopis filiorum cæde a Diomede patrata disserit *Iliad.* ε. *verf.* 155.

Ἔνθ' ὅ γε τοὺς ἐνάριζε, φίλον δ' ἐξαίνυτο θυμὸν
Ἀμφοτέροιν, πατέρι δὲ γόον καὶ κήδεα λυγρὰ
Λεῖπ', ἐπεὶ οὐ ζώοντε μάχης ἐκνοστήσαντε
Δέξατο, χηρωσταὶ δὲ διὰ κτῆσιν δατέοντο.

Tum ille hos interfecit, eorumque eripuit animam
Amborum: patri vero luctum & curas tristes
Reliquit, quoniam non vivos ex pugna reversos
Accepit, bonorum vero hærede carentium curatores hæreditatem partiti sunt.

Hoc quidem in loco Eustathius & vetus Scholiastes contendunt χηρωστὰς fuisse quosdam Magistratus, quibus addicta erant bona illorum, qui moriebantur χηρεύοντες τῶν διαδόχων, id est, *legitimis hæredibus orbi*, sed nil impedit quin de cognatis interpretetur istud nomen; eos enim, qui cognatorum liberis orborum bona hæreditate accipiebant, dictos fuisse χηρωστὰς liquet ex veteribus Grammaticis, nominatim Hesychio *Voc.* Χηρωσταὶ, & Polluce: idem vocabulum usurpavit Hesiodus, sed an illo vel hoc sensu itidem dubium est, in *Theogonia verf.* 603.

Ὃς κε γάμον φεύγων καὶ μέρμερα ἔργα γυναικῶν
Μὴ γῆμαι ἐθέλῃ, ὀλοὸν δ' ἐπὶ γῆρας ἵκηται,
Χήτει γηροκόμοιο, ὅδ' οὐ βιότου ἐπιδευὴς
Ζώει, ἀποφθιμένου δὲ διὰ κτῆσιν δατέονται
Χηρωσταί. ——

Qui nuptias refugiens & laboriosa opera mulierum
Non uxorem ducere velit, gravem vero attigerit senectam,
Carens senectutis suæ fomento, si non sine opibus
Vivat, mortui possessionem inter se dividunt
Remoti cognati. ——

Nec multum refert, sive hæc, sive illa interpretatio his in locis admittatur, quia Veterum moribus utramque simul convenire certum est; ut enim defunctorum bona jure hæreditario accipiebant cognati superstites, sic illorum, qui sine legitimis hæredibus moriebantur, facultates Principi, vel Republicæ, vel supremo Magistratui, prout singularum civitatum leges jubebant, addictæ erant.

Quoad testamenta, non eadem fuit consuetudo apud Græcos: in nonnullis Rebuspublicis de suis bonis statuere cuivis, in aliis vero nemini licitum erat. Legem laude dignam de testamentis a Solone latam fuisse scribit Plutarchus in *ejus Vita*. Antea enim sua bona alio quam in suam familiam testamento collocare nemo permittebatur, ipse autem concessit ut cuilibet illa donarent; quia amicitiam cognatione, benevolentiam vero necessitate arctius vinculum esse existimabant; sic in cujuslibet potestate erat de suis bonis, quomodocumque placeret, statuere: tamen non quælibet testamenta legitima censebantur, sed testatores certis legibus adstricti erant.

1. Ut Athenarum cives essent, non vero servi, nec advenæ, horum enim bona fisco publico addicebantur.

2. Ut viri essent, idque adultæ ætatis: nam puero ante annum vicesimum non licebat ultra medimnum hordei testamento legare, uti nec fœminæ. Vid. Isæus *de hæred. Aristarchi*.

3. Nec adoptivi; eorum enim, qui adoptati erant, quando sine prole peribant, facultates, quas adoptione acceperant, patris adoptivi cognatis reddebantur. Vid. Demosthenes *Orat. in Leocharem*.

4. Quando nulli mares liberi iis fuerant; horum enim fuit patrimonium; quando vero solas filias procrearant, ii, quibus obveniebat hæreditas, eas ducere tenebantur, juxta Isæum *Orat. de Pyrrhi hæred.* Nihilominus licebat liberis suis hæredes substituere, quibus successio erat, si liberi ante vicesimum annum decederent. Vid. Demosthenes *Orat.* β'. *in Stephanum testem*.

5. Mentis compotes esse debebant, quandoquidem testamenta, quæ in morbo phrenetico, aut in senectutis delirio extorquebantur, illorum, quibus tribuebantur, revera non erant.

6. Nec in carcere detenti, nec ullo alio modo coacti; tum enim illorum consensus coactus, nec spontaneus merito censebatur.

7. Nec eo allecti uxoris blanditiis; perspicax enim ille Legislator (inquit Plutarchus) jure merito nullum discrimen posuit inter fraudem & necessitatem, adulationem & coactionem; ambo enim ad rationem humanam pervertendam æque valent. Leg. Demosthenes *Orat.* β'. *in Stephanum testem*.

Testamentis utplurimum nomina subscribebant plures testes, eaque sigillis appositis firmabant; deinde in manibus curatorum nomine ἐπιμελητῶν, qui iis præstandis prospiciebant, tradebantur. Athenis mos erat in conscribendis testamenti tabulis, ad majorem earum confirmationem & ratihabitionem, magistratum advocare, & quidem nominatim Astynomum, uti constat, ex Isæi *Orat. de Cleonymi hæreditate*. Harpocration e Dinarcho observat in Archontum præsentia obsignata fuisse testamenta, δόσις ἰδίως μὲν λέγεται παρὰ τοῖς ῥήτορσι, συμβόλαιον γραφόμενον ὅταν τις τὰ αὐτοῦ διδῷ τινι διὰ τῶν ἀρχόντων. Eadem apud Suidam occurrunt: ex quibus verbis id etiam notari meretur, quod δόσις, etsi communiter *munus* vel *donationem* significet, tamen apud Rhetores specialiter sumitur pro testamenti tabulis, quibus quis hæres instituitur; ita ut δοῦναι & διαθέσθαι sint voces synonymæ: hinc Isæus ἐν κληρικοῖς λόγοις conjunctive plerumque διαθέσθαι καὶ δοῦναι dixit, & κατὰ δόσιν καὶ κατὰ διάθεσιν succedere: quæ opponi solent successioni κατὰ γένος: hæc ab intestato erat, altera ex testamento. Denique factum est aliquando, ut nullæ testamenti tabulæ scriberentur, sed testator voluntatem suam pro concione declararet, & viva voce nuncuparet, quemadmodum apud Romanos in comitiis calatis fiebat: quod ex *Alcibiade* Plutarchi colligitur, quo loco Callias conjurationem in se factam metuens, pro concione bona sua legavit: Ὁ δὲ Καλλίας (inquit) ἐπιβουλὴν δεδοικὼς προσῆλθε τῷ δήμῳ, τὰ χρήματα διδοὺς καὶ τὸν οἶκον, ἄνπερ αὐτῷ συμπέσῃ μὴ καταλιπόντι γενεὰν ἀποθανεῖν. Diversæ testamentorum formulæ, ut Aristotelis, Lyconis, Theophrasti, exstant apud Diogenem Laertium: ex iis constat communem fuisse formulam, cujus initio vitam & sanitatem sibi precabantur; subjuncto, quod si alias iis contigisset, sic testamento de suis bonis se statuere, his verbis, Ἔσται μὲν εὖ, ἐὰν δέ τι συμβῇ, τάδε διατίθεμεν.

Audivimus bona paterna liberis hæreditate cessisse; nunc pergamus ad illorum præclare facta, quorum merces ad posteros non raro manavit. Nec solum inanes laudes, vanaque honoris insignia, aut reverentiam, licet & hæc in integras virorum, qui de Republica bene meruerant, familias profunderentur, sed & ampliora animi grati specimina referebant, quæ tantorum virorum me-

moriæ & cognatis deberi censebantur. In pluribus A locis eorum liberis prospectum est, iidemque educati sunt pro genere ex publico thesauro, quando bonis carebant: horum virorum, qui pro patria fortiter pugnando fatis cesserint, liberorum quantam curam habuerint Athenienses, superius ostendimus; quomodo autem habuerint prolem illorum, qui alias de Republica bene meriti fuerant, constabit uno & altero exemplo: primo illo Aristidis, cujus, quia pauper obierat, in filium Lysimachum centum libras Atticas argenteas, simulque prædium tot jugerum contulit populus Atheniensis; imo, suadente Alcibiade, quatuor drachmas in diem ei statuerunt; præterea mortui Lysimachi filiæ Poly B critæ eamdem frumenti annonam, quam victores in ludis Olympicis consequebantur, decreverunt. Ejusdem Aristidis binæ filiæ ex publico ærario trecentas drachmas pro dote acceperunt. Nec mirum videri debet (pergit noster Auctor) si eorum, qui in civitate agebant, tantam curam habuerit populus Atheniensis; quum enim audivissent Aristogitonis neptim in insula Lemno tam egenam esse, ut viro unquam carere videretur, eam Athenas accersiverunt, & viro genere claro elocatæ prædium pro dote dederunt: hujusmodi autem liberalitatis & humanitatis hac nostra ætate plura specimina prodidit civitas Atheniensis, qua de causa eam omnes C merito laudant & mirantur, teste Plutarcho in *Aristide*.

Parentum vitia turpiaque facta in liberorum pœnam pariter redundabant: æquum enim censebatur, ut qui parentum prosperis & bona fortuna gaudebant, eorum damnis & delictis similiter participarent. Nullis argumentis flecti voluit Agamemnon, ut Antimachi filiis parceret, quia Menelai & Ulyssis vitæ, quando Trojam in legationem irent, insidiatus fuerat illorum pater, apud Homerum *Iliad. λ'. vers.* 138.

D

Εἰ μὲν δὴ Ἀντιμάχοιο δαΐφρονος υἱέες ἐστὸν,
Ὅς ποτ' ἐνὶ Τρώων ἀγορῇ Μενέλαον ἄνωγεν
Ἀγγελίην ἐλθόντα σὺν ἀντιθέῳ Ὀδυσῆϊ
Αὖθι κατακτεῖναι, μηδ' ἐξέμεν ἂψ ἐς Ἀχαιούς,
Νῦν μὲν δὴ τοῦ πατρὸς ἀεικέα τίσετε λώβην.
Si ergo Antimachi bellicosi filii estis,
Qui quondam in Trojanorum concione Menelaum
jubebat
Legatum profectum cum divino Ulysse
Illic interficere, neque dimittere rursum ad Achivos,
Nunc patris certe luetis indignam injuriam.

Plura alia occurrunt hujusmodi exempla, ex qui- E bus constat hanc consuetudinem non quorumdam hominum iracundiæ aut iniquis odiis adscribendam esse, sed æquo & justitiæ convenisse creditam esse: hoc in loco tantum adducam celebrem illam Macedonum legem, qua non solum ipsimet qui in regem conjuraverant, sed & eorum liberi & cognati morte damnabantur; quocirca Curt. *l.* VI. haud procul a fine scribit, quando conjurationis in Alexandrum factæ convictus fuit Philotas, ex nobilibus aliisque cognatione ei junctis, alios sibi mortem conscivisse, alios vero in loca deserta confugisse, donec veniam diplomate regio consecuti fuissent. F

Superest, ut pauca de liberorum animo grato erga parentes subjungam, cujus specimina dabant quando in abjectissimis officiis persolvendis iis assidui præsto erant: unde suam filiam ejus pedes lavasse & unxisse narrat quidam apud Aristophanem in *Vespis pag.* 458. *Edit. Amstelod.*

—— καὶ πρῶτα μὲν ἡ θυγάτηρ με
Ἀπονίζῃ, καὶ τὼ πόδ' ἀλείφῃ, καὶ προσκύψασα φιλήσῃ.
—— *& prius quidem filia me*
Lavet, ac pedes ungat, pronaque osculetur.

In parentum honore vindicando, & injuriis iis illatis ulciscendis acerrimos se præstabant; quocirca Orestem, eo quod de patris homicidis vindictam sumpserat, ab omnibus Græcis laudari, ejusque nomen apud posteros celebratum iri asserit Telemachus apud Homerum *Odyss. γ'. vers.* 203.

Καὶ λίην κεῖνος μὲν ἐτίσατο, καί οἱ Ἀχαιοὶ
Οἴσουσι κλέος εὐρὺ, καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδήν.
Et jure ille quidem ultus est, & ei Achivi
Deferent gloriam latam, & posteris præmium.

Plura liberorum erga parentes animi grati testimonia adduci possent; hic tantum dicam, iis senibus alendis maxima cum sollicitudine prospexisse, idque dicebatur γηροβοσκεῖν, ut & iis defunctis parentandis: hujus beneficii desiderio ardet Medea apud Euripidem in *Medea vers.* 1032.

Ἦ μήν ποθ' ἡ δύστηνος εἶχον ἐλπίδας
Πολλὰς ἐν ὑμῖν, γηροβοσκήσειν τ' ἐμὲ,
Καὶ κατθανοῦσαν χερσὶν εὖ περιστελεῖν.
Profecto quondam infelix habui spem
Magnam in vobis sitam, fore videl. ut senio gravem me nutriretis,
Et mortuam manibus recte componeretis.

Si unquam eum mori tradiderit, neminem superfuturum, qui vel ejus, dum in vivis erit, curam habeat, vel ei defuncto justa persolvat, partem monens inducitur Admetus apud eundem Poetam in *Alceftide vers.* 662.

Τοιγὰρ φυτεύων παῖδας οὐκ ἔτ' ἂν φθάνοις,
Οἳ γηροβοσκήσουσι, καὶ θανόντα σε
Περιστελοῦσι, καὶ προθήσονται νεκρόν,
Οὐ γάρ σ' ἔγωγε τῇδ' ἐμῇ θάψω χερί,
Τέθνηκα γὰρ δὴ τοὐπὶ σ'. ——
Non igitur alios *liberos posthac ocyus procreabis,*
Qui te senem alant & mortuum te
Ornent, & tuum *procurent funus,*
Non enim ego te hac mea manu sepeliam,
Mortuus enim sum, quantum in te est. ——

De his officiis ita solliciti erant, ut nullum inceptum periculosum aggressi forent, nisi prius nonnullos amicos ad parentes ætate confectos alendos & protegendos obstrinxissent: sic Thebani Athenis exules, quando de patria a tyrannorum jugo, quod iis imposuerant Lacedæmonii, liberanda conjurassent, in duas partes distributi sunt, simulque consenserunt, ut earum altera urbem & hostem invadere moliretur, dum reliqui in Attica manentes exitum incœpti expectarent, ut si socii in molimine occubuissent, eorum parentibus & liberis prospicerent, teste Plutarcho in *Pelopida*. Ascanium, ut matrem solari & adjuvare dignetur, periculosam expeditionem suscepturus eleganti & pathetico sermone precatur Euryalus apud Virgilium *Æneid. l.* IX. *vers.* 238.

—— *sed te super omnia dona*
Unum oro: genitrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ;
Hanc ego nunc ignaram hujus quodcumque pericli
est,
Inque salutatam linquo; nox & tua testis
Dextera, quod nequeam lacrymas perferre parentis;
At tu, oro, solare inopem, & succurre relictæ;
Hanc sine me spem ferre tui; audentior ibo
In casus omnes. ——

Annona, quam parentibus præbebant liberi, dicebatur τροφεῖα, apud Poetas θρεπτήρια, aut θρέπτρα, & quandoque θρέπτα, aut apud Homerum *Iliad.* δ'. *verſ.* 478. Hujus autem officii neglectus dira impietas cenſebatur, quam inultam cedere Dii nullo modo ſinebant; unde inter ultimæ & ferreæ ætatis ſcelera liberorum contumaciam & irreverentiam in parentes, tanquam graviſſimum, quodque vindictam divinam arceſſebat, recenſet Heſiodus *Oper. & Dier. l.* 1. *verſ.* 183.

> Αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας,
> Μέμψονται δ᾽ ἄρα τοὺς χαλεποῖς βάζοντ᾽ ἐπέεσσι
> Σχέτλιοι, οὐδὲ Θεῶν ὄπιν εἰδότες, οὐδὲ μὲν οἵγε
> Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν.
> *Statim vero ſeneſcentes dedecorabunt parentes,*
> *Incuſabuntque illos moleſtis alloquentes verbis*
> *Impii, neque Deorum adſpectum veriti, neque hi ſane*
> *Senibus parentibus educationis præmia reddent.*

Nullum crimen iram divinam certius provocare, nec unquam effugere poſſe exiſtimabatur; Furiæ enim & alia inferna Numina ad parentum imprecationes in liberos, a quibus injurias acceperant, implendas ſemper in procinctu eſſe credebantur: matrem Penelopen ex domo ſua pellere detrectat Telemachus, ne a Furiis infeſtaretur, & ab hominibus exprobraretur, apud Homerum *Odyſſ.* β'. *verſ.* 134.

> ——— ἄλλα δὲ δαίμων
> Δώσει, ἐπεὶ μήτηρ ϛυγερὰς ἀρήσετ᾽ Ἐριννῦς
> Οἴκου ἀπερχομένη, νέμεσις δέ μοι ἐξ ἀνθρώπων
> Ἔσσεται. ———
> ——— *alia autem deus*
> *Dabit, poſtquam mater odioſas imprecata fuerit Furias*
> *A domo diſcedens, reprehenſio autem mihi ex hominibus*
> *Erit.* ———

Phœnix ſingulare pœnæ documentum tulit, eo quod Furias in filium auxilio vocarat pater apud Homer. *Iliad.* ι *verſ.* 454.

> ——— πατὴρ δ᾽ ἐμὸς αὐτίκ᾽ ὀϊσθεὶς
> Πολλὰ κατηρᾶτο, ϛυγερὰς δ᾽ ἐπεκέκλετ᾽ Ἐριννῦς,
> Μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
> Ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα. Θεοὶ δ᾽ ἐτέλειον ἐπαρὰς,
> Ζεύς τε καταχθόνιος, καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια.
> ——— *pater autem meus ſtatim ſuſpicatus*
> *Multa imprecatus eſt, horrendas autem invocabat Furias,*
> *Ne unquam genibus ſuis imponeretur dilectus filius*
> *Ex me genitus: Dii autem ratas fecerunt imprecationes,*
> *Jupiterque infernus, & horrenda Proſerpina.*

Plura alia exempla apud Auctores occurrunt, nominatim Oedipi, Theſei, aliorumque a Platone *de Legibus lib.* XI. adducta, quo in loco parentum preces exaudire, & injurias a liberis illis illatas Deos libenter ulciſci demonſtrare ſtudet. Nec ſoli Dii in illud ſcelus animadvertere dicebantur, ſed & de illo pœnas ſtatuerant homines: ſeveriſſimas leges tulit Solon, quæ jubebant, illos, qui parentes alere nolebant, ignominia affici, tradente Laertio in *Solone*; eamdemque pœnam ſubibat, qui parentes pulſaverat. Nec modo parentes, ſed avus & avia, cæterique progenitores ſub ea lege comprehenſi ſunt. Vid. Iſæus *de Chironis hæred.* quando autem Archontis officii candidati vitæ & morum examen ſubibant, primum inquirebatur, an parentes coluerint, necne? qui ſi illos neglexiſſe comperiebantur, repulſam ferebant.

Tamen certo caſu a parentum alendorum cura ſolvebantur liberi, ut qui ad nullam artem, nullumve vitæ inſtitutum, quo victum ſibi parare noſſent, educati fuerant; quia enim cura & ſollicitudo parentum fundamentum & baſis dicitur officiorum, quæ ab iis requiruntur, quando illi ſuo officio hac in parte deſunt, hi munere ſuo pariter ſoluti habentur: ſimiliter qui a parentibus proſtituti fuerant, ad eos ſuſtentandos non obſtricti erant, prout teſtatur Æſchines *Orat. in Timarchum*. Iterum filii meretricii nulla lege teneri ad patres fovendos cenſebantur; qui enim ſcortantur, non tam liberorum procreationem, quam Veneris expletionem quærere videntur; quocirca iis, quorum ortum tanquam infamem & probroſum repudiant, animi ingrati vitium nulla juſta de cauſa exprobrare poſſunt, teſte Plutarcho in *Solone*.

Ut autem parentum ſævitia idonea ratio habebatur, cur illos ſeniores fovere detrectarent liberi, ita ob inobedientiam & protérviam a parentibus non raro derelinquebantur & exhæredebantur liberi: parentes enim liberos, tam quos adoptaverant, quam quos genuerant, abdicare potuerunt; vid. Demoſthenes *in Spudiam*: tamen ex impotenti animi motu, aut levi de cauſa liberos hæreditate exuere vetabantur parentes ab Athenienſium Legiſlatore; etenim coram certis judicibus, quibus illarum cauſarum cognitio commiſſa erat, comparere tenebantur; vid. Lucian. in *Abdicato*; quod ſi compertum foret liberos tam ſeveram pœnam ſibi merito conflaſſe, publicus præco ſic proclamare ſolebat; Vir ille criminis convictum, cujus nomen audiebatur, filium abdicat: unde filium exhæredare ἀποκηρύξαι τὸν υἱὸν, & hæreditate exutus ἀποκήρυκτος dicebatur, juxta Heſychium; pariter exhæredari efferebatur ἐκπίπτειν τοῦ γένους, econtra juri hæreditario reddi erat ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸ γένος. Nec prætereundum liberos in gratiam recipere parentibus quidem licitum fuiſſe, ſed eos iterum abdicare vetitum: ne fierent ἀπέραντοι τῶν παιδῶν αἱ τιμωρίαι, καὶ πολλαὶ αἱ καταδίκαι, καὶ ὁ φόβος ἀΐδιος, ut ait Lucianus. Nolebant enim liberorum hominum animos perpetuo metu deprimi.

Quod ſi pater vi morbi, aut ſenectute deſiperet, nec rebus adminiſtrandis par eſſet, filio jus erat dicam ei apud τοὺς φράτορας intentare: & pater convictus a re familiari removebatur, liberis in eam poteſtate conceſſa. Cujus legis meminit Ariſtophanes in *Nubibus Act.* III. *Scen.* I. quo loco filius Strepſiadis ſic loquitur:

> Οἴμοι· τί δράσω παραφρονοῦντος τοῦ πατρός;
> Πότερον παρανοίας αὐτὸν εἰσαγαγὼν ἕλω;
> *Quid agam quando ita meus delirat pater? utrum*
> *In jus vocabo, & convincam delirii.*

Et quidem hujuſmodi in judicium Sophocles ab Iophonte filius vocatus eſt. Vid. Ariſtophanis Interpres *ad Ranas*, & Auctor *Vitæ Sophoclis*, in primis vero Tullius, qui in libro *de Senectute* ſic loquitur: *Sophocles ad ſummam ſenectutem tragœdias fecit: quod propter ſtudium cum rem familiarem negligere videretur, a filiis in judicium vocatus eſt, ut quemadmodum noſtro more male rem gerentibus patribus bonis interdici ſolet, ſic illum quaſi deſipientem a re familiari removerent judices. Tum ſenex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, & proxime ſcripſerat, Oedipum Coloneum, recitaſſe judicibus, quæſiſſeque, num illud carmen deſipientis videretur; quo recitato, ſententiis judicum liberatus eſt.*

CAP.

CAP. XVI.

De tempore capiendi cibi.

HUnc de Conviviis tractatum non incommode mihi videor in quinque partes dispescuisse.

Prima continebit cibum sumendi tempora.

Secunda tradet genera, & occasiones conviviorum.

Tertia eorundem materiam describet.

Quarta erit de ritibus ante convivium.

In Quinta de modo, ritibus, & ministris convivii agetur.

Ad tempora sumendi cibum quod attinet, Athenæus quatuor fuisse quolibet die refert. Ea erant I. Ακράτισμα, sive matutinus cibus, ita dictus a mero (ἀκράτε) in quo intinctas panis buccellas eo tempore edebant: id ab Homero *ἄριςον* dictum, quod Homeri Scholiastes circa solis ortum sumi tradit, nomenque habere ἀπὸ τῦ ἀείρειν, quod prima tollatur; vel potius ἀπὸ τῦ ἀριςᾶν, quod post hunc cibum heroes ad bellum profecti *fortia facta ediderint* in Iliad. β'. Aliud etiam nomen huic cibo inditum ἀκρατισμὸς, *jentaculum*. 2. Δεῖπνον, sic dictum, quia postea δεῖ πονεῖν, *laborare oportebat*, ut existimat idem Scholiastes; siquidem post hunc cibum ad belli opus revertebantur: quamobrem τῷ ἀρίςῳ συνωνυμεῖ, *idem aliquando significat quod ἄριςον, & pro matutino cibo accipitur*, ut observat Athenæus ex hoc versu Homeri,

Οἱ δ' ἄρα δεῖπνον ἕλοντ' ἀπὸ δ' αὐτῦ θωρήσσοντο.
Illi cum jentassent, arma induerunt.

3. Δειλινὸν, temporis *pomeridiani* cibus: aliquando ἑσπέρισμα dicitur. 4. Δόρπος, *cœna*, postea δεῖπνον dictus, τὸ καθ' ἡμᾶς λεγόμενον δεῖπνον, inquit modo laudatus Scholiastes. Idemque tradit ejus etymon esse ἰαύερπον, quoniam sumitur, ὅταν εἰς τὸ ἰαύειν πορευώμεθα, *ante dormiendum*. Philemon apud Athenæum hoc ordine recenset vetera cibi capiendi tempora, I. ἀκράτισμα. 2. ἄριςον. 3. ἑσπέρισμα. 4. δεῖπνον. Vid. Athenæus lib. I. cap. IX. At Scholiastes ille modo citatus, cui plerique etiam alii consentiunt, τρισὶ τροφαῖς τὺς παλαιὺς κεχρῆσθαι, *ter indies cibum a Veteribus sumtum* tradit, tertium illud tempus, quod δειλινὸν appellant, omittens. Neque profecto aliud fundamentum habuisse videntur, qui δειλινὸν seu ἑσπέρισμα a cæteris τροφαῖς distinxerunt, quam hoc Homeri hemistichium,

— σὺ δ' ἔρχεο δειελιήσας.

ubi δειελιήσας imperite exposuerunt de victu *post meridiem* capiendo, cum potius sit *commoratus tempus pomeridianum*: quod adeo certum alio in loco putavit Athenæus, ut pronunciaret illos esse γελοίυς, οἱ φάσκοντες ὅτι τέσσαρας ἐλάμβανον τροφάς· *ridiculos, qui tradunt* Veteres *quater* in die *cibum sumsisse*, lib. V. cap. IV.

Aliis visum est duo tempora fuisse cibi capiendi: nempe ἄριςον, & δόρπον, cætera ad hæc duo referri debere. Et ipse Athenæus loco citato tradit, neminem ostendi posse παρὰ τῷ ποιητῇ τρὶς λαμβάνοντα τροφάς· *apud Homerum, qui ter cibum sumeret*. Parcus enim fuit Veterum Cibus: & contenti erant si modicum jentaculum edentes, post labores finitos se saturarent. Unde Plato mirabatur Siculos atque Italos bis eodem die cibo repleri: & qui jentare, aut prandere ad saturitatem solebant, inter Græcos plerumque erant infames: quin nec ipsi Ciceroni *placuit bis in die saturum fieri*, Tusculan. V. Nec veteribus Romanis id usitatum fuit: nam *viles & rusticos cibos ante ipsos focos sumserunt, eosque ipsos capere nisi ad vesperam non licuit*, Salvianus lib. I. At Isidorus in Origin. *Est*, inquit, *cœna vespertinus cibus, quam antiqui* Vespernam *dicebant; in usu enim non erant prandia.*

CAP. XVII.

De conviviorum generibus.

APud Veteres, si Athenæo credimus, πᾶσα συμποσίυ συναγωγὴ τὴν αἰτίαν εἰς θεὸν ἀνέφερε, *omnia convivia Deorum causa instituta fuere*, lib. V. Nec mos erat οἶνον ἐπὶ πλεῖον, ὑτ' ἄλλην ἡδυπάθειαν προσφέρεσθαι, εἰ μὴ θεῶν ἕνεκα τῦτο δρῶνται, *vini copiam bibere, aut genio indulgere, nisi cum id in honorem Deorum faciebant*, ut narrat idem Auctor lib. II. In diebus itaque festis lautius vivere solebant, &, ut Ovidii verbis utar Fastor. lib. V.

— *mensæ credere adesse Deos.*

Qua opinione imbuti τὰς ἑορτὰς σωφρόνως καὶ κοσμίως διῆγον, *modeste ac decenter festa tempora transiebant*, neque *ad temulentiam bibebant*, sed modice refecti *postquam Diis libassent, domum redibant*, ut tradit Athenæus lib. VIII. prope finem cap. XVI.

Postea cum liberius vivere cœpissent, conviviorum tria genera in hoc Homeri versu numerantur.

Εἰλαπίν', ἠὲ γάμος, ἐπεὶ ὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐςίν.

Unde plerique tria distincta convivia apud Veteres fuisse existimant: verum ea ad duo facile reduci possunt, εἰλαπίνην & ἔρανον. Εἰλαπίνη autem, quam sæpe εὐωχίαν & ἀσύμβολον δεῖπνον adpellabant, erat convivium unius viri sumtu factum. E contra Ερανος dicebatur ἀπὸ τῦ συνερᾶν καὶ συμφέρειν ἕκαςον, *quod singuli convivæ symbolam suam conferrent*: ut docet Athenæus lib. VIII. ubi tradit hoc convivium aliquando θίασον adpellari, a quo convivæ συνθιασῶται, qui vulgo ἐρανιςαὶ dicuntur. Symbolam, quam quisque conferebat, vocabant συμφορὰν, εἰσφορὰν, καταβολὴν, συμβολὴν, &c. Unde hoc convivium aliquando dicitur δεῖπνον συμφορητὸν, συμβολιμαῖον, ἀπὸ συμβολῆς, καταβόλιον, item τὸ ἐκ κοινῦ, &c. Argivi symbolam peculiari voce χῶν dicebant. Denique, qui symbolis colligendis præerant, ἐρανιςαὶ vulgo dicebantur.

Huc forte referendum δεῖπνον συναγώγιμον, cujus mentio est in Alexidis fragmentis, & quod Menander συναγώγιον appellat: nam συνάγειν est μετ' ἀλλήλων πίνειν, *compotare*. Verum an hoc idem cum convivio e symbolis facto dubitare se fatetur Athenæus fine libri octavi.

Huc etiam pertinent δεῖπνα ἐπιδόσιμα, seu ἐξ ἐπιδομάτων, quæ fiebant e pecunia, quam convivæ conferebant ultra id quod debitum erat sive ex pacto, sive ex infelici jactu aleæ: id enim denotant voces ἐπίδοσις, & ἐπιδιδόναι.

Aliud hujus generis convivium est τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον, *e sportula cœna*. Cave tamen, ne cum Meursio Comment. in Lycophron. hanc cœnam confundas cum Romanis *sportulis*, quarum frequens mentio est apud Juvenalem, & Martialem, & in historiis Imperatorum. Romana enim sportula quædam eleemosyna erat, at cœna Græcorum ἐκ σπυρίδος dicitur, ὅταν τις αὐτὸς αὐτῷ σκευάσας δεῖπνον, καὶ συνθεὶς εἰς σπυρίδα, παρά τινα δειπνήσων ἴῃ, *cum cœna parata sibi quispiam, & in sporta recondita, ad alium proficiscitur, cum eo cœnaturus*: ut testatur Athenæus prope finem libri octavi. Quamobrem Hesychii explicatio de Romano more interpretanda, & ex rerum Romanarum auctoribus desumta, vi-

detur: *Ἀπὸ σπυρίδος δειπνεῖς, ἢ δειπνίζειν, τὸ ἀντὶ τοῦ δείπνου ἀργύριον καὶ μέρη ἐν σπυρίδι λαβεῖν, ἢ δοῦναι.*

Porro *ἔρανοι*, & ejusmodi convivia, tum pluribus convivis frequentari, tum etiam ad amorem conciliandum aptiora Veterum sapientes putabant, qui a minori sumtu apparari possent: unde Hesiodus hoc consilium præbet Ἐργ. β. v. 340.

Μηδὲ πολυξείνου δαιτὸς δυσπέμφελος εἶναι,
Ἐκ κοινοῦ· πλείστη δὲ χάρις, δαπάνη τ' ὀλιγίστη.
Neque a publico convivio aversus sis,
Ex communi enim plurima gratia, sumtusque minimus.

Hinc hoc quidem convivium *κόσμιον καὶ οὐδὲ πολυτελὲς, ἀλλὰ καὶ φειδωλῶς ἤσθιον ὡς τὰ πολλὰ οἱ ἐρανισταὶ, ὡς ἂν ἴδιον ἐσθίοντες ἕκαστος, decorum sine magno sumtu, convivis modice edentibus, cum singuli sua edebant*, ut ait Eustathius in Odyss. ά. p. 50. Edit. Basil. ubi plura quoque alia de conviviis, verum non diversa a modo dictis, occurrunt. Et tantum erat etiam apud priscos mortales inter *ἔρανον* & cætera convivia discrimen, ut aliquando vilis convivis statim distingui possent: unde in Odyssea conspecto procorum luxu & intemperantia Minerva facile colligit eum conventum non esse *ἔρανον*. Odyss. ά. v. 226.

—— οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν,
Ὥς τέ μοι ὑβρίζοντες ὑπερφιάλως δοκέουσι
Δαίνυσθαι κατὰ δῶμα· νεμεσσήσαιτό κεν ἀνὴρ
Αἴσχεα πόλλ' ὁρόων, ὅστις πινυτός γε μετέλθοι.
—— convivium e symbolis hæc non sunt,
Adeo mihi supra modum contumeliose videntur
Convivari per domum: indigne ferat utique vir
Quicunque cordatus intervenerit, tot flagitia videns.

Qui aderant sine symbola, *ἀσύμβολοι* dicebantur. Quales erant poetæ, cantores, morionesque, quorum ars ipsis collectæ loco cedebat: hinc Antiphanis illud apud Athenæum lib. I. cap. VII.

Ἄκαπνα γὰρ αἰεὶ ἀοιδοὶ θύομεν.
Nam cantores sine sumtu semper convivamur.

Nam *θύειν ἄκαπνα*, *sine fumo mactare*, idem est ac si dicas, sine sumtu parandarum epularum, iis frui, unde Leonides epigrammatum scriptor Cæsari versiculos offerens, dixit,

Καλλιόπης γὰρ ἄκαπνον ἀεὶ θύος.
Calliope enim semper sine fumo mactat.

hoc est, Musæ, eorumque cultores alienis impensis vivere solent. Aliquando *ἀσύμβολος* proverbiali usu denotat hominem ignavum, qui aliorum sumtu victitans, nihil in medium confert: qua ratione Plutarchus in Coriolano enarrans fabulam Menenii Agrippæ de membris adversus ventrem insurgentibus, refert cætera membra *κατηγορεῖν αὐτῆς, ὡς μόνης ἀργοῦ καὶ ἀσυμβόλου καθεζομένης, accusasse ventrem, quod solus e membris iners esset, & nihil ad communem utilitatem conferret.*

Denique non est prætereundum, publica fuisse convivia, quæ vel tota civitas, vel tribus aliqua, vel phratria, aliave societas hominum celebravit. Horum sumtus interdum ex *collectis*, interdum unius hominis liberalitate, aliquando etiam e fisco publico suppeditabatur. Hujusmodi convivia *συσσίτια, πανδαισίαι*, vel pro diversa convivarum ratione, *δημοθοινίαι, δεῖπνα δημόσια* & *δημοτικὰ, φρατερικὰ, φυλετικὰ* &c. dicebantur, prout iis *pagus*, *phratria*, vel tota *tribus* aderat. Instituta autem a legislatoribus feruntur, quo facilius cives parsimoniæ & frugalitatis studio assuefacerent, & ad mutuam benevolentiam atque amorem accenderent. Primo in Italia ab Italo rege, a quo regioni nomen est, instituta fuisse, refert Aristoteles de Repub. lib. VII. cap. X. Proxima his Cretenses Minois jussu celebrabant: quorum exemplo sua syssitia Spartæ instituit Lycurgus, verum nomen

A illic variatum, siquidem *τὰ συσσίτια*, Κρῆτες *μὲν ἀνδρεῖα· οἱ Λακεδαιμόνιοι δὲ φειδίτια προσαγορεύουσιν, syssitia Cretenses ἀνδρεῖα, Lacedæmonii φειδίτια vocant*; referente Plutarcho in Lycurgo: Tamen ut Aristoteles tradit, *τό γε ἀρχαῖον ἐκάλουν οἱ Λάκωνες οὐ φιδίτια, ἀλλ' ἀνδρεῖα καθάπερ οἱ Κρῆτες, antiquitus Lacones non vocabant φιδίτια, sed ἀνδρεῖα sicut Cretenses*. Hæc autem convivia communi sumtu & summa cum parsimonia apparabantur: Convivæ tam juvenes quam viri fuere; juniores enim tanquam ad *διδασκαλεῖα σωφροσύνης, ludum temperantiæ*, ventitabant; ut a seniorum exemplis ad bonos mores formarentur, & sermo-
B nes de Republica, & rebus maxime seriis susciperent. Athenienses etiam sua *συσσίτια* habuere, veluti illud, in quo Quingentorum Senatus, cum iis qui ob res præclare a se aut proavis suis gestas e publico fisco alebantur, cibum capiebant: verum ad singula descendere hujus operis ratio non patitur.

CAP. XVIII.

De materia Convivii.

C PRincipio fructibus e terra sponte natis famem depellere, & fontibus atque fluviis sitim levare, moris fuisse dicitur.

Quæ Sol atque imbres dederant, quod terra crearet
Sponte sua, satis id placabat pectora donum.

ut canit Lucretius lib. v. Glandibus & baccis præcipue nutriebantur: nam *rudes primum homines, & incuria sylvestri non multum a ferarum asperitate dissimiles meminit, vel fabulatur Antiquitas, traditque nec hunc eis, quo nunc utimur, victum fuisse, sed glande prius, & baccis alitos sero de sulcis sperasse alimoniam*, ut Macrobii verbis utar lib. II.
D cap. X. in somn. Scip. Ælianus fructuum genera, quibus prisci vitam sustentabant, enumeravit, referens *Argivos pyra, Athenienses ficus, Tirynthios sylvestria pyra, Indos arundines, Carmanos palmas, Mæotas & Sauromatas milium, Persas terebinthum & nasturtium, Arcadas autem glandes comedisse*, lib. III. cap. XXXIX. Et quidem adeo celebres sunt apud Poetas Arcadum glandes, ut inde peculiariter *βαλανηφάγοι* sæpe dicantur. Vid. Lycophron, ejusque Interpretes ad Cassandr. v. 482. Etsi illæ plerisque aliis gentibus in cibum cessisse dicantur: unde Athenis ritus erat nuptialis in me-
E moriam inventi frumenti institutus, ut puer patrimus matrimus spinas cum glandibus & canistrum panibus refertum ferens, clamaret *Ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον*. Vid. supra. Et apud Romanos civicæ coronæ fiebant *fronde querna, quoniam cibus victusque antiquissimus quernus capi solitus sit*, A. Gellius lib. I. cap. VI. quinetiam fagus & esculus, arbores glandiferæ, nomina habuere a Græco *φάγειν*, & Latino *esca*, quod primi mortales earum fructibus pro *esca* uterentur, ut refert Isidorus Orig. lib. XVII. cap. VII. Quamvis prius aureæ Ætatis tempore lautius vixerunt homines, quando, ut fingit Hesiodus Ἐργ. ά. v. 116.

F *—— ἐσθλὰ δὲ πάντα*
Τοῖσιν ἔην· καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον. ——
—— bona vero omnia
Illis erant: fructum autem ferebat fertilis terra
Sponte summa multum & copiosum. ——

Verum moribus in pejus mutatis felici illa vita in summam feritatem & inopiam exciderant, donec Cereris beneficio serendi artem edocti glandes humaniore victu commutabant: cujus rei quam memorem servabant animum ex eorum festis & sacri-

ficiis, aliisque partibus hujus Archæologiæ, patebit. Hoc autem munus primo Triptolemo a Cerere communicatum fuisse dicitur, is Atheniensibus suis impertiebatur, & postea Eumelo Patrensi, qui suis in Achaia concivibus idem beneficium tribuit, uti etiam Arcadibus Arcas. Vid. Pausanias Atticis, Achaicis, & Arcadicis. Quidam addunt, Panem consperso fruges coxisse primum. Verum fabularum satis. Illud tamen haud debet præteriri, quod primi homines post inventum frumentum solo hordeo pasti sint, Πρώτην γὰρ τροφὴν ταύτην ἂν ἀνθρώποις δεδόσθαι παρὰ θεῶν λόγος ἔχει. *Fertur enim illud frumenti genus a Diis fuisse mortalibus concessum*, ut ait Artemidorus lib. I. cap. LXXI. Atque ut tradit Plinius lib. XVIII. cap. VII. *Antiquissimum in cibis hordeum sicut Atheniensium ritu, Menandro auctore apparet: & gladiatorum cognomine, qui hordearii vocantur.* Verum postea, ut ejusdem Auctoris verba adhibeam, *panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus.* Tamen pauperibus in usu manebat, & apud Romanos milites immorigeri *hordeum pro frumento cogebantur accipere*, ut ait Vegetius De Re militari lib. I. cap. XIII. veluti cum in bello Punico secundo Marcellus cohortibus, quæ signa amiserant, hordeum præbuit, referente Plutarcho in ejus Vita, & Livio lib. XXV. Augustus etiam *cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit*, ut narrat Suetonius Augusto cap. XXIV.

Veteres, si Platoni credimus lib. VI. De Legibus, σαρκῶν ἀπείχοντο, ὡς οὐχ ὅσιον ὂν ἐσθίειν, οὐδὲ τοὺς τῶν θεῶν βωμοὺς αἵματι μιαίνειν· *a carnibus abstinebant, nefas existimantes animalibus vesci, aut eorum sanguine Deorum altaria polluere.* Quam rem suis testimoniis confirmant Dicæarchus apud Porphyrium, & alii plures. Sus ex animalibus prima in cibum cessisse dicitur, animal ad omnes alios usus inutile, cui *anima pro sale est ne putrescat*, ut Ciceronis verbis utar lib. II. De natur. Deorum. E contra bobus diu abstinebant, quod illi in terra colenda hominibus adjutores, eorumque laboris socii essent. Vid. Archæologiæ hujus lib. II. cap. de Sacrificiis. Quinetiam a teneris animalibus aliquamdiu abhorruisse dicuntur: unde, ut existimavit Athenæus, Priamus apud Homerum filiis suis exprobrat, quod agnos teneros in conviviis apponerent. Id vero factum, vel quod crudelitatis quandam speciem præberent vitam eripere ab iis qui vixdum ejus gaudia sensissent: vel conservandæ sobolis causa; qua ratione apud Athenienses in magna ovium caritate vetitum fuit ἀπέκτω ἀρνὸς γεύεσθαι, *intonsum agnum comedere*, ut ex Philochoro traditur. Nec raris & procul conquisitis carnibus utebantur, sed ovium, caprarum, suum, boumque quando eos mactare licuit, vel quas venatu, cui plurimum erant dediti, captare licuit, & quæcunque maxime parabiles essent, & *quarum usu valerent animo & corpore. Hinc victum omnibus simplicem tribuit Homerus, eumdemque regibus pariter ac privatis, juvenibus ac senibus. Ajacem post monomachiam cum Hectore boum tergore, tanquam honorario præmio, excipit Agamenon. Alcinoum quoque, quamvis delicatiori vitæ addictum, bubula vesci narrat. Quin & Menelaus, dum filiorum suorum nuptias celebrat, Telemacho bovis terga assa jussit apponi. Nam & in festis, & in alio quovis heroum victu iisdem cibis vescebantur*: adeo ut ne ipsi quidem *proci, quamvis petulantes & voluptate dissoluti, vesci piscibus, avibus, vel dulciariis memorentur.* Hæc & alia in eandem rem tradit Athenæus lib. I. pag. 9. Id quoque ab eodem observatur, carnes non elixas, aliisve modis apparatas, sed assas solum Heroibus ab Homero apponi solere: ζωμὸν δὲ οὐκ ἐποίει Ὅμηρος θύων βοῦς, οὐδ' ἧψε κρέα, οὐδ' ἐγκέφαλον, ὤπτα δὲ τὰς κοιλίας· οὕτω σφόδρα ἦν ἀρχαῖος. Servius etiam ad Æn. I. testatur, quod *heroicis temporibus non vescebantur carne elixa*, & Varronem scripsisse refert, Romanis primum in usu fuisse assa, secundo elixa, tertio jurulenta. Tamen alio in loco Athenæus elixæ carnis usum in heroicis temporibus non fuisse prorsus incognitum probat ex hoc Homeri versu,

> Ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ,
> Κνίσην μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο.
> *Sicut autem lebes fervet intus dum urgetur igne multo,*
> *Arvinam elixans bene saginati suis.*

Iliad. φ'. v. 362. Eodemque refert, quod apud eumdem poetam pes bubulus in Ulyssem in convivio conjectus fuerit, πόδα γὰρ βόειον οὐδεὶς ὀπτᾷ, *pedem enim bubulum nemo assat.*

Hæc erat veterum Græcorum moderatio, a qua Lacedæmonii parum defecere, quamdiu Lycurgi institutis sua constitit auctoritas. Illi enim in συσσιτίοις cœnabant, ubi cibus erat tenuis, certaque mensura omnibus definitus: & quidem præcipue μέλας ζωμὸς, *jusculum nigrum*, ipsi apponi solebat; qui victus adeo minime lautus fuit, ut cum civis Sybarites Spartam profectus publico in convivio exciperetur, *non amplius mirari se dixerit omnium esse fortissimos Lacedæmonios: quemvis enim sanæ mentis millies mori optaturum, quam tam vili cibo sustentari.* Vid. Athenæus lib. IV. cap. VI. pag. 138. Feruntque Agesilaum servis distribuisse bellaria, quæ Thasii quodam tempore ipsi obtulerunt, dicentem: *Virtutis cultores non admittere tales gulæ delicias; aliena enim a liberis esse, quibus servi alliciuntur.* Itaque neminem in suam civitatem admittebant, qui artem laute parandi cibos profiteretur: Ἔδει δὲ ὀψοποιοὺς ἐν Λακεδαίμονι εἶναι κρέως μόνου· ὁ δὲ παρὰ τοῦτο ἐπιστάμενος, ἐξηλαύνετο τῆς Σπάρτης, ὥς τὰ τῶν νοσούντων καθάρσια. *Et Lacedæmone non alios, quam carnis, coquos esse licuit: qui præter hanc artem aliud aliquid novisset, ejiciebatur e Sparta, perinde ac ægrotantium purgamenta*, ut refert Ælianus lib. XIV. cap. VII. unde cum Mithæcus, celebris in Græcia coquus, Spartam se contulisset, continuo ex urbe excedere a Magistratu jussus est, ut narrat Maximus Tyrius initio Dissert. VII Qui mos a veteris sæculi moderatione receptus est, in quo quandoque heroes ipsi coquorum officium peragebant, veluti cum Achilles carnes apparat Iliad. ί. v. 209.

> —— Τάμνεν δ' ἄρα δῖος Ἀχιλλεύς,
> Καὶ τὰ μὲν εὖ μίστυλλε, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειρε.
>
> —— *Secabatque nobilis Achilles.*
> *Easque scite in minuta secabat, & verubus affigebat.*

Aliquando κήρυκες, servi ἀνδρῶν τε θεῶν, ut poeta loquitur, qui sacris ministrabant, & in civilis vitæ negotiis serviebant, coquorum opera præstabant: unde coqui veteres erant θυτικῆς ἔμπειροι, *aruspicii periti*: itemque προέστανται γάμων καὶ θυσιῶν, *nuptiis & sacrificiis præficiebantur*, tradente Athenæo lib XIV. cap. XXII. Cupediarum & superflui luxus nullos alebant magistros.

At vero cæteræ Græciæ urbes coquos habebant in aliqua æstimatione, etsi eorum artem οὐχ ἁρμόττειν οὐδὲ τοῖς τυχοῦσι τῶν ἐλευθέρων, *indignam esse quovis ingenuo* affirment qui ipsam scriptis exornarunt Heraclides & Glaucus Locrensis apud Athenæum lib. XIV. cap. XXIII. Siculi autem coqui præcipue celebres erant, uti exemplis ex Cratino & Antiphane probat eodem loco Athe-

næus. Quin & Mithæcus paullo ante memoratus Siculus erat. Atque Siculi adeo gulæ dediti fuisse narrantur, ut Σικελικὴ τράπεζα proverbio dicatur ἐπὶ τῶν πάνυ πολυτελῶν καὶ τρυφηλῶν, ut Suidæ verbis utar.

Post Lacedæmonios Athenarum cives frugalitate maxime commendantur: nam solum illis infrugiferum, & rebus ad luxum facientibus minime abundans. Hinc Lynceus Samius in Centauro cœnas Atticas contemnit:

Μάγειρ', ὁ θύων ὁ δειπνίζων τ' ἐμὲ
Ῥόδιος· ἐγὼ δ' ὁ κεκλημένος, Περίνθιος·
Οὐδέτερος ἡμῶν ἥδεται τοῖς Ἀττικοῖς
Δείπνοις, ἀηδία γὰρ ἐστιν Ἀττική.
Heus tu, coque, qui me excepit convivio
Rhodius est: ego vero conviva, Perinthius:
Neuter nostrum oblectatur Atticis
Cœnis, odiosa enim est Attica mensa, &c.

Qui versus laudantur ab Athenæo lib. IV. cap. III. Pergit idem Auctor Atticarum cœnarum tenuitatem describere, quæ quidem tanta fuit, ut Dromeas parasitus Atticus cuidam interroganti, *an cœnæ lautiores in Urbe* (Athenis) *quam in Chalcide essent*, respondit, *procœmium cœnarum in Calcide superare totum Urbis apparatum*. Atque hinc si quem summe parcum & frugalem significare vellent, ipsum Ἀττικηρῶς, *Attice*, vivere dicebant; cujus proverbii exemplum ex Alexide citavit Athenæus ejusdem libri cap. V. quo loco Atticæ cœnæ prolixa descriptio exhibetur.

Transitus hinc ad veterum Græcorum potum faciendus. Et principio quidem universi aquam potabant, e proximo fonte sitim levare contenti. Postea calida in deliciis haberi cœpit. Nam in fabulis est, Herculi quodam tempore laboribus fesso calidæ fontem a Minerva vel Vulcano monstratum fuisse, qui ad vires renovandas multum prodesse putabatur: unde Plato in Critia Atlanticam, quam terrarum omnium felicissimam esse fabulatur, a fontium tum frigidorum, tum calidorum numero commendat: quin & Homerus, qui locorum poeticorum fere omnium exempla reliquit, Scamandri fontes inde laudat, quod alter calidus, alter exquisite frigidus sit Iliad. χ. v. 147. Nec tamen credere possum illo sæculo calidæ usum in potu fuisse, sed potius lavando corpori inservisse putanda est: nisi forte valetudinis causa a medicis præscripta fuerit, qua ratione senes aliique infirmioris corporis decoctam bibisse dicuntur, tanquam cruda salubriorem, cui terras quasdam particulas potantibus noxias inesse credebant. Vid. Athenæus lib. III. cap. XXXV. Hinc Pollux, Παρὰ μέντοι τοῖς παρ' Ὁμήρῳ οὐχ οἷόν τ' ἐστὶν εὑρεῖν θερμὸν ὕδωρ ἐπὶ ποτῷ, παρὰ δὲ τοῖς ἀρχαίοις ἰατροῖς, ὡς ὅταν Ἱπποκράτης εἴποι, &c. *De potu apud Homerum nequaquam invenire licebit, calidam aquam ad potum referri; sed apud veteres medicos, e quibus sane Hippocrates inquit*, &c. lib. IX. cap. VI. quo loco aliquibus exemplis, Homero tamen junioribus, calidæ usum apud veteres frequentem fuisse probavit. Quicquid sit, calidæ potus Græcis usitatus fuit, a quibus postea ad Romanos transiit; unde Latini scriptores tamquam Græci moris meminere: inter quos Plautus Curculione sic de Græcis loquitur,

Ubi quid surripuere, operto capitulo caldum bibunt.

Item Horatius lib. III. Od. XIX.

Quo Chium pretio cadum
Mercemur; quis aquam temperet ignibus.

Ubi Acron, *Temperet, id est tepefaciat: nam tepefactis aquis solebant Græci vinum temperare.* Vid. Athenæus lib. II cap. II.

Verum multo frequentior frigidæ quam calidæ apud utriusque linguæ scriptores mentio est: quam ut exquisite biberent, nivem servabant in æstatem variis artificiis. Plutarchus paleis & rudibus pannis per multum temporis integram servari scribit Sympos. lib. VI. unde Augustinus, *Quis*, inquit, *dedit paleæ tam frigidam vim, ut obrutas nives servet: vel tam fervidam, ut poma immatura maturet?* Alexander Magnus, cum Petram Indiæ urbem obsideret, fossas triginta nive replevit, quæ superinjectis quercus ramis longo tempore duravit, ut refert Chares Mitylenæus apud Athenæum lib. III. cap. XXXVI. quo loco plures frigidam parandi methodi traduntur. Atque apud Romam officinæ fuisse dicuntur, in quibus nives toto anno venibant: quem morem perstrinxit Seneca Natur. IV. *Unguentarios Lacedæmonii expulere, & propere cedere finibus suis jusserunt, quia oleum disperderent: quid illi, si vidissent nivis reponendæ officinas?*

Vini inventionem, Osiridi Ægyptii, & Saturno Latini, Græci vero Baccho tribuunt, quem cum cæteris artium & rerum inventoribus divino cultu prosequebantur in memoriam tanti beneficii. Hecatæus Milesius tradit, Oresthea vitem hominibus ostendisse in Ætolia, is Deucalionis erat filius, & nepotem habuit *Oeneum* patrem Ætoli ἀπὸ τῶν οἰνῶν, *a vitibus*, nominatum. Alii tamen οἶνον, *vinum*, ab Oeneo ducunt, ut qui primus vinum ex uvis expresserit, secundum illud Nicandri,

Οἰνεὺς δ' ἐν κοίλοισιν ἀποθλίψας δεπάεσσιν
Οἶνον ἔκλησε.
Oeneus in amplas pateras vinum expressit,
Indeque vocavit οἶνον.

Cui simile est illud Melanippidæ Milesii,

Ἐπώνυμος, ὦ δέσποτ' οἶνος Οἰνέως.
Οἶνος (vinum) here, ab Oeneo nominatum est.

apud Athenæum initio lib. II. Idem vero libri præcedentis fine refert ex Theopompo Chio vitem juxta Alpheum fluvium in Olympia repertam esse: & in Plinthione, oppido Ægypti, secundum Hellanicum: unde factum, ut Ægyptii vino dediti essent; & ne inopes tanto solatio carerent, vinum ex hordeo ibi primum confectum est.

Vino utebantur in Græcia non modo viri, sed mulieres, & puellæ, uti exemplo Nausicaes sociarumque virginum constat Odyss. VI. Quod erat præter aliarum gentium consuetudinem, apud quas nefas plerumque habebatur, ut fœminæ vino uterentur; unde Græcæ mulieres propter temulentiam aliquando male audiunt. Vid. Athenæus lib. X. Quinimo, infantibus vinum administratum quandoque fuisse discimus ex oratione Phœnicis, qui ad Achillem pupillum sic loquitur, Iliad. ι. 484.

Πρίν γ' ὅτε δή σ' ἐπ' ἐμοῖσιν ἐγὼ γούνασσι καθίσσας,
Ὄψου τ' ἄσαιμι προταμὼν, καὶ οἶνον ἐπισχών,
Πολλάκι μοι κατέδευσας ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνα
Οἴνου ἀποβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ.
Ante cum te super meis genibus ego collocans,
Cibo a me prius conciso satians, & vinum administrans,
Sæpe mihi rigasti in pectore vestem
Vinum evomens in infantia molesta.

Vinum plerumque aqua temperabant: unde κρατῆρες, sive *pocula e quibus vinum potabant*, παρὰ τὸ κεράσασθαι, *a miscendo*, nomen habuisse dicuntur: quam etymologiam non modo Athenæus & Grammatici, verum ipse Homerus aliquoties indicavit. Nam Trojani belli tempore, atque adeo a prima antiquitate temperandi vinum mos invaluit. Odyss. α.

Οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρητῆρσι καὶ ὕδωρ.
Illi igitur vinum in crateris & aquam miscebant. Melampodem istius consuetudinis auctorem aliqui faciunt apud Athenæum lib. II. cap. VI. quam alii Staphylo, Sileni filio, adscribunt, apud Plinium lib. VII. cap. LVI. Philochorus refert Amphictyonem Atheniensium regem vini temperandi rationem ab ipso Baccho didicisse, inde Baccho Ὀρθίῳ aram consecrasse, quia tum demum homines ὀρθοί, *erecti*, incederent, cum prius vino ebrii titubassent ambulantes. Vid. Athenæus lib. II. cap. II. Idemque rex lege dicitur cavisse, ne quis merum in conviviis biberet, quam Solon postea revocavit. Vid. idem Auctor lib. X. cap. VIII. Porro temperandi vini nulla erat certa mensura, cum alii vini singula pocula duobus aquæ, alii duo vini quinque poculis aquæ, alii denique aliter admiscerent: qua de re disserit Athenæus lib. X. cap. VII. At Λακεδαιμόνιοι ἕως τοσούτου εἰς τὸ πῦρ ἑῶσι τὸν οἶνον, ἕως αὐτοῦ τὸ πέμπτον μέρος ἀφεψηθῇ, καὶ μετὰ τέσσαρα ἔτη χρῶνται. *Lacedæmonii tam diu vinum supra ignem relinquunt, dum pars quinta decoquatur, & post quadriennium eo utuntur:* ut refert Democritus Geoponic. lib. VII. cap. IV. quod Palladius etiam testatur lib. XI. tit. XIV. *Lacedæmonii*, inquit, *eo usque* (jubent) *decoquere, donec vini quinta pars pereat, & quarto anno usibus ministrare.* Tamen veluti cæteri Græci, ita Lacedæmonii quandoque mero se exhilarabant, idque vocabant ἐπισκυθίσαι· Οἱ Λάκωνες ὅταν βούλωνται ἀκρατέστερον πίνειν, ἐπισκυθίσαι λέγουσι, *Lacones meracius bibere cum volunt, Scythissare dicunt:* inquit Athenæus lib. X. cap. VII. quæ vox a Scytharum more sumta est, illi enim merum potare consueverunt: unde σκυθιστὶ πιεῖν, vel σκυθοπιεῖν, est ἀκρατοποτεῖν· item Σκυθικὴ πόσις, explicatur ἀκρατοποσία. Hujusmodi autem phrases apud Spartam frequenti in usu fuere, ex quo *Cleomenes Spartiata ad insaniam usque merum potavit, cui fuisset apud Scythas agens assuetus*, tradente Chamæleonte Heracleota lib. De temulentia apud Athenæum. Nec Scythæ modo, sed Thraces mero valde dediti, eo παντάπασι χρώμενοι, adeo ut in utraque gente γυναῖκές τε καὶ πάντες αὐτοὶ κατὰ τῶν ἱματίων (ἄκρατον) καταχεόμενοι, καλὸν καὶ εὔδαιμον ἐπιτήδευμα ἐπιτηδεύειν νενομίκασι. *Feminæ & universi viri promiscue merum bibentes, inque vestes fundentes, honestam illam & beatam vitæ rationem putant:* ut refert Athenæus lib. X. juxta finem cap. IX. unde Θρᾳκία προπόσις apud Pollucem *meri propinatio* dicitur lib. VI. cap. III.

Aliquando unguenta delicati homines vino miscebant: id tum fiebat οἶνος μυρρινίτης, ut Ælianus refert Var. Hist. lib. XII. cap. XXXI. vel μυρρίνης: nam Hesychius μυρρίνην explicat πόσιν, ᾗ ἐπεχεῖτο μύρον. Alia ab hoc fuere *murrhina* Romanorum, tum ἐσμυρνισμένος οἶνος, *myrrhatum vinum*, apud Marcum Evangelistam, quod externandæ mentis causa ad supplicium euntibus dabatur. Aliæ erant vini mixtiones, veluti illa cum τοῖς ἀλφίτοις, *farina* hordeacea, quam οἶνον ἀπηλφιτωμένον vocabant, cuique Persæ valde dediti erant, ut refert Athenæus lib. X. initio cap. IX. Varia etiam vini genera erant, veluti οἶνος κρίθινος, *cerevisia*, cujus idem Auctor meminit: item οἶνος ἑψητός, vel ὄξος ἑψητόν, (nam ὄξος Græci vocant vinum factitii saporis) ex palmulis, Xenophonti atque aliis memoratum. Verum hisce immorari non possum.

CAP. XIX.

De ritibus ante convivium.

Qui cæteros convivio excepit, variis nominibus cognoscitur: qualia sunt ἑστιάτωρ, ἑστιῶν, ξενίζων, τῆς συνουσίας ἡγεμών, συμποσίου ἄρχων, συμποσίαρχος, & οἰκοδεσπότης apud Tragœdiæ auctores, &c.

Convivæ dici solent δαιτυμόνες, δαιταλεῖς, συμπόται, σύνδειπνοι, item κλητοί, σύγκλητοι, ἐπίκλητοι, quæ voces causam conveniendi, *vocationem*, denotant: nam qui convivium instituit, quos adesse volebat, solenniter *vocavit*.

Servi, quorum opera utebantur ad *vocandos* convivas, ut Latinis *vocatores*, ita Græcis κλήτορες, & δειπνοκλήτορες dicuntur: interdum etiam ἐλέατροι, vel ἐλεάτροι, ab ἐλεός, *mensa coquinaria*; nam secundum Pamphilum ἐλέατροι sunt, οἱ ἐπὶ τὴν βασιλικὴν καλοῦντες τράπεζαν, *qui ad regiam mensam vocant:* etsi ea vox alios quoque sensus habeat. Vid. Athenæus lib. IV. cap. XXI. Vocare ad convivium Plutarcho est καταγράφειν, solebant enim invitandorum nomina tabellæ *inscribere*. Vocabantur autem ad certam horam, quam per solarii umbram designabant, quod iis temporibus aliorum horologiorum vicem supplebat. Atque huc allusit Aristophanes in Concionatricibus p. 744.

—— σοὶ δὲ μελήσει
Ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον λιπαρῶς χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον.
—— *tibi autem curæ erit*
Quando umbra decimum cubitum attigerit, continuo ad cœnam ire.

Ubi Scholiastes, δεκάπουν· ἡ τοῦ ἡλίου σκιά, ὅταν ᾖ δέκα ποδῶν· θέλει οὖν εἰπεῖν ὅτι γίνεται ὀψέ. Ἄλλως· τὸ παλαιὸν καλοῦντες ἐπὶ δεῖπνον καὶ καλούμενοι προεσημαίνοντο τὴν σκιὰν καὶ ὅπως οἱ μὲν ἔμενον τοὺς κληθέντας, οἱ δὲ ἀπήεσαν ἐπὶ τὰς ἑστιάσεις. Quæ verba apud Suidam occurrunt in Δεκάπους σκιά. Vid. etiam Hesychius in Δεκάπουν στοιχεῖον.

Qui sanguine juncti erant, sine vocatione aderant, ut observat Eustathius in Iliad β'. & Athenæus lib. IV. cap. XXVI. ex hoc versu Homeri, ubi Agamemnonis convivium describitur,

Αὐτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος.
Ultro autem ad eum venit bellicosus Menelaus.

Iliad. β'. v. 408. Nam αὐτόματος est ἄνευ τοῦ κληθῆναι, ex exp. vetus Scholiastes. Si qui non vocati a vocatis adducebantur, illos σκιάς vocabant: namque σκιὰς καλοῦσιν οὐ κεκλημένους αὐτούς, ἀλλ' ὑπὸ τῶν κεκλημένων ἐπὶ δεῖπνον ἀγομένους, inquit Plutarchus Sympos. lib. VII. quæst. VI. quod invitatos, tanquam *umbra* corpus, sequerentur: unde Latini pariter umbras dixere. Horatius lib. II. sat. VIII. 22.

—— *quos Mæcenas adduxerat umbras.*

Idem lib. I. epist. V. 28. ait,

—— *locus est & pluribus umbris.*

Qui ingerebant se alienis conviviis, μυῖαι, *muscæ*, dicebantur: ut in versibus Antiphanis, quibus parasitus depingitur:

Θύρας μοχλεύειν, σεισμός· εἰσπηδᾶν, ἀκρίς·
Δειπνεῖν ἄκλητος, μυῖα· μὴ 'ξελθεῖν, φρέαρ.
Fores pulsare, Terræ motus: insilire, locusta:
Cœnare invocatus, musca: non exire, puteus.

Muscam enim vocabant, quicunque se nolentibus ingerebat: unde Plautus vocat *hospitium sine muscis*, quod arbitris & adventoribus liberum est, Pœnul. Act III. Sc III. 76. Idem in Mercat. Act. II. Sc. III. 26. *muscam* vocat hominem curiosum, qui omnia exquirit & penetrat. Horapollo tradit Ægyptios cum *imprudentem* signare vellent, muscam pinxisse; quod nempe illa abacta iterum atque ite-

rum redeat. Nec dissimilem ob rationem musca apud Homerum invictæ fortitudinis exemplum est Iliad. ρ'. v. 570.

> Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν,
> Ἥ τε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
> Ἰσχανάᾳ δακέειν, λαρόν τέ οἱ αἷμ' ἀνθρώπου.
> *Et ei muscæ audaciam pectori immisit,*
> *Quæ, quamvis sæpius humano a corpore depulsa,*
> *Appetit mordere, dulcisque ei sanguis hominis est.*

Qui *muscæ* in conviviis, iidem Myconii quoque dicebantur. *Myconii enim, eo quod inopes essent, & insulam sterilem habitarent, propter avaritiam & sordes, male audiebant*, & aliorum cibo inhiabant; unde Periclem irrisit Archilochus, ὡς ἄκλητον ἐπεισπαίοντα εἰς τὰς συμπόσια Μυκονίων δίκην, *quod non vocatus, Myconiorum more, aliorum se conviviis inferret*. Vid. Athenæus lib. I. cap. VII. Sed ejusmodi homines, qui alienas dapes sectabantur, ut plurimum appellabantur παράσιτοι, *parasiti*: quæ vox, cum socios & asseclas principum olim notarit, quales erant Achilli Patroclus, & Idomeneo Memnon, ut observavit Lucianus; vel etiam viros sacro quodam officio fungentes, de quibus in secundo hujus operis libro dictum: postea ad adsentatorum vile genus, qui victum alienis in mensis quærebant, amissa veteri significatione, applicari cœpit: quo sensu primus Epicharmus *parasitum* adhibuit, (ut referunt Pollux lib. VI. cap. VII.) & post eum Alexis. Verumtamen non erat infame, si amicus amici, vir bonus viri boni convivium etiam invocatus ingrederetur: ut docet vulgatum illud e Platonis Symposio,

> —— εἰς ἄρα καὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν
> Αὐτόματοι ἀγαθοί.

Quod alii uno versu efferunt:

> Αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν.
> *Sponte autem boni bonorum ad convivia eunt.*

Cui affine est illud ex Eustathio in Iliad. β'.

> Ἄκλητοι κωμάζουσιν ἐς φίλους φίλοι.
> *Invocati accedunt ad amicos amici.*

Ad numerum convivarum quod spectat, Athenæus refert, apud veteres μὴ συνδειπνεῖν τῶν πέντε γε, ὅτι δέ γε ἡμεῖς ψαμμακόσιοι ἐσμὲν δῆλον, *plures quam quinque una cœnare non solitos, etsi suo tempore innumeri simul conviventur*, lib. XV. cap. III. quo faciunt Archestrati versus ab eodem Auctore laudati lib. I. juxta finem cap. IV.

> Πρὸς δὲ μιᾷ πάντες δειπνεῖν ἁβροδαίτῳ τραπέζῃ·
> Ἔστωσαν δ' ἢ τρεῖς, ἢ τέσσαρες οἱ ξυνάπαντες,
> Ἢ τῶν πέντε γε μὴ πλείους· ἤδη γὰρ ἂν εἴη
> Μισθοφόρων ἁρπαξιβίων σκηνὴ στρατιωτῶν.
> *Omnes una lautiori mensa cœnent:*
> *Sint vero tantum tres, aut quatuor universi,*
> *Ad summum non plures quinque: sic enim fieret*
> *Conductorum rapto viventium militum tentorium.*

Eustathius refert ex Jamblicho Pythagoreorum syssitia non habuisse plures quam decem convivas; eumque antiquum fuisse morem: unde factum existimat, quod Agamemnon, ubi de distribuendis in convivia universis Græcis verba facit, decadum mentionem habeat Iliad. β'. v. 126.

> Ἡμεῖς δ' εἰς δεκάδας διακοσμηθεῖμεν Ἀχαιοί,
> Τρώων δ' ἄνδρα ἕκαστον ἑλοίμεθα οἰνοχοεύειν,
> Πολλαί κεν δεκάδες δεύοιατο οἰνοχόοιο.
> *Nos autem in decadas digeramur Græci,*
> *Et ex Trojanis viros singulos sumamus qui pincernam agant,*
> *Multæ certe decades desiderarent pincernam.*

Vid. Eustathii Comment. p. 144. Ed. Basil. Verum hæc de privatis conviviis capienda sunt: Nam non

A modo Alexander, antequam iret in Persidem, dicitur σκηνὴν κατασκευασάμενος ἑκατοντάκλινον πρὸς εὐωχίαν, *tentorium centum lectis ad convivium instruxisse*, ut ait Diodorus Siculus p. 530. Verum Trojani belli tempore Agamemnon Homericus universos Græcorum principes ad cœnam vocat: Et tandem privati ambitione quadam ingentem numerum vocabant, numerus enim convivarum Convivatoris magnificentiam commendabat, adeo ut Athenæi tempore ψαμμακόσιοι, *infinita multitudo*, convocarentur, ut ex modo citatis verbis constat. Hinc partim ut rescinderent nimios sumtus, partim ut seditionum occasiones tollerent,
B Legislatores quarundam urbium numero convivarum modum posuere. Speciatim Athenis prohibitum fuisse dicitur, ut plures quam triginta simul adessent privato convivio: Et quo hæc lex fideliter observaretur, *Gynæconomi* adibant convivantium domos, convivas numerabant, & quotquot legitimo numero supererant, e convivio deturbabant: Atque ne fraus aliqua fieret, coqui, quos ad convivia solenniora conducere solebant, ad *Gynæconomos* nomina sua deferre tenebantur quoties essent conducti, ut haberent hi Magistratus, quos de numero convivarum percontarentur. Vid.
C Athenæus lib. VI. cap. XI.

Id solum adjiciam de qualitate Convivarum, quod mulieribus Græcis non licuit ad virorum convivia vocari: ut refert Cicero lib. III. in Verrem, quod apud Romanos multo aliter fiebat: *Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? aut cujus materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur? Quod multo fit aliter in Græcia: nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum: neque sedet nisi in interiore parte ædium, quæ γυναικωνῖτις appellatur: quo nemo accedit nisi propinqua cognatione adjunctus*: ut ait Cornelius Nepos in præfat. ad Vi-
D tas Imperatorum.

Convivæ sese lavabant & ungebant, antequam irent ad epulas: ἀπρεπὲς γὰρ ἦν ἥκειν εἰς τὸ συμπόσιον σὺν ἱδρῶτι πολλῷ καὶ κονιορτῷ, *quod inurbanum & indecorum esset, sudore multo & pulvere sordidum, convivium adire*; ut ait ex Aristotele Athenæus lib. IV. cap. XXVII. Qui ex itinere adessent in Convivatoris domo lavabantur & ornabantur nitidis vestimentis priusquam ad cibum capiendum decumberent. Sic apud Homerum Odyss. δ'. v. 48. Telemachus & Pisistratus a Menelao excepti,

> Ἐς ῥ' ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας λούσαντο.
> E Τοὺς δ' ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ,
> Ἀμφὶ δ' ἄρα χλαίνας οὔλας βάλον, ἠδὲ χιτῶνας,
> Ἐς ῥα θρόνους ἕζοντο παρ' Ἀτρείδην Μενέλαον.
> *In labra descendentes bene polita lavabantur:*
> *Eos autem cum ancillæ lavassent, & unxissent oleo,*
> *Chlænis villosis induebant atque tunicis,*
> *Tum in sellis locarunt prope Atridem Menelaum.*

Quinetiam antequam accumberent, manus lavabant: unde statim subjunxit Poeta,

> Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
> Καλῇ, χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος,
> F Νίψασθαι· παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν.
> Σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα.
> *Dein ancilla aquam fudit in gutturnio ferens*
> *Pulcro, aureo, super argenteum lebetem,*
> *Ut manus abluerent: tum admovit affabre factam mensam,*
> *Cibum vero veneranda custos apposuit ferens.*

Denique, ut simul dicam quæ ad lotionem spectant, non modo ante cœnam, verum inter singulos missus, & post cœnam lavabant manus.

Nam Homerus in Odyss. δ'. inducit δειπνοῦντας, ὁμιλοῦντας, εἶτα ἀπονιψαμένους ποιεῖ πάλιν δειπνοῦντας, *cœnantes, colloquentes, dein lotos describit iterum cœnantes*. Et Aristophanes in Vespis dixit ὕδωρ κατὰ χειρὸς μετὰ τραπέζας εἰσφέρειν, *aquam post mensas ad manuum lotionem adferre*. Verum iis qui accurate loquuntur, ante cœnam lavare est νίψασθαι, post cœnam ἀπονίψασθαι. Huc pertinent voces affines, ἀπομάξασθαι, ἐναπομάξασθαι, ἀπονίψαι. Mantile hinc, ἐκμαγεῖον, χειρόμακτρον, &c. quorum loco οἱ πάλαι ταῖς καλουμέναις ἀπομαγδαλίαις ἐχρῶντο, αἳ ἦσαν τὸ ἐν τῷ ἄρτῳ μαλακὸν καὶ σαιτῶδες, εἰς ὃ ἀπονιψάμενοι, τοῖς κυσὶ παρέβαλον· ὅθεν καὶ Λακεδαιμόνιοι κυνάδα τὴν ἀπομαγδαλίαν καλοῦσιν· ὑποδηλοῖ καὶ Ὅμηρος.

Ὡς δ' ὅταν ἀμφὶ ἄνακτα κύνες δαίτηθεν ἰόντα
Σαίνωσ', αἰεὶ γάρ τε φέρει μειλίγματα θυμοῦ.

Veteres ἀπομαγδαλίαις *utebantur, quæ sunt mollissimæ & farinosæ partes panis, quibus cum abstersissent, canibus eas projiciebant: unde Lacedæmonii* magdaliam *vocant* κυνάδα, *cujus ritus Homerus quoque meminit:*

Ut cum canes regi a convivio eunti
Adulantur, semper enim illis animi solatia fert.

Porro in lotione post cœnam smegma adhibebant ἀπορύψεως χάριν, ut ait Athenæus lib. x. cap. ult. Aliquando nitrum, & alia quævis abstergendis sordibus apta: quo pertinet illud in Sacris Litteris, *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam* Berith. Denique postquam lavissent manus, variis eas odoribus perfundebant: quo spectant hi Antiphanis vel Epigenis versiculi ab Athenæo laudati loco citato,

Καὶ τότε περιπατήσεις, κἀπονίψει κατὰ τρόπον
Τὰς χεῖρας, εὐώδη λαβὼν τὴν γῆν θ' ἅμα.
Et tum ambulabis, & secundum morem ablues
Manus, terram adhibens odoratam.

Porro cum lavandi & ungendi mentio, non erit fortasse a ratione hujus operis alienum, si Veterum ritus in his actionibus usitati breviter describantur. Nam veteres Græci, & quotquot regionum calidarum incolæ fuere, sæpius tum lavabantur, tum ungebantur. Lavari enim ἀποθετικὸν μὲν ῥύπου, ἀναψυχῆς δέ τινος αἴτιον, *tum ad sordes abstergendas, tum ad reficiendum corpus animumque utile est*, ut ait Eustathius: ideoque quoties lenire curas vellent, aquam & unguentum adhibuere: unde Eurynome apud Homerum Penelopen hortatur, ut dolere desinat,

Χρῶτ' ἀπονιψαμένη, καὶ ἐπιχρίσασα παρειάς,
Corpore lavato, & unctis genis.

Odyss. σ'. v. 170. Et *lavabantur*, ut ait Artemidorus lib. 1. cap. LXVI. ἢ πόλεμον καταστρεψάμενοι, ἢ μεγάλου παυσάμενοι πόνου, *postquam bello, aliove gravi labore functi fuissent*: veluti cum ex longo itinere domum redi issent, vel aliena in hospitia divertissent: unde Telemachus & Pisistratus a Menelao excepti in Odyssea, & Diomedes atque Ulysses ab exploratione hostilium castrorum in Iliade,

—— λοεσσαμένω καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ.
Δείπνῳ ἐφιζανέτην. ——
—— *loti unctique pingui oleo*
Ad cœnam adsidebant. ——

Et plerumque, si opportunum id erat, in fluviis lavabantur Veteres: non modo viri, sed fœminæ, tam virgines quam matronæ: unde Nausicae Alcinoi regis filia lotum it ad fluvium in Odyss. ζ'. & apud Moschum Europa

—— φαιδρύνοιτο χρόα προχοῇσιν Ἀναύρου.
—— *ablueret corpus apud ostia Anauri.*

Idyll. β'. vers. 31. Denique Helena ejusque comites in Eurota lavantur apud Theocritum Idyll. ιη'. vers. 22.

Ἄμμες γὰρ πᾶσαι συνομάλικες, αἷς δρόμος ωὑτὸς
Χρισαμέναις ἀνδριστὶ παρ' Εὐρώταο λοετροῖς,
Τετράκις ἑξήκοντα κόραι, θῆλυς νεολαία.
Nos omnes enim æquales ætate, quibus idem vitæ cursus est,
Quæ ungimur more virorum ad Eurotæ fluenta,
Quater sexaginta puellæ de muliebri juventute.

Quæ tamen verba iis temporibus accommodata, quibus Lycurgi instituta vigebant, agnoscet quicunque Laconicis in moribus versatus est: Tunc enim virgines cum cæteris virorum exercitiis adsuefierent, tum etiam in Eurota fluvio se lavabant, postquam ille mos aliis in urbibus Græciæ diu exolevisset; unde ἀνδριστὶ id fieri notat Theocritus, quia soli viri ejus ætate publice se lavabant. Præcipue autem aqua marina lavabantur, uti Diomedes & Ulysses labore fessi

—— ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ
Ἐσβάντες. ——
—— *sudorem multum abluebant in mare*
Ingressi. ——

Nam, ut tradit Athenæus lib. 1. cap. XIX. aqua salsa μάλιστα τοῖς νεύροις ἐστὶ προσφορος, *nervis firmandis utilis valde est* humores nimios exsiccando: unde quidam salutis causa ad maritimas urbes profecti esse dicuntur: *Placuit Ostiam petere, amœnissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda & expedita curatio*, inquit Minutius Felix. Quinetiam calida lavacra veteri in usu fuere: nota enim sunt Ἡράκλεια λουτρά, *lavacra Herculis*, quæ labore fesso a Vulcano, vel Minerva monstrata fuisse dicuntur. Pindarus etiam laudat θερμὰ Νυμφᾶν λουτρά, *calida Nympharum lavacra*, Olymp. XII. Homerus Scamandri alterum fontem propter calidas ejus aquas laudavit Iliad. χ'. Eodem in libro Andromache Hectori a pugna reduci aquam lebete calefacit. Phæacibus in Odyssea unice placere dicuntur

Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ, καὶ εὐναί.
Vestium varietas, lavacra calida, & cubilia.

Denique, ne pluribus exemplis congerendis operam perdam, Nestor ab Hecameda parari vult θερμὰ λόετρα Iliad. λ'. Etsi forte non tam frequens olim fuerit calidæ usus quam postea: quo sensu capi possunt Artemidori verba, πάλαι μὲν εἰκὸς εἶναι πονηρὰ τὰ βαλανεῖα, *olim verisimile est balnea habita fuisse noxia*, lib. 1. cap. LXVI. nempe si quis nimium iis adsuefieret: unde sequitur, neminem iis usum fuisse nisi postquam *gravi aliquo labore* vires exhausisset. Quicquid sit, id certum est ex Artemidori loco publica balnea Veteribus nulla fuisse, βαλανεῖα γὰρ οὐκ ᾔδεισαν, ἐπεὶ ἐν ταῖς λεγομέναις ἀσαμίνθοις ἐλούοντο, *balnea enim non noverunt, verum in* ἀσαμίνθοις *lavabantur*, inquit idem Auctor. Cui loco similis apud Phavorinum occurrit v. βαλανεῖον. Τὸ καταρχὰς, inquit, μὴ ὄντων βαλανείων, ἐν ταῖς σκάφαις καὶ πυέλοις οἱ ἀρχαῖοι ἐλούοντο. Nam, ut idem explicat, ἀσάμινθος est πύελος ἤτοι λεκάνη, παρὰ τὸ τὴν ἄσιν, ὅ ἐστι ῥύπον, μινύθειν, ἤγουν ἐλαττοῦν, *pelvis*, quam aqua replebant, *a sordibus abluendis* nominata: unde Pollux ἀσάμινθον inter balneorum vasa numeravit. Veteribus etiam Romanis privatæ *latrinæ*, seu *lavatrinæ* balneorum loco erant. Nonius Marcellus, *Latrina, genere fœminino; & est lavatrina, quod nunc balneum dicitur.* Et Varro, *Eadem ratione domi suæ quisque ubi lavatur, balneum dixerit: & quod non erant duo, balnea dicere non consueverunt; cum hoc antiqui non balneum, sed lavatrinam appellare consuevissent.* Imo publicorum balneorum usum haud diu ante sua tempora invaluisse scribit Athenæus, atque inter sæculi ruentis vitia numerat: Προσφάτως δὲ καὶ τὰ βαλανεῖα παρῄτηται, τὴν ἀρ-

χὺν ὐδὲν ἔνδον τῆς πόλεως ἐώντων αὐτὰ, *nuper quidem balnea in usum venerunt, quæ prius intra urbem ædificari non sinebantur*, lib. I. ad finem cap. XIV. Horum autem Balneorum partes, seu cellæ, hæ præcipuæ fuere:

1. Ἀποδυτήριον, locus in quo ἀπεδύοντο τὰ ἱμάτια, *vestes exuebant*.

2. Ὑπόκαυστον, seu πυριατήριον; *sudatorium*, rotundæ plerumque figuræ, igne ἀκάπνῳ, *sine fumo*, calefactum, quo sudantibus commodius esset: & *Laconicum* interdum dictum, quod ejus frequentissimus usus quodam tempore in Laconia fuerit.

3. Βαπτιστήριον, lavacrum calidæ.

4. Λουτρὼν, lavacrum frigidæ.

5. Ἀλειπτήριον, locus in quo post lotionem ungebantur.

Porro postquam loti fuissent, semper ungebantur; ἐμφράττοντες τὰς σωματικὰς πόρους, *ut corporis spiramenta*, quæ calidior aqua aperuerat, *obstruerentur*, ut inquit Eustathius in Iliad. κ'. Vel πρὸς τὸ μὴ ξηρανθέντος τῦ ὕδατος ἀποσκληρυμένα γίνεσθαι τὰ σώματα, *ne post exsiccatas aquas cutis obduresceret*. Iliacis temporibus, si Plinio credimus lib. XIII. cap. I. unguenta nulla erant: Oleum duntaxat adhibebant, admisto odore ex fruticibus, & præcipue equidem e rosa: unde *rosaceum* unguentum ab Homero laudatur, quo Venus Hectorem inunxit Iliad. ψ'. vers. 186.

——ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ
Ἀμβροσίῳ. ——
—— *rosaceo unxit oleo*
Divino. ——

quod alibi vocavit ἑδανὸν, & τεθυωμένον, ubi de Junone loquitur Iliad. ξ'. vers. 170.

Ἀμβροσίῃ μὲν πρῶτον ἀπὸ χροὸς ἱμερόεντος
Λύματα πάντα κάθηρεν· ἀλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ
Ἀμβροσίῳ, ἑδανῷ, τό ῥά οἱ τεθυωμένον ἦεν.
Ambrosia primum a cute pulcra
Sordes abstersit omnes: dein pingui oleo unxit
Divino, suavi, quod ipsi erat odoribus perfusum.

Verum Athenæus contendit, quod Homerus οἶδε τὴν χρῆσιν τῶν μύρων, ἔλαια δ' αὐτὰ καλεῖ μετ' ἐπιθέτε, *novit usum unguentorum, sed ea vocat olea adjecto epitheto*, lib. XV. cap. XI. quod etiam Homeri interpretes notant ad illud εὐώδες ἔλαιον, qua ratione Hebræi etiam dicuntur quævis unguenta *olei* nomine appellare. Quicquid sit, id pro certo habendum est, Heroas veteres pretioso unguento minime usos fuisse: quin & ipse Athenæus ait Homerum nunquam introducere ἀλειφομένες τὰς Ἥρωας, *Heroas unguento delibutos*, præter Paridem, hominem effœminati & muliebris ingenii. Et postea moribus in pejus mutatis, parum honestus erat viris unguenti frequens usus. Unde Chrysippus (ut Stoicis mos erat subtiles vocum derivationes quærere) unguentum appellari μῦρον dixi, ἀπὸ τῦ μετὰ πολλῦ μόρυ καὶ πόνυ ματαίυ γίνεσθαι, *quod non sine multo inani labore paretur*: Socrates existimavit, *non minus odorem viri & fœminæ, quam eorum vestes, diversos esse debere: & hanc quidem unguentis delibutam non præter decorum olere, viro autem olei, quo in gymnasiis utebantur, odorem magis convenire*. Solon legibus suis vetuit, viros unguenta vendere, & Lacedæmonii unguentarios Sparta ejecerunt: quæ habes latius exposita apud Athenæum lib. XV. cap. X. Nihilominus delicati homines, & præcipue mulieres, in unguentis eligendis apparandisque adeo fuere curiosi, ut exquisite dicerent ποῖον τι ἑκάστῳ τῶν μελῶν ἐστιν ἐπιτήδειον, *quale* unguentum *unicuique corporis parti sit idoneum*: cujus rei unicum exemplum ex eodem Auctore apponam, qui hos Antiphanis versiculos laudavit,

Ἐκ χρυσοκολλήτυ δὲ κάλπιδος μύρῳ
Αἰγυπτίῳ μὲν τὰς πόδας καὶ τὰ σκέλη,
Φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθυς καὶ τὰ τιτθία,
Σισυμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα,
Ἀμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀφρῦς καὶ τὴν κόμην,
Ἑρπυλλίνῳ δὲ τὸ γόνυ καὶ τὸν αὐχένα.
Ex aurea urna linit quidem unguento
Ægyptio pedes & crura,
Phœnicino malas & mammas,
Sisymbrino alterum brachium,
Amaracino supercilium & comam,
Serpyllino cervicem & genua.

Denique id non est prætereundum, pedes sæpius lotos & unguento delibutos fuisse, quam totum corpus; illud enim magis necessarium & minus laboriosum fuit: quo sensu capiendi sunt, secundum nonnullos, λιπαροὶ πόδες apud Homerum. Mulieres autem hæc ministeria plerumque præstabant: nec id modo in Heroicis temporibus, sed postea: eædem si quem lavarent, cui honorem & reverentiam debita putabant, pedibus oscula dabant: quo modo mulier in Evangelio B. Salvatoris pedes lavat, osculatur, & unguento illinit: quin & apud Aristophanem in Vespis p.473. Philocleon id erga se a filia sua præstitum testatur,

—— καὶ πρῶτα μὲν ἡ θυγάτηρ με
Ἀπονίζῃ καὶ τὼ πόδ' ἀλείφῃ καὶ προσκύψασα φιλήσῃ.
—— *atque in primis filia me*
Abluit, & pedes ungit, & prona fert oscula.

Ad convivas jam revertendum: Hi igitur cum ad domum convivio destinatum venissent, paterfamilias, ejusve vicarius ipsos salutabat: id facere est Græce ἀσπάζεσθαι, etsi ea vox proprie notet peculiarem salutationis formam, κυρίως ἀσπάζεσθαί ἐστι τὸ περιπλέκεσθαί τινα, *ulnis circumfusis amplecti*, ἐγγὺς τὸ ἄγαν σπᾶσθαι εἰς ἑαυτὸν τὸν ἕτερον, καὶ περιβάλλειν τὰς χεῖρας ἐν τῷ φιλοφρονεῖσθαι, ut docet vetus Interpres in Plutum Aristophanis p. 77.

Vulgaris salutandi ritus fiebat dextrarum conjunctione: Nam dextræ porrectio erat fidei & amicitiæ symbolum: unde Pythagoras consuluit μὴ παντὶ ἐμβάλλειν τὴν δεξιάν. *ne cuivis dextra porrigatur*. Atque hujus consuetudinis meminit Homerus Odyss. γ'. vers. 35.

Οἱ δ' ὡς ὖν ξείνυς ἴδον, ἀθρόοι ἦλθον ἅπαντες,
Χερσίν τ' ἠσπάζοντο, καὶ ἑδριάασθαι ἄνωγον.
Cum igitur illi hospites vidissent, simul venerunt
omnes,
Manibusque salutarunt, & sedere rogarunt.

Hinc δεξιῦσθαι conjungitur cum ἀσπάζεσθαι, eique fere synonymum est: veluti in Pluto Aristophanis,

—— αὐτὸν ἠσπάζοντο, καὶ
Ἐδεξιῦνθ' ἅπαντες ὑπὸ τῆς ἡδονῆς.
—— *illum amplexabantur, &*
Dextras porrigebant omnes præ gaudio.

Interdum ad alias res transfertur, ut δεξιῦσθαι δώροις, δεξιῦσθαι χρυσοῖς λόγοις, καὶ ἔργοις, δεξιῦσθαι δαιτὶ, δεξιῦσθαι τραπέζῃ, &c.

Aliquando osculabantur convivarum labia, manus, genua, vel pedes, pro singulorum dignitate. Speciale erat osculum, Suidæ χύτρα, Polluci χύτρα· ὁπόταν τὰ παιδία φιλοῖν τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα, ut ait Pollux. Ejus meminit Eunicus in Antia,

Λαβῦσα τῶν ὤτων φίλησα τὴν χύτραν.
Auribus prehensis osculator ollam.

apud eundem Auctorem. Meminit etiam Tibullus lib. II.

—— *natusque parenti*
Oscula comprensis auribus eripiet.

Et

Et Theocritus Idyll. έ. v. 132.

Οὐκ ἔραμαι Αλκίππας, ὅτι με πρὰν ἐκ ἐφίλασε
Τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.
Non amo Alcippen, quia me nuper non est osculata
Aures prehendens, cum ipsi palumbum donarem.

Itaque χύτραν φιλεῖ, qui aliquem, velut ollam, prehensum ambabus auribus deosculatur: idque præcipue a puerulis, vel erga eos fiebat, aliquando tamen inter adultos, ut e Theocriti versibus colligi posse videtur.

Convivæ domum ingressi, haud se ad mensas & dapes illico contulerunt, quod inurbanum habebatur, verum aliquantulum temporis spectando & laudando ædium ornatui impendebant. Sic in Vespis Aristophanis filius patrem rusticum monet,

Επειτ' ἐπαίνεσόν τι τῶν χαλκωμάτων,
Οροφὴν θέασαι, κρεκάδι' αὐλῆς θαύμασον.
Postea ex æneis vasis aliquod laudato,
Lacunar spectato, stridentesque per aulam citharæ sonos admirator.

Quæ cum aliis eodem spectantibus habes apud Athenæum lib. IV. cap. XXVII.

CAP. XX.

De ritibus Convivii.

VEteres inter cœnandum sedebant, Homerus autem trium diversorum sedilium meminit. I. erat δίφρος, *duorum*, ut videtur, convivarum capax, & pauperibus plerumque positum. 2. Θρόνος, in quo erecti sedebant, supposito pedibus scabello, quod θρῆνυς dicitur. 3. Κλισμὸς, in quo paululum reclinati sedebant. De quibus vid. Athenæus lib. V. cap. IV. Nec solum in Græcia, sed alibi terrarum sedebant in conviviis. De Romanis testis Isidorus lib. XX. cap. II. item Servius in Æneid. VIII. quin & Philo ait Josephum fratribus jussisse, κατὰ τὰς ἡλικίας καθέζεσθαι, μήπω τῶν ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων, *ut secundum ætatis ordinem sederent, nondum recepto more discumbendi in conviviis*, lib. de Joseph. p. 555. Ed. Franc. Verum ἐπεὶ τρυφᾷν ἤρξαντο, κατερρύησαν ἀπὸ τῶν δίφρων ἐπὶ τὰς κλίνας ὡς ἀνειμένως πίνειν, *postquam cœperunt esse delicati, a sedibus in lectos decubuere, ut quam mollissime potarent*. Attamen tunc laudabantur οἱ ἥρωες, οἷς καθήμενοι οἰνοπόταζον, *Heroes prisci, eo quod sedentes biberent*. Quin etiam posterioribus in seculis quidam, qui vitam severiorem agebant, sedere quam decumbere maluerunt: quod de Cynicis prodit Plautus Stich. Act. V. Sc. IV. vers. 22.

—— potius in subsellio
Cynice accipiemur quam in lectis.

Et in Macedonia nemini in cœna accumbere licuit, priusquam aprum extra retia interemisset, referente Hegesandro apud Athenæum lib. I. cap. XIV. quo loco Duris tradit, ipsum Alexandrum veterem sedendi morem aliquando servasse: τετρακοσίους οὖν ποτε ἡγεμόνας ἑστιῶν, ἐκάθισεν ἐπὶ δίφρων ἀργυρῶν καὶ κλιντήρων, ἁλουργοῖς περιστρώσας ἱματίοις *quadringentos igitur duces quodam tempore convivio excipiens, in sellis argenteis purpura stratis collocavit*. Id vero in deterrimis seculis solitum erat, ut divitum liberi ad fulcra lectorum, parentumque pedes convivarentur, tanquam illi ætati minus conveniret mollitiei adsuefieri. Hinc Suetonius de Augusti erga nepotes suos affectu agens, ait, *Neque cœnavit una, nisi in imo lectu adsiderent*, cap. LXIX. Idem de Claudio refert, quod *adhibebat omni cœnæ & liberos suos cum pueris puellisq; nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur*, cap. XXXII. Tacitus, denique, narrat, quod *Mos habebatur principum liberos cum cæteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum*; Annal. lib. XIII. Idemque locus humilioris sortis convivis assignari consuevit: quo respicit Plutarchus, cum in Convivio suo reliquos quidem accumbentes inducit, verum Æsopum in subsellio juxta Solonem collocat. Narrat etiam Donatus in Terentii Vita, quod *jussus Cæcilio recitare, ad cœnantem cum venisset, quod erat contemptiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens, legisse dicitur; post paucos vero versus, invitatus ut accumberet, cœnasse una*. Verum *non accipiet sapiens contumeliam, si in convivio regis recumbere infra mensam, vescique cum servis ignominiosa officia sortitis jubebitur*, inquit Seneca de Tranquill. lib. cap. XV.

Accumbendi mos talis erat: Mensa in medio stabat; circa quam lecti collocabantur, stragulis tapetibusque pro convivatoris magnificentia strati: super his accumbebant, reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum; infera in longum porrecta, vel leviter inflexa; capite paullum erecto, & interdum dorso pulvillis suffulto. Quod si plures eodem lecto decumberent, primus accumbebat ad caput lecti, pedibus pone dorsum secundi porrectis: secundus occiput obvertebat ad umbilicum, vel gremium primi, pulvillo interdum interjecto, pedibusque post tertii tergum porrectis: & sic deinceps tertius, quartus, quintus, & aliquando plures; nam quamvis Romæ sordidulum erat, si quinque eodem lectulo accumberent, tamen *Græci quini stipati in lectulis, sæpe plures* fuere, ut ait Cicero in Pis. Amati plerumque in sinu amantium cubabant, veluti Joannes in gremio Beati Jesu Evang. Joan. XIII. 23. & apud Juvenalem Sat. II. vers. 120.

Cœna sedet, gremio jacuit nova nupta mariti.

Porro initio convivii proni in ventrem decubuerunt, quo facilius dextras ad mensam porrigerent: postea, cum deferbuisset edendi appetitus, a mensa reclinantes in latus se convertebant. Quo sensu capienda sunt Plutarchi verba, quibus affirmat ἕκαστον ἐν ἀρχῇ μὲν ἐπὶ στόμα προνεύειν, ἀποβλέποντα πρὸς τὴν τράπεζαν· ὕστερον δὲ μετασχηματίζειν ἐπὶ βάθος ἐκ πλάτους τὴν κατάκλησιν (lege κατάκλισιν) *singulos principio in faciem proclinari mensam intuentes, dein accubitum transformare ex latitudine in altitudinem*, Sympos. lib. V. qu. VI. Huc etiam respexit Horatius lib. II. Sat. IV. 37.

Nec satis est cara pisces avertere mensa
Ignarum quibus est jus aptius, & quibus assis
Languidus in cubitum sese conviva reponet.

Ab heroicis usque temporibus invaluit, ut convivæ pro dignitate uniuscujusq; collocarentur: unde in publicis conviviis ὀνομακλήτωρ, *nomenclator*, aderat, qui singulis loca sua assignaret, docente Athenæo. Constat apud Homerum quod ἐν συμποσίοις ἄκροι χώραι οἱ ἄριστεις, *in symposiis summus locus optimatibus fuit assignatus*, ut ait Eustathius Il. ζ'. p. 498. nec in re tam manifesta exemplis immorari opus erit: Verumtamen certum sedendi ordinem indagare paullo difficilius est; id tamen maxime probabile videtur, eos longis ordinibus sedisse, in quibus Principes primam sedem utrinque vendicarunt: quo modo cum Achilles unum ordinem duxerit, ex adverso ipsi sedisse dicitur Ulysses tanquam legationis princeps, Iliad. ί. v. 217.

—— ἀτὰρ κρέα νεῖμεν Αχιλλεὺς,
Αὐτὸς δ' ἀντίος ἷζεν Ὀδυσσῆος θείοιο,
Τοίχου τοῦ ἑτέροιο. ——

—— verum carnes distribuit Achilles,
Ipse autem ex opposito sedebat Ulyssi divino,
Altero ex ordine. ——

Neptunus quamvis ultimus in convivium Deorum venit, tamen

Ἕζεν ἄρ᾽ ἐν μέσσοισι. ——
In medio consedit. ——

tanquam hic locus ad ipsum jure pertineret. Jupiter primum ordinem ducebat, cui ex eodem latere proxima sedit Minerva, & quodam tempore apud Homerum Thetis Iliad. ω. vers. 100.

Ἡ δ᾽ ἄρα πὰρ Διὶ πατρὶ καθέζετο, εἶξε δ᾽ Ἀθήνη.
Illa vero Jovi patri adsedit, cedente Minerva.

Junone alterius ordinis locum supremum occupante, nec enim illa *Tonantis Soror & Conjux* Minervæ aut Thetidi cedere debuit. Vid. Plutarchus Sympos. lib. I. q. II.

Apud varias gentes diversi loci in honore erant: Persis medius honestissimus erat, & in eo Reges decumbere solebant. Græcis primus, & quidem apud Heracleotas, eosque Græcos qui circa Pontum incolebant, medii lecti primus locus optatissimus fuit: sicut e contra Romanis medii lecti ultimus, quem *Consularem* vocabant. Vid. Plutarchus lib. cit. q. III. Qui liberiorem vivendi rationem amabant, de locis parum soliciti fuere; unde Timo (ut refert idem Auctor lib. cit. q. II.) cum plures ad convivium vocasset, eosque diversæ sortis homines, hospites, tum cives, tum etiam familiares, & consanguineos, unumquemque eo loco quo forte libitum esset, accumbere jussit: Tamen, quod in Judæis perstrinxit B. Salvator, elatioris animi homines inferiori loco sedere dedignati sunt: adeo ut cum plures ad Timonis convivium advenissent, quidam optime vestitus, & comitatu servorum superbiens, usque ad cœnaculi fores penetrans, tum oculis accumbentes perlustrans, continuo se foras proripuit, multisque ut retraherent accurrentibus, locum se dignum relictum esse negavit. Alii convivas eo ordine disponebant, qui ad benevolentiam & hilaritatem universorum magis conducere videbatur: veluti juvenem juveni, divitem diviti, consociando. Vel singulorum ingenia perpendentes, cuilibet socium adjunxerunt qui ad convivii fines promovendos aptissimus esset; Homini cui de re litteraria multum disserere moris erat, studiosum discendi, morosо mansuetum, iracundo tacitum, potores potoribus, amantes denique amantibus. Verum in his nulla erat constans regula, adeo ut Plutarcho disceptetur, *An loci sint omnino assignandi, vel potius a singulis, prout iis forte evenerint, occupandi?* Id ergo solum adjiciam, quod καὶ τὸ ἦθος παλαίτατον ἐν Λακεδαίμονι ὁ πρεσβύτερος ἡγεῖτο, φασὶν, ἐν τοῖς συσσιτίαις ἐπὶ τὰς κλίνας, εἰ μὴ τινα ἕτερον ὁ βασιλεὺς προκαλέσαιτο. *Spartæ ex veteri more senior in Syssitiis ordinem ducebat, nisi Rex alium eum ad honorem vocasset*, Eustathius Iliad. β΄. p. 186.

Post accubitionem veniendum est ad Mensas. Mensa vero erat ἱερὸν χρῆμα, δι᾽ ἧς ὁ Θεὸς τιμᾶται φίλιός τε καὶ ξένιος, *sacra admodum res, per quam honore afficitur Deus amicitiæ & hospitalitatis præses*, inquit Synesius ep. LVII. Is autem præcipue erat Jupiter, cui ab *hospitum* & *amicorum* tutela ξενίου & φιλίου cognomina sunt imposita: quanquam & Herculem ab hujus curæ parte τραπέζιον & ἐπιτραπέζιον vocent, & alii quoque Dii non abfuisse a conviviis perhibeantur. Quinetiam Deorum imagines aliquando in mensis collocatæ, nam Arnobius Ethnicis objicit, quod *sacras faciant mensas salinorum appositu, & simulacris Deorum*, lib. II. Contra Gentes. Et in eam libamina sacra fundebant: quo factum ut apud Plutarchum Cleodemus

A appellarit φιλίων Θεῶν βωμὸν καὶ ξενίων, *Deorum amicitiæ & hospitalitatis altare*: ὡς δὲ Θαλῆς λέγει, τῆς γῆς ἀναιρεθείσης σύγχυσιν τὸν ὅλον ἕξειν κόσμον· οὕτως οἴκου διάλυσίς ἐστι, συναιρεῖται γὰρ αὐτῇ πῦρ ἐστιοῦχον, ἑστία, κρατῆρες, ὑποδοχαὶ, ξενισμοὶ, φιλανθρωπότατα καὶ πρῶτα κοινωνήματα πρὸς ἀλλήλους, μᾶλλον δὲ ὁ σύμπας βίος. *Quemadmodum autem Thales ait, Terra sublata totius mundi confusionem fore, sic mensa abolita necessaria videtur totius familiæ dissolutio; simul enim tollitur ignis sacer, focusque, crateres, convivia, hospitia, quæ prima sunt & suavissima hominum inter se commercia, vel potius tota vitæ ratio peribit.* Hæc Plutarchus in Convivio

B septem Sapientum. Atque hinc constare poterit, unde tanta apud Auctores sanctitas mensæ tribuatur, quam inhonestis verbis factis ve, aut perfidia violare apud Veteres summum nefas erat. Juvenalis Sat. II. vers. 110.

Hic verbis nullus pudor, aut reverentia mensæ.

Et ubique occurrunt de perfidis mensarum violatoribus querelæ: veluti illa Cassandræ de Paride, qui a Menelao exceptus uxorem ejus abripuerat, Lycophron. vers. 136.

Ἔτλης θεῶν ἀλοιτὸς ἐκβλῶσαι δίκην,
Λάξας τράπεζαν, κἀνακυπώσας θέμιν.
C *Ausus es divinum, scelestе, jus transgredi,*
Percellens jus mensæ, & justitiam evertens.

Materia mensarum heroicarum plerumque lignum, prout illa tempora ferebant, politum & lævigatum, & interdum pedes coloribus illitum, unde ejus epitheta apud Homerum hujusmodi sunt, ξεστὴ, εὔξοος, κυανόπεζα, &c. Forma plerumque orbicularis erat, si Myrleano apud Athenæum lib. XI. cap. XII. fides habenda sit, quo loco mensis aliisque rebus variis sphæricam figuram a Veteribus datam fuisse affirmat, quod mundum ejus formæ esse arbitrarentur: Verum Eustathius, cui forte in hac re non immerito credendum est, ex Home-

D ro observavit μήπω κυκλοτερεῖς εἶναι τὰς τραπέζας, ἀλλὰ τεταννυμένας εἰς μήκωσιν, *nondum orbiculares fuisse mensas, sed porrectas in longum.* Hæ autem mensæ non operiebantur linteis, uti nunc moris est: sed duntaxat perfricabantur spongiis, cujus actionis mentio frequens est antequam dapes apponuntur: veluti Odyss. α΄. vers. 112.

Οἱ δ᾽ αὖτε σπόγγοισι πολυτρήτοισι τραπέζας.
Νίζον, καὶ προτίθεντο, ἰδὲ κρέα πολλὰ δατεῦντο.
Alii autem spongiis foraminosis mensas
Abstergebant, & proponebant, & dividebant
carnes multas.

Idem fit Odyss. υ΄. vers. 150. nec a recentioribus Scri-

E ptoribus silentio præteritur: namque Arrianus lib. VII. cap. XXVI. ait, ἆρον τὰς τραπέζας, σπόγγισον, *tolle mensas, spongia absterge*. Et Martialis:

Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis.

Inter recentioris ævi homines, pauperibus quidem mensa plerumq; tripes erat, & e ligno simplici confecta: divitibus, pretiosiori materia plerumque constabat: ligna rariora in hunc usum conquisita, & e longinquis terris petita, laminisque argenti, vel aliorum metallorum ornata funere: mensarum fulcra variis modis affabre facta, ab heroibus robore claris, *Atlantes*, *Telamones*, &c. dici consue-

F verunt; nullum autem magis in usu fuit, quam pes eburneus in animalis alicujus, veluti leonis, aut pardi, figuram effictus. Apud Homerum putarunt nonnulli singulis convivis mensam appositam fuisse, unde Athenæus affirmat τὸ μονοφαγεῖν ἐν χρήσει τοῖς παλαιοῖς εἶναι, *veteres seorsim edere consuetos fuisse*, lib. I. cap. VIII. Verum ut exempla e Poeta afferri solita, id probare vix possunt, ita certe in sequentibus sæculis separatim convivari, ingenii paullo inhumanioris esse putabatur. Vid. idem Auctor lib. I. cap. VIII & X. etsi barbaris natio-

nibus in usu fuisse dicatur, nam eo more victum sumsisse Germani a Tacito perhibentur.

Τράπεζα Græcis, sicut *mensa* Latinis, vox ambigua fuit, nam τραπέζας ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία τὰ ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα, *mensas vocabant etiam cibos mensis impositos*, ut ait Pollux lib. VI. cap. XII. unde *primæ, secundæ*, ac *tertiæ mensæ*; Græcis πρῶται, δεύτεραι, τρίται τράπεζαι. Hæc autem æquivocatio nata fuisse videtur a veteri more, quo mensas una cum ferculis apponere, & auferre solebant: quo faciunt Alexidis versus ab Athenæo citati l. IX. initio c. II.

Ὡς δὲ τὴν τράπεζαν ἀνθρώπους δύο
Φέροντας εἴσω, ποικίλων παροψίδων
Κόσμου βρύουσαν. ——
Ut vidit *mensam homines duos*
Gestantes intro, variarum paropsidum
Apparatu gravem. ——

Tres ergo cœnæ partes erant:

1. Δείπνου προοίμιον, *cœnæ præfatio*, vel *antecœnium*, quandoque πρόπομα dictum: in quo propositæ fuere herbæ acres, inter quas Athenis erat plerumque brassica; item ostrea, ova sorbilia, ἑφθὰ *cocta*, οἰνόμελι seu mulsum e melle & vino (ut videtur) acriori, & alia quæ ad promovendum appetitum conducerent.

2. Δεῖπνον, *cœna* proprie dicta, quæ aliquando *prima mensa*, vel κεφαλὴ δείπνου, ut Latinis *caput cœnæ*, dicitur: Martialis a quibusdam hoc sensu intelligitur,

—— nullus tibi quatuor emptus
Librarum, cœnæ pompa, caputque fuit.

Erat ergo hæc mensa priori longe instructior: quo pertinet Dromeæ parasiti jocus, cum interrogatus, an cœnæ lautiores in Chalcide vel Athenis essent, respondit, *Cœnæ procemium in Chalcide jucundius esse toto Urbis apparatu*: procemium cœnæ vocans ostreorum copiam & varietatem, ut refert Athenæus lib. IV. cap. IV.

3. Secunda mensa, quæ continebat bellaria varii generis, Græce ἐπιδορπίσματα, ἐπιδόρπισμα, τρωγάλια, ἐπιφορήματα, ἐπίδειπνα, μεταδόρπια, ματτύας, τραγηματισμὸν, τραγήματα, &c. item ἐπαίκλεια inter Dores, qui convivia vocabant αἶκλα & συναίκλεια. Vid. Athenæus lib. IV. c. VIII. Hæc autem mensa summa magnificentia, præsertim in sæculis luxuriæ & deliciis deditis, apparari solebat, adeo ut τράπεζα quandoque κατ' ἐξοχὴν dicatur, referente Athenæo l. XIV. c. XI. quo loco exempla quædam horum apparatuum describuntur. Verum hac in re Græci cedebant Persis, qui bellaria solidioribus cibis præferebant; σιτίοισι τε ὀλίγοισι χρέονται, ἐπιφορήμασι δὲ πολλοῖσι, καὶ οὐ καλοῖσι· καὶ διὰ τοῦτο φασὶ Πέρσαι τοὺς Ἕλληνας σιτεομένους πεινῶντας παύεσθαι, ὅτι σφισιν ἀπὸ δείπνου παραφορέεται οὐδὲν λόγου ἄξιον, εἰ δέ τι παραφέροιτο, ἐσθίοντες οὐ παύονται, *cibis utuntur perpaucis, bellariis autem multis, verum non admodum exquisitis: hinc dicunt Græcos finem edendi facere, dum adbuc esuriunt: quod a cœna nihil apponatur illis, quod sit alicujus pretii, at si quid ejusmodi afferatur, comedere non desinant*: ut tradit Athenæus lib. IV. cap. X. atque ante eum Herodotus lib. I. cap. CXXXIII.

Hi tres apparatus *prima, secunda* & *tertia mensa* dicti aliquando fuisse videntur, antecœnio pro *mensa* numerato. Et quoniam tot fercula inferenda essent, ἔθος ἦν τῷ ἑστιάτορι κατακλιθέντι παραδίδοσθαι γραμματίδιόν τι περιέχον ἀναγραφὴν τῶν παρεσκευασμένων, ἐφ' ᾧ εἰδέναι ὅ, τι μέλλοι ὄψον φέρειν ὁ μάγειρος, *mos erat, ut convivatori accumbenti tabella, in qua omnium ferculorum nomina descripta fuerant, traderetur, ut sciret ille quodnam opsonium allaturus esset coquus*: eo nempe fine ut singulis convivis gratificari quam maxime posset. Vid. Athenæus lib. II. cap. X. Verum existimandum non

A est hanc mensarum varietatem singulis diebus apparatam fuisse, præterquam in principum & magnatum palatiis: homines tenuioris fortunæ parciore cibo contenti fuere, etsi in festis Deorum, aliisque solennioribus conviviis lautius viverent. Vid. idem Auctor lib. XIV. initio cap. X. At priscis heroibus unica mensa sufficiebat.

Veteres autem tanto religionis sensu imbuti fuisse perhibentur, ut cibo se replere nefas ducerent, prius quam ejus primitias Diis obtulissent. Qui mos ab heroicis sæculis adeo invaluit, ut Achilles, quamvis a legatis urgeretur qui media nocte accesserant, tamen ante cibum

B *—— Θεοῖσι δὲ θῦσαι ἀνώγει*
Πάτροκλον ὃν ἑταῖρον, ὁ δ' ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάς.
—— Diis sacrificare jubet
Patroclum suum amicum, is autem libamina flammis injecit

Et Ulysses de se sociisque suis narrat, quod cum in antro Cyclopis essent, etiam tum

Ἔνθάδε πῦρ καίοντες ἐθύσαμεν ἠδὲ καὶ αὐτοὶ
Τυρῶν αἰνύμενοι φάγομεν. ——
Accenso illic igne Diis sacra fecimus, deinde
Caseum acceptum comedimus. ——

C In Platonis etiam & Xenophontis symposio Diis sacra fiunt, solusque id Epicurus, aut si quis alius Deorum contemptor erat, neglexit. Quæ & alia huc spectantia observat Athenæus lib. IV. cap. XXVII. In sacro hoc officio hunc ordinem servabant, ut a Vesta inciperent: unde natum proverbium Ἀφ' Ἑστίας ἀρχοῦ, quo quis monetur, ut rerum domesticarum curam primam habeat, & suis prius quam alienis consulat. Hic autem honos Vestæ a Jove concessus dicitur, cum illa Diis adversus Gigantes opem tulisset. Aristophanis Scholiastes totam hanc rem explicavit ad hæc verba in Vespis p. 490.

—— ἀλλ' ἵνα
D *Ἀφ' Ἑστίας ἀρχόμενος ἐπιτρίψω τινα.*
Sed ut a Lare orsus quempiam obteram.

Ἐν ταῖς σπονδαῖς (inquit) ἀφ' Ἑστίας ἄρχονται, καὶ οὕτως ἐκ τῶν θεῶν. * Ἔστι δὲ παροιμία Ἀφ' Ἑστίας ἀρχοῦ μετήνεκται δὲ ἀπὸ τῶν τὰ ἱερὰ καθιεμένων, τῇ γὰρ Ἑστίᾳ τὰς ἀπαρχὰς ἔθος ἦν ποιεῖσθαι· μῦθον δὲ συνέθηκεν Ἀριστοκλείτος ὅπως ἔχοντα· μετὰ γὰρ τὸ κωλυθῆναι τὴν τῶν Τιτάνων ἀρχὴν, τὸν δεξάμενον τὴν βασιλείαν ἐπιτρέπειν τῇ Ἑστίᾳ λαβεῖν ὅ, τι βούλοιτο· τὴν δὲ πρῶτον μὲν παρθενίαν αἰτεῖσθαι. μετὰ δὲ παρθενίαν ἀπαρχὰς θυομένων αὐτῇ νέμεσθαι πρώτῃ παρὰ τῶν ἀνθρώπων. Κέχρηται δὲ τῇ παροιμίᾳ καὶ Πλάτων ἐν Εὐθύφρονι· Βουλοίμην ἂν, ὦ Σώκρατες, ἀλλ' ὀρρωδῶ μὴ τοὐναντίον γένηται, ἀτεχνῶς γὰρ
E ἀφ' Ἑστίας δοκεῖ μοι ἄρχεσθαι κακουργεῖν τὴν πόλιν, σὲ ἐπιχειρῶν ἀδικεῖν. In eadem desinebant, postquam cæteros Deos venerati fuissent. Homerus hymno in Vestam & Mercurium,

—— οὐ γὰρ ἄτερ σοῦ
Εἰλαπίναι θνητοῖσιν, ἵν' οὐ πρώτῃ πυμάτῃ τε
Ἑστίῃ ἀρχόμενος σπένδει μελιηδέα οἶνον.
—— neque enim sine Te
Convivia sunt mortalibus, ubi non primæ postremæque
Vestæ primitias libant suavis vini.

F Causam reddit Phurnutus, quod ex Vesta, quæ eadem est cum Terra, primo constet omnia, & in eam dissoluta revertantur: quo fit, ut ipsa sit primum principium, & ultimus terminus rerum omnium. Aliam rationem habemus apud Ciceronem lib. II. De Nat. Deorum: *Cumque in omnibus vim haberent maximam prima & extrema, principem in sacrificando* Janum *esse voluerunt, quod ab* eundo *nomen est ductum; ex quo transitiones perviæ* jani, *foresque in liminibus profanarum ædium* januæ *nominantur. Nam* Vestæ *nomen a Græcis; ea enim est, quæ ab illis* Ἑστία *dicitur: vis*

autem ejus ad aras & focos pertinet: itaque in ea Dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis & precatio & sacrificatio extrema est.

Convivii tempore, convivæ induebantur albis vestibus, aut quales lætitiam & hilaritatem præ se ferrent. Alienissimæ erant nigræ: *quis unquam cœnavit atratus?* inquit Cicero in Vatinium: erat enim hic lugentium habitus. Coronis quoque se ornabant inter cœnandum, quæ a Convivatore adferebantur ante secundam mensam: vel, ut al'qui existimant, in principio convivii. Vid. Athenæus lib. xv. cap. x. His autem non modo caput, sed collum & pectus, triclinium etiam, cœnaculum, & locos circumstantes ornabant: ut iis cerebrum dapum & vini halitibus madens recrearetur. Ovidius hanc consuetudinem fuse persequitur Fastor. lib. v.

Ebrius innexis philyra conviva capillis
Saltat, & imprudens utitur arte meri.
Ebrius ad durum formosæ limen amicæ
Cantat, habent unctæ mollia serta comæ.
Nulla coronata peraguntur seria fronte,
Nec liquidæ juncto flore bibuntur aquæ:
Donec eras mistus nullis, Acheloe, racemis,
Gratia sumendæ non erat ulla rosæ:
Bacchus amat flores, Baccho placuisse coronam
Ex Ariadneo sydere nosse potes.

Plutarch. lib. III. Sympos. quæst. I. multis disputat, utrum inter potandum coronis floreis ac fertis utendum sit? ibique tradit *hedera crapulam restingui:* amethysto *herba, sicut & gemma violentiam retundi,* (unde ei nomen a depulsione τ̃ μέθης, sive *ebr etatis*) *vinum si quando caput tentaverit, florum auram auxiliari, & munire adversus crapulam; eo quod flores calidi leniter spiramenta laxantes, spiraculum vino præstant; frigidi vero modice stringendo repellunt, inhibentque evaporationes,* &c. Ex quibus, & aliis eodem tendentibus tandem colligit, Veteres propterea coronis floreis inter pocula usos fuisse. Athenæus lib. III. cap. XXI. jubet ex Archestrato, *coronis omnifariis inter cœnandum perpetuo redimiri.* Libro vero XV. cap. v. refert, *Ob capitis dolorem & gravitatem a vino, tempora vinculo circumdedisse; posteros autem ornatus & oblectamenti gratia coronas in compotationibus.* Paulo post addit, florum fasciculos suo compressu & vinculo capitis doloribus mederi. Atque tantam vim habere serta florea credebant, *odorum vi fallaciter surrepente*, ut Mnestheus & Callimachus medici Græci libros *De coronis* composuerint. Vid. Plinius lib. XXI cap. III.

Coronarum usum a Prometheo fuisse invectum a nonnullis dictum est, ut homines ejus supplicium imitarentur, qui ipsorum causa vinculis oneratus fuit: quo allusum videtur ab Æschylo in versibus ab Athenæo laudatis loc. cit.

Τῷ δὲ ξένῳ γε στέφανον ἀρχαῖον στέφος
Δεσμῶν ἄριστος ἐκ Προμηθέως λόγου.
Hospiti coronam porrige: vetus corona
Vinculum est optimum ex Promethei fabula.

Ejusdem libri cap. XIII. tradit ex Dracone Corcyræo, *Janum bifrontem invenisse coronas, navigia, & rates, & nummum æreum primo signasse: quo factum, ut multæ urbes Græcæ, Italicæ etiam, & Siculæ, monetam incuderent bicipiti facie, & ex altera parte vel rate, vel navigio, vel corona.* Plinius antiquissimas coronas ex hedera factas, & capiti impositas fuisse a Baccho refert lib XVI. cap. I. At Festus *antiquissimum genus fuisse coronarum lanearum* affirmat: quali venefica poculum cingit apud Theocritum Idyll. β. 2.

Στέψον ταν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ.
Cinge calicem purpurea ovis lana.

Homerus varias similitudines a coronis ducit, tamen nullibi mentionem facit Herois alicujus, qui illis usus fuerit: ex quo non sine ratione colligitur, Trojano bello ignotas, ante Homeri vero mortem in usum venisse. Athenæus lib. I. c. XV. Ἀλλ' οὐδὲ στεφανουμένους εἰσάγει· καίτοι τῷ ἐκ τ̃ μεταφορᾶς ὁμοιώματι σημαίνεται ὅτι ᾔδει τ̃ στέφανον· φησὶ γ᾽ οὖν:

Νῆσον, τὴν πέρι πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωτο.
Καὶ,
—— πάντῃ γὰρ στέφανος πολέμοιο δέδηεν.

Nec quempiam heroum coronatum inducit, quanquam ex translationibus cognitam ei fuisse coronam declaret: ut cum ait,

Insula, quam circum immensi maris unda coronat.

Et rursum,

—— nam quaquaversum belli est dispersa corona.

Coronarum materia varia fuit. Ubi convivium in alicujus Dei honorem celebratum erat, ut hymnis, ita floribus ei sacris utebantur. Idque in universum notari debet, quod sacros flores ut plurimum in omnibus conviviis adhibebant, nam & ipsa Veterum convivia in laudem Numinum instituebantur. Athenæus. lib. v. c. IV. Πᾶσα δὲ συμποσίου συναγωγὴ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τ̃ αἰτίαν εἰς θεὸν ἀνέφερε, καὶ στεφάνοις ἐχρῶντο τοῖς οἰκείοις τ̃ θεῶν, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς. *Apud Veteres omnis ad convivia congressus Deorum causa fiebat, quos & propriis coronis, ut hymnis, & canticis venerabantur.* At cum homines, deposita simplicitate primæva, liberius vivere, & hilaritatis sæpius quam religionis causa convivari incipiebant: tum omne genus florum adhibebant, quod vel odore aut pulcritudine delectaret, vel ad sanitatem conferret. Singulis itaque floribus recensendis immorari vix esset operæ pretium. Id tantum quasi obiter adjiciam, quod rosa Harpocrati silentii præsidi a Cupidine consecrata, ut eo munere delinitus Veneris turpia facta celaret, symbolum *silentii* putabatur, & loquacibus exhibita intempestivam loquelam refrænabat. Hinc manavit consuetudo, ut rosa in cœnaculis supra mensæ verticem conspicienda omnibus affigeretur, quo quisque moneretur, Nihil temere effutiendum esse: utque *sub rosa* dicta, vel facta esse proverbio dicamus, quæcunque silentio tegenda sunt.

Est rosa flos Veneris, cujus quo facta laterent,
Harpocrati, Matris dona, dicavit Amor.
Inde rosam mensis hospes suspendit amicis,
Conviva ut sub ea dicta tacenda sciat.

Coronis addebant unguenta: his enim mos erat caput, & alias aliquando corporis partes illinere, ἐστεφανοῦντο δὲ καὶ τὰ στήθη, καὶ ἐμύρουν, ὅτι αὐτόθι ἡ καρδία, *pectus* præsertim *coronabant, & ungebant, quod sub eo sedes cordis sit,* inquit Athenæus lib. XV. cap. v. Cor enim unguento recreari putabant, sicut caput. Suffitibus etiam variis totum cœnaculum odoriferum reddebant. Harum consuetudinum luculentus testis est Archestratus apud Athenæum lib. III. cap. XXII.

Αἰεὶ δὲ στεφάνοισι κάρα παρὰ δαιτὶ πυκάζου
Παντοδαποῖς, οἷς ἂν γαίας πέδον ὄλβιον ἀνθεῖ·
Καὶ στακτοῖσι μύροις ἀγαθοῖς χαίτην θεράπευε·
Καὶ σμύρναν, λιβανόν τε πυρὸς μαλακὴν ἐπὶ τέφραν
Βάλλε πανημέριος, Συρίης εὐώδεα καρπόν.
Perpetuo vero coronis inter cœnam caput redimitum sit
Omnifariis, quibus fœlix terræ solum floret:
Stillatitiis unguentis bonis comam inunge:
Myrrham & thus in tepidum ignis cinerem
Toto die conjice, Syriæ fructum odoriferum.

Alio loco Athenæus ex Myronidis libro De Co-

ronis & Unguentis refert, Veteres caput unguento pingui & minus delicato madefecisse, credentes imbecilliorem fore vini vim, neque febrem adeo facile excitare posse, si eo modo humectarentur: Προσιθεὶς δ' ὁ βίος ἀεὶ τοῖς χρειώδεσι καὶ τὴν εἰς ἀπόλαυσιν καὶ τρυφὴν ἀγόντων, ἐπὶ τὴν τῶν μύρων χρῆσιν ὥρμησε. *Verum ut solet vitæ ratio a necessariis in delicias & luxum descendere, ad unguentorum pretiosorum usum tandem deventum est*, lib. xv. c. xiii. Porro Iones in Græciam unguenta introduxere, veluti etiam secundas mensas, molliorem saltandi artem, & cætera quæ ad luxum conferunt: erant enim Persarum imperio contermini, a quibus edocti, veterem simplicitatem mollitie & luxu mutabant, adeo ut *risus Ionicus*, *motus* etiam *Ionici* in proverbium abirent. Quorum moribus ne inficeretur Spartanorum respublica, decretum ibi fuit ut cives Spartani ab exterorum omnium, præcipue vero Asiaticorum, commercio, quantum possent, abstinerent. Nam *Spartana civitas severissimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquandiu civium suorum oculos a contemplanda Asia retraxit: ne illecebris ejus capti ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Audierant enim lautitiam inde, & immodicos sumtus, & omnia non necessariæ voluptatis genera fluxisse: primosque Ionas unguenti, coronarumque in convivio dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinem, haud parva luxuriæ irritamenta, reperisse. Ac minime mirum est, quod homines labore ac patientia gaudentes, tenacissimos patriæ nervos externarum deliciarum contagione solvi & hebetari noluerunt*. Valer. Max lib. ii. initio c. vi.

Transeo jam ad Convivii ministros. Inter hos primo loco numerandus erit Συμποσίαρχος, idem συμποσίου ἐπιμελητὴς, τραπεζοκόμος, τραπεζοποιὸς, ὁ ἐπὶ τῆς τραπέζης, ἀρχιτρίκλινος, vel ἐλέατρος aliquando adpellatus. Hic erat, qui sumtum præbebat, vel aliquis ab eo nominatus, aut interdum sorte, vel suffragiis convivarum (quod præcipue in conviviis collatitiis fiebat) electus, ut omnia necessaria provideret.

Proximus erit Βασιλεὺς, aliquando στρατηγὸς, ταξίαρχος, Latine *Rex*, & *Modimperator*, vocatus, qui leges bibendi statuit, & ut quisque ratam portionem ebiberet, observavit, unde ὀφθαλμὸς, *oculus*, quoque dicitur. Sorte plerumque creabatur; quo Horatius allusit lib. ii. od. vii. v. 25.

— *quem venus arbitrum*
Dicet bibendi?

Iterum lib. i. od iv.

Et domus exilis Plutonia; quo simul mearis,
Nec regna vini *sortiere talis,*
Nec tenerum Lycydam mirabere.

Hujusque imperio cæteri convivæ in omnibus parebant. Unde Arrianus in Epict. refert, quod *in Saturnalibus sortitione facta, Rex ita jubet*, Tu bibito: Tu infundito: Tu abito: Tu venito. Cicero cuidam exprobrat, quod *qui nunquam populi Romani legibus paruisset, iis legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat*, Orat. in Verrem quinta. Denique Plutarchus in Apophtegmat. refert, Agesilaum in compotatione magistrum convivii sorte creatum, pocillatori requirenti quantum cuique ministraret vini, respondisse, *Si multum vini adest, quantum quisque petierit, si parum ex æquo omnibus*. E quo exemplo id colligitur amplius, regibus ipsis hunc honorem non nisi forte obtigisse, & aliorum imperio paruisse, si Fortunæ visum esset: quoniam in conviviis, velut in amicitia, omnes debent pares esse.

Δαιτρὸς, qui singulis convivis portionem suam *distribuit*: a quo more non modo huic ministro, verum si convivio nomen inditum, *est enim* δαὶς *appellatum, quod æquis partibus distribueretur, quod* δαίεσθαι *vocant*. Porro *mortalium primum genus, cum humanior cibus haud ita pridem repertus non afflueret, alimentum alii ab aliis avide more brutorum eripiebant*, unde *verisimile est* ἀτασθαλίαν *dictam impietatem fuisse, quod* ἐν ταῖς θαλίαις, *sive* conviviis, *scelerum in se primo rei essent homines, ortis inde jurgiis. Ut vero Cereris beneficio largior eis annona fuit, cibum ex æquo singulis exhibuerunt, quo ritu cœnæ ad modestiam ductæ, hominibus consentientibus, ut panis, vinum, & bellaria æquis portionibus distribuerentur*. Hinc existimant, δαῖτα ἐΐσην, *æquale convivium* toties apud Homerum occurrere. Hæc & alia, quæ in hanc rem faciunt, tradit Athenæus lib. i. c. x. Nihilominus viri principes, & quicunque meritis suis, fortibusque factis præ cæteris inclaruissent, partes optimas, & cæteris etiam majores accipiebant. Hinc νῶτον, *dorsum*, quæ pars præstantissima putabatur, Ulyssi tribuit Eumæus in Odyssea, idem præmium Ajaci ab Agamemnone tribuitur Iliad. η. apud eundem Poetam Sarpedon Lyciæ regulus ἕδρῃ καὶ κρέασι τιμᾶται, *primæ sedis, carnisque optimæ & plurimæ honorem habet*: Diomedes etiam alio loco κρέασι καὶ πλείοις δεπάεσσι δεξιοῦται, *largiore vini cibique portione excipitur*. Denique, ut exemplis immorari desinam, ex Herodoto constat Spartanos reges διπλάσια πάντα *duplicem rerum omnium portionem* habuisse: & in Sacris Litteris Benjamin, Josepho præ cæteris carus, *duplici ferculo* excipitur. Vid. Eustathius p. 557. Edit. Basil. & Athenæus lib. i. c. xi. Qui vero hunc honorem habuerunt, aliis gratificari solebant: ἐδωροῦντο ἀπὸ τῶν αὐτῶν μοίρας οἷς ἐβούλοντο· ὡς Ὀδυσσεὺς νώτου ἀποπροταμών, ὃ αὐτῷ παρέθεντο, τῷ Δημοδόκῳ, *de sua portione quisque largiebatur, quibus libitum esset: velut cum Ulysses de tergo sibi apposito rescissam partem Demodoco tribuit*: ut loquitur Athenæus loc cit. Porro hoc *diribitoris* officio veteres Heroes ipsi fungebantur, veluti cum ipse dividit legatis, qui ab Agamemnone venerant Iliad. ι. v. 217.

— ἀτὰρ κρέα νεῖμεν Ἀχιλλεύς.

Quod hemistichium occurrit iterum Iliad α. v. 626. Neque pluribus exemplis opus erit. Quinetiam in seculis posterioribus legimus, in Sparta principes sæpe viros hoc ministerium obiisse; qualis erat Lysander, ab Agesilao ad id deputatus. Vid. Plutarchus Sympos. lib. ii. qu. ult. Et quamvis crescente luxu aliis in conventibus exoleverat hic mos, tamquam ἀκοινώνητος καὶ ἀνελεύθερος, *insocialis & illiberalis*: tamen in sacrificialibus conviviis diu remansit, & nonnullis maxime placebat, quibus vetus frugalitas, & simplex vivendi ratio, præ deliciis & profusione sequentium seculorum arrisit: quamdiu enim æqualis portio singulis distributa fuit, raro aliquid turpe aut indecorum in conviviis contigit. Vid. idem Auctor loco citato, ubi disputat, *Rectiusne fecerint Veteres, qui in conviviis suam cuique portionem tribuerunt: an recentiores, qui cœnam in commune omnibus apponunt?*

A cibi distributoribus ad eos, qui potum ministrabant, veniendum: Hos autem Græci plerique οἰνοχόους, Hellespontii autem peculiari nomine ἐπεγχύτας vocabant, ut refert Athenæus lib. x. c. vii. Apud Veteres κήρυκες, *præcones*, hoc ministerio fungebantur. Sic in Odyss. α. v. 142.

Κήρυξ δ' αὐτοῖσι θάμ' ἐπῴχετο οἰνοχοεύων.
Præco iis vinum circumeundo ministrabat.

Et apud Athenæum loc. cit. Alcæus & Sappho

A introducunt Mercurium Diis pocula ministrantem: neque pluribus exemplis opus est, cum notissimum sit hos κύρυκας fere πάσας ὑπηρετικὰς ἐπιτελεῖν πράξεις, *omnibus ministeriis fungi*; ut alio in loco dictum est.

Porro qui hoc ministerium peragebant, plerumque juvenes erant: veluti in Odyss. ά. v. 149.

Κῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.
Juvenes crateras vino coronabant.

Nec illi pueri solummodo, sed virgines etiam erant, nam φασὶν οἱ παλαιοὶ παρθένων ἔργον εἶναι τὸ οἰνοχοεῖν, *veteres referunt virgines olim vinum fundere solitas fuisse*, ut Eustathii verbis utar Comment. Iliad. γ'. p. 333.
B Nam ea fuit priscorum simplicitas, ut mulieres hæc aliaque ministeria præstarent sine ulla libidinis aut pravi affectus suspicione: unde fabulæ docent, Cocali regis filias Minoem Cretensem in Siciliam profectum lavisse: & Homerus ubique virgines & mulieres, pro temporis istius consuetudine lavantes hospitum pedes introducit: ut observat Athenæus lib. I. cap. VIII. Adeo autem receptum ubique fuit, ut juvenes virginesque ministeriis addicerentur, ut παῖδες καὶ παιδίσκαι vocentur δοῦλοι, διὰ τὸ τῆς παιδικῆς ἡλικίας ὑπηρετικὸν, inquit Eustathius loco citato: quocum consentit Hesychius v. παῖδες.
C Nec tamen hi juvenes ex ignotis familiis, aut tenuis fortunæ parentibus oriundi fuere, verum ᾠνοχόουν παρὰ τοῖς ἀρχαίοις οἱ εὐγενέστατοι παῖδες, ὡς ὁ τοῦ Μενελάου υἱὸς,

Ὠνοχόει δ' υἱὸς Μενελάου κυδαλίμοιο.

Pocillatores apud antiquos fuere nobilissimi juvenes, ut Menelai filius, apud Homerum,

Vinum autem ministrabat illustris Menelai filius.

ut ait Athenæus lib. x. c. VII. Atque hæc consuetudo multis postea sæculis in quibusdam sacris retenta fuit: nam multi primævæ simplicitatis ritus, postquam e moribus exoleverant, diu in religione
D mansere, cui vetustas venerationem conciliat. Præcipue Æolum gens, atque ab illis edocti Romani, nobilium filios in sacris conviviis adhibuere: Nam παρὰ Ῥωμαίοις οἱ εὐγενέστατοι τῶν παίδων τὴν λειτουργίαν ταύτην ἐπιτελοῦσιν ἐν ταῖς δημοτελέσι τῶν θυσιῶν πάντα τοὺς Αἰολεῖς μιμούμενοι, ὡς καὶ κατὰ τοὺς τόνους τῆς φωνῆς. *Apud Romanos clarissimo orti genere adolescentes hoc pariter munus obeunt in publicis sacris, in omnibus Æolas imitantes, utque ad accentum vocis*, ut refert Atheneus loco cit. Quæ forte causa eundem Auctorem movit, ut existimaret consuetudinem hanc a Deorum sacris ortum habuisse, in quibus
E δοῦλος οὐδεὶς ἦν ὁ διακονήσων, *nefas erat*, & indignares, *si servus aliquis ministraret*, lib. v. c. IV. Verum ejus origo e Veterum simplicitate petenda potius videtur, apud quos virorum principum liberi tum greges pascere, tum ad alia ministeria descendere non dedignabantur, quod alibi tum in hoc libro, tum in Commentario ad Lycophronem observatum est. Alia ratio erat, cur juvenes præcipue in conviviis ministrarent, quod non modo palatum, verum oculos ibi delectare, & quæcunque ad lætitiam & hilaritatem conducerent in medium proferre studebant. Hinc non quilibet juve-
F nes, sed qui forma cultuque corporis præstarent, ad hoc ministerium eligebantur, qui mos antiquissimus fuit, nam apud Deos.

—— πότνια Ἥβη
Νέκταρ ἐῳνοχόει ——

Hebe, juventutis Dea, & filia Junonis, *Nectar fundebat*, Iliad. δ'. v. 2. Et Ganymedes, mortalium omnium pulcherrimus, in cœlum ad hoc ministerium evectus fuisse dicitur Iliad. ύ. v. 232.

A —— ἀντίθεος Γανυμήδης
Ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων·
Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διῒ οἰνοχοεύειν,
Κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.
—— *Diis per Ganymedes*
Qui omnium erat mortalium pulcerrimus:
Quem etiam Dii rapuerunt ut Jovi pocula funderet,
Ob elegantiam formæ, ut superis interesset.

Idem enim Poetis solenne est ut Diis vetera omnia attribuant, adeo ut locorum nomina, quæ Diis in usu esse dicuntur, antiquissima fuisse comperiantur, eo nempe sæculo usitata, quo homines e ter-
B ris in Deorum chorum ascendisse finguntur; uti observat vetus Homeri Scholiastes, unicum hujusce rei exemplum apponam ex Iliad. β'. v. 813.

Τὴν ἤτοι ἄνδρες Βατίειαν κικλήσκουσιν·
Ἀθάνατοι δέ τε σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης.
Quam homines Baticam vocant,
Dii autem sepulchrum agilis Myrinæ.

Ubi agit de loco quodam in agro Trojano qui olim ab Amazone quadam *Myrinæ monumentum*, sequenti autem ætate *Batiea* vocatus est. Verum ad vini ministros revertendum; quos describit apud Homerum Eumæus, cum Ulysses, in senis pauperis habitu Penelopes procis ministraturum se af-
C firmat Odyss. ό. v. 327.

Οὔτοι τοῖοί γ' εἰσὶν ὑποδρηστῆρες ἐκείνων,
Ἀλλὰ νέοι χλαίνας εὖ εἱμένοι ἠδὲ χιτῶνας,
Αἰεὶ δὲ λιπαροὶ κεφαλὰς καὶ καλὰ πρόσωπα
Οἵ σφιν ὑποδρώωσιν. ——
Non equidem tales sunt illorum ministri,
Sed juvenes chlænas pulcre induti & tunicas,
Semper capita nitidi, & pulcro vultu,
Qui illis ministrant. ——

Et crescente luxu pulcros & elegantes pueros ingentibus pretiis emebant: quo allusit Juvenalis Sat. v. vers. 60. ubi ad pauperem clientem loquitur,
D qui cum divite patrono cœnat;

—— *Tu Gætulum Ganymedem*
Respice cum sities: nescit tot millibus emtus
Pauperibus servire puer: sed forma, sed ætas
Digna supercilio, quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calidæ, gelidæque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti.

Verum hanc rem omnium fusissime exposuit Philo Judæus lib. De vita contemplativa, ubi quædam de pretioso apparatu præfatus, addit: Διακονικὰ ἀνδράποδα εὐμορφότατα καὶ περικαλλέστατα, ὡς ἀφιγμένα οὐχ ὑπηρεσίας ἕνεκα μᾶλλον, ἢ τοῦ
E φανέντα τῶν θεωμένων ὄψιν ἡδῦναι. τούτων οἱ μὲν παῖδες ἔτι ὄντες οἰνοχοοῦσι, ὑδροφοροῦσι δὲ βούπαιδες, λελουμένοι καὶ λελειασμένοι, τά τε πρόσωπα ἐντρίβονται καὶ ὑπογράφονται, καὶ τὰς τῆς κεφαλῆς τρίχας εὖ πως διαπλέκοντες σφηκούμενοι, βαθυχαῖται γάρ εἰσιν, ἢ μὴ κειρόμενοι τὸ παράπαν, ἢ τὰς προμετωπιδίους αὐτὸ μόνον ἐξ ἄκρων εἰς ἐπανίσωσιν καὶ γραμμῆς κυκλοτεροῦς ἠκριβωμένοι σχῆμα, &c. *Ministrantibus formosis mancipiis, non tam ad præsens ministerium quæsitis, quam ad exhilarandos adspectu convivis oculos: Ex his minores pueri vinum fundunt, grandiores aquam adferunt, loti ac nitidi, fucati, & cincinnatuli, (nam alunt capillos) vel prorsus intonsi, vel a fron-*
F *te tantum præsectis in orbem crinibus: tenuissimas candidas præcincti tunicas, anteriore parte ad genua demissas, posteriore ad poplites, utrinque mollibus tæniis adstricti commissuras tunicæ, propendentibus ad latera finibus: sic ornati adsunt nutus observando, quod quisque postulet. Adsunt & alii adolescentes prima lanugine malas vestiti, qui paullo ante amatorum suorum deliciæ fuerant, curiose docti gravioris momenti ministeria, mera ostentatio magnæ opulentiæ, ut convivæ splendore stupe-*

facti facile intelligant a quanto viro sint ad communem mensam adhibiti: cum tamen hoc totum sit nihil aliud quam stolidus luxus hominis fortunæ beneficio abutentis, sicut testari possunt, qui talia sunt experti.

A potus ministris ad pocula ipsumque ministerium transeo. Apud Homerum singulis convivis poculum appositum fuisse videtur, ut biberent quando vellent; unde Agamemnon Idomeneo ait,

——σὺν ἢ πλεῖον δέπας αἰεὶ
Ἕστηχ' ὥσπερ ἐμοὶ, πιέειν ὅτε θυμὸς ἀνώγει.
—— *tibi plenum semper poculum*
Adstitit sicut mihi, ut bibas quando animus jubet.

Iliad. δ'. v. 262. unde heroica pocula dicuntur amplissima fuisse; quod tum aliis exemplis, tum præcipue Nestoris ostendit Athenæus, ejus enim poculum adeo magnum, ut a juvene sustineri vix posset, lib. XI. c. II. Verum eodem loco tradit, quod *divitibus magnæque potestatis viris etsi largiora pocula in usu sint, tamen id nec priscum est, nec apud Græcos repertum, sed a Barbaris nuper inventum, qui nulla humanitate præditi, nullo ingenii cultu politi ad nimium vini potum invitantur, & curiosos sibi, variosque cibos parant. At in Græciæ tractibus, neque scriptis, neque illorum qui nos antecesserunt testimoniis cognoscamus insignis magnitudinis poculum aliquod confectum fuisse, præterquam Heroibus.* Tamen post cœnam majoribus poculis usi fuere quam ante; quo allusum a Virgilio Æneid. I. v. 727.

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Moris autem fuit in divitum conviviis apponere ingens κυλικεῖον, *armarium poculorum*, variis poculis plenum, ad opum ostentationem quam ad usum magis paratis.

Pocula Veterum primo simplicis materiæ, lignea vel fictilia: postea crescente luxu, aurea, argentea, gemmis distincta, cælata, aliisque modis ad splendorem exornata. Verum antiquissima pocula e cornibus animalium fuere, quorum labra argento vel auro sæpe obducta. Horum meminere Pindarus, Æschylus, Xenophon & alii complures: Nec solum Veteres, verum recentiores multi iis usi fuisse videntur, inter quos erat Philippus Macedoniæ rex. Ab his Bacchus *Taurus* aliquando appellatus est, Tauri etiam forma a Cyzicenis colebatur, & aliis in locis cornibus insignitus fuisse dicitur: Denique ut nonnullis videtur ab hujusmodi poculis natæ sunt voces κεράσαι, & κρατὴρ, cornua enim Græce κέρατα dicuntur. Hæc & alia plura vid. apud Athenæum lib. XI. cap. VII. & Eustathium in Iliad. ν'. p. 883. & in Iliad γ'. p. 319. & in Ilia. θ. p. 591. Ed. Basil.

Pocula coronis floreis circumdari, tum etiam ad summum usque marginem impleri solebant. Utrumque indicavit Virgilius Æn. III. 525.

Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, implevitque mero ——

Posterius Homerus memorat illo versu, qui Iliad. α'. v. 470. & alibi occurrit,

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.
Juvenes autem crateras potu coronarunt.

Nam ἐπεστέψαντο secundum veterem Scholiastem est ἄχρι τῆς στεφάνης ἐπλήρωσαν, ὅ ἐστι μέχρι τέλους. Et στέφειν, πλήρωσίν τινα σημαίνει, *plenitudinem quandam significat*, unde pocula ἐστέφοντο præcipue quando libationes Diis offerebantur, ὅτι οὐδὲν κολοβὸν προσφέρομεν πρὸς τοὺς Θεοὺς, ἀλλὰ τέλεια καὶ ὅλα· τὸ δὲ πλῆρες τέλειόν ἐστι, *quia nihil mutilum Diis offerimus, sed quod integrum & perfectum sit: plenum autem est perfectum*, quod observat ex Aristotelis Symposio Athenæus lib. XV c. V. Fiebat itaque boni ominis causa: ἐπιστέφονται δὲ ποτοῖο οἱ κρατῆ-

A ρες, ἤτοι ὑπερχειλεῖς οἱ κρατῆρες ποιοῦνται ὥστε διὰ τὸ ποτὸν ἐπιστεφανοῦσθαι, καὶ ταῦτα ἔμφασιν πρὸς οἰωνὸν τιθέμενοι, *coronantur vino pateræ, hoc est ita implentur ut vino labra superante circumstare corona videatur, quod fieri solet bonæ scævæ gratia*, ut refert idem Auctor lib. I. cap. XI.

In ministerio potus, veluti in divisione ciborum, observatum est in heroicis temporibus, ut viri principes, & quos eximio honore prosequi vellent, maximam portionem acciperent. Οἱ κοῦροι διακονούμενοι, τοῖς μὲν ἐντιμοτάτοις ἀεὶ πλῆρες παρεῖχον τὸ ποτήριον, τοῖς δ' ἄλλοις ἐξ ἴσου διένεμον. *Juvenes qui ministrabant, honoratissimis convivis poculum plenum semper exhibebant, cæteris ex æquo vinum distribuebatur*, inquit Athenæus lib. V. c. IV. unde

B Agamemnon Idomeneo honores suos recensens, ait,

Εἴπερ γάρ τ' ἄλλοι καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
Δαιτρὸν πίνωσιν, σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ
Ἕστηχ' ὥσπερ ἐμοὶ, πιέειν ὅτε θυμὸς ἀνώγει.
Etsi enim cæteri comati Achivi
Dimensum bibunt, tuum tamen plenum poculum semper
Stat ut mihi, ut bibas quando animus jubet.

C Iliad. δ'. v. 261. Atque is honor est, quem Hector Diomedi fugienti exprobrat Iliat. θ'. v. 161.

Τυδείδη, περὶ μέν σε τίον Δαναοὶ ταχύπωλοι
Ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσι,
Νῦν δέ σ' ἀτιμήσουσι. ——
Tydide, præ cæteris quidem te honorabant Danai equites
Sedeque, & carnibus, & plenis poculis,
Nunc autem ignominia afficient. ——

Quæ repetita habes in Iliad. μ'. qua de Sarpedone & Glauco Lyciæ principibus agitur. Alius ho-
D nor illustribus viris dabatur in propinationibus, quas secundum dignitatis ordinem factas fuisse refert Plutarchus Sympos. lib. I. quæst. II. Solebant enim ad bibendum se mutuo invitare, compellando eum cui erant poculum tradituri: πληροῦντες γὰρ προέπινον ἀλλήλοις μετὰ προσαγορεύσεως, *impletis enim poculis, se invicem salutantes propinabant*, inquit Athenæus lib. X. cap. IX. Salutantes dicebant alter alteri, χαῖρε, ut Pindari Scholiastes in Nemeonicas probat, Οἱ προπίνοντες, inquit ἔλεγον τὸ χαῖρε, ὡς τὸ, Χαῖρ' Ἀχιλεῦ, κἀγὼ τόδε τοι πέμπω, φησὶ, μεμιγμένον μέλι λευκῷ σὺν γάλακτι. Ali-
E quando salutationis ejusmodi formula utrinque fuit; propinantis quidem, προπίνω σοι καλῶς, ejus qui poculum recepturus erat, λαμβάνω ἀπὸ σοῦ ἡδέως. Porro qui propinavit, poculum plenum præbibit, idque alter postea exhaurire tenebatur: unde cum *Alexander Proteæ*, bibaci cuidam Macedoni, *poculum, quod duos capiebat congios, præbibisset; ille sumptum exhausit, & mox idem poculum regi*, ab ipso rursus ebibendum, *propinavit*, ut narrat Athenæus loc. cit. Et qui hoc ritu præbibebant, proprie dicebantur προπίνειν, vel προπίνειν φιλοτησίαν, quia quædam *amicitiæ* professio erat: veluti qui poculum a propinante accipiebant,
F dicebantur ἀντιπροπίνειν, vel ἀντιπροπίνειν ὅμοια. Postea moris erat, ut propinans prægustatum leviter poculum alteri porrigeret, quod etsi veteri nomine appellatum fuerit, magis proprie tamen προεκπιεῖν, *ex poculo ante alium bibere*, dici existimat Athenæus lib. V. c. IV. προέπινον δ' ἀλλήλοις, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς, τοῦτο γὰρ προεκπιεῖν ἐστιν, ἀλλὰ μεστὸν τὸν σκύφον. Meminit etiam consuetudinis hujus quodam loco Ælianus, ubi quid sit φιλοτησία, & φιλοτησίαν προπίνειν, explicat: Φιλοτησίας, inquit, τὰς δεξιώσεις διὰ τῆς φιλίας καὶ φιλοτησίαν προπίνειν,

ἐστιν ὁπόταν τις ἐν ἀρίστῳ ἀπὸ τῆς δοθείσης αὐτῷ φιάλης πιὼν μέρος, τὸ λοιπὸν παράσχῃ φίλῳ, καὶ τὴν φιάλην παρασχόμενος, *quando in prandio quis alteri poculi partem bibens, reliquum cum ipso poculo amico porrigit*. Porro has propinationes vocat δεξιώσεις, quia a dextra fiebant: unde Homericum δειδίσκεσθαι explicatur προπίνων δεξιοῦσθαι, ut Iliad. ά. ubi Dii

—— χρυσείοις δεπάεσσι
Δειδέχατ' ἀλλήλους. ——

Ἐδεξιοῦντο προπίνοντες ἑαυτοῖς ταῖς δεξιαῖς, inquit Athenæus. Nec aliter in Iliade nona, qua Ulysses

Πλησάμενος δ' οἴνοιο δείδεκτ' Ἀχιλῆα.

Hoc est ἐδεξίωσε, ὅ ἐστι προέπινεν αὐτῷ τῇ δεξιᾷ διδοὺς τὸ ποτήριον, *propinans poculum dextra obtulit*: Atque eadem observat Eustathius in Iliad. ί. p. 557. qui fere omnia, quæ de his rebus differit, ex Athenæi penu depromsit. Ejusdem consuetudinis exemplum inter Homericos Deos expressum occurrit Iliad. ά. v. 597. ubi Vulcanus

—— θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν
Ὠνοχόει. ——

Hoc est secundum Interpretem veterem, ἀπὸ τῶν δεξιῶν μερῶν ἀρξάμενος. Aliud testimonium citatur e Critiæ epigrammate in Anacreontem,

Παῖς διαπομπεύσῃ εἰς δεξιὸν ὦμον.
Puer propinationes circumferat in dextrum humerum.

Alterum denique ex Anaxandridæ Ἀγροίκοις laudat Athenæus lib. XI. c. III. Atque hoc vocabant πίνειν ἐπιδέξια. Vid. Pollux lib II. cap. IV. Idemque ἐν κύκλῳ πίνειν, unde ἐγκυκλοποσία, dicitur, quod plerumque quasi in orbem fieret, facto initio ab eo qui primo loco sedebat. Quo allusum a Plauto in Persa Act. v. Sc. I.

—— *age, puere,*
A summo septenis cyathis committe hos ludos.

Nec tamen ubique iidem bibendi ritus observati fuere: *Nam Chius & Thasius poculis majoribus bibit ad dextram; Atheniensis e parvis ad dextram; Thessalus* non servato ordine *cuicunque libuerit magna pocula propinat; Lacedæmoniis singulis poculum apponitur, & puer statim affundit quantum epotum est*, ut narrat Athenæus lib. XI. c. III.

In his propinationibus moris fuit nominare absentes quorum memoriam convivis commendare vellent: & primo quidem Deos, dein amicos: atque ad singula nomina unum vel plures meri cyathos bibebant; quod Cicero tertia in Verrem vocat *Græco more bibere*: ad quæ verba annotat Asconius Pedianus, *Grandibus inquiunt poculis, & meracis potionibus qui non intelligunt dicta Ciceronis, & hoc putant Græco more potare. Est autem Græcus mos, ut Græci dicunt*, συμπιεῖν κυαθιζομένους, *cum merum cyathis libant salutantes primo Deos, deinde amicos nominatim: nam toties merum bibebant, quoties Deos, & caros suos nominant.* Huc respexit Theocritus Idyll. XIV. v. 18.

Ἤδη δὲ προϊόντος, ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον
Ὧτινος ἤθελ' ἕκαστος, ἔδει μόνον ὧτινος εἰπεῖν.
Jam vero procedente tempore visum est infundere merum,
Cujuscunque quisque vellet, tantum oportebat dicere cujus.

Ubi Scholiastes, Προκόπτοντος τοῦ ποτοῦ ἔδοξεν ἡμῖν ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον, ἤτοι λαμβάνειν καὶ ἐπισπένδειν. οὕτω γὰρ εἰώθασι ποιεῖν ἐν τοῖς συμποσίοις, ἄκρατον λαμβάνειν, καὶ ὀνομάζειν τινὰς ἐρωμένους ἢ φίλους, καὶ ἐπιθεῖν τῇ γῇ, καὶ φθέγγεσθαι τῶν φιλτάτων τὰ ὀνόματα. E quo ritu libandi in terram dum amicos nominarent, probabile est votum id fuisse pro eorum salute. Inter caros autem plerumque amicæ præcipuæ fuere: cujus rei plura occurrunt exempla, veluti apud Tibullum,

Sed bene Messalam sua quisq; ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.

Et Horatium lib. I. od. XXVII.

—— *dicat Opuntiæ*
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.

Aliquando tot cyathos bibebant, quot in amato nomine litteræ erant. Martialis, lib. I epigr. LXXII.

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.

Aliis quoque rationibus numerum cyathorum inibant: cum tres, propter numerum Gratiarum: vel novem, quia tot erant Musæ, bibebant. Quas consuetudines eleganter describit Horatius lib. III. od. XIX.

Da Lunæ propere novæ
Da noctis mediæ, da puer, auguris
Murenæ. Tribus, aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis:
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: Tres prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis juncta sororibus.

Meminit etiam Petronius his verbis, *Excusare cœpit moram quod amica se non dimisisset, tribus nisi potionibus e lege exsiccatis*. Et Ausonius in gripho ternarii numeri v. I.

Ter bibe, vel toties ternos: sic mystica lex est,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus novies ternis contexere cubum.

Græce hoc profertur Ἢ τρὶς, ἢ τρὶς τρία. Cui simile est Ἢ τρία πῖνε, ἢ μὴ τέτταρα. Verum hæc lex non fuit perpetuo observata, nam in Epigrammate non modo novem Euphrantæ, sed etiam decem Dirodicæ pocula funduntur, Antholog. lib. VII.

Ἔγχει Δειροδίκης κυάθους δέκα, τῆς δὲ ποθεινῆς
Εὐφράντης ἐννέα μοι ἔπειτα δίδου κύαθον.
Effundes Dirodices cyathos decem, at amabilis
Euphrantes novem mihi da.

Qui fortes erant ad bibendum, cæteros provocabant. Exemplum apponam ex Athenæo lib. X. cap. IX. *Proteas ille Macedo*, inquit, *erat bibacissimus; Alexander igitur poculum, quod duos congios capiebat, ei propinavit: Ille vero sumptum, multis laudibus regem prosecutus exhausit cum applausu omnium: ac paullo post, poculum idem postulavit, rursumque Alexandro propinans exhausit: Tum Rex generose iterum ebibit, sed ejus vim perferre non potuit; verum in pulvinar reclinatus, & poculo e manibus dimisso, jam inde morbo correptus interiit.* Aliquando propositis præmiis certabant, quis plurimum biberet; quem morem invertens Anacharsis philosophus Scythicus, cum apud Periandrum cœnavit, præmium bibendo postulavit, quod primus omnium ebrius esset, *eum namque finem esse victoriæ quam bibendo quærerent; velut & currendi, cum metam attigerunt*. Timæus tradit Dionysium tyrannum coronam auream quodam festo proposuisse ei, qui primus congium ebiberet, atque Xenocratem philosophum eam obtinuisse. Ferunt, denique, *Alexandrum* Macedonem *ad* Calani Indi *tumulum ut gymnicos & musicos ludos, ita meræ potionis certamen proposuisse, cujus præmium esset primario victori talentum, secundo triginta minæ, tertio decem: Eorum autem, qui tum bibendo certabant, triginta quinque repente mortuos concidisse, & exiguo tempore interjecto sex alios in tentoriis expirasse: & victoriam obtinuisse Promachum quendam nomine, epotis meri congiis quatuor.* Vid. Ælianus Var. Hist. lib. II. cap. XLI. & Athe-

næus

næus *lib.* x. cap. x. quorum alter alterum exscripsit. Hinc constat, magna in laude fuisse, si quis bibacior cæteris esset: unde non sine circumstantium plausu ingens meri poculum exhauriebatur, præsertim si ἀμυστὶ, hoc est *sine intermissione*, exsiccatum esset: Ita bibenti acclamabant ζήσειας. Suidas, Ζήσειας, ἐν τῷ ἀμυστί. Et alio loco clarius hanc consuetudinem explicavit: Ἀμυστὶ πιεῖν· ἐπίῤῥημα. λέγεται δὲ ἐπὶ τοῦ ἀπνευστὶ καὶ ἄνευ τοῦ ἀναπαύεσθαι πινόντων, οἱονεὶ μηδὲ μυσάντων. τοῦ αὐτοῦ ἔχεται καὶ τὸ ἐξαμυστίσαι· λέγεται καὶ ἀμυστίζειν, καὶ τὰ ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἀμυστὶ (mallem ἄμυστις) Φερεκράτης εἶπεν ὅτι Κόμμοδος ὁ βασιλεὺς Ῥωμαίων ἔπιεν ἐν τῇ ἀγωνίᾳ καμὼν, κύλικι ῥοπάλῳ, τῇ παρὰ γυναικὸς γλυκὺν οἶνον ἐψυγμένον λαβὼν ἀμυστὶ, ἐφ᾽ ᾧ παραχρῆμα πάντες τοῦτο δὴ τὸ ἐν συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι ἐξεκόησαν Ζήσειας. Qui non potuit bibere, e convivio abesse jussus est: erat enim inter compotores notissima lex Ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι, cujus meminit Cicero Tusculan. Quæst. *lib.* v. *Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quæ in Græcorum conviviis obtinet:* Aut bibat, *inquit*, aut abeat: *& recte. Aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi: aut, ne sobrius in vinolentiam incidat, ante discedat. Sic injurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas.* Quem in finem Athenis tres erant magistratus, οἰνόπται & aliquando metaphorice ὀφθαλμοὶ ab officio suo dicti, qui ἐφεώρων τὰ ἐν τοῖς δείπνοις, εἰ κατ᾽ ἴσον πίνουσιν οἱ συνόντες, *in cœnis observabant utrum omnes ex æquo biberent.* Infimus autem magistratus hic fuit, nam & ellychnia & lucernas convivantibus suppeditavit. Vid. Athen. *lib.* x. cap. VI. & VII.

Ex dictis constare poterit, quam dediti compotationibus Græci fuere, tum cæteri, tum etiam qui sapientiæ studium professi sunt. Nec multo saniores Romani fuisse videntur, inter quos viri morum integritate maxime conspicui huic vitio favebant. Seneca Stoico supercilio gravis ajebat, nonnunquam ad ebrietatem usque veniendum, ut curarum remedium. De Catone Uticensi Plutarchus, aliique produnt, quod integras perpotando noctes duxerit. Et Catonem majorem, Corvinumque Socraticæ philosophiæ studiosum, vino interdum maduisse refert Horatius *lib.* III. od. XXI. ubi ad amphoram sic loquitur:

Descende, Corvino jubente,
Promere languidiora vina.
Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus.
Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Fuere tamen qui liberiorem vini usum, & in universum omnes propinationes reprehenderent, atque ebrietatem legibus prohiberent. Sapientes tria pocula, nec plura indulgebant. Unde apud Athenæum initio *lib.* II. Eubulus hæc dicentem introduxit,

Τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω
Τοῖς εὖ φρονοῦσι· τὸν μὲν ὑγείας ἕνα,
Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι· τὸν δὲ δεύτερον
Ἔρωτος, ἡδονῆς τε· τὸν τρίτον δ᾽ ὕπνου,
Ὃν εἰσπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι
Οἴκαδε βαδίζουσ᾽· ὁ δὲ τέταρτος οὐκέτι
Ἡμέτερός ἐστιν, ἀλλ᾽ ὕβρεως· &c.
Tria pocula tantum misceo
Illis qui sapiunt: unum bonæ valetudinis,
Quod omnium primum bibunt: deinde alterum
Amoris & voluptatis: soporis tertium,
Quo epoto sapientes qui vocantur,
Sese domum recipiunt: post, si quartum additur,
Non est id amplius nostrum, sed proterviæ.

At Panyasis primum poculum Gratiis, Horis & Baccho tribuit: secundum Veneri & Baccho: tertium vero protervia & injuriæ. Lacedæmoniis nullæ propinationes, aut compotationes fuere, verum in syssitiis sobrii versabantur, nec nisi sitis causa bibebant: Lycurgus enim eorum legislator institutis suis sustulit τὰς οὐκ ἀναγκαίας πόσεις, αἳ σφάλλουσι μὲν σώματα, σφάλλουσι δὲ γνώμας, (καὶ) ἐφῆκεν ὁπότε διψῴη ἕκαστος πίνειν, *potiones non necessarias, quæ tum corpora, tum animos labefactant, & potestatem bibendi fecit, ubi quisque sitiret*, ut ait Xenophon in Repub. Lacedæm. Idemque Auctor aliud ejus Legislatoris institutum fuisse refert, ut ex convivio redirent, sine face prælucente, ut necessitas ambulandi in tenebris a potu nimio absterreret. Critias in Elegiis eorum moderationem laudat,

Καὶ τόδ᾽ ἔθος Σπάρτῃ, μελέτημά τε κείμενόν ἐστι,
Πίνειν τὴν αὐτὴν οἰνοφόρον κύλικα·
Μηδ᾽ ἀποδωρεῖσθαι προπόσεις ὀνομαστὶ λέγοντα,
Μηδ᾽ ἐπὶ δεξιτερὰν χεῖρα κυκλοῦν θιάσου,
Καὶ προπόσεις ὀρέγειν ἐπιδέξια, καὶ προκαλεῖσθαι
Ἐξονομακλήδην ᾧ προπιεῖν ἐθέλει.

Hic Spartæ mos, hoc institutum fuit,
Ut ex eodem poculo vini biberent:
Nec propinarent alicui nomine vocato,
Nec in conviviis dextram manum bibendo circumirent,
Propinatumque poculum ministrarent dextrorsum, & provocarent
Nominatim cui præbibere aliquis velit.

Athenis si Archon nimio vino maduisse deprehensus foret, morte puniebatur ex præscripto Solonis, ut refert in ejus vita Laertius: cæterique propinones a Senatu Areopagitico pœnis afficiebantur, quia id temporis luxui darent, quod reipub. usibus impendendum fuit, ut narrant Phanodemus & Philochorus apud Athenæum. Denique, ne sim in enumerandis hujusmodi exemplis nimius, cum insula Mitylene vino abundaret, Pittacus quo cives suos a nimio ejus usu absterreret, νόμους δ᾽ εἴθηκε, τῷ μεθύοντι, ἐὰν ἁμάρτῃ, διπλῆν εἶναι τὴν ζημίαν, *lege sanxit, ut qui ebrius peccabat, duplici pœna afficeretur*, referente Laertio in Pittaco.

Priusquam ad cæteros convivii ritus procedam, pauca de solennibus quibusdam poculis præmittenda sunt. Qualia fuere

Poculum Ἀγαθοῦ δαίμονος, quod mero repletum in honorem Bacchi, cui inventionem vini tribuebant, circumferebatur convivis, a quibus leviter degustabatur: unde viri temperati & ὀλιγοποτοῦντες ab Hesychio dicuntur Ἀγαθοδαιμονισταί. Hoc autem poculum ante mensas sublatas, ut nonnulli; post vero, ut alii putant, circumferebatur: priori opinioni fidem addit exemplum Dionysii Siculi, qui cum Syracusis in Æsculapii æde mensa aurea adstaret, *Boni Dei* poculum præbibens, continuo mensam auferri jussit. Porro hoc poculo degustato venerabantur divinum numen, eo fine, ut ne quid agant turpiter præ nimio illius potus desiderio.

Poculum Διὸς σωτῆρος, *Jovis servatoris*, quod aqua fuit temperatum, Jovique, humidi elementi Præsidi, sacrum erat, in memoriam inventæ rationis vinum aqua temperandi.

Tertium aliqui poculum Ὑγιείας, *bonæ Valetudinis*, addunt, quod cum priori μετάνιπτρον, vel μετανιπτρὶς dictum, quia *post lotas* in fine convivii *manus* sumebatur: eodemque nomine *Boni Dei* poculum nonnullis appellatum videtur. Verum de his tribus vidd. Athenæus *lib.* II. cap. II. *l.* II. cap. XI. *l.* XV. cap. V. & XIV. Pollux, Suidas, &c.

Aliud poculum Ἑρμοῦ *Mercurii* erat, cui ante cubitum libabant, ut postea dicetur. Vid. Pollux.

Alii alios poculorum solennium ordines describunt. Suidas V. *κρατὴρ* sic numerat: *Τρεῖς κρατῆρας ἵστασαν ἐν τῷ δείπνῳ· α΄. Ἑρμῇ· β΄. Χαριδίῳ· γ΄. Διὶ Σωτῆρι. Tria pocula in cœna adferebant: 1. Mercurio. 2. Charisio*, seu Jovi a *gratia* inter homines concilianda sic dicto. 3. *Jovi Servatori.*

Alii veterem fuisse morem referunt, ut primus calix mixti biberetur Jovi Olympio; secundus Heroibus; tertius, idemque ultimus, Jovi Servatori, quod huc usque intra rationis fines consisterent; sin ultra quis progrederetur, jam libidini & intemperantiæ inserviret: idemque calix *τέλειος* dicebatur, sive quod hic *ultimus* fuerit, sive, ut existimant qui mysteria numerorum investigant, quod ternarius numerus inter *perfectos* primus esset: nam ei initium, medium & finis est, ideoque rebus divinis, & præcipue humano animo accommodatur, is enim secundum Platonem *ternione* constat. Nec id ratione vacat, quod primum, & ultimum calicem Jovi, medium Semideis, dicarent: Jovem enim supremam illam Mentem, quæ res omnes complectitur, earumque initium & finis est; Heroas autem mediæ conditionis inter Deos & homines esse, putabant. Atque ad hos ritus tredecim continuis versibus allusit Pindarus Isthmionic. principio Od. VI. Eundemque morem ex aliis Auctoribus ibi confirmat Interpres Græcus. Id observandum solennia pocula plerisque tria numerari, intra quem numerum fines temperantiæ statuebant: unde mulier compotatrix in Antiphanis Mystide ait,

> *Μέχρι τῶν τριῶν φασὶ τιμᾶν τοὺς Θεούς.*
> *Ad usque tria pocula venerandos esse Deos ajunt.*

apud Athenæum *lib.* X. cap. XI.

Porro postquam finem comedendi fecissent, antequam ad cætera convivii oblectamenta animos applicarent; Diis libamina, precesque fuderunt, & sacros aliquando hymnos cecinerunt. Hinc in Xenophontis Convivio p. 874. Ed. Francof. *Ὡς δ' ἀφῃρέθησαν αἱ τράπεζαι, καὶ ἐσπείσαντο, καὶ ἐπαιάνισαν, ἔρχεταί τις αὐτοῖς ἐπὶ κῶμον Συρακούσιος ἄνθρωπος, ἔχων αὐλητρίδα ἀγαθὴν, καὶ ὀρχηστρίδα*, &c. *Mensis tandem ablatis, ac libationibus, pæaneque absolutis, Syracusanus quidam ad commessationem accedit, qui secum egregiam tibicinam & saltatricem haberet*, &c. Virgilius hanc libationem sic describit, tanquam Boni Dei poculo fieret: quod si verum sit, necesse est ut id post remotas mensas aliquando circumferri solitum fuisse dicatur. Virgilii versus hi sunt Æneidis primæ fine,

> *Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,*
> *Crateras magnos statuunt, & vina coronant.*
> *Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant*
> *Atria: dependent lychni laquearibus aureis*
> *Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.*
> *Hic Regina gravem gemmis auroque poposcit,*
> *Implevitque mero pateram, quam Belus & omnes*
> *A Belo soliti. Tum facta silentia tectis:*
> Juppiter, hospitibus nam Te dare jura loquuntur,
> Hunc lætum Tyriisque diem, Trojaque profectis
> Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores:
> Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.
> Et vos, o Tyrii, cœtum celebrate faventes.

> *Dixit: & in mensa laticum libavit honorem:*
> *Primaque, libato, summo tenus attigit ore:*
> *Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hausit,*
> *Post alii proceres.* ——

A Hinc ad cætera transeundum, quæ postquam cibo saturati fuissent, sequebantur. Veteres autem conviviis suis adhibebant acroamata, tibicines, citharœdos, psaltrias, miraculorum simulatores, ut in Convivio Socratis apud Platonem & Xenophontem; scurras etiam, mimos, histriones, utque breviter dicam omnes, qui artem hilaritati promovendæ aptam profiterentur: Nec enim palato solum convivarum, sed auribus, & oculis gratificari volebant.

A vetustissimis temporibus musica & choreis se oblectabant in conviviis,

> B *Μολπή τ', ὀρχηστύς τε, τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.*
> *Cantusque, & saltatio: hæc enim sunt ornamenta convivii.*

inquit Homerus Odyss. *α΄. vers.* 152. Phemius & Demodocus apud eundem sunt notissimi cantores. Diis ipsis convivantibus Apollo citharam pulsabat, Musis alternatim canentibus, Iliad. *α΄. vers.* 603. Nec solum Musicæ, sed saltationi dediti fuere veterum Dii. Nam Apollinem *ὀρχηστὴν* quodam loco vocavit Pindarus, idem in Homerico hymno inducitur dum cithara ludit,

> C *Καλὰ καὶ ὕψι βιβάς* ——
> *Decore excelseque gradiens.*

Denique Jupiter a veteri Poeta, sive Eumelus is sit, sive Arctinus Corinthius, hoc versu saltasse dicitur,

> *Μέσσοισιν δ' ὠρχεῖτο πατὴρ ἀνδρῶν τε Θεῶν τε.*
> *In medio autem saltavit Pater hominumque Deorumque.*

Unde colligit Athenæus *ὄρχησιν ἔνδοξον καὶ σοφὸν*, *saltandi peritiam rem præclaram & sapiente dignam*, habitam fuisse, *l.* I. cap. XIX. Contra apud D Romanos *nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit; neque in solitudine, neque in convivio honesto. Intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio;* ut ait Cicero pro L. Muræna. Et Cornelius Nepos, postquam narrasset Epaminondam saltandi, citharam pulsandi, cantandi tibiis, aliasque artes percepisse, *atque hæc ad nostram*, inquit, *consuetudinem sunt levia, & potius contemnenda, at in Græcia utique olim magnæ laudi erant*. Quod etiam in ejus Operis præfatione monuisset. Atque hujusmodi artes tanti erant apud Græcos, ut *summam eruditionem censerent in nervorum, vocumque cantibus: igitur &* E *Epaminondas, princeps meo judicio Græciæ, fidibus præclare cecinisse dicitur: Themistoclesque ante aliquot annos, cum in epulis recusaret lyram, habitus est indoctior. Ergo in Græcia musici floruerunt, discebantque id omnes; nec qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur;* inquit Cicero Tuscul. Quæst. *lib.* I. Attamen mollis & lasciva, vel nimia & intemperans saltatio adeo prudente viro indigna fuit habita, ut Hippoclides Atheniensis, cum fuisset a Clisthene Sicyonis tyranno ex omnibus Græcorum nobilibus in generum designatus, propter saltationem & gesticulationes intempestivas rejectus fuit, ut narrat Herodot. *l.* VI. cap. CXXVIII. F Iones molli cantu & saltationibus, cæteris infamiores fuere. Hinc Horatius sæculi sui mores perstringens, ait,

> *Motus doceri gaudet Ionicos*
> *Matura virgo.* ——

lib. III. od. VI. Et a Theophrasto *Ionum mores deliciis perditissimi, cantus a vetusto longe diversus, harmonia remissior* fuisse dicitur. Vid. Athenæus *lib.* XIV. cap. V.

Athenæus existimat ὅτι οὐχ ἡδονῆς χάριν ἐπιπολαίου καὶ δημοτικῆς ἡ μουσικὴ προῆλθε καταρχὰς εἰς τὰς ἑστιάσεις, *quod musica non fuerit leviusculæ & vulgaris voluptatis causa in convivium introducta*, sed quia *ad sedandos animi motus, & mores componendos prodesset*. Nec enim leves cantilenæ in usu tum fuere, *sed prisci homines inter consuetudines ritusque religionis receperunt, ut in conviviis*, quæ tunc raro præterquam in solennibus Festis celebrata sunt, *Deorum hymni laudesque ab omnibus canerentur*. Vid. Athenæus *l.* xiv. cap. vi. Quicquid sit, id saltem non dissimile vero videtur, quod in Veterum conviviis aut Deorum laudes, aut virorum illustrium facta, cantu celebrari consueverint: quod ex Homericis conviviorum descriptionibus observare licet. Verum adeo infrequens erat in posterioribus sæculis sacrorum Hymnorum in vulgaribus Conviviis cantatio, ut Demophilus Aristoteli philosopho crimen violatæ religionis intentavisse dicatur, quod pæana quotidie in convivio caneret; ut tradit Athenæus *lib.* xv. initio cap. xvi. Nam in quotidianis conviviis *Scolia* cantabant, reservatis ad sacrificiales epulas Deorum hymnis, qui a quotidiano inter liberiora pocula usu contaminari videbantur.

Porro hæc carmina σκόλια vocantur, ut distinguantur ab adjectivo σκολιὸς, observante Eustathio in Odyss. ή. p. 276. unde corrigi debet Athenæus, in cujus editionibus hodie plerumque σκολιὰ dicuntur. Cujus nominis ratio non est inde petenda, quod *hæc carmina fuerint* σκολιὰ, hoc est tortuosa & difficilia, *scolia enim inter remissiores versus recenseri solent. Verum cum tria fuerint carminum genera* in conviviis decantata; *primum erat, quod simul omnes cantabant: secundum, quod quidem omnes canebant, sed ita ut alius alii succederet: tertium, cujus omnes non erant participes, sed soli eruditiores: quapropter, quod solum præter ordinem, nec ab omnibus simul, nec a proximis deinceps, ut cætera caneretur*, σκόλιον *dictum est*: referente Artemone Cassandreo *lib.* ii. De usu carminum convivalium apud Athen. *lib.* xv. cap. xiv. idemque tradit Dicæarchus in libro De musicis certaminibus apud Aristoph. Scholiastem in Vespis p. 519. Postquam enim omnes simul cecinissent, lyra vel barbiton circumferebatur ad convivas singulos, ut qui musicam didicissent, eam in gratiam cæterorum exercerent: Illis, qui musicam instrumentalem nescirent, dabant lauri, myrtive ramum, ut eum manibus tenentes, saltem cantilenam aliquam voce, si possent, cantarent: idque dicitur πρὸς δάφνην, vel πρὸς μυῤῥίνην ᾆσαι. Hinc emendandus Hesychius, apud quem hæc leguntur: Μυῤῥίνης, κλάδος ἢ δάφνης παρὰ πότον μυῤῥίνης ἦν συνήθες, διδόναι τοῖς κατακειμένοις ἐκ διαδοχῆς ὑπὲρ τοῦ ᾆσαι ἀντὶ τοῦ βαρβίτου. Restitue Μυῤῥίνης κλάδος· μυῤῥίνης κλάδον ἢ δάφνης παρὰ πότον ἦν συνήθες διδόναι &c. Atque hinc ramus hic ᾄσακος, vel αἴσακος dictus est, διὰ τὸ ᾄδειν τὸν δεξάμενον, *quod cantaret is cui traditus esset*, ut ait Plutarchus Sympos. *lib.* i. quæst. i. quo loco addit, aliquibus dictum videri σκόλιον, quod *soli eruditi* & instructi artibus musicis *carmen id canerent, neque commune omnibus aut facile esset. Quodque alii putant myrti ramum non fuisse ordine traditum, sed a lectulo in lectulum transmissum; ita ut qui primus cecinisset, primo in secunda mensa eam mitteret, & is primo tertiæ; eodemque modo secundi secundis: itaque ob varietatem & multitudinem flexum in circuitione* scolium *fuisse dictum*. Constabant plerumque hæc scolia versibus brevibus; unde secundum quosdam σκόλιον τὸ ῥᾴδιον κατ' ἀντίφρασιν, μέλος τι ὀλιγοστιχόν. *Scolium dicitur carminis genus paucis pedibus constans, per antiphrasin quia facile* & minime σκολιὸν *erat*, inquit Aristophanis Scholiastes in Ranas p. 273. eademque fere postea occurrunt ad Vespas p. 519. Athenis autem hæc Scolia præcipue in usu fuere, tamen in aliis urbibus Græciæ non negligebantur: nam & Alcæus, Anacreon, & Praxilla Sicyonia inter clarissimos eorum Auctores celebrantur. Vid. Athenæus *l.* xv. cap. xiv. Eorum materia fuit varia: nam quædam erant σκωπτικά· τὰ δὲ ἐρωτικά· πολλὰ δὲ καὶ σπουδαῖα, *ludicra & mordacia: alia vero amatoria: & multa denique seria*; ut tradit Eustathius in Odyss. ή. p. 277. Quæ seria fuere, continebant aliquando παραίνεσίν τινα καὶ γνώμην χρησίμην εἰς τὸν βίον, *exhortationem vel sententiam aliquam vitæ utilem*; ut ait Athenæus citato capite: aliquando laudes clarorum virorum; & tum eorum nomina ferebant: veluti apud Hesychium, Ἁρμοδίου μέλος· τὸ ἐπὶ Ἁρμοδίου ποιηθὲν σκόλιον ὑπὸ Καλλιστράτου, *Harmodii melos; dicitur scolium a Callistrato compositum in Harmodium*, qui Hipparchum Pisistrati filium occidit, ut ab ejus tyrannide patriam liberaret. Ejus meminit in Vespis Aristophanes,

Ἄδω δὲ πρῶτος Ἁρμοδίου, δέξει δὲ σύ·
Οὐδεὶς πώποτ' ἀνὴρ ἐγένετ' Ἀθηναῖος.
Primus Harmodii illud incinam, tu vero post me:
Nemo unquam vir Atheniensis fuit.

Et Ἀδμήτου λόγος erat scolium in Admetum Thessaliæ regem: cujus idem Auctor paullo post mentionem fecit:

Ἀδμήτου λόγον ὦ 'ταῖρε μαθὼν, Τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
Τούτῳ τί λέξεις σκόλιον. ——
Admeti sermonem edoctus amice, BONOS AMA,
Illi hoc recensebis scolium.

Plurima Scoliorum exempla, vel initia apud Auctores varios etiamnum exstant: e quibus unicum illud Aristotelis in Hermiam Atarneæ tyrannum adscribam; quod quamvis Demophilus maledice pæanem sacrum esse dixerit, ab Eurymedonte quodam subornatus, tamen scolium esse legitimum *ex ejus dictione clare demonstravit* Democritus apud Athenæum *lib.* xv. p. 696.

Ἀρετὰ πολύμοχθε
Γένει βροτείῳ,
Θήραμα κάλλιστον βίῳ·
Σᾶς πέρι, παρθένε, μορφᾶς
Καὶ θανεῖν ζηλωτὸς Ἑλλάδι πότμος,
Καὶ πόνους τλῆναι μαλεροὺς· τοῖον
Ἐπὶ φρένα βάλλεις
Καρπόν τ' ἀθάνατον,
Χρυσοῦ κρείσσω καὶ γονέων,
Μαλακαυγητοῖο θ' ὕπνου.
Σεῦ θ' ὁ Διὸς Ἡρακλῆς,
Λήδας τε κοῦροι πολλ' ἀνέτλασαν,
Ἔργοις σὰν ἀγρεύοντες δύναμιν.
Σοῖς δὲ πόθοις Ἀχιλλεὺς
Αἴας τ' ἀΐδαο δόμους ἦλθον.
Σᾶς δ' ἕνεκα φιλίου μορφᾶς
Καὶ Ἀταρνέως ἔντροφος
Ἡελίου χήρωσεν αὐγάς·
Τοιγὰρ ἀοίδιμος ἔργοις
Ἀθάνατόν τέ μιν αὐξήσουσι Μοῦσαι,
Μνημοσύνης θυγατέρες,
Διὸς Ξενίου σέβας αὔξουσαι,
Φιλίας τε γέρας βεβαίας.
Virtus laboriosa,
Generi mortalium
Captura pulcherrima vitæ:
Ob tuam, Virgo, formam
Mors ipsa Græcis est optabilis,
Gravissimique laboris tolerantia: talem
Menti ingeris
Fructum immarcessibilem
Auro ipsisque parentibus chariorem,

Et lenienti curas somno.
Tui gratia Jove satus Hercules,
Ledæque filii multa perpessi sunt,
Tuam potentiam sequentes.
Tui desiderio Achilles,
Ajaxque Ditis descenderunt ad domos.
Tuamque ob amabilem formam
Atarneæ alumnus
Sole oculos orbavit:
Quamobrem gestis celebrem
Immortalitate donabunt Musæ,
Mnemosynes filiæ,
Jovis Hospitalis majestatem augentes,
Et stabilis decus amicitiæ.

A cantu ad ludos secundum Homericam methodum transeundum est: nam & Phæacum convivio postquam musica & convivii apparatu saturati fuissent, ad luctam, saltum, cursum, aliaque corporis exercitia se accingebant. Sic enim ibi fatur Alcinous Rex Odyss. θ'. *vers.* 97.

Κέκλυτε Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες,
Ἤδη μὲν δαιτὸς κεκορήμεθα θυμὸν ἐΐσης,
Φόρμιγγός θ' ἣ δαιτὶ συνήορός ἐστι θαλείῃ·
Νῦν δ' ἐξέλθωμεν, καὶ ἀέθλων πειρηθῶμεν
Πάντων. &c. ——
Audite Phæacum principes atque consiliarii,
Jam quidem convivio explevimus animo æquali,
Citharaque quæ convivio lauto socia est:
Nunc ergo exeamus, & certamina experiamur
Omnia. ——

Quo loco Eustathius ait, ὅρα δὲ ὅτι ἅμα δαὶς ἅμα ἄεθλοι, καὶ οὐκ ἦν ἔθος τοῖς ἥρωσιν ἀναπαύεσθαι μετὰ βρῶσιν κατὰ τοὺς ὕστερον ἐπὶ σιτίων πέψει. *Observa, quod simul convivium & certamina fuerint: neque tum Heroes post convivium requiescebant propter cibi concoctionem, ut postea moris erat*, p. 295. Posterioribus itaque Græcis ii præcipue ludi in usu erant, quæ sine magna corporis agitatione exerceri possent. Singula ludorum genera, quibus integrum librum doctissimus Meursius & post eum Bulengerus insumsere, describi hoc loco non possunt: Verum *Cottabus*, quem tanquam peculiare conviviorum oblectamentum tum Athenæus per aliquot paginas, tum etiam Pollux depinxit, omitti non debet.

Cottabus ergo a Siculis inventus, & in plerisque tum aliorum Græcorum, tum vero præcipue Atheniensium conviviis receptus est; cujus forma hæc erat: Defixa in terram virgula, super hanc altera imposita fuit, quæ tanquam in statera agitabatur, ex hac lances duæ appensæ, sub quibus totidem crateres aqua pleni statuebantur: sub aqua statua ænea erat, μάνης dicta. Qui κοτταβίζειν vellent, phialam vino plenam tenentes, & aliquod spatium absistentes, certabant vinum, quod superesset in phiala, in lancem mittere, ut repleta gravis fieret, & inclinata paululum caput statuæ sub aqua latentis allidendo sonum ederet. Qui sic conjiceret, ut nulla pars aquæ in terram difflueret, majoremque jactu suo sonitum ederet, ille victor ab amica redamari se putabat. Atque Veteres hujus ludi adeo studiosi fuere, ut non modo vasa exquisite facta, sed etiam ædificia rotunda in hunc finem constructa haberent, ut cottabo in medio constituto, ex æquis spatiis de victoria certaretur. Porro sonus ille λάταξ per onomatopœiam, vinum projectum λατάγη, nonnumquam etiam λάταξ dicitur: ipsa vero projiciendi actio, tum etiam poculum e quo vinum projiciebant, ἀγκύλη, quia τὴν δεξιὰν χεῖρα ἠγκύλουν, κυκλοῦντες αὐτὴν ὡς ἐνῆν εὐπρεπῶς δεξάμενοι, σεμνυνόμενοι ὡς ἐφ' ἑνὶ τῶν καλῶν, unde κότταβοι ἀγκυλητοὶ apud Æschylum. Vasa κότταβοι, & κοτταβίδες erant: præmia victoriæ, κοττάβια, κοτταβεῖα, & κότταβοι, bellaria, oscula, aliave id generis fuere: ipse denique ludus, ut ab aliis *cottabis* dignosceretur, κατακτὸς κότταβος appellari solet.

Aliud genus *cottabi* erat, cum vas sistebatur aqua plenum, cui vacua acetabula innatabant: in hæc τὰς λάταγας e pateris conjiciebant: & qui plura acetabula demersit, cottabismi præmium referebat.

Aliud *cottabi* genus erat, in quo aleam conjiciebant.

Aliud denique cottabi genus fuit, quando compotores inter se vigiliis certabant, ut qui diutissime permansisset insomnis, victoriæ præmium reportaret: id vero erat, secundum Pollucem, & Aristophanis Scholiastem ad Equites, placenta e melle & sesamo, vel tritico, inde σησαμοῦς, vel πυραμοῦς: posterior usitatior fuisse videtur, nam & Artemidorus ait, ἦν δὲ ὁ πυραμοῦς παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἐπινίκιος *lib.* I. cap. LXXIV. & ea vox pro quovis victoriæ præmio figurate ponitur; velut in Aristophanis Thesmophor. p. 770.

Τοῦ γὰρ τεχνάζειν ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.
Machinandi enim nobis erat placenta victoriæ.

Et in ejusdem Equitibus p. 303.

Ἢν δ' ἀναιδείᾳ παρέλθῃς, ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.
Sin impudentia superior sis, nostra est placenta victoriæ.

Vid. Athenæus *lib.* X. XI. & præcipue XV. haud procul ab initio: Pollux *lib.* VI. cap. XIX. Aristophanis Scholiastes in Pacem: Eustathius in Iliad. β'. Joannes Tzetzes Chiliad. VI. hist. LXXXV. & Lexicographi Græci.

Nec solum cibo, & ludis, sed sermonibus convivas reficiebant: & Veterum judicio μᾶλλον ἡμᾶς τῇ μεθ' ἑαυτῶν συνουσίᾳ προσῆκόν ἐστιν εὐεργετεῖν, ἢ τῷ πλήθει τῶν παρατιθεμένων, *magis decet mutua consuetudine amicis gratificari, quam multitudine ferculorum*, ut Athenæi verbis utar *lib.* X. cap. V. Quin & vetus consuetudo fuit de rebus seriis & maximi momenti inter convivandum agere: unde observat Plutarchus Sympos. *lib.* VII. quæst. IX. Nestorem auctorem fuisse Agamemnoni, ut convocatis ad convivium Græcorum optimatibus consilium caperent, Iliad. ι'. *vers.* 70.

Δαίνυ δαῖτα γέρουσιν, ἔοικέ τοι, οὔ τοι ἀεικές·
* * * *
Πολλῶν δ' ἀγρομένων, τῷ πείσεαι ὅς κεν ἀρίστην
Βουλὴν βουλεύσῃ. ——
Exhibe principibus convivium, decet enim, nec inhonestum est:
Multis autem convenientibus, ei consenties qui optimum
Consilium dabit. ——

Credebant enim quod, secundum illud Aristophanis in Equitibus p. 293.

Οἴνου γὰρ εὕροις ἄν τι πρακτικώτερον.
In vino aliquid reperiatur ad agendum aptius.

quo loco Scholiastes de hoc ritu multa differit. Quin καὶ τῶν Περσικῶν συμποσίων ἐγίνοντό τινες καὶ βουλαί, καθάπερ ἐν τοῖς τοῦ Ἀγαμέμνονος, *& in conviviis Persæ consultabant; quemadmodum* Græci *apud Agamemnonem*, inquit Athenæus *l.* V. cap. IV. *Inter epulas de apparatu bellico & seriis rebus apud eosdem Grajorum more veterum consultari* refert Ammianus Marcellin. *l.* XVIII. cap. V. juxta finem. Imo, tradente Herodoto *l.* I. cap. CXXXIII. μεθυσκόμενοι ἐώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιότατα τῶν πρηγμάτων· τὸ δ' ἂν ἅδῃ σφι βουλευομένοισι, τοῦτο τῇ ὑστεραίῃ νήφουσι προτιθεῖ ὁ στέγαρχος, ἐν τοῦ ἂν ἐόντες βουλεύωνται· καὶ ἢν μὲν ἅδῃ καὶ νήφουσι, χρέωνται αὐτῷ· ἢν δὲ μὴ ἅδῃ, μετιεῖσι. τὰ δ' ἂν νήφοντες προβουλεύσωνται, μεθυσκόμενοι ἐπιδιαγινώσκουσι. *Poti de rebus*

maxime feriis consultare consueverunt: quod autem tunc ipsis placuerit, id postridie proponit dominus illius domus, in qua deliberaverint: & si quid placuerit etiam sobriis, eo utuntur: sin minus, relinquunt. De quibuscunque autem sobrii consultaverunt, ea poti in disquisitionem revocant. Et si Straboni fides tribuenda sit, ἐν οἴνῳ τὰ μέγιστα βουλεύονται, καὶ βεβαιότερα τῶν ἐν νήψει τίθενται, *de rebus maximis in vino consultant, eaque decreta firmiora habent, quam quæ sobrii statuunt*, *l.* XV. p. 734. Conf. Plutarch. Sympos. *l.* VII. quæst. IX. & Eustath. in *Iliad. ι.* p. 631. &c. Et de veteribus Germanis scribit Tacitus in libro de moribus eorum, quod *de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adsciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant: tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat.* Cretensium Syssitiorum finis & ratio erat, tum ut de rebus gerendis consulerent, tum ut juniores seniorum monitis & sermonibus ad prudentiam & morum probitatem, virtutemque universam instituerentur: unde ut referebat Dosiadas Rerum Creticarum *l.* IV. ἀπὸ τοῦ δείπνου πρῶτον μὲν εἰώθασι βουλεύεσθαι περὶ τῶν κοινῶν· εἶτα μετὰ ταῦτα μέμνηνται τῶν κατὰ πόλεμον πράξεων, καὶ τοὺς γενομένους ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐπαινοῦσι, προτρεπόμενοι τοὺς νέους εἰς ἀνδραγαθίαν. *Post cœnam, primo quidem de rebus publicis consultare consueverunt: deinde bellicas ad res orationem convertebant, virosque fortes laudabant, ut juvenes ad virtutem excitarentur.* Quæ fere verbatim repetit Eustathius in Odyss. τ'. Sic etiam ad syssitia Lacedæmoniorum παῖδες ἐφοίτων, ὥσπερ εἰς διδασκαλεῖα σωφροσύνης ἀγόμενοι, καὶ λόγων ἠκροῶντο πολιτικῶν, καὶ παιδευτὰς ἐλευθερίους ἑώρων. *Pueri ventitabant, tanquam ad ludum temperantiæ ducti, ubi sermones de rebus politicis audiebant, & liberales magistros conspiciebant:* ut refert Plutarchus in Lycurgo. Imo, ut idem Auctor tradit Sympos. *l.* VII. quæst. IX. τὰ παρὰ Κρησὶ ἀνδρεῖα καλούμενα, παρὰ δὲ Σπαρτιάταις φιδίτια βουλευτηρίων ἀπορρήτων καὶ συνεδρίων ἀριστοκρατικῶν τάξιν εἶχεν, ὥσπερ οἶμαι καὶ τὸ ἐνθάδε πρυτανεῖον καὶ θεσμοθέσιον. *Cretensium andrea, & Spartanorum phiditia concilii secretioris, & optimatum consessus loco erant: sicuti etiam opinor quod hac in urbe prytaneum & thesmothesium dicitur.* Quod vero de suo, hoc est Chæroneæ, prytaneo refert ibi Plutarchus, id aliis in urbibus solenne fuisse videtur; præcipue autem Athenis, ubi Senatores in prytaneo publico sumptu convivari solebant, ut in primo Archæologiæ hujus libro dictum est. Quin etiam Eustathio auctore, ὁ Ῥοδίων νόμος κελεύει τὰς μεγίσταις ἀρχαῖς συσσιτεῖσθαι τοὺς ἀρίστους περὶ τῶν ἕωθεν πρακτέων βουλευσομένους. *Rhodiorum lex jussit summos magistratus convivium viris optimatibus exhibere, in quo de rebus veniente die agendis consultarent:* ad Iliad. *ι.* p. 631. Οὐ πόῤῥω δὲ τούτων ὁ νυκτερινὸς σύλλογος παρὰ Πλάτωνι τῶν ἀρίστων καὶ πολιτικωτάτων ἀνδρῶν ἐστιν, ἐφ' ὃν ἀναπέμπεται τὰ μέγιστα καὶ πλείστης ἄξια φροντίδος. *Neque ab his alienus est nocturnus apud Platonem conventus præcipuorum & rerum publicarum peritissimorum virorum, in quem res maximæ & seria deliberatione dignissimæ remittuntur:* ut putavit Plutarchus loc. cit. ubi tradit etiam Veteribus has ob causas Bacchum Εὔβουλον, *consiliarium prudentem*, & noctem εὐφρόνην, quasi *prudentiæ conciliatricem*, appellatos fuisse. Atque hinc ex Eustathii observatione eorum temperantia colligitur, οὐκοῦν οἱ Ἕλληνες ἀγειρόμενοι πρὸς μέθην ἔπινον, ἀλλ' ὅσον τὸ κοινωνικὸν συντηρῆσαι τὰ σπουδαῖα βουλεύοντας. *Nec enim Græci tum ad ebrietatem potabant, sed quantum ad societatem promovendam conduceret cum de seriis rebus consultarent*, ut ait ille loco cit.

Quemadmodum vero de rebus politicis consultabant, qui rebus publicis præfuerunt; sic Philoso- A phi quæstiones e philosophia petitas agitabant Grammaticæ studiosi de suis rebus disputabant, nec ulla ars aut disciplina fuit, quæ in conviviis non excoleretur. Convivalium sermonum exempla peti possunt ex Athenæi Dipnosophistis, item *ex Platone, Xenophonte*, & si etiamnum exstarent *ex Aristotele, Speusippo, Epicuro, Hieronymo, Dione Academico*, qui λόγους παρὰ πότον γενομένους, *sermones inter compotandum habitos*, literis mandarunt, ut testatur Plutarchus initio suorum *Convivalium* sermonum, ubi se profitetur illorum Auctorum vestigiis insistere, & exempla imitari.

Nec tamen seria sic tractabant, ut ludicra peni- B tus exularent: verum utrisque suus locus dabatur: unde convivium a Plutarcho describitur κοινωνία καὶ σπουδῆς καὶ παιδιᾶς, καὶ λόγων καὶ πράξεων, *seriorum & jocorum, sermonum & actionum communio*, Sympos. *l.* VII. quæst. VI. quemadmodum in Syssitiis Lacedæmoniorum non modo rebus politicis operam dabant, sed etiam παίζειν εἴθιζον, καὶ σκώπτειν ἄνευ βωμολοχίας, καὶ σκωπτόμενοι μὴ δυσχεραίνειν, *assuescebant citra scurrilitatem in alios jocari, atque aliorum dicteria sine offensa excipere.* Vid. Plutarchus Lycurgo, & Sympos. *l.* II. quæst. I. Atque ex ipsius Plutarchi & aliorum sermonibus convivialibus lu- C culente apparet, finem Veteribus propositum fuisse, ut tum delectarentur, tum sibi invicem prodessent mutuis colloquiis. Veruntamen ipsius tempore mos inter convivandum de seriis negotiis deliberandi pridem esse vulgaris desiisset: unde cum *apud Nicostratum disputarent de argumento quod Athenienses in Concione tractaturi erant, quidam* veteris Græcorum consuetudinis penitus ignarus, *Persicum* eos morem *sequi affirmavit*, Symp. *l.* VII. quæst. IX. Idemque Auctor Symposiacorum initio quæstionem movit, *An liceret inter pocula philosophari?* Porro sermonum convivialium magna erat varietas: Erant, qui fabulis delectabantur: alii D ῥῆσιν εἰπεῖν, & poetarum versus audire malebant. Sed nihil erat magis in plerisque locis receptum, quam ut proponendis, solvendisque quæstionibus se occuparent: illæ vero si ludicræ & jocosæ solum essent, αἰνίγματα dicebantur: sin præter ludum, eruditionis aliquid admixtum haberent, γρίφους *sirpos* appellabant; quæ vox rete piscatorium, quo pisces implicantur, primario denotat, ut ait Pollux *l.* VI. c. XIX. unde, ut docet Clearchus libro primo de Parœmiis, τῶν γρίφων ἡ ζήτησις οὐκ ἀλλοτρία φιλοσοφίας ἐστὶ, καὶ οἱ παλαιοὶ τὴν τῆς παιδείας ἀπόδειξιν ἐν τούτοις ἐποιοῦντο, *griphorum perscrutatio aliena non est a philosophia, itaque eruditionis in his specimen* E *veteres statuerunt*: apud Athenæum *l.* X. cap. ult. ὥστε τὴν παιδιὰν, μὴ ἄσκεπτον οὖσαν, μήνυμα γίνεσθαι τῆς ἑκάστου πρὸς παιδείαν οἰκειότητος, *ut ex lusu non inerudito constare posset cujusque ad doctrinam indoles*: ut paullo post dicitur. Griphum solventi, præmium: ei vero, qui solvere non potuit, pœna proponebatur. Hinc griphus, definiente Clearcho, πρόβλημα ἐστὶ παιστικὸν, προστακτικὸν τοῦ διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν, τιμῆς ἢ ἐπιζημίου χάριν εἰρημένον, *quæstio jocosa est, qua convivæ jubentur id quod proponitur solvere, præmii aut mulctæ causa inducti.* Præmia erant στέφανος καὶ εὐφημία, *corona* & convivarum *plausus, quibus*, ut idem F Auctor ait, *amicitia mutua gratior fit.* At pœnæ loco *bibebant salsuginem potioni suæ mixtam, totumque calicem absque respiratione exhauriebant*: quod ibidem ex Antiphanis Ganymede colligit Athenæus. Apud Pollucem griphum solvendi carnium ferculum assignatur: eo, qui non potuit solvere, salsum poculum ebibente, Onomast. *l.* VI. cap. XIX. Alii tradunt vini poculum in medio stetisse, idque præmium fuisse ei qui quæstionem propositam solvisset: sin solvi non potuit, illi, qui

A proposuit quæstionem, datum fuisse. Vid. Etymologici Auctor, & Phavorinus in V. γρίφος, & Eustathius Iliad. χ'. p. 785. Ab his omnibus abit Hesychius, cui γρῖφος est συμποτικὴ ζήτησις αἰνιγματώδης, καὶ πρόστιμον τῷ μὴ λύσαντι τὸν γρῖφον ἐκπιεῖν τὸ συγκείμενον, ἤτοι ἄκρατον, ἢ ὕδωρ, τουτέστι κάδον ὕδατος, *quæstio ænigmatica in conviviis proponi solita, quam qui solvere non potuit, merum, vel aquam, quæ tunc in medio stabant, ebibebant.* Quasi merum pœnæ loco ebibendum proponeretur, quod a nimio ejus usu abstinendum putarint Græci veteres. Sed magis verisimile est, eum qui griphum explicavit, merum præmii loco reportasse: aquam vero ebibisse, qui solvere non potuit. B Hujusmodi quæstiones plerumque ζητήματα κυλίκεια dicuntur; eas Theodectes sophista ζητήματα μνημόνια vocavit, quod plerasque *memoria* edidicerit, ut tradit Pollux: quod facere qui conviviis dediti erant, solitos fuisse verisimile est. Atque priscam fuisse hanc consuetudinem, & ex Oriente ad Græcos traductam, e sacris Litteris colligi potest, in quibus Samson, homo *Martis operi* deditus, in epulis nuptialibus, proposito ænigmate convivis crucem fixisse narratur. Et mos fuit vetus, ut viri ingenio excellentes propositis quæstionibus obscuris inter se certarent: de quo vid. loca ex Dii & Menandri C historia, de ænigmatis inter Solomonem Hiramumque mutatis apud Josephum *lib.* I. adv. Apionem. Item Regum *libr.* I. cap. X. *vers.* I. Herodotus, Scriptor Convivii septem Sapientum inter opera Plutarchi, Auctor vitæ Æsopi, &c. Griphorum autem & ænigmatum plurima sunt exempla apud Athenæum *libr.* X. cap. XVI. Eustathium in Homeri Iliad. pag. 599. Phavorinum V. αἴνιγμα, &c.

In magnificis conviviis moris erat, ut singulis convivis dona præberent: quemadmodum Posidonius Historiæ *l.* XXVI. narrat Lysimachum Babylonium, vocato ad cœnam Himero Babyloniorum & Seleucensium tyranno cum trecentis aliis, D argenteum poculum pondo minarum quatuor singulis dedisse: apud Athenæum *l.* XI. cap. III. Et Alexander cum convivium nuptiale celebravit Susis Persiæ urbe, singulis convivis, quorum fuit novem millium numerus, auream phialam dedit, totiusque exercitus debita de suo solvit: referente Plutarcho in ejus vita p. 703. His e poculis universi libabant, priusquam e convivio abirent: moris enim fuit ut antequam cubitum irent Mercurio, quem Homerus in ejus Hymno νυκτὸς ὀπωπητῆρα, *noctis præsidem*, & ἡγήτορα ὀνείρων *somniorum auctorem* vocat, libationem funderent. E Eidemque linguas eodem tempore cremabant, vel quod is eloquentiæ præses esset, cui in eo membro sedes est: vel quod eum testem omnium, quæ in convivio locuti fuissent, invocatum vellent: vel quod illa membrorum omnium princeps, ad conciliandam hominum inter se amorem & benevolentiam esset: vel quod innuerent silentio premenda esse quæ liberius in compotatione dicta erant; vel alias denique ob causas, quas reperies apud Eustathium in Odyss. γ'. p. 131. & Apollonii Scholiastem Argon. I. *vers.* 516. Mos autem hic præcipue invaluit apud Ionas, Athenienses, & Megarenses, F & ab Apollonii Scholiaste dicitur a rege quodam Megarensium invectus, cum lingua leonis, qui fines suos vastabat, a Pelope ipsi traderetur. Quicquid sit, veterem fuisse consuetudinem ex Apollonio constat, qui de Argonautis hæc verba habet *l.* I. *vers.* 516.

Οἱ δ' ἐπὶ δὴν μετέπειτα κερασσάμενοι δὴ λοιβὰς,
Ἢ θέμις ἐστὶ, τέως ἐπὶ γλώσσῃσι χέοντο
Αἰθομέναις· ὕπνου δὲ διὰ κνέφας ἐμνώοντο.

Neque diu post libationes miscuerunt,
Sicut mos est, & super linguas fundebant
Ardentes: dein cubitum iverunt.

Idem observant Homerici heroes,

Γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον, ἀνιστάμενοι δ' ἐπέλειβον.

Linguas in ignem injecerunt, superque iis surgentes libarunt.

At sicut veteres Mercurio, sic recentiores Græci Jovi Τελείῳ, *Perfecto*, libamina post convivium obtulerunt, ut testatur Athenæus *l.* I. principio cap. XIV. Nec tamen aut Jupiter, aut Mercurius, soli honore illo dignati sunt: verum omnes alii Dii, & in epulis sacris is præcipue, cujus opem implorare vellent, particeps factus est. Quemadmodum in Odyssea tertia, ubi in honorem Neptuni epulantur, Minerva assumta Mentoris forma hortatur, ut cum sacra cæteris Diis, sed præcipue Neptuno fecerint, cubitum irent:

Ἀλλ' ἄγε, τάμνετε μὲν γλώσσας, κεράσασθε δὲ οἶνον,
Ὄφρα Ποσειδάωνι καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι
Σπείσαντες, κοίτοιο μεδώμεθα, τοῖο γὰρ ὥρη.

Sed age, scindite linguas, & vinum miscete,
Ut Neptuno & cæteris immortalibus
Libemus, deinde cubitum eamus, quod jam tempestivum est.

In epulis sacrificialibus nefas erat nimium diu commorari; quod ex Homero observat Athenæus, apud quem Minerva hæc verba profert Odyss. γ'.

Ἤδη γὰρ φάος οἴχεθ' ὑπὸ ζόφον, οὐδὲ ἔοικε
Δηθὰ θεῶν ἐν δαιτὶ θαασσέμεν, ἀλλὰ νέεσθαι.

Lux jam tenebras subit, nec decet
Diu in epulo Deorum sedere, sed domum reverti.

Eodemque loco, ad suum usque tempus lege cautum fuisse, narrat idem Auctor, *ut in quibusdam sacrificiis* πρὸ ἡλίου δύνοντος, *ante occasum solis, abirent. l.* V. c IV. Verum in aliis conviviis compotationes in multam noctem, & aliquando ad auroram usque protrahebant: quod in ipsius Platonis sympofio a Socrate & convivis fit. Idemque in heroicis temporibus fieri consuevit; nam apud Homerum tum Penelopes proci, tum Phæaces; & apud Virgilium Dido & Æneas, ut cætera exempla taceam, non ante seram noctem discedunt.

CAP. XXI.

De hospitio peregrinorum.

PLato, libro XI. de Legibus, cauponariam, tanquam illiberalem artem, a peregrinis, aut civium infimis exercendam statuit. Et apud veteres Græcos caupo nullus erat; neque cognita olim fuit mercenaria hospites excipiendi ratio, quam postea, cum frequentiora inter gentes commercia essent, necessitas invexit. Prisci mortales domi suæ vivebant, & contenti suis opibus, nec aliorum felicitati invidebant, nec amicitias colebant. Nec satis tutum erat extra fines suos longius iter, quia mare terrasque inhumani prædones occupabant, qui victos rebus suis spoliare, tum & in ipsos crudeliter sævire solebant: unde fabulæ de Procruste,

Sinne, Scirone, Periphete; aliisque pluribus; quos Hercules, Thefeus, aliique fæculi iftius heroes meritis fuppliciis affecerunt. Nec tamen eo tempore rapto vitam fuftentare, aut infame, aut generofo animo indignum putabatur: verum qui pollebant viribus, jure quodam infirmiorum opes ad fe pertinere, & in fuperandis quibufcunque obviis gloriæ quiddam fitum effe, arbitrabantur. Vid. Plutarchus Thefeo, & Thucydides hiftoriæ initio. Atque hinc forte erat, quod peregrinus & hoftis commune nomen ξένυ haberent: & cum Perfæ perpetua bella cum Græcis gererent, illi præcipue ξένοι dicti funt: Hefychius, ξένοι· οἱ πολέμιοι, οἱ ἢ τὰς Πέρσας, quinetiam barbaros, quos tanquam Græci nominis hoftes odio habebant, univerfos, ξένυς appellabant; quod præter Pollucem *l.* I. c. X. teftatur de Lacedæmoniis Herodotus Calliope c. X. Sic veteribus Latinis *boftis* erat, qui poftea peregrinus dicebatur, ut docent D. Ambrofius Offic. *l.* I. cap. XXIX. Varro De Ling. Lat. *l.* IV. principio, & Cicero De Offic. *l.* I. c. XII. quamvis ei non affentior, quod perduelles vocari *boftes* cœperint, ut *lenitas verbi triftitiam rei mitigaret.* Vid. Commentarius nofter in Caffandræ *verf.* 464.

Nihilominus ea ætate, qui cultiorem vitæ rationem profitebantur, peregrinos omnes humaniffime tractabant; unde convivio excipiebant, & res neceffarias fuppeditabant, antequam nomina ipforum, vel patriam exquifiverant. Sic enim Menelaus Telemachum fociofque ejus Spartam advenientes alloquitur, Odyff. δ'. *verf.* 61.

Σίτυ δ' ἅπτεσθον, καὶ χαίρετον· αὐτὰρ ἔπειτα
Δείπνυ πασσαμένω, εἰρησόμεθ' οἵ τινες ἐςὸν
Ανδρῶν. ——

Cibum guftate, & gaudete: poftea autem
Cœna faturati, interrogabimus quinam fitis
Hominum. ——

Idem fit, cum Telemachus excipit Minervam, quæ fumta mortali forma ejus domum adivit, Odyff. α'. *verf.* 170. cum Telemachus a Neftore excipitur, Odyff. γ'. *verf.* 69. & cum Ulyffes ad Eumæum digreditur, Odyff. ξ'. *verf.* 45. Menelaus Paridem decem dies hofpitio excepit, priufquam genus nomenque fuum profiteri rogatus eft: quin & ἀρχαῖον ἔθος φασὶ τῇ δεκάτῃ ἐρωτᾶσθαι τὰς ξένυς, *prifcum morem fuiffe referunt, ut non ante decimum diem hofpites interrogarent*, ut tradit Euftathius p. 491. in Iliad. VI. *verf.* 174. quo loco dicitur Bellerophontes ufque ad id tempus non oftendiffe fymbolum Lyciæ regi a Prœto miffum:

Εννῆμαρ ξείνισσε, καὶ ἐννέα βῦς ἱέρευσεν·
Αλλ' ὅτε δὴ δεκάτη ἐφάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς,
Καὶ τότε μιν ἐρέεινε, καὶ ᾔτεε σῆμα ἰδέσθαι,
Οττι ῥά οἱ γαμβροῖο παρὰ Προίτοιο φέροιτο.

Novem diebus hofpitio excepit, & novem boves mactavit:
Cum vero decima rofeis digitis apparuiffet aurora,
Tunc ipfum interrogabat, & petiit fignum videre,
Quod ipfi a genero Prœto afferret.

Et cum Hercules, Thefeus, Minos, aliique vitæ humanioris cultores, terras & maria prædonibus liberaffent, peregrini quocunque juberet animus tuto commeabant, & a plurium urbium legibus fecuri præftabantur: τὰς γὰρ ξένυς, ἐξ ὗ ὅ, τε Σίννις, καὶ ὁ Σκείρων, καὶ ὁ Προκρύςης ἀπέθανον, ὐδεὶς ἔτι ἀδικεῖ· ἀλλὰ νῦν οἱ μὲν πολιτευόμενοι ἐν ταῖς πατρίσι, καὶ νόμοις τίθενται, ἵνα μὴ ἀδικῶνται. *Peregrinos enim, ex quo Sinnis, Sciron, & Procruftis perierunt, nemo unquam injuria afficit: fed & jam qui in fua patria res publicas procurant, leges ftatuunt, ne fiat*

A *illis injuria*, inquit Xenophon Απομνημον. *l.* β'. Cujufmodi lege fretus Ariftippus Cyrenæus Athenas migraviffe audiendi Socratis caufa ibid. narratur.

Cretenfium in hofpites benevolentia præcipue celebratur. In eorum Syffitiis duæ domus erant: altera κοιμητήριον dicta, in qua peregrini dormiebant: altera ἀνδρεῖον, cibo capiendo deftinata; in qua duæ primariæ menfæ peregrinis, fi qui aderant, affignari folebant, ξενικαὶ τράπεζαι inde dictæ, tradente Dofiada: vel una menfa e dextra cœnaculi parte, τράπεζα ξενία, vel ξενίυ Διὸς appellata, ut refert Pyrgion libro De Cretenfium inftitutis. Vid. Athenæus *l.* IV. c. IX. Et Heraclides, qui de variis
B Politiis fcripfit, Cretenfes peregrinis fupremum locum in menfis tribuiffe, in epulis diftribuendis primam eorum curam habuiffe, nec Principi portionem fuam appofuiffe, antequam hofpitibus fercula exhibuiffent: denique ex illis haud raro ad gerendam rempublicam evocaffe.

Contra Lacedæmonii iniquiores hofpitibus fuiffe memorantur: quod magis mirum videri poffit, cum Lycurgus fuorum inftitutorum rudimenta a Cretenfibus accepiffe dicatur. Hinc Athenienfium a moribus maxime alieni fuiffe dicuntur a Tzetze Chiliad. VII. hiftor. CXXX.

C *Τοῖς Αθηναίοις νόμος ἦν εἰσδέχεσθαι τὰς ξένυς,*
Οθεν καὶ ὠνομάζοντο φιλόξενοι τοῖς πᾶσι·
Τοῖς Λάκωσι δὲ νόμος, τὰς ξένυς ἀπελαύνειν.

Athenienfibus lex erat, ut hofpites exciperent,
Unde nominabantur ab omnibus hofpitales:
Laconibus autem lex erat, ut hofpites abigerent.

Quamobrem ab Ariftophane in Pace διειρωνόξενοι, ab aliis ξενηλάται vocantur. Verum non adeo inhumani fuere, ut nullam prorfus hofpitum curam haberent; cum certo conftet eos publicis conviviis Spartæ exceptos fuiffe; tradatque Antoni-
D nus Imperator, quod cum Lacedæmonii loco, quem forte nacti effent, confiderent, peculiarem hofpitibus locum fub umbra affignatum fuiffe, *lib.* XI. ad feipfum: denique Rex ipfe, referente Herodoto, neceffaria peregrinis providere officio fuo tenebatur. Sed duas præcipue ob caufas male audiviffe apud exteras gentes videntur:

1. Primo, quod cum ipfi victu tenui contenti, nec deliciis, nec cibi condimentis uterentur, peregrini, qui lautioribus conviviis affueti fuiffent, inhumanius tractari fe putarent, cum Spartano more exciperentur: unde Sybarita quidam, cum
E Spartæ victum cepiffet, mortem tam injucundæ vitæ præferendam judicaffe dicitur; palamque profeffus eft, *fe minime jam mirari Spartanos effe omnium populorum fortiffimos, quibus nulla erat voluptas, propter quam vitam defiderarent.* Vid. Athenæus *l.* IV. cap. VI.

2. Deinde, quoniam (ut Ariftophanis Scholiaftes in Pace & Suidas teftantur) ὐκ ἐξῆν ξένῳ τινὶ ἀεὶ τῆς Σπάρτης ἐπιβαίνειν ἀλλ' ὡρισμέναις ἡμέραις, *peregrino non quovis tempore, fed certis duntaxat diebus Spartam ingredi licebat.* Frequentem enim aliarum gentium confluxum, quantum fieri commode potuit, vitabant: vel ὅπως μὴ γνοῖεν οἷς ἐπι-
F μελές ἐςι τὰ τῆς Σπάρτης ἐπιτηρεῖν ἁμαρτήματα, *ne obfervare poffent Spartanorum peccata*, ut ait Libanius Apolog. Archidami Declam. XXIV. idque Pericles Lacedæmoniis exprobrare videtur in oratione funebri apud Thucyd. *l.* II. Vel, quæ ratio potior effe videtur, ne quotidianus advenarum concurfus gentium exterarum vitia paullatim introduceret: ut exiftimabant Xenophon de Repub. Lacedæm. Plutarchus Lycurgo, & inftitutis Laconicis, aliique. Quemadmodum inter Romanos edictum aliquando fuit, quo *peregrini ufu urbis probibiti*

ſunt, teſte Cicerone De Offic. *l.* III. c. XI. Haud aliam ob cauſam Lacedæmoniis ἐκ ἐξῆν ἀποδημεῖν, *peregre proficiſci non licebat*, nam ibi ſequitur ἵνα μὴ ξενικῶν ἐθῶν καὶ βίων ἀπαιδεύτων μεταλάβωσι, *ne peregrinos mores, & inſcita vitæ inſtituta aſſumerent*, ut docet Plutarchus in Inſtitutis Laconicis. Vid. idem Auctor Lycurgo, & Apophthegmat. Nicolaus De moribus gentium apud Stobæum, Valerius Maximus *l.* II. c. VI. Harpocration V. ξένηλασία, &c. Nec ſine gravi cauſſa inſtitutum hoc fuiſſe, documento fuere, ut alia exempla taceam, duo exercitus Lyſandri & Ageſilai; quorum ille ex Athenis, hic autem ex Aſia rediens patrios mores corruperunt.

Quo vero populum a violatione hoſpitum abſterrerent, vel Poetæ, vel potius legislatores, & qui curam morum vitæque gerebant, quoſdam eſſe Deos fabulati ſunt, qui hoſpites omnes in tutelam ſuam reciperent, eorumque injurias vindicarent. Quales erant Minerva, Apollo, Venus, Caſtor & Pollux, ſed præcipue Jupiter, cui inde Ξενίου cognomen inditum, quod etiam competebat cæteris qui hoſpitum curam agebant. Hinc Ulyſſes Polyphemi miſericordiam hoc argumento implorat, Odyſſ. *ι. verſ.* 269.

> Ἀλλ' αἰδεῖο, φέριστε, Θεούς· ἱκέται δέ τοι εἰμέν.
> Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
> Ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.
> *Sed reverere, vir optime, Deos: ſupplices tibi ſumus:*
> *Jupiter ipſe vindex eſt ſupplicum, hoſpitumque*
> *Hoſpitalis, qui hoſpitibus verecundis opitulatur*

Et cum ad Eumæum ſubulcum ſenis egeni forma diverteret, ſubulcus eum benigne excipit propter eandem cauſam, Odyſſ. *ξ. verſ.* 55.

> Ξεῖν', οὔ μοι θέμις ἔστ', οὐδ' εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι,
> Ξεῖνον ἀτιμῆσαι· πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
> Ξεῖνοί τε, πτωχοί τε. ——
> *Hoſpes, non mihi fas, ſi vel pejor te veniat,*
> *Hoſpitem contemnere: nam a Jove ſunt omnes*
> *Hoſpites, pauperesque.* ——

Itemque Dii, quod de ſe narrat apud Ovidium Jupiter, in terris errare ſub humanis formis credebantur, mortalium ſcelera & mores exploraturi,

> *Et Deus humana luſtro ſub imagine terras.*

Metam. I. *verſ.* 213. Cum ad Lycaona deſcendit, qui in lupum converſus, inhoſpitalitatis pœnas dedit. Et Metam. VIII. *verſ.* 626.

> *Jupiter huc ſpecie mortali, cumque parente*
> *Venit Atlantiades poſitis caducifer alis.*
> *Mille domos adiere, locum requiemque petentes,*
> *Mille domos clauſere ſeræ.* ——

Quam ob impietatem Dii ea tecta terramque ſtagno erumpente merſiſſe narrantur. Denique cum Antinous Ulyſſem hoſpitem egenum injuria vexaret, a quodam præſente ſic monetur, Odyſſ. *ρ'. v.* 489.

> Ἀντίνο', οὐ μὲν καλ' ἔβαλες δύστηνον ἀλήτην,
> Οὐλόμεν', εἰ δή πού τις ἐπουράνιος Θεός ἐστι·
> Καί τε Θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι,
> Παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας,
> Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.
> *Antinoe, haud prudenter percuſſiſti infœlicem erronem,*
> *Infelix, ſicubi cœleſtis Deus ſit:*
> *Nam & Dii hoſpitibus ſimiles peregrinis,*
> *Omnifarii cum ſint, per urbes verſantur,*
> *Hominum fas, nefaſque inſpecturi.*

Porro qui ritus in hoſpitibus excipiendis uſitati fuerint, cum illi a conviviorum ritibus parum differre comperiantur, haud erit neceſſarium explicare. Id vero notandum eſt, quod initio convivii hoſpitalis ſal ante cibos fuerit appoſitus, ut eum lingendo in amicitiam coaleſcerent, quemadmodum ex multis aquæ collectionibus, vel ex terrearum aquearumque particularum mixtione ſales concreſcunt. Vel ſale denotabant amicitiæ tum conciliatæ diuturnitatem, quod is carnes a corruptione conſervet. Vel ad purgantem ſalis naturam reſpiciebant, ob quam in luſtrationibus aqua ſalſa adhiberi ſolita eſt; ut ſignificarent amicorum animos omni prava ſuſpicione purgandos eſſe. Vid. Euſtathius in Iliad. *ά.* p. 100 & Lycophronis Scholiaſtes p. 135. Ex hac conſuetudine quædam ſanctitas ſali ineſſe putabatur, unde ſæpe ἱεροὺς ἅλας vocant, & Homerus θεῖον ἅλα dixit: quin & ipſis menſis, quæ alioqui ſacræ fuerunt, ſanctitatem communicare credebatur; nam *ſacras facitis menſas, ſalinorum appoſitu, & ſimulacris Deorum*, inquit Arnobius ad Gentes *l.* II. Quæ opinio non aliunde videtur nata fuiſſe, quam ex conſtanti ſalis in omnibus conviviis uſu: nam ſanctitatis quadam opinione honorari conſueverunt, quæcunque ad conciliandos hominum animos, ad priſcam feritatem deponendam, & ad ſocietates copulandas conferrent. Hinc menſis ſanctitatem conceſſam fuiſſe antea dictum eſt, ubi de Conviviis egimus: quin & ipſa domus, in qua convivabantur, quandam reverentiam vendicabat: adeo ut Ajax inde argumentum duxerit, quo Achillem propitium redderet, Iliad I. *verſ.* 635.

> —— σὺ δ' ἵλαον ἔνθεο θυμόν,
> Αἴδεσσαι δὲ μέλαθρον· ὑπωρόφιοι δέ τοι εἰμέν.
> —— *tu autem propitium indue animum,*
> *Domumque reverere: ſub eodem enim tecto ſumus.*

Quo loco obſervat Euſtathius, ὅτι τὸ ὁμόστεγον μέγα τοῖς ἀρχαίοις εἰς δυσωπίαν, καὶ τὸ ὁμοτράπεζον, p. 691. Hinc autem qui hoſpitii jura violabant, ἅλα καὶ τράπεζαν παραβαίνειν dicebantur; veluti apud Lycophronem, ubi de Paride loquitur, qui cum a Menelao exceptus hoſpitio eſſet, uxorem ejus Helenam abripuit *verſ.* 134.

> —— οὐδὲ τὸν ξενίοις
> Συνδορπον Αἰγαίωνος ἁγνίτην πάγον
> Ἔτλης θεῶν ἀλοιτὸς ἐκβῆναι δίκην,
> Λάξας τράπεζαν, κἀνακυπώσας θέμιν.
> —— *nec* veritus *hoſpitum*
> *Convivam Neptunium purum ſalem,*
> *Auſus es divinum, ſceleſte, jus tranſgredi,*
> *Percellens menſam, & evertens juſtitiam.*

Et Demoſthenes hoſpitii violatorem his verbis exagitavit, ποῦ δ' ἅλες; ποῦ τράπεζαι; τοῦτα γὰρ τραγῳδεῖ περιιών· *ubi ſales? ubi menſæ? bis enim contemtis has tragœdias excitat*: Orat. de falſa legat.

Jus hoſpitii, quod Græci προξενίαν vocant, non modo privatis inter privatos, ſed inter familias, genteſque; nec ſolum inter eos a quibus primo contractum fuit, ſed inter eorum filios, poſteroſque intercedebat. Hinc apud Platonem Megillus Spartanus ait, ſuam familiam τῆς πόλεως ὑμῶν (Ἀθηναίων) πρόξενον, *univerſæ civitatis Athenienſis hoſpitem eſſe*, *l.* I. De Legibus p. 780. Ed. Franc. Cimon Miltiadis filius hac occaſione uſus eſt, ut Athenienſes cum Spartanis fœdere jungeret, uti refert in ejus Vita Cornelius Nepos: *Ille, quod hoſpitio Lacedæmoniorum utebatur, ſatius exiſtimans contendere Lacedæmonem, ſua ſponte eſt profectus, pacemque inter duas potentiſſimas civitates conciliavit.* Apud Plutarch. Nicias Athenienſis πρόξενος τῶν Λακεδαιμονίων appellatur. Halyattes Lydorum rex pactum cum Myſiis inivit, ἐφ' ᾧ τε ξείνους ἀλλήλοις εἶναι καὶ ξυμμάχους, *ut hoſpitium inter ſe, bellique ſocietatem haberent*, ut narrat Herodotus Clione. Denique apud

apud Xenophon. Hellen. VI. paterni hoſpitii mentio eſt; *τὴν μὲν προξενίαν ὑμῶν οὐκ ἐγὼ μόνος, ἀλλὰ καὶ πατρὸς πατὴρ πατρῴαν ἔχων παρεδίδου τῷ γένει. Hoſpitii jus vobiſcum non ego primus colui, ſed patris mei pater ab ejus patre acceptum poſteris reliquit.* Tantaque hujus juris reverentia erat, ut *πῶς τῆς συγγενικῆς θερμῆς κρείττων τοῖς παλαιοῖς ἦν, naturæ vinculo quodammodo arctius & fortius haberetur:* adeo ut cum Teucer Priami ſororis filius avunculum regno exuere conatus ſit, tamen Glaucus & Diomedes in ipſo pugnæ ardore arma deponant, hoſpitii veteris jus, quod inter Bellerophontem & Oeneum eorum majores interceſſerat, reveriti; ut obſervat Euſtath. in Iliad. ζ'. p. 496.

Hinc nata conſuetudo eſt, ut hoſpites *σύμβολα* ſibi invicem darent, quibus agnitis vetus neceſſitudo innoteſceret. Hinc Jaſon abeunti Medeæ promittit,

Ξένοις τε πέμπειν σύμβολ', οἳ δράσουσί σ' εὖ.
Hoſpitibus mittere ſymbola, qui ei benefacerent.

apud Euripidem in Medea verſ. 613. Porro ea ſymbola priſcis fuere munera hoſpitalia, Græce *ξένια*, vel *δῶρα ξενικὰ*, quæ in amicitiæ memoriam ſervanda tradebantur: hinc Glauco Diomedes apud Homerum Il. ζ. verſ. 215. ſic ait,

Ἦ ῥά νύ μοι ξεῖνος πατρώϊος ἐσσὶ παλαιός.
Οἰνεὺς γάρ ποτε δῖος ἀμύμονα Βελλεροφόντην
Ξείνισ' ἐν μεγάροισιν ἐείκοσιν ἤματ' ἐρύξας.
Οἱ δὲ καὶ ἀλλήλοισι πόρον ξεινήϊα καλά.
Οἰνεὺς μὲν ζωστῆρα δίδου φοίνικι φαεινόν,
Βελλεροφόντης δὲ χρύσεον δέπας ἀμφικύπελλον,
Καί μιν ἐγὼ κατέλειπον ἰὼν ἐν δώμασ' ἐμοῖσι.
Certe tu paternus mihi hoſpes es vetus:
Oeneus enim divinus olim præclarum Bellerophontem
Hoſpitio excepit ſua in domo viginti dies detentum.
Illique invicem hoſpitalia munera præbuere:
Oeneus purpura tinctum cingulum dabat,
Bellerophon autem aureum poculum utrinque auritum,
Quod ego huc profectus domi meæ reliqui.

Quo loco obſervat Euſtathius, *ὅτι τὰ ξένια, ἤτοι τὰ τῆς ξενίας δῶρα, κειμήλια τοῖς παλαιοῖς ἀπετίθεντο εἰς ἀνάμνησιν πατρῴας φιλίας τοῖς ἐπιγόνοις. Veteres hoſpitalia munera repoſuiſſe domi ſuæ, ut poſteris ſuis paternæ amicitiæ monumenta forent. Unde Bellerophontis poculum Diomedes domi ſuæ reliquit, ſicut Ulyſſes Iphiti arcum in hoſpitii memoriam.* Poſtea ſymbolum hoſpitale ex aſtragalo fiebat: nam *οἱ ἐπιξενούμενοί τισιν, ἀστράγαλον κατατέμνοντες, θάτερον μὲν αὐτοὶ εἶχον μέρος, θάτερον δὲ κατελίμπανον τοῖς ὑποδεξαμένοις· ἵνα εἰ δέοι πάλιν αὐτοὺς ἢ τοὺς ἐκείνων ἐπιξενοῦσθαι πρὸς ἀλλήλους, ἐπαγόμενοι τὸ ἥμισυ ἀστράγαλον ἀνενεοῦντο τὴν ξενίαν. Qui hoſpitio excipiebantur, talum in æquas partes diſcindebant, quarum alteram ipſi retinebant, alteram hoſpiti ſervandam tradentes: ut ſi forte ipſi, vel eorum poſteri hoſpitio indigerent, tali dimidia parte producta hoſpitalia jura renovarent*, ut docet ex Helladio & Eubuli Xutho Euripidis Scholiaſtes ad laudatum ex ejus Medea verſum. Hinc Latini *teſſeram hoſpitalem* dicebant, ut apud Plautum Pœnulo Act. v. Sc. II. verſ. 85.

AG. *Siquidem Antidamarchi quæris adoptatium,*
Ego ſum ipſus, quem tu quæris. POE. *Hem! quid ego audio?*
AG. *Antidamæ gnatum me eſſe.* POE. *Si ita eſt, teſſeram*
Conferre ſi vis hoſpitalem, eccam, attuli.
AG. *Agedum huc oſtende: eſt par probe: nam habeo domum.*
POE. *O mi hoſpes, ſalve multum; nam mihi tuus pater,*
Pater tuus ergo hoſpes Antidamas fuit:
Hæc mihi hoſpitalis teſſera cum illo fuit.

His autem teſſeris nomina ſua, aliæve figuræ, quibus iterum dignoſci poſſent, & præcipue Jovis hoſpitalis nota inſcribi ſolebant. Hinc Pœnus ejuſdem Actus Sc. I. verſ. 22.

Deum hoſpitalem ac teſſeram mecum fero.

Quibus verbis ἐν διὰ δυοῖν exprimi volunt, ut *Deus hoſpitalis* ſit teſſera ejus notam, vel imaginem inſculptam ferens. Quod ſi cui amicitiam renuntiare volebant, teſſeram frangebant: unde qui hoſpitii jus violaſſent, *teſſeram fregiſſe* veteri verbo dicebantur. Idem Comicus de Ciſtellaria,

Abi, quære ubi tuo jurijurando ſatis ſit ſubſidii:
Hic apud nos jam, Alceſimarche, confregiſti teſſeram.

Qui privato hoſpitio aliquem excipiebat, *ἰδιοπρόξενος*, qui publico, *πρόξενος* dictus eſt; qualis erat qui legatis publica auctoritate miſſis neceſſaria providebat: quamvis eadem voce privatus quoque hoſpes haud raro ſignificetur. Quod ſi quis publicum illud munus injuſſus in ſe recipere, is *ἐθελοπρόξενος* erat: quemadmodum Thucydides Pithiam appellat *ἐθελοπρόξενον τῶν Ἀθηναίων, voluntarium Athenienſium hoſpitem*, lib. III. cap. LXX. quo loco Scholiaſtes *ἐθελοπρόξενον* explicat, *τὸν ἀφ' ἑαυτοῦ γενόμενον, καὶ μὴ κελευσθέντα ἐκ τῆς πόλεως*: Nam, ut ille ibidem docet, *οἱ πρόξενοι κελευόμενοι ἐκ τῆς αὐτῶν πόλεως ἐγίνοντο, proxeni ad id munus ab urbe ſua deſignabantur.* Vid. Suidas, & Pollux lib. v. cap. IV. Et quidem interdum a populi totius ſuffragiis, quod in Democratiis: interdum Regis juſſu, quod in regnis plerumque fiebat, conſtituebantur: quemadmodum in Sparta incumbebat Regibus *προξείνους ἀποδεικνύμεναι τοὺς ἂν ἐθέλωσι τῶν ἀστῶν, quos vellent e civibus proxenos renunciare*, ut narrat Herodotus lib. VI. quæ verba citavit Euſtathius in Iliad. γ'. p. 307. ubi de hoc munere agit. Porro *proxeni* non modo hoſpitium victumque & cætera neceſſaria legatis ſuppeditabant verum in Theatro ſedem illis providebant; ad regem aut populi concionem deducebant, ut legationis ſuæ cauſam exponerent; & in cæteris negotiis miniſtrabant, ut iidem Auctores tradunt. Hinc *κατὰ μεταφορὰν ὁ καλοῦ τινος, ἢ κακοῦ αἴτιος οὕτω λέγεται, proxenus per metaphoram dicitur quicunque boni, aut mali alicujus auctor eſt; ut ἀπωλείας πρόξενος, vel φθορᾶς, vel σωτηρίας, vel ὑγιείας*, cum *exitii*, aut *ſalutis auctorem* ſignificare volumus: ut obſervat Euſtathius in Iliad. δ'. pag. 369.

Proxenorum munus a recentioribus *παροχὴ* dicitur, quo ſenſu ea vox apud Baſilium in epiſtola quadam exſtat: Heſychius *παροχὰς* explicat, *χαρίσματα, δωρήματα*, & Cicero præbitiones publicas vocavit *parochias publicas*, lib. XIII. epiſt. II. ad Atticum: niſi cum nonnullis ibi leges *parochus publicus*: nam qui hoc officio fungebatur Græcis vocabulis *ξενοπάροχος* & *parochus* dicitur, quem veteres Latini vocabant *copiarium*. Horatius *parochi* voce uſus eſt lib. I. Sat. v. verſ. 45.

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit: & parochi, quæ debent, ligna ſalemque.

Ubi *ſalis lignorumque* ſpecie quæcunque neceſſaria ſunt intelligenda: quæcunque neceſſaria ſunt intelligenda: quæ parochi legatis, aliiſque reipub. negotia procurantibus ſuppeditare tenebantur; quo nomine jus habebant ſtipendia ab oppidanis exigendi: nam ſocii reipub. Romanæ ejuſmodi viris ſumtus neceſſarios ſuppeditabant. Vid. Livius lib. XLII. Cicero lib. I. epiſt. XVI. ad Atticum, & Acron in Horatii loc. cit. item in lib. II. Sat. VIII. verſ. 35. quo loco *parochus* exhibitorem convivii notat:

—— *vertere pallor*

Tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acres
Potores. ——

Itinera suscipiebantur implorato Deorum auxilio: & peregre abeuntes patriam, ejusque Deos salutabant. Ovid. Metam. lib. XIII. vers. 420.

—— *dant oscula Terræ*
Troades, & patriæ fumantia tecta relinquunt.

Eo ritu loci Genio valedicentes. Et in quamcunque terram applicuerit, ejus Genium, & τὰς ἐπιχωρίας θεὰς venerabantur. Sic Ulysses, cum evasisset in Phæaciam,

—— κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν.
—— *osculatus est almam terram.*

Odyss. ε. vers. 460. Et apud Ovidium Metam. lib. III. vers. 24.

Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
Figit: & ignotos montes, agrosque salutat.

cum in Bœotiam venisset. Quamdiu in aliqua regione commorabantur, Deos loci præsides venerati sunt: quod a Samaritanis Israelitarum terram possidentibus factum fuisse narrant sacræ Scripturæ; & ab Alexandro, cum in Troade esset, qui ejus res gestas memoriæ prodiderunt. Denique reversi patriam & domum suam, Deosque in iis pa-

A trios & Gentiles salutabant. Sic Ulysses in Ithacam reversus Odyss. ν. vers. 354.

Γήθησεν δ' ἄρ' ἔπειτα πολύτλας δῖος Ὀδυσσεὺς,
Χαίρων ᾗ γαίῃ· κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν.
Αὐτίκα δὲ Νύμφῃς ἠρήσατο χεῖρας ἀνασχών.
Tum lætatus patiens divinus Ulysses,
Gaudens sua terra: osculavit autem almam tellurem:
Dein statim Nymphis supplicavit manibus sublatis.

Et Agamemnon domum reversus apud Æschylum Agamemn. vers. φ19.

Πρῶτον μὲν Ἄργος, καὶ θεὰς ἐγχωρίας
B Δίκη προσειπεῖν, τὰς ἐμοὶ μεταιτίας
Νόστου.
Primo quidem Argos, Deosque loci præsides
Fas erit alloqui, qui mihi reditus causæ sunt.

Idem ritus ab eodem apud Senecam observatur, & ab Hercule ab Inferis redeunte apud Euripidem in Hercule Furente vers. 523.

Ὦ χαῖρε μέλαθρον, πρόπυλά θ' ἑστίας ἐμῆς,
Ὡς ἄσμενός σ' ἐσεῖδον ἐς φάος μολών.
Salve o domus, tuque domus meæ vestibulum,
Quam libens te aspicio in lucem reversus.

F I N I S.



I N D E X
RERUM ET VERBORUM,
QUÆ IN HAC
ARCHÆOLOGIA GRÆCA
CONTINENTUR.

A

D

E

F

G

N

O

F I N I S.

AD BIBLIOPEGUM.

INDEX ET ORDO FIGURARUM

ubi ſingulæ ſunt inſerendæ.





